8
6
1

6
17
8

Lit. Q. ord. VI. num. 1n. ad 1q. inclus.

8, 6, e, 6,

~~8 7 6 5~~

IVSTI LIPSI V. C. OPERA OMNIA,

POSTREMVM AB IPSO AVCTA ET RECENSITA:

NVNC PRIMVM COPIOSO RERVM INDICE ILLVSTRATA.

Tomus Secundus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXVII.
Cum Priuilegiis Cæſareo & Principum Belgarum.

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA PRIMA MISCELLANEA.

LIBRARIA COLON.

AD PRAETOREM, CONSVLES, ET SENATVM REIP. VLTRAIECTINAE.

Viri Nobiles, Viri Prudentes,

EPISTOLAS meas aliquot, quas his diebus collegi, & errantes redegi ſub vnum huius Centuriæ velut ſignum, viſum mihi in lucem dare: idque ſub tutelà nominis veſtri. Cauſſam habui duplicem. Prior eſt, quia lucem aliquam tenui huic, & per ſe obſcuræ ſcriptioni, conciliare conatus ſum à luce veſtrà: quorum antiqua, potens, & amœna vrbs ſplendet inter Belgicæ primas: voſque in eà, per prudentiam & virtutem. Cauſſa altera. quòd beniuolentia veſtra huc me impellit & comitas, quà publicè ac priuatim inſigni ſemper in me fateor eſſe vſos. Omitto amicitias, quæ mihi cum pleriſque veſtrorum ciuium artæ: ſed pedem numquam in vrbem veſtram poſui, quin clara mihi ſigna ſemper exhibueritis eximij cuiuſdam adfectus & cultus. Cum honore & amore venientem excepiſtis, hærentem habuiſtis, abeuntem dimiſiſtis. Quo meo merito? nullo, fateor: ſed ſolo impulſu beneficæ & humanæ naturæ. quæ velut fato aut Genio, inter adſitas omnes gentes, propriè eſt veſtra. Quod eò maius beneficium interpretor; quia tam munes fuiſtis, in re & verbis hactenus immunem. Id autem ne vltrà ſim, verborum ecce ſaltem & ſcripti munus hoc capite: Epiſtolas inquam meas, nouum & veterem ingenij partum. nouum diſpoſitu, compoſitu veterem. ſed partum profectò infirmum aut informem: & quem, per diuturni hoc morbi tædium, nec fingere nec polire mihi mens, quemque abieciſſe veriùs videor, quàm peperiſſe. Vos ei tutores, imò patres aduoco: tangite, tollite expoſitam hanc prolem: & inprimis auctoritatis veſtræ ſcuto defendite, contra maligni liuoris dentem. Ita Deus vos & veſtram vrbem ciuilium hac bellorum flammà aliquando eripiat, quà vndique nunc eſtis cincti. Lugd. Bat. Id Nouemb.

LECTOREM MEVM SALVERE IVBEO.

EN tibi Epiſtolas noſtras, mi Lector, ſed in parte: & eam ipſam partem, non mentior, trepidè emiſi, & quodammodò volens nolens. Volentem me ſanè volentia tua facit. cuius fauoris aura ſuauiter adhuc mihi ſpirat: nolentem, ipſum argumentum. Primùm, quia id tenue: nec fama ab eo magna ſpes aut ſeges. Epiſtolas enim meras damus: id eſt, diales noſtras nugas, iocos, luſus, & cum amicis garritus. Quid ſerium hîc magno opere, aut cultum? quin epiſtolæ eſſe deſinunt, ſi nimis tales. Ordinem aut dilectum in materiâ, curam aut limam in ſtilo, quiſpiam exſpectat? à me fruſtrà: quia in blandiente illâ hæreſi ſum, vt epiſtolas ſub manu naſci debere cenſeam, & ſub acumine ipſo ſtili. Atque adeò (dicam verè) bis non ſcribo, bis vix eas lego. Profluunt mihi ex liquido quodam canali pectoris: & vt animus aut corpus meum eſt cùm ſcribo, ita illæ. Victor meus ſolitus dicere, indices ei ſemper valetudinis noſtræ meas litteras, etiam cùm indices non eſſent. Benè. languent enim illæ, excitantur, dolent, gaudent; calent, frigent mecum. Vt verbo dicam, affectus animi corporiſq; mei in hac tabellâ. Quòd ſi quædam in his ſeria, tamen pauca: & præponderat, vereor, leuiorum multitudo. Nam nullas eſſe, falsò dixerim. quia interdum intercurrunt totæ, & ex profeſſo tales, philologæ aut philoſophæ, & ſalubrium aut docentium præceptorum. Conſulimus, monemus, cauemus, apud iuuentutem præſertim: quam cura mihi ſemper ad vtilia, non ſolùm ad amœna ducere, & animo ac robore ponere ſupra vulgum. Quas ipſas ſi paullò diligentiùs ſcripſi, & velut percolui digniori quadam ſermonis veſte: nihil, credo, peccaui. quia hoc quoque ſine curà meà magnâ, ſine ambitu. cuius manus facile mentem ſequitur: & cùm impleuit eas materies grandior, chartam mihi vltrò verba. Famam igitur ſiue laudem ſperem hîc haud magnam. atque adeò infamiam quî non timeam, cùm oculos ſiue ad animum hoc flexi, ſiue ad rem ipſam? illud quidem, pronum ingerere calumnias vtraque manu; hanc, natam accipere toto ſinu. Detegimur enim in epiſtolis, & ſubiicimur oculis penè nudi. Noſſe me, aut alium vis? epiſtolas lege, quæ depingunt. Ingenij mei, adfectus, iudicij, imò & vitæ, non vana imago iſtîc. Alibi fucus & ſimulatio habitat: hîc candor, hîc veritas, & non niſi natiuus ille color. Quî ſimulet in ſubitâ illâ, & ſæpè calidâ, ſcriptione animus? non poteſt. quî apud amicum, & ſe alterum? non vult, non debet. Reuerà enim deprehenditur aut emicat, priuſquam ſe componat: nec velum ei ducere ſuccurrit, quo tam citò, & apud tales, ſe tegat. Protrahit igitur hominem maximè hæc ſcriptio: & ideò iudiciis calumniiſq; exponit. De te tuiſq; memoras? quod carpant reperient, vt vanum, aut iactabundum. De aliis? hîc quoque, quod carpant. Illi in laudes nimis pronus videbere, alij in reprehenſiones:

henſiones:

henſiones: huic ad ſuperbiam vergere, alteri in adulationem proclinare. Denique in publicâ & ciuili re, ſub cineribus qui occulti ignes? Pictatis mihi rem alibi tange: apud hanc aut illam partem periſti. Reges aut ſtatus: cadauer es & funus. Atqui hæc in epiſtolas ſæpè intercurrant neceſſe eſt, aut illæ ne currant. Jn quibus omnibus etſi nos (quantum prudentia quidem mea tulit) temperauimus: tamen vereor vt temperet ſibi à me quoque intemperies quorumdam. Voces iam audio, & præuideo. quid ad me? ego à verâ culpâ tantum abeſſe me ſcio, quantum carptores illos à verâ laude. Improuidè fortaſſe alibi aliquid dictum emiſſitiÿ illi oculi reperiant: at nihil impiè aut malignè. Hoc teſtor, hoc profiteor. mali iuris, mali moris ille, quiſquis aliam mentem mihi affinget ex ſuâ mente. Nec hoc te lædat, quòd vnum aut alterum alibi læſi: apertè, fateor, nec tamen nominatim. Se ille quicumque eſt priùs prodat & accuſet neceſſum eſt, quàm me. Cur autem non liceat? Peſtes & vitia hæc hominum detegi, ex vſu hominum eſt: etſi non apertè ipſos. Peti ſe illi ſentiant, alij ſuſpicentur. Jn hoc tamen quoque, ſicut in ceteris, ſiquid peccatum: pòſt emendabitur. quia nunc vnicum hunc librum, velut in guſtum, damus, & periculi faciendi cauſsâ. Emitto, inquam, hanc Centuriam, aut præmitto veriùs, ex Epiſtolari meâ legione, tamquam ad incerta itinerum exploranda: & ſi nulli aut pauci hoſtes; fidenter omnes copias producam in hunc Famæ campum. ſin laquei & inſidiæ; quieſcam, & tenebo me iure in fidis ſilentij caſtris. Tu ô bone, faue, ama, fauentem, amantem.

INDEX
EPISTOLARVM SELECTARVM
CENTVRIÆ I. MISCELLANEÆ.

A.

ABRAHAMO *Ortelio epiſtola* liiij.
Adolpho Metkercho xciiij.
Alexandro Ratloni xij, xxxiij.
Amico cuidam lxij.
Andreæ Dudithio xcij.
Andreæ Schotto xlv.
Augerio Giſleno Buſbequio Cæſaris Legato xiix, lxiij.

B.

Bonaventuræ Vulcanio lxv.

C.

Carolo Cluſio xlviij, xcj.
Conſulibus & Senatui Antuerpienſi lvj.
Cornelio Prunio lix.
Cornelio Valerio j.

D.

Dominico Lampſonio lx.

E.

Errico Memmio lxxxvij.
Euerardo Pollioni xvj, xlvj, lxxiix.

F.

Florentio Tinnio xc.
Franciſco Benſio lij.
Franciſco Modio xxviij.
Franciſco Raphelengio xxxv.
Franciſco Raphelengio Franciſci filio lxxvij, lxxxij.

G.

Gabrieli Roelandio xlvij.
Gaſpari Schuermanno xliij.
Georgio Benedicti lxxiij.
Georgio Ratallero Præſidi Vltraiect. xxv.
Gerarto Falkenburgio iiij.
Godſchalco Steevvechio xlj.

 Gulielmo

Gulielmo Brengelio viij.
Gulielmo Cambdeno xxiiij.

H.

Hadriano vander-Burchio lvij.
Henrico Ranzouio lxxxviij.
Henrico VVilsio lv, xcviij.
Hieron. Berchemio xxj.

I.

Iacobo Cuiacio lxvij, lxxvj.
Iano Douſæ iij, xv, xxiij, lxxj, xcvj.
Iano Grotio xvij.
Iano Grutero xciij.
Iano Gulielmio Lubecenſi xj, xxxix, lxvj, lxxiij.
Iano Hautero l.
Iano Lernutio x, xiij, xx, xxxiiij, xl, lj, lxxxvj.
Ioachimo Camerario lxxv.
Ioanni Ionſtono Scoto xxxviij.
Ioanni Moerentorfio lxxij.
Ioanni Rotario xcix.
Ioanni Sambuco xxxvj.
Ioanni Viuiano xlix.
Ioſepho Scaligero Iul. F. vj.
Ioſiæ Mercero xxxij.

L.

Leuino Torrentio lxiiij, xcvij.
Lernutio & Giſelino xxvij.

M.

Marco Antonio liij.
M. Valerio Collino xcv.
Martino Antonio Delrio xiiij.
Martino Lydio lviij, lxix, lxxix.

N.

Nicolao Bieſio Cæſareo Medico. xxx.

P.

Paulo Buſio lxxxix.
Paulo Meliſſo lxxxiij.
Petro Egmondo c.
Petro Pythœo vij.
Philippo Lanoyo Nobiliſs. iuueni xxij.

R.

R. Pinceo lxxxv.
Rolando VVincelio lxxx.

S.

Stephano Pighio v.

T.

Theobaldo Teelingio xxix.
Theodoro Cantero xlij, lxxxiij.
Theodoro Leevvio xix, xxvj, xxxj, xxxvij, xliij, lxj, lxviij.

V.

Victori Giſelino ij, ix, lxx, lxxxj.

IVSTI LIPSI
EPISTOLARVM SELECTARVM
CENTVRIA I. MISCELLANEA.

EPISTOLA I. *Louanium.*

CORNELIO VALERIO S. D.

VITAE genus, quod à reditu elegeram, & indicaui præſens tibi mi Valeri, & probaui: quietum iſtud, modeſtum, latens, remotum ab ambitu & à curis. Et iam ingreſſus ſeriò eram: cùm (ecce ſubitâ vim fati) vereor vt ſubitò id mutem. Nam tempora quæ impendeant, vides; & quæ tela improuiſo exorſa ciuilium bellorum. quæ ſi pertexitur, & niſi ſtamen eius ac ſubtemen pax aliqua abrumpat, ſtare mihi diutiùs non licitum in hoc loco. Quomodo enim? expoſito cottidie non rapinis ſolùm militum, ſed iniuriis: quorum quàm libera licentia ſit, noſti. Heu vitæ legem! cui annexum, angi & dolere in omni ſorte. Itaque agellos iſtos mente iam deſero, & ſpecto Grudios veſtros. non planè inuitus, fateor, cùm te cogito & Canterum noſtrum: quem tamen audio & doleo in lento eſſe morbo. Quid autem tabes q̃ eſt & mæror? an quis alius languor? De illâ, viſus mihi dicere medicus Gemma. quod Muſæ tamen prohibeant, & diurnare paullò magis in terris velint Parnaſſium hunc alumnum. Sed cauſſa morbi quæ? ſtudia, an curæ?

* Τίκτουσι γὰρ τοι καὶ νόσους δυσθυμίαι:

ait Tragicus. De ſtudiis tamen magis credo: quæ calidè ille nimis habuit & intentè. Numquam vidi tam indeſeſſum ingenium, & laboris huius Muſici aut appetens magis, aut ferens. Semper ille in libris, chartis; noctu, diu; aſſiduus, accubuus: nec dies ſolùm omnes appenſi & numerari ad hanc curam, ſed horæ. quas ſingulas ad clepſydram diuidere, & attribuere ille ſolitus huic lectioni, aut huic ſcriptioni. De Plinio ſuo ſcribit & iactat alter * Plinius? atqui torpor ille hominis & deſidia mera, ſi cum hac aſſiduitate comparetur. Nos, mi Valeri, remiſſiores: & ſi per hanc viam mors, ſum immortalis. Vis ſcire, quàm ignauiter ceſſem? Tot protela admonitionum tuarum nondum effecêre, vt vel manum admouerem Commentario Corneliano. ita ſubiit me ignauiæ huius dulcedo: &, quod illeipſe Cornelius ait, *inuiſam primò deſidiam, cœpi amare.* Mutabo fortaſſe, cum loco. Tuus certè non ſermo ſolùm excitabit me, ſed vultus. quem iure vereor & veneror, ductorem doctoremque meum in meliore hoc animi cultu. Vale. In Iſcano meo. a. d. XII. Kal. Decemb. ∞.IↃ.LXXV.

* *Morbos animi producere & curas ſolent.*

* Epiſt. v. lib. III.

EPISTOLA II. *Brugas.*

VICTORI GISELINO S. D.

RARAS à te litteras, mi Victor, accipio: ſed certè caras, ſtillantes mero melle & amore. Vellem vtrumque. vt & diligentiam tuam amare poſſem, & adſectum. At principium tuum vanum, de abitu meo Coloniam. Vnde hoc autem? ab amico aliquo, an à famâ? non enim à me certè, aut meis litteris; nec vmquam mihi fuit in mentem. Apage illud ſcelus (ita loquor) vt pedem hac prouinciâ efferam, non viſis vobis. Et ſanè paullùm modò hic morbus perſeueraſſet, veniebam ad te non ſolùm corporis, ſed animi medicum mei. Nunc, cum deo fauente, reualui: & gallum debeo Æſculapio tuo. O diecula illa, quam vnà mecum exoptas, quando exoriere? quando te & Lernutium, in Iſcano iſto, complectar & fruar? quando in pergulâ illâ ad Lunæ lumen garriemus, viuêmus, imò & bibemus? DI amicitiæ præſides, repræſentate mihi hoc votum. Feſtino enim. quia vt cogi nubes has video, breuî dabunt tempeſtatem. Circa nos militares globi: qui vereor non vt interpellent, ſed pellant. O locum hunc beatum, abſque metu iſto ſit! A Samboco herè ad me litteræ, ſanequàm amicæ. Humaniſſimum virum coràm repperi, non pro opinione meâ (tecum hoc ſit) litteratum. Ita in his quoque rebus, ludit & illudit illud ſiue Fatum publicum ſiue Fortuna: & quidam merentur famam, quidam habent. Inter illos, in eâdem Germaniâ Andream Ellingerum noui, deus bone, virum

rum magnum & penitùs doctum! at ille pænè ignotus latebat & fallebat inter ſuos. Ita ſatua ſæpè huius æui iudicia, aut iniqua. Et nos quid ſperemus, aut laboremus? dormiamus potiùs, aut cucurbitas pingamus. quorum alterum ego quidem iam facio. Scripſi enim hæc ipſa ad lychnum, labente manu, premente ſomno. In Iſcano meo. III. Non. Octob. ∞. IↃ. LXXVI.

EPISTOLA III. *Lugdunum Bat.*

IANO DOVSAE *amiciſſimam ſalutem mitto.*

ECQVID tinniunt tibi aures, mi Douſa? ita multus non in ſermonibus meis ſolùm es, ſed in litteris ad amicos. Vel nunc cum Rogerſio noſtro, quàm multa, quàm ſuauis, de te fabulatio! Adeſt enim mihi, ne neſcias, hoc ipſo tempore, & quidem in menſâ. Ita dico, in menſâ & in eâ mihi hæc ſcripta. Abituriebat enim ille. nec fas certè ſine meâ manu: pænè ſcripſeram animo, quem ille, à me exſulem, auferet ad te ſecum. Non ſum ex iis qui

Compoſita dicta pectore euoluunt ſuo;
Quæ cum componas, dicta factis diſcrepant:

vbi ait Attius. audi, Douſa, veram vocem: mens omnis & adfectus apud te eſt, ex quo legi ſuauiſſimos & feliciſſimi Genij tuos verſus. O te magnum, & mei ſtomachi vatem! Non Muſæ ipſæ Lipſium magis ament, quàm ille te. Itaque non vltrò fero deſiderium. &, niſi res noſtræ turbidè potiò turbauerint, cis paucos dies excutram: & vſurpabo iſtis oculis, quem nunc animo, auribus, linguâ. De Giſelino noſtro & Lernutio, omnia recta. niſi hoc tamen, quòd vterque nuper in vincla coniectus (pereurio te? pone metum.) nuptiarum. Etiam ego in hoc carcere. ſi vir es, veni, & Iunones noſtras vide. Salue melliiiſſime. Louanij, Nonis Aprilibus, ∞. IↃ. LXXVII.

EPISTOLA IV. *Vbiis.*

GERARTO FALKENBVRGIO S. D.

MVNVS veſtrum accepi egregium, mi Falkenburgi, imò regium. Et cur non veſtrum? ego ſcio Redigerum caput huic dono fuiſſe, te pedem: nec tam beniuolo conciliatori minus debere me, quàm datori. Animus enim eſt, quem in his talibus ſpecto: nec pretium iis vmquam à ſe facio, ſed ab adfectu. qui in te certè maior. Aurum autem ipſum, quid niſi ſplendens quædam terra, & nitidius paullò lutum? Iudicium tuum de libellis noſtris mihi gratum: ſed vtinam iudicium! ſiue tamen amor, is quoque gratus, quia magnus: nec aliter vmquam tam rectam certamque mentem cogeret in errorem. De lapſu memoriæ quod ſubmones, verum eſt: corrigam libens. Quod autem his & ad Pulmannum litteris iteras & pungis de ſeruitute: audi quæſo liberè & diffuſiùs paullò meum ſenſum. Ego qui ſtatus patriæ huius ſit, nec ignoro mi Falkenburgi, nec nego: (aſpera in eo multa, intenta, rigida, præter mores, aut præter leges:) ſed hoc quoque ſcio, qui meus. Apud me ecce; & in tuſculo meo viuo: cur angat, quid Cotta aliquis aut Carus moliantur in aulâ? Vim aliis inferunt? nondum mihi. opes delibant aut diripiunt? pereunt eædem abſenti. ad impium aliquid adigunt? numquam. Mentem enim iſtam liberam quis tyrannus mihi artat? internam ſententiam quis cogit? cultum metumque diuinum è pectore iſto quis eripit? Et ſi velint: ecce ſacram aneotam,

* Τίς ἐστι δοῦλος τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν;

* *Quis ſeruus eſt, perire modo qui non timeat?*

Hoc enim firmum aduerſus externa omnia telum, non timere propter quod timentur. Sic Socrates adfectus, qui Athenas non deſeruit, inſeſſas non vno, ſed triginta tyrannis: ſic Seneca, qui ſub Nerone, imò cum Nerone vixit: ſic Heluidius, ſic Thraſeas, & magna illa ſapientûm manus. Me cur in alia vocas? Animo diffidis, aut annis? noli. Ego enim mi Falkenburgi in iuuenili hoc pectore ſic ſum adfectus, vt deum, virtutem, & me conſtanter colam: non aduler imperantibus, ſed nec irrîtem: & cum Corneliano illo * lepido, *inter abruptâ contumaciam & deforme obſequium, pergam iter ambitione ac periculis vacuum.* Periculis inquam, quorum non ego (homini quantum licet) occaſio ſim aut cauſſa. Quòd ſi aliunde & ab externâ vi ingruant, quomodo aut vbi excludam? Non Vbij veſtri ab iis me libetent, non liberæ omnes Imperij vrbes. Sed ſeuerà (dicendum eſt) peccamus multi in hanc partem. prouocamus pericula, & laceſſimus ſæpè imperantes, vanâ quadam ſpecie aut ſuperbæ libertatis, aut incautæ pietatis. Modeſtia autem eſt quæ Deo placita, & his qui dij in terris. Reges vt fulmina eſſe didici: dura frangere, mollibus plerumque illæſis. Itaque hæc tempora, vt nimbum, habeo: donec deſæuierint, latito & me tego. Nec nimium tamen de ſæuitiâ

* *De cuius cautâ prudentiâ apud Tacitum, Annal. IV.*

illorum

illorum queror: quia ſcio exoriri poſſe deteriora. Ruſticulus ille mihi in mente. qui de Antigono rege viuoqueſtus, cùm obiiſſet ſucceſſore peiore: terram laborioſè inuertens, & votorum iam pœnitens, *Antigonum*, inquit, *refodio*. Faxit & ille deus, vt hîc turbæ noſtræ ſtent, neu breuî procellæ ingruant ſæuiores. Sed hæc magis ſeria fortaſſe, quàm pro epiſtolâ. occaſio tamen iis ex iteratâ tuâ accuſatiunculâ: & gaudebo, ſi conſilij mei ratio proba iam apud te probum. Talem enim non minùs repperi, quàm amicum mihi: qui vt eſſe perſeueres, rogo. Ad Redigerum ipſum ſcripſi ſeorſum. In Iſcano meo, Kal. Sextilibus. Anno ∞. IↃ. LXXV.

EPIST. V. *Viennam.*

STEPHANO PIGHIO.

FIDEM meam culpas? audi. Prandium mihi hodie apud heroëm noſtrum (non enim virum dixerim) Busbequium. poſt prandium longiuſculæ etiam fabulæ: ſed de litteris, vt apud illum ſolet. Hæc res diem mihi abſtulit, & me tibi. Ignoſce, & iam etiam cognoſce. Nam de Prætorum lictoribus, liticulæ neſcio quid adfero ad te noſtrum Prætorem. Vulgus & auctoritas veterum ſex eos facit. loca & teſtes tibi noti. At duos fuiſſe tantùm, lex vetus mihi ingerit, apud Cenſorinum iſta: *Prætor vrbanus qui nunc eſt, quique poſthac fuerit, duos lictores apud ſe habeto. Iſque ſupremam ius inter ciues dicito*. Cauillari poteram & effugere, tamquam minimum duos lictores lex eſſe vellet; de pluribus non vetaret. ſed ligauit iterùm meus Plautus: apud quem in Epidico clarus ab hac re locus:

At enim vnum à Præturâ tuâ Epidice abeſt.
EP. *quidnam?* TH. *ſcies.*
Lictores duo, duo vimmei faſces virgarum.

Inter ornamenta eſſe Prætoria diſertim duos lictores numerat, duoſq; faſces. Hac reprehenſione, huc ibam: vt cenſerem Plauti & veteri illo æuo haud plus duos ſanè fuiſſe, at numerum poſteà auxiſſe, ſplendoris maioris cauſsâ. Sed hoc quoque diuerticulum interclusit mihi importunè tuus Valerius: in quo lib. I. cap. I. lego de Furio Bibaculo: *Prætor ſex lictoribus præcedentibus arma ancilia tulit.* quod factum notæ tuæ Chronicæ referunt in annum vrbis DXVI: id eſt, ante adultum Plautinum æuum. An Prætori vrbano & peregrino ſi fortè bini tantùm: aliis extra vrbem, & ad auctoritatem apud ſubditos, plures? Iuua, iuua: angor ego & reſiſto. Præmium tibi operæ, cænula cras apud me in diuerſorio noto. ſed eâ lege, vt ambulatiuncula præcedat ad ſiluulam noſtram Querquetulanam. Salue à tuo Lipſio, & dormi. Viennæ, Idibus Iuniis, ∞. IↃ. LXXII.

EPIST. VI. *In Pictones.*

IOSEPHO SCALIGERO IVLI F. S. *& amorem nuntio:*

QVI verè erga te magnus. Nam iam antreà, mi Scaliger, cum veneratione quadam amabam te paternæ & tuæ virtutis cauſsâ: nunc magis, cùm te quoque video conſpirare mecum in hoc adfectu. Nam, quâ de me erant, litteras tuas Plantinus mihi legit: & amicas valdè, & honeſtas. Atque in amore quidem tuo, gaudeo: in iudicio, triumpho. quia (verè, & ex animo) ſi quiſquam eſt proborum cui probare me meaque velim: is tu es, inter probiſſimos primus. Nam hunc vulgum, moris ego ſi morer. Epiſtolicas his diebus emiſi: rude opus, nec iſtarum aurium. Vide tamen: & agnoſce nos in litteris multa velle, te poſſe. De Plauto quod item ad Plantinum: apage, egóne ante te? Iamdiu librarii hoc onus, cui impar iſta ceruix. Tu hic vnus Hercules ſiue Atlas nobis, & fulcire debes comicum iſtud cælum. De Nonio etiam cogitare te audimus. verόne & ſeriò? item de Manilio. ſed litteræ tuæ nihil tale nuntiabant. Credimus tamen: quia hæc omnia per iocum & ludum te poſſe ſcimus, in quîs alij ſudant. Aquila in nubibus, quod Græci dicunt, verè tu es: vides, imò peruides omnia; & quidquid venaris, capis. Sed deſino huiuſmodi ſermonum: quia reuerà

* Κῦρα δ' ἄλις ἀνδρὶ σοφῷ
Ἀντὶ μόχθων πολυδαπάνων ὑπό του εἰπεῖν ἀγαθόν.

* *Laus donum, ſapienti pro multis laboribus dicere laudes.*

Tu ſalue, & me ama, qui te æternùm. Louanij, a. d. VI. Kalendarum Decembrium, CIↃ. IↃ. LXXVI.

EPIST. VII. *Lutetiam.*

PETRO PYTHOEO IC. S. D.

PLANTINO noſtro elapſo ex Troiano caſu, id eſt incendio ſuæ vrbis, & ad vos abeunte: iure mihi amplectenda occaſio fuit, mi Pythœe, compellandi tui. quem iamdiu (verè tibi, & in os dicam) inter paucos Gallos amo & admiror. Ignotum, fateor:

teor: ſed à vultu, non ab animo. quem politiſſimum exoſculatus ſum ſæpè in tuis ſcriptis. Nec blanditiæ apud te ſunt. teſtabuntur id publicè Epiſtolicæ meæ, per hunc tumultum auſæ adſpicere lucem: in quibus, ſi erit tanti, reperies cum beniuolentiâ memoriam tui. Te pariter quæſo, vti hunc eumdem adfectum erga me aut ſumas, aut retineas: &, vt planè pleneque me bees, mutuis cum litteris foueas atque alas. Litteris, non rerum grauium, aut de arcanis regum (quid ad me iſta?) ſed quæ alucinentur liberè & vagè per ſtudia noſtra: quid tu, quid Scaliger, quid alij veſtri Galli meditentur, eiuſdem nobiſcum Muſæ. Vale, & me ama. quod valdè facturum te ſcio, ſi ſcias quàm valdè ego te. Fratri tuo Franciſco, lectiſſimi ingenij iuueni, à me ſalutem dicito. Louanij, XVI. Kal. Febr. ∞. IↃ. LXXVII.

EPIST. VIII. *Bruxellam.*

GVILIELMO BREVGELIO REGIO CONSILIARIO *cognato meo* S. D.

MAGNVM, ſed amicum mihi diſſidium tecum eſt, de agro deque vrbe. Tu iſtam præfers, ego illum: & rationes mihi, niſi fallor, magis firmæ. Quas quoniam herè inter diſſerendum leuiter libauimus, viſne hac epiſtolâ (otium enim & libentia mihi) promam accuratiùs & diducam tibi per partes? Scio velle. aurium tantùm, vt ſic dicam, vacuas ædes mihi aperi: & admitte, ſodes, peregrinantem veritatem. Agrum & in eo cultum, meliorem Vrbe eſſe aio, ad Sapientiam, ad Mores, ad Voluptatem: addo & Fructum. De Sapientia: non negabis, quin illic aptior ad eam animus, vbi is liberior & magis ſui iuris. talis autem in agris eſt. Opida viſe & adi: non effugies, quin vnà tumultus, procellas, turbas. Circumſtrepent enim te ſubitò res homineſque: & negotium tibi non ſolùm tua negotia facient, ſed aliena. Vt difficile eſt in conuiuio lauto & opiparo ſolum eſſe ſiccum & ſobrium: ſic vacuum, inter tot occupatos. Ille ad ſponſionem te trahet, & ad forum: ad nuptias alius, & ad templum. In ipſâ viâ, clamores alibi & lites: pugna nonnullibi & arma, & mox iudex, lictor, carcer. Domum ipſam tuam cùm veneris: ne in ſecretum veniſſe te cenſe, aut penetrale. Irrumpent ecce ſalutatores, inuiſores, & nomine amicorum quidam fabulas, imò epulas, captantes. Hos nullum limen ſubmouet, nullum velum: & per omnes rimas inuolant importunæ illæ muſcæ. Inter iſta & inter iſtos, quis libris liber locus? quis cogitationibus? ſine quibus an vlla legitima ad Sapientiam exercitio aut via ſit, haud equidem cerno. Et tamen fac te felicem, aut fortem: otium aliquod in ipsâ vrbe diu luctatus tibi vindices: nego id liberum, firmum, aut aptum animo vegetando. Spernit enim naturâ ſuâ includi cæleſtis ille ignis, & aërem amat ac campos. Vt generoſas feras cauea domat & frangit: ſic altas mentes vrbicus ille carcer. Equum ad curſum apertus & liber circus prouocat: animum ad ſtudia, vagans vacanſque aura. Siluam illam viridem videt? hîc carmen auet aut hymnum deo pangere. Horti illam purpuram? hîc cum libellis ſuis decumbere. Aquæ illud murmur? ad eam altiori cogitatione abiici. Et nocte ipsâ aut ſub eam, pictum illud patenſque cælum cum capiet: & inter tot ſtellas errantes, aut inerrantes, à curis terriſque erro, mente ſcandet ſuper illas. Adde quòd hîc altum ſecurumq; otium: nemo qui appellet, aut interpellet: & amiciſſima ſemper ſtudiis, ſolitudo & quies. Vides igitur quæ in hac parte ager ante vrbem habeat: nec vanè à Columellâ ſcriptum, *Vitam ruſticam proximam & quaſi conſanguineam ſapientiæ eſſe.* Quòd ſi nunc ad Vitam me vocas & ad Mores: bonâ fide, vtrubi, te quoque iudice, illa innocentior, & hi puriores? veritas tibi exprimet quòd in agris. Oculos paulliſper coniice in magna illa & commerciis crebra opida: mentior, niſi ambigas cœtus illic hominum, an colluvies vitiorum. Adfert enim ſeorſum quiſque ſuas culpas: quas mixti vulgant, & velut contage, tradunt inuicem capiuntq; morbos animorum. Quin vt flumina per ſe dulcia, cùm in mare venerint, ſaleſcunt: ſic homines haud mali, ex agris in vrbem redacti, tactu inquinantur & mixtione. Illic enim ambitio, auaritia, libido propriè habitant: & fons omnium vitiorum, depudere. cui origo, non negabis, ex crebro illo inter ſe adſpectu occurſuque. Itaque prudentes olim legiſlatores & qui ſemina iecêre boni ſtatus, ciues ſuos plurimùm ab vrbe & conuentibus abductos, habere voluerunt in agris: quos ad probitatem, modeſtiam, robur, gymnaſium cenſuêre & palæſtram. Romulus ille æterni auctor imperij, in duas claſſes cùm ciuem diuiſiſſet, Seruos ac Liberos: iſtis duo tantùm ſtudia Militiæ & Agri dedit, illis artes reliquas,

quæ

quæ ad Mercurium & ad lucrum. Ita enim eſt. mercatura & quidquid artium ad opes ducit, ducit ad vitia: nec animum ſolùm emollit & effæminat (verè Salluſtio dictum) ſed corpus. Quis vires & viros vmquam in opidis quæſiuit, aut inuênit? adeò vetus illud verum in omni gente & æuo eſt, *Optimum militem legi ex agris.* Parthi olim belli potentes: ſed ſparſi in agris. Scythæ: ſed in tugurijs oberrantes. Germani: ſed priuſquam vrbes colerent. Turcæ hodie: ſed minimùm dediti in amœnitatibus opidorum. Quin illud ipſum Genitſerorum agmen, iure terror orbis, non ex agris ſolùm, ſed pæne dicam haris collectum, & mapalibus paſtorum. Nam Romanos tibi quid ingeram? Curios & Fabricios noſti ſerentes, occantes: Quinctios arantes, & Dictaturam induentes: & vno verbo, non milites ſolùm ab agris, ſed duces. De Moribus ergo vides. qui ſi vſquam etiam hodie priſci integrique quærendi ſint, veſtigia reperies in agris. vbi apud ſe quiſque: & ideò pudor, innocentia, ſimplicitas manet, & vita malarum fraudium artiumque expers. Sed quid poſſim in hac parte magis verè, magis ampliter dicere, quàm Hippolytus ille apud Senecam? quem, quæſo te, audi.

Non alia magis eſt libera & vitio carens
Ritusque meliùs vita quæ priſcos colat,
Quàm quæ relictis mœnibus campos amat.
Non illum auaræ mentis inflammat furor,
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non peſtilens inuidia, non fragilis fauor,
Non ille regno ſeruit, aut regno imminet,
Spei metusque liber.

& adde plura pulcherrimi cothurni, quæ omitto. Ad Voluptatem enim tranſeo: quæ tamen hîc tam obuia, vt indigner ſuper eâ moueri mihi litem. Elementa omnia intuere? vim ſuam vſumque palàm & toto, vt ita loquar, ſinu in hoc rure noſtro effundunt: obſcurè & parciter in tuâ vrbe. Solem vide: meliùs hîc nitet. Aërem: lætiùs latiuſque diffunditur & ridet. Aquas: puriùs bibuntur. Terram: hîc tantùm cernitur in vero ſuo vultu. Alibi in planitiem effuſè porrigitur: alibi in collem placidè adſurgit, aut magis rigidè in mōrem. Illic herbis & ſponte natis arbuſtis veſtitur: hîc, fruge fructibusque, & feliciore ligno. Quem non delectet tam varius adſpectus & cultus magnæ matris? cuius apud vos vna facies ædibus preſſæ aut pauimentis. Iam domum ſi veniſti, hîc prorſus gaudiorum & amœnitatis vera ſedes. Manè ſurrexiſti? ad muſicam quidem & circumſonant te ac velut ſalutant chori illi alitum, ſuauiter fritillantium, trutillantium, minurientium. ad quos non æquiparent ſe tibiæ, citharæ, aut ex arte vlli cantus. In hortum proſpexiſti? oculorum aciem tibi præſtringet illa ipsâ nocte exortum agmen florũ & herbarum. In pratum? occurrent Vere nouo arbores odorâ quadam & canâ niue perſperſæ: eædemque ſub Autumnum, aliâ pomorum purpurâ ſiue cerâ diſtinctæ. Propiùs eaſdem adſpice. inſitiones mirabere & matrimonia: adulteria etiam, & ſuppoſitos fœtus, inſciâ matre nec inuitâ. Quam laſciuam comprehenſionem fœcunditatemque quiſquis in ligno non miratur; ipſe profectò lignum. Iam ad agros diuertiſti & tua rura? illîc boues lentè paſcuntur & oberrant; hîc pecudes magis vagè laſciuiunt & hœdi. Porcus alibi volutatur & grunnit: alibi criſtata cohors cucurrit & ſcalpit. Segetes illîc tuas vides, & ſiliginis, farris, hordei vberes faſces: ſiluam iſtîc, & ad hiemem lignorum ſtrues. Vitem denique alibi florentem aut matureſcentem: & ſpe iam præbibis ſacrum illum alibilem que liquorem. Quorum omnium quæ copia in vrbe ſit? quin ne imago quidem ſatis certa & expreſſa. Sed vt ij qui parietem intuentur, ex leui linearum ductu, animalia in eo & facies ſibi fingunt: ſic vos harum rerum futiles quaſdam vmbras. Ita viuitis in pulcherrimo hoc mundo, mundi exſules: nec bona aut dona eius plenè vmquam noſtis. Poſtremùm Fructus mihi ſupereſt de quo quid ambigimus? cùm non ſolùm cultus & ornatus pleruſque vitæ ab agris ſit, ſed vita ipſa. Agricultio enim moriatur: & vnà humanum genus. Adde illa commoda. agnum aut hœdum à ſtabulo, pullum è corte, porcum ab harâ, & tot dapes inemptas: quas vos ægrè & carè præſtinatis à foro aut macello. Quòd ſi opes omnino quæris & aurum: rideo ego & ſperno. & tamen ſiquis hæc quoque ambiat, non alibi parandorum vberior materia & ſeges. Non palatia, non fora, non fœnora plures ad opes euexêre: quàm beati iſti agri. & addo rei caput, quòd tutò euexêre: quòd citò, quòd innocenter. Thales ille olim anno vno diuitias amplas corrogare potuit, emptu proſpero omnium oliuarum: & viro prouido ſapientique non hodie idem fas, in ſegere, pecude, ſiluâ? Sed de his quia non libenter, nec amplìter quidem diſſero: & mitto te, ſi voles,

les, ad veteres rei ruſticæ ſcriptores, à quibus diſciplinam eam petas. Nam ego faſtidio. ſicut & illud, quod crebrò ac pertinaciter mihi obiicis de dignitate. Dignitatem ea manſio non habet, inquis: imò nec pietatem, quia patriam is deſertum. Dignitatem? me iudice, amplam: qui Reges & Principes fuiſſe ſcio in hac parte. An illud dignius, in foro latrare, tribunal ſiue aulam lambere, faſtum in æquales, adulationem in ſuperiores exercere: quàm Sapientiæ ſacrum colere, Naturæ opes luſtrare & promere, denique placidè viuere, placidè mori? Nam de patriâ, quid ais? In hac confuſione rerum ad clauum ego ſedeam: vbi nemo auditurus, non nemo etiam irriſurus rectè gubernantem ſit? Sæculum hoc paullisper vide. quo noxæ integritas, contumeliæ pudor, ludibrio fides eſt: & aude ſuadere vt ijs præſim, quibus, hoc ipſum (pænè dicam) ægrè mihi eſt, quòd interſim. Concludens voueò, vt procul ab vndoſo illo vrbium mari, in hoc tranquillo & ruteſtri portu quieſcam & conſeneſcam: vbi Deum in primis piè pureque venerer, deinde Sapientię ſtudia & Muſarum tractem, & quidquid propriè ad vſum aut cultum animorum. Vbi claſſica nulla aut tubas audiam, vbi coruos aulæ aut fori non videam: ſed modeſtè tranquilleque mihi & meeum victitem, expers ambitionis & pallentium curarum. Cumque vltimus ille & decretorius dies venerit, ſpiritum hunc, ſine metu, ſine motu, emittam: & apud notos ignotoſque memoriam mei relinquam bonam potius, quàm magnam. Habes quæ pro agro, in agro ſcripſi. quæ ſi approbas, tandem etiam hoc inſtitutum meum: neu vltrà commouendum me cenſe ex beatâ iſtâ ſede. Ita Deus beatum aliquando te faciat, cum vxore liberisque: quos ſaluto. In Iſcano meo, III. Kal. Octob. ∞. I). LXXV.

Carmen ecce etiam adiunxi, quod eidem argumento, calore iſto effudi.

LAVS ET VOTVM VITAE BEATAE.

ILLE eſt par ſuperis deis,
Et mortalibus altior,
Qui fati ambiguum diem,
Non optat leuis, aut timet.
Quem non ambitio impotens,
Non ſpes ſollicitat lucri:
Quem non concutiunt metu
Regum præcipites minæ,
Non telum implacidi Iouis.
Vno ſed ſtabilis loco,
Vulgi ridet inania:
Securoque oritur dies,
Securo cadit & dies.
Vitam ſi liceat mihi
Formare arbitriis meis:
Non faſces cupiam aut opes,
Non clarus niueis equis
Captiua agmina traxerim:
In ſolis habitem locis,
Hortos poſſideam atque agros,
Illic ad ſtrepitus aquæ
Muſarum ſtudiis fruar.
Sic cùm fata mihi vltima
Pernêrit Lacheſis mea;
Non vlli grauis aut malus,
Qualis Langius hic meus,
Tranquillus moriar ſenex.

EPISTOLA IX.

VICTORI GISELINO.

LEGI tuas, ad os appreſſi & ad pectus. O quæ penna tibi me ſiſtat? Ego ille conſtans deijciot vnâ cogitationis hac plagâ. Scripta mea deſideras & nugas: ego te, te. Sed quî agis? vt ex nuntio intellego, perbellè. Gaudeo. nam timebam, ob ſubſtractum tibicinem Moufflinum celeri caſu. Nos fluctuamus, vt qui maximè. ſunt qui ad arma inclinant, ſunt qui ad Irenen. Aiunt & apud vos puncta eſſe proſtâ. Quidquid eſt aut erit, ego te non amo ſed pereo. De ſcriptis. ſcripſi ad Ocellum noſtrum, non inuidebit. Propridie Kal. Septemb.

EPISTOLA X.

IANO LERNVTIO S. D.

HAFTIVS apud nos eſt, ille cuius tu ſororem. Eum rogaui de te multa, & retulit omnia quæ vellem, excepto ſilentio: quod cauſſam habeat neceſſe eſt vel ab obliuione noſtri, vel quod malo, ab inertiâ tuâ. Et quis inſolitus hic torpor? Tu ille qui laceſſere me ſoles, taces ad meas binas? *Omnia mutantur*, ait ille: non enim addam vel ominis cauſsâ, mutari amores. melius de te ſentio. & tamen ſi amorem non deſeris, non etiam debebas officia amoris. An etiam nunc te angit nupera mea fuga? Peccas: & emenda hanc culpam, vt in amicitiâ ſis ſine mendâ. Amicum noſtrum audio adſcitum in aulam, & in medicum Ducis. Gratulor: & magis, ſiquid is titulus ad Plauti-

nam

nam aulam. Nam ſi nomen tantùm,& nihil ab eo vncti: ſpemo. Nos hîc in alto otio(Nemeſis non audiat:)& te iſtuc inuitare audemus vel habitandi cauſsâ. Multi certè veſtrates oculos flectunt ad hunc portum. Plantinus ædes hîc habet, Typographiam inſtituit. Quid multa? viuimus & vigemus. Tu viciſſim,quid valeas, quid facias, cum Victore, cum vxore, cum amicis, niſi ſignificas: ſcito ſeriò me. ſed deleo. nec cadat in amorem noſtrum vmquam hoc verbum. Vale,Lugduni Batauor. Pridie Idus Septemb. ∞. Iↄ. LXXXII.

EPISTOLA XI.

IANO GVLIELMIO LVBECENSI S.D.

ADFIRMO tibi Iane Gulielmi: pauca munera iamdiu gratiora mihi fuiſſe,& animo tuo, & verſibus, quorum vtrumque tam benignè offers. Ille enim amoris pleniſſimus, iſti elegantiæ: & cogor (niſi ab ingenio meo abeam) valdè redamare illum,iſtos æſtimare. Hoc magis,quòd vltrò prouocas, quòd ignorum, quòd immerentem. Nam quòd beneficia quædam mea in publicum proſers & prætexis: deſine. hoc ipſo video quàm me ames, qui non admodum laudanda laudes, & per adfectum recedis à certiſſimâ iudicij tui normâ. Itaque hoc ex fide tibi reſpondeo. viciſſim amari te à me, vero honeſtoque adfectu: quem dies ipſa augebit & accendet. ea eſt eritque tua virtus. Lugduni Batau. III. Eidus Sextil. ∞. Iↄ. LXXX.

EPIST. XII. *Gandam.*

ALEXANDRO RATLONI S.D.

RARÒ ſcribis. ſed neſcio an ideò litteræ tuæ deſiderio ipſo cariores. His quidem poſtremis fateor me non voluptate ſolùm perfuſum, ſed gaudio: ſi verbo eo vti nobis fas in triſtitiâ hac rerum. Nam de Antuerpiâ, quæ monſtra audimus? Deus bone, huccine tandem erupiſſe tot menſium conſilia malè ſana,malè cocta! O factum à regio iuuene minimè regium! Etſi nobis adhuc tenebtę,nec de re totâ ſatis certis nec de cauſsâ. Eiúſne fraus ſiue error? an vulgi conſternatio & furor? Quiduis enim potiùs, quàm vt perfidiæ noua hæc macula inuratur laudatiſſimæ olim optimæq; genti.Sed hæc publica videbit publicus ille Rector. Tu in re tuâ quid? etiámne fluctuas? ſic appâret. atqui ſtatuendum ſemel aliquid eſt, cui firmiter inhæreſcas. Mutatio quidem hæc crebra, & deſultorium, vt ſic dicam, genus vitæ, non ex vſu tuo, non ex famâ. Peſſimę,& Græcorum quoque prouerbio damnatæ ſunt,nutantes & * *δίχα χωλαὶ* illæ *γνῶμαι*. Litteraria hæc vita & otioſa tranquillitas,quid non habet commodi? Non externa illa fortaſſe. ſed nec terra quæ aurum aut argentum gignit,res alias producit:nec animus, qui ſe colit, & virtutem. Cetera, ille ferè ſterilis. Quid tamen præferas huic vni? cui honos, cui ſalus comes, cui externa & interna quies. Militiam guſtaſti: & vides quàm non ea ſuauis. Itaque, mi Ratlo, huc redi: &,ſi me audis, in Muſæo hoc portu nauim tuam defige & liga ſemel ſacro morſu. Ad circumfuſa illa & vana bona ſi abis,quis finis? iactabere, & natabis ſemper inter cupidinum nouos fluctus. Non enim ratio, ſed opinio tibi illas ingeret: cui inſitum, variare & pœnitere. Vt chamæleon, quoniam aurâ(vt aiunt)non cibo veſcitur, hianti ſemper eſt ore. ſic illi cupidine, quos ventus inflauit vulgarium opinionum.Hoc volunt, hoc nolunt: hoc hodie ſpernunt, cras appetunt. &, vt reſculæ, quæ fluminibus innatant, temerè impinguntur in hanc illámve partem. Hinc perpes illud tædium in nobis, & velut nauſea omnium rerum. damnamus parentum & noſtra vota; & tam cupidè quæſita quædam deſerimus, quàm antè quærebamus.

Certa amittimus, incerta appetimus, atque hoc enemt
In labore atque in dolore vt mors obrepat interim.

exclamat verè meus vates. Ecce ille ad aulam adſpirat, & intrauit? rurſum faſtidit, & beatos cenſet qui latent. Alius priuatim victitat? ægreſcit,& inuidet purpuratis. pariq́ue leuitate togati ad ſagum properant, & hi rurſum ad togam. Et quis non de Lacheſi ſuâ queritur? reges ipſi de ſuo regno. At tu inter eos eſto, quos Ratio, quos Sapientia firmauit:nec circumagere mihi vulgarium iudiciorum omni vento. Vt Vlyſſes ille donec Leucothea velum ei ſuppoſuit, natat nigrum pontum: ſic tu hoc vitæ ſalum, donec pectus tibi præcinxerit candida illa diua. Conſtantiam dico. quam, audi, admitte, ſerua.

* Ἡ δὲ ἐμοὶ κτ' θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή.

Vale. Lugduni Batauorum. x. Kalendas Octobr. ∞. Iↄ. LXXXIII.

Vtroque claudicantes ſententia.

Hoc mihi ex animo viſum optimum conſilium.

EPIST. XIII. *Brugas.*

IANO LERNVTIO *meo ſalutem mitto*

QVAM recepi iam ipſe. Hinc enim iure ordior: & gaudere te iubeo, mi Lernuri, quia à moleſtiſſimo morbo reualui, imò reuixi. Ad fauces Orci deſtitutus mihi hos menſes fuiſſe videor: ita me oppreſſiunculæ & obſtructiunculæ illæ internæ peſſimis adfecerant modis. Et audéſne credere? non leue momentum ad valetudinem meam habuerunt & litteræ tuæ, & carmen: illæ amiciſſimæ, hoc ſcitiſſimum. nec fuerit vmquam vt tam pias, tam diſertas preces non audierit illa Dea, cuius ſedem aptè in Fortunatis inſulis ponis. Quæ autem illa tam auida Parca, quæ vincla inter nos abrumpere non parcat ſanctiſſimi amoris? Quin audi me, & ſecurus animi es:

Di me tuentur, dîs pietas mea
Curæ eſt:

& porrò, vt ſpero, erit. Turbæ apud nos ingraueſcunt, abiectâ ſpe pacis. quæ vereor, vereor autem? imò ſpero, vti breuî eijciant me ad vos. procul enim futuri videmini ab hoc belli nimbo: qui imminet prorſum capitibus noſtris. Sed quid ais? Douſáne nuper apud vos? nec ad me? ô factum ab amico non amicum! Quòd dixerit, ſubita res fuit, neceſſarius reditus: nihil audio. nuntia illi à me ſodes, ſexcentis verſibus non luet hanc culpam. In Statium aliquid meditari te ſuadet mihi noſter Modius. vix perſuadet. cur enim celes? & quidem cum tuo damno. Nam & mihi notata quædam ad ſublimem illum & celſum poëtam (ita cenſeo & appello, non herclè tumidum) & libri apud nos veteres, qui te iuuent. Innue, mittam. Epiſtolicæ noſtræ nondum emiſſæ, ſed vix eas teneo: ita ituriunt. De quibus quid iudicaturi ſitis, timeo. Alia enim quædam à prioribus meis hæc ſcriptio. cui nitor ille abeſt, & luxuria, & Tulliani cincinni: preſſa vbique, nec ſcio an quæſita nimis breuitas. Quæ me tamen nunc capit. Timanthem pictorē celebrant, quòd in eius operibus plus ſemper aliquid intelligeretur, quàm pingeretur: velim in meâ ſcriptione. Magni Scaligeri ad Amorum illos * Triumuiros vidi, legi, probaui. In Propertio tamen traiectiones illas verſuum crebras, mirari malim quàm imitari. Tu quoque non ita ſentis? ſcio. ſed quis Polydamas auſit illum Hectorem? qui dîs hominibuſque fauentibus tenet profectò, & tenebit hoc regnum. Itali cum quî deijciant? ſilent. nec iam à multo tempore quidquam ab eâ gente litteratum. excipio Quæſita Aldi per epiſtolam, & Fuluij de Nummis. Muretus noſter Orationes pangit & edit, & dat ſe in floridum illum eloquentiæ campum. ad famam conſultè, imò & ad quietem. Nam Criticæ iſtæ tricæ quàm non latè ſe ſpargunt! quàm laborioſè colliguntur, & ſcribuntur! In quibus nos tamen etiam, neſcio quo fato an morbo, inſanimus. Pergebam in hoc garritu. ſed alius mihi in auribus garritus, nuncij ad excubias trahentis. Arma capio, pono ſtilum. Quid ais? ſatin' tuti Belgæ, hoc milite? Ite, dormite in vtramque aurem. Louanij Idibus Iuniis. ∞. Iↄ. LXXVII.

* Notas eius ad Catullum, Tibullū, Propertium.

EPIST. XIV. *Louanium.*

MARTINO ANTONIO DELRIO *Conſiliario Regio* S. D.

MIRA tua fides in me, mira pietas. amoris enim certè verbum leue eſt, in re quam rari pro fratre fratres audeant, pro liberis parentes. Me meaque abſentis defendiſti: & obieciſti te non moleſtiis ſolùm, ſed periculis, in hac flammâ rerum. Veniſti vltrò ad meos, erexiſti, ſecuros eſſe iuſſiſti: hoc tantùm queſtus, quòd non indicaſſent. Itaque quòd res opeſque meæ ſaluæ, quòd ſcripta & libelli (id eſt, vita ipſa:) beneficium eſt vnius tuum. Quid ſcribam? gratias agere me? ne concipio quidem: & affeciſti me in ſummo beneficio vnâ hac iniuriâ, (quod olim ingenioſè ille ad Cæſarem) vt viuendum & moriendum mihi ſit ingrato. Gaudere me tantùm nuncio; meâ cauſſâ, tuâ, ſæculi. Meâ, cui is amicus obtigit; tuâ, cui ea virtus; ſæculi, cui hoc exemplum. Mea ſalus ſalue. Antuerpiæ. a. d. IV. Non. Mart. cIↄ. Iↄ. LXXVIII.

EPIST. XV. *Vltraiectum.*

IANO DOVSAE *meo* S. D.

SILENTIVM tuum mihi, Douſa, moleſtum: abſentia multò magis. Vbi autem fides? intra dies octo exſpectari volebas te: menſes ecce labuntur. Statueras hoc iam anteà? an quid interuenit? an placent tibi nouitij iſti & fallaces mores? An potiùs vxoris partio te detineo? quæ genuit tibi (ita audio) decumam iam prolem. Macte

ctc hac fortitudine dicam, an fortunâ? vtrâque certè opus. nec minùs hîc, quàm in agricultu, Labori & Euentui litandum. Sed tibi quidem propitius vterque deus: & gloria Maſaniſſæ te manet, ſi ſic pergis. Vide tamen ne dum aſſiduus nimis in illis vallibus, deſertum eas noſtros montes. Suſpicor: & iure. Vt quid enim procaces illæ antea Muſæ tuæ tam diu ſilent? cur tribus his menſibus gutta nulla nos irrigauit poëtici tui humoris? Emenda: & hîc & ibi vir eſto. Libelli etiam tui addicti Plantino, vbi ſunt? Solue ſodes, aut Prætorem exſpecta & ſuſpenſum capiti tuo libellum. Non enim differo, non protollo. Indicem Francoforto eu habes. ſed ſterilem bonarum rerum: & nihil nundinæ iſtæ ad Phœbum. Melleri tamen Spicilegia edita, acutiſſimi ingenij iuuenis: vtinam rectiſſimi, verè addam! Sed profectò aut fallor in hac omni litteraturâ: aut ille valdè in cenſendo, & ſcribendo. Quales pleræque ex coniecturæ? quàm non callidæ ſolùm, ſed calidæ? imò quàm audaces? Mihi crede, corrumpendis iſta, ſiue perdendis potiùs libris litteriſque ſunt: ſi dimanat hæc labes. Et dimanabit. Ita iuuentutem hanc video: & tantum ingenij ſpecie blanditur hic calor. Iam ſtilus ille quis? doctus, antiquus, arcanus, inquies. Scio. ſed quò tam doctus, antiquus, arcanus? Ego ille ipſe qui aliquid hîc capere me puto & ſapere, ſæpè quæro aut non video eius mentem. Quæſo mittamus tenuem nimis ſubtilemque hunc colorem, & Apellæas, vt ſic dicam lineas: & Venus noſtra inſpiciatur etiam à vulgo. Vt nihil minus expedit, quàm agrum optimè colere, (aiebant veteres:) ſic cenſuetim de ſtilo. Nimis ornas? fucus & adfectatio apparet. Nimis attenuas? tenebræ & ſqualor. Modus autem in omni re optimus: etiam in epiſtolâ. quam finio, & te ſaluere iubeo noue Hercules Muſarum, noue matrum. Lugduni noſtræ, a. d. III. Nonarum Aprilium. ∞. Iↄ. LXXX.

EPIST. XVI. *Vltraiectum.*

Everhardo Pollioni *meo* S. D.

A mea enim velut manu es, à domo, & à diſciplinâ. Vt ſtatuatium opus ſuum delectat, ſi laudabile: ſic in te iure mihi placeam, ſi tu bonis. Quod futurum omnino eſt, mi Pollio: ſi non audies ſolùm præcepta quæ crebrò dedimus, ſed obaudies: eaque admiſſa in hoc pectus, re exprimes, & factis. Ad virtutem ante omnia te hortamur: cui litteras iſtas ſeruire volumus, magnum vel in parandâ eâ adiumentum, vel paratâ ornamentum. Non enim ſolùm pulchrior comptiorque per doctrinam virtus, ſed fortior: nec colorem modò ab illâ ducit, ſed ſanguinem & robur. Egregiè noſter Seneca: *Etſi magis refert noſtrâ fortiores fieri, quàm doctiores: tamen alterum ſine altero non fit. Non enim aliunde animo venit robur, quàm à bonis artibus, quam à contemplatione naturæ.* Quod ita verum ſcito, ſi doctrinam non hanc mollem & amœnam ſolùm intelliges, quam φιλολογίαν haud malè appellamus: ſed virilem illam magis & robuſtam, quæ in naturâ aut animo occupatur, quamque φιλοσοφίαν propriè indigetamus. Illa enim ſola, tantum abeſt vt tutum ſecurumque te præſtet inter hos vitæ fluctus: vt moueat ſæpè exciteturque in ambitioſo animo cupidinum nouas tempeſtates. Itaque vt nautis ſolitarium Helenæ ſidus non placet: non item mihi iſta. Gemini illi ſunt, qui cùm apparuêre, tranquillitatem nautis nunciant: tibi hæc duo, ſi iunges. Quod voueo ex animo: & in firmâ hac ſpe ſaluere te iubeo carum mihi caput. Lugduni Batauor. III. Nonas Octobr. ∞. Iↄ. LXXXII.

EPIST. XVII. *Delfos.*

Iano Grotio.

At tu quaſi ad Collegium etiam ſcribis: cui vitam fuiſſe te neſcis, & obiiſſe illud te abeunte. Certè à nuptialibus tuis facibus, funereæ accenſæ ſunt Muſis & quidquid hîc fuit Muſicorum. Rem dico. ſolutus dudum ille cœtus: non tamen etiam vinculum amoris, quo inter nos ligati. Tu mihi ſæpè in mente, raro in oculis: nec lepôrem & virtutem tuam deleuerit ex animo meo vlla dies. non magis quàm tuo litterarum ſtudia exciderint, etſi callidè id præ te fers, & negas agnoſcere te Deas, idque carmine, quod agnoſcant ipſæ Deæ. Abi Socratice noſter εἴρων, & apud tam fidum age ex fide. Tu Muſas, te illæ amarunt, amant, amabunt: & cum illis ego. Carmen totum approbum: nec Critica illi à me nota. Rem ipſam & argumentum vt meliùs nôrim curabo: & legam quæ ſcripſit Belgicus hic Euclides. Nos Pindaricus ἀλέκτωρ ille νόσων reſpicere cœpit in parte. vtinam diffuſiore paullò vultu, vt ſanitas

apud me ſit læta, plena, firma. Quam tibi, vxori, liberis (nónne rectè ita loquor?) opto. Lugduni Batauor. poſtrid. Kal. Sextil.

EPIST. XVIII. *Lutetiam.*

AVGERIO GISLENO BVSBEQVIO, *Cæſareo Legato* S. D.

NOMEN ipſum tuum in litteris ante legendum me adfecit, & lectio multò magis. Iudicium talis viri meritò magnum apud me eſt: & hæc tam prolixa beniuolentia, quam ſolo animo meruiſſe me ſcio. Nam rem quidem tu auges: & facis tam liberali beneficij interpretatione, vt vltrò obliger, & nouam gratiam debeam tibi. Quam vt prorſus ſoluam, ne exſpecta. non eſt iſtarum virium; non item animi. qui magis magiſq; illigari tibi cupit, & numquam dependere, vt pendeat à te ſemper. Liuij variantes lectiones ex codice Puteani quas ſubmittis, gratæ mihi: etiam vtiles ſpero, poſt perfectum commentarium Cornelianum, in quo vnus nunc ſum. Abſoluto enim eo opere, libens ſanè manum & limam adiecerim vberrimo hiſtoricorum. Permittit iam valetudo: quæ non paullò melior, poſt iter Antuerpienſe & hauſtum auræ ſiccioris. Nam marina iſta & paluſtris, neſcio quomodo corpori huic non amica. Sed quis in Belgicâ alius angulus ad quietem? Itaque ferimus, & hîc hæremus: donec Deo viſum pacem huic Belgio reddere, & nobis veterem ſedem. Quod, vt res ſunt, vouemus potiùs quàm ſperamus. Ampliſſime & Nobiliſſime Vir ſalue. & inter cultores virtutis nominiſque tui Lipſium non falsò cenſe. Lugduni Batauorum Non. Mart. ∞. IϽ. LXXX.

EPIST. XIX. *Hagam.*

THEOD. LEEWIO *Conſiliario* S. D.

IN ſilentio tuo, mi Leewi, mirabar, & (hanc enim libertatem amicitia mihi dat) indignabar. Sed indignatione tibi non ingratâ, cuius fons ab amore. Iniuriam mihi ferre videbar, quia priuabas me hoc alloquio: quod etiam in negotiis occupationibuſque meis vſurpo cum libentiâ & voluptate. Veluti hoc ipſo tempore, quo Plantinus cum genero apud me eſt: & eripit mihi non inuito optimam diei partem. Ego tamen ſcribo. de re priuatâ, valere me non optimè, vt hoc anni labentis tempus fluxionibus meis ferè eſt infeſtum. De repub. nec multa nec bona. Hoſtis Ninouiam obſidere dicitur, & imminere meæ Bruxellæ, certè copias colligit circum illam. Galli lentè & frigidè agunt; nec pro ingenio gentis. Ita vides, mi Leewi, in longum trahi rem, & produci calamitates patriæ iam exhauſtæ. Nec abiiciendus tamen animus. quem ſi ratio non adfectus ſubegit, ille eſt eritque in firmâ arce, quam nulli inſultus, nulla vis perfringent. Sed opinio nobis hæc facit magna & metuenda, quæ ratione ſi examinas, leuia ſunt. Bellum metuimus. ita enim accepimus à parentibus, ita à nutrice, ita à publicâ vulgi voce. Sed imponunt. Cur enim bellum malum? nempe quia vaſtitatem inducit, quia pauperiem, quia mortem. Arqui hæc ipſa mala non ſunt, niſi malis. Quot viri boni beatiq; paupertatem appetiere vltrò? Litteræ ipſæ diuinæ eam nobis conciliant, vt rectam ad cælos viam. Mors autem quid? metuenda viro? optanda potiùs: quia finis huius miſeræ, & principium melioris vitæ. At enim hæc Philoſophorum ſunt, inquies, dictu pulchra, re & vſu aſperrima. Imò, mi Leewi, communis hæc vox totius generis humani: quotiens abſterſâ adfectuum illâ nube radius diuinæ mentis illucebit. Sic tu, ſic ego loquemur inuiti, ſi rem pendemus ad veri iudicij lancem. Signum vis? Ecce pone mihi ex illo ipſo corrupto & corruptore vulgo aliquem in morbo. ſpernet diuitias, ſpernet opes: ſanitatem duntaxat vouebit corporis & mentis. Scilicet feriò cogitare iam de ſe cœpit admotus ad extrema: & inanium obliuiſcitur, cùm periclitatur de ſalute. Exſulant adfectus, cùm ratio redit: & erigit attollitque ſe animus, corpore iacente. Tamen ſani redimus ad eadem omnia: quia litigium illud cum adfectibus fuit, non diuortium: nec propoſito aliquanti ſper boni, ſed metu ſumus. Quare maneamus in hac viâ, quam inſtitimus, ſegregandi nos à vulgo: nec id ſermone tantùm, & velut in pompam fiat, ſed reipsâ, & quod dicitur, Bonâ fide. Vacillamus, imò cadimus interdum? Surgamus, & citâ celeritate corrigamus, quod temporis ereptum lapſu. Viden' vt miles quoque, ſi ceciderit, ſurgat alacrior, & animos iraſque ſumat à caſu? Idem nobis ſit, & conſtanter pergamus ad illum Tranquillitatis internæ portum, qui verè efficit beatos. Vale. Lugduni Batauor. III. Idus Nouemb. ∞. IϽ. LXXXII.

EPISTOLA XX.

IANO LERNVTIO *meo* S. D.

DIMISI nuper à me Oudermannum veſtrum ſine litteris, valdè præter meum votum. Sed mihi crede, ita diſtinebar, vt eius rei facultas mihi nulla. Nec nunc magna: (Plantinus enim apud me cum amicis eſt,quibus dies dandi pænè toti:) tamen erigit & conari me iubet epiſtola tua,ſiqua alia,plena ſuauitatum. Vel illud de SVAVIIS tuis quàm mihi ſpirat! crede, quòd omnes Arabum diuitiæ, imò quòd illeipſe halitus à ſuauiorum deâ. Tu tantùm perge, & damna me huius voti, vt citò teneam amplectarque libellum, & te in illo.Sed de titulo cur mutaſti?Mihi ſimpliciùs ſuauiuſque inſcribi SVAVIA videbantur; quàm funereâ & atrâ voce SECVNDI MANES. An frontes ſeueras metuis, & conſultum tibi is modeſtiâ inſcriptionis? Fruſtrà. quatenus ego guſtum ſumpſi, pura illa baſia tua: quæ & Catones capere poſſint, & dare ipſæ Veſtales. Denique quouſque ſcribimus iſtis? paucis nobis potiùs. & da quod in ſinu tenêre Scaligeri poſſint & Turnebi. De Plantino, verum eſt. ædes hîc conduxit ſanè amplas,& partem vacantem Typographię tráſferet iſtuc. Aliquid ea res fortaſſe me excitabit ad lucubrandum: cùm intereſſe editioni libellorum noſtrorum licebit, imò præeſſe. Nam aliàs, & valetudo ſæpè illud igneum, quod in nobis, retundit: & iudicia hæc multorum aut maleuola,aut maleſana. De Germaniâ quidem audiſtin'? Proſcribere miſellam Satyram noſtram nuper voluêre, & eiicere edicto extra imperij fines. O piſces, piſces! non hæc aqua, in quâ vos natetis: & magis vobis ſaciat ille ab Cithærone liquor, quàm hic ab Helicone. Sed feramus: & quoniam cœpimus, aremus etiam hoc litus. De Venatione in manus iam ſumpſeram, & eram in ſecundo libro: reiici, & iterùm datutus me videor in torporem. Catarrhi meti id faciunt, ſtati mihi ſub hoc tempus & ſolemnes. A Scaligero nuper litteræ. edit De Emendatione temporum, & promittit breuì exemplar. Vale mi anime, cum animâ tuâ, & cum iis qui ex felici veſtro cœtu. Lugduni Batauorum. III. Id. Nouemb. ∞. Iɔ. LXXXI.

EPIST. XXI. *Antuerpiam.*

HIERON. BERCHEMIO IC.

NIMIVM vrges, mi Berchemi, de imitatione. nuper omnibus ſermonibus, nunc epiſtolis hoc agis. Quid cenſes? aliquos theſauros mihi eſſe doctrinæ reconditæ? erras. ſiquid in hoc genere poſſe tibi videmur,magis à caſu ſiue naturâ eſt,quàm ab arte. Et tamen quidquid illud eſt quod ſequor, quod teneo; non vltrà celabitur. & proximâ epiſtolâ præcepta aperiam,ad quæ ſtilum meum fingo & conformo. Tu Minetual, ſis, para doctori nouo. Scaligeri ad Auſonium en tibi. O virum, ô filium à patre magno magnum:

—— meritò cui doctior orbis
Submiſſis defert faſcibus imperium.

Enimverò ille vnus eſt, quem miramur, quem æmulamur, imò ne mentiar, cui inuidemus. Felicem Galliam hoc ſole! cuius claritas non ad eos ſolùm qui nunc ſunt, ſed ad poſteros diffundetur, quamdiu quidem erit in terris nomen litterarum. De rep. quid ſcribam? manus mihi labat, & ingemiſco. Carcer ille notus tot Lentulorum quò erumpet? de quibus ambigua hîc fama. alij emiſſos dicere, alij artiùs teneri: hi culpam affingere, illi demere. Omnia incerta mihi, præter illud: quod omnino futurum video, vt plebecula illa aliquid plus faciat. Habet hoc ſemper noua libertas, vt ad licentiam facilè deflectar: quid cenſes de vrbe, cui inſitum & fatale, turbare? Vt fiſtulæ diu intercluſæ aut interceptæ turbidiores aquas emittunt: ſic iſti actiones, aliquamdiu preſſi. Sed nos quoque hîc in metu. Quidam inter optimates partium non optimatium: qui, vt cum Pindaro dicam, * οὐ δίκας τεῖχος ὕψιον, ἀλλὰ σκολιαῖς ἀναβαίνουσι ἀπάταις. Plebs iſta mollicula. quid augurer? hoſtis tantùm adueniat: ego tibi ſpondeo, non fore hîc Numantiam aut Saguntum. Cometam & nos per hos dies vidimus: immanem, dirum, & facie haud ſæpè viſitatâ. Quid portendat, quæris? Chaldæus non ſum, nec cæli ſigna cognoui: tamen hoc vetus noui,

Οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ κακὸν φέρει.

cui verſui magis quàm Ariſtoteli credo, qui hæc talia ad cauſſas fortuitas refert & infernas. Quid tamen aut quibus minetur, diſtinctè nouit ille *Prudens futuri temporis arbiter*: ego communiter, non referre

* *Non iuſtitiæ rectâ murum, ſed obliqua fraudis ſcandunt.*

eum aureum ſæculum. Vale. & illuſtri Comiti tuo à me ſalutem. Louanij III. Idib. Octob. cIↃ. IↃ. LXXVI.

EPIST. XXII. *Duacum.*

PHILIPPO LANOYO, *Nobiliſſimo iuueni* S. D.

IN Italiam cogitare te audio, nobiliſſime iuuenum: & audio volens. Placet ea mens, quam agnatam ſcio non niſi optimæ cuique menti. Humiles iſtæ & plebeiæ animæ, domi reſident & adfixæ ſunt ſuæ terræ: illa diuinior eſt, quæ cælum imitatur, & gaudet motu. Itaque ſiue priſco ſiue noſtro æuo, peregrinati ferè ſunt viri magni. Sed iſta hîc cautio: vt id fiat non cum voluptate ſolùm, ſed cum fructu. Vagari, luſtrare, diſcurrere quiuis poteſt: pauci indagare, diſcere; id eſt, verè peregrinari. Vt tu id poſſis, finem verum fructumque ante omnia mihi propone, quem is petitum. Vt enim ij qui iaculum mittunt, non in vanum dirigunt, ſed ſcopum præſpeculantur ad quem collineent: ſic tu præfini, quid peregrinatione iſtac quæras. Duo, niſi fallor: vtilitatem, & voluptatem. Non enim hanc ſolùm, nec vt coronarij belliſſimas ſaltem herbas floresque ſtruppis aut coronis innectunt, ſalubrium nullâ curâ: ita hîc tu. Quin contrà potiùs, plura ad mentem ac ſalutem te feres quàm ad ſenſus aut adſpectum. Ac de voluptate aliquid dicere vacuum ſit: cùm ea ſponte obuia: nec quiſquam tam lapis aut frutex, quem non titillet ac flectat amœna illa variaque ſpectio gentium, vrbium, locorum. Natura ſcilicet illuc auritatur, nec duce opus vllâ ratione. At in vtilitate laborandum eſt. quam nec ſecuti omnes; nec qui ſecuti, adſecuti. Eam tibi ingero, & triplici hoc limite deſigno, Prudentiæ, Scientiæ, Morum. Hæc enim omnia peregrinatio adferre debet; ſi conſilio, ſi ritè inſtituta. Ac Prudentiam ab eâ peti, Homerus nobis ſatis auctor; ille non poëtarum ſolùm eximius, ſed, me iudice, ſapientum. qui cautæ illi Vlyſſæ prudentiæ quam aliam cauſſam vbique tribuit, quàm quòd πολύτροπος: quodque, vt ipſe ait,

* Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω;

* *Multorũ mores hominum & ſimul oppida vidit.*

Et verè. Inſtituta enim illa varia gentium, ritus moresque hominum, formæ ciuitatium, incredibile eſt ad iudicium & prudentiam quàm potenter poſſint. ſi tamen non viſa aut libata ea leuiter; ſed admiſſa, tenta, & collata inter ſe examinis quadam lance. Quod ante omnia tibi cenſeo faciundum. Vide inquam, audi, iudica: nec conquire ſolùm hæc talia, ſed in ea inquire. Et inquiſitio quidem à te & tuâ mente erit: conquiſitio ab hominibus eſſe debebit, aut à libris. Nam & libri ferè ſiue hiſtoriæ peculiares ſuis quibuſque locis & linguis ſunt quas indagabis: & homines æuo & vſu prouecti non deerunt à quibus percontando diſcas. Etſi enim modeſtiam & ſilentium iure tibi ſuadeam: tamen nihil abnuo quin per iter fræna ſæpè laxes effræni illi membro. Ius tibi ſermonis non in viâ ſolùm (ſi qui eiuſmodi comites) ſed in hoſpitio ſit: nec ante menſam modò, ſed in eâ, & poſt eam. Sed ſermonis ius intra hos fines, quærendi de moribus, legibus, facie cuiuſque vrbis. addo & de Principibus, bellis, caſibus, aut ſiquid euentuum magis inſigne. Hæc notabis, hæc ſepones. certus ex iis ciuilem illam prudentiam inſeri, tacitâ quadam vi & viâ. Vt enim herbas, vt arbores, creſcere non cernimus, ſed creuiſſe: ſic factam hanc prudentiam potiùs, quàm fieri. Atqui incrementum & irrigatio illi, ab his inquiſitorij, vt ſic dicam, humoris guttis: quas altè perbibit melior animus, & paullatim madeſcit ſapientis iudicij ſucco. Atque hæc de Prudentiâ dixerim: verbis parcè, rebus amplitèr, ſi rebus experiris. Ad Scientiam te nunc eâdem manu duco. Quam mirère fortaſſe, quòd peregrè quæram. cùm domi illi ſedes potiùs, & hæc litterarum ſtudia quiete ſecretoque magis gaudeant, quàm motu aut diſcurſu. Sed deſines huius admirationis, ſi animum flectes ad duplicem, qui ad Scientiam, modum. Aut enim ab Auribus ea, aut ab Oculis eſt: à Doctore dico, aut à Libris. Et de libris quidem, nemo it negatum quin domi habeantur, tractenturque meliùs: in doctoribus, aliter eſſe ratio ſuadet mecum. Quæ enim illa, obſecro, tam felix regio, quæ feliciſſima omnia ingenia includat? Quin ſparſa illa: &, deo diſpenſante, ſua cuique terræ velut gemmula quæ illuſtret. Hanc adi; hanc audi: & è ſacris illis pectoribus, hianti ore bibe abditæ doctrinæ fontes. Quis non à Turnebo aliquo doctior redeat? prudentior à Sigonio? diſertior à Mureto? quorum ego non auditum ſolùm magno emerim, ſed viſum. Quòd ſi notitia etiam aliqua tibi cum iis accedet (& id pronum apud tam humanos:) deus bone, quæ occaſio hic tibi diſcendi

diſcendi & diteſcendi! quot gazas legere & recondere cottidie poteris latentium litterarum! Mecum vides. tu arripe tantùm: & me auctore, in vſum eiuſmodi virorum omni arte irrepe, vi irrumpe. Nuſquam meliore damno frons ponitur. Hæc Platonis, hæc Pythagoræ, Democriti, & aliorum ſapientium mens fuit: qui relictâ penu artium Græciâ, non ad cultos ſolùm, ſed ad barbaros peregrinari, acri quodam cupidine diſcendi. Iam & alia ab Oculis vtilitas: qui hîc tibi ſoli & nudi ad Scientiam ſæpè duces. Italiam ecce nunc adis, illam frugibus, viris, opidis cultam, illam famâ inclutam ſcriptiſque. In eâ non veſtigium vſquam pones, non oculum flectes; quin monumentum aliquod premas, aut memoriam vſurpes, ritus ſiue hiſtoriæ priſcæ. Illîc Thraſymenum miſcentibus oculis ſubiicies, aut æternum imperij vulnus Cannas: hîc magis lætis, Albanum, aut Tybur, aut nobiles Baias; Plinij alibi manſio, & Virgilij aut Propertij patria tibi oſtendetur; alibi rudera Varronianæ aut Tullianæ villæ. Quanti & quàm arcani gaudij iſta viſio? cùm non animo ſolùm, ſed pæne oculis ſeſe inferunt manes illi magni, & ſola premimus preſſa toties ipſis. Iam coloniæ illæ veteres, iam templa, theatra, arcus, ſepulchra, lapides, quem non & doceant mirificè & delectent? Doceant dico. quia reuerà notata aut exſcripta hæc talia, mirum quantâ luce mentem perfundant, trepidantem per veterum ſcripta. idque experti dicimus ipſi. Vt omittam etiam illud commodum, quòd neſcio quomodo attollatur & grandior ſeſe fiat animus, adſpectu tot ſublimium & grãdium rerum. Cupidinem veræ virtutis & gloriæ ingenerat, viſa toties aliena gloria & virtus. Ad Mores iam venio, qui poſtremus mihi locus; tibi, ſi quid ſapis ô adoleſcens, primus. Ab hoc enim ſcopo ſi aberraſti, aberraſti ab aliis: & inutilis, imò noxia, ſcientia omnis prudentiaque eſt, ſecreta à probitate morum. Cetera ſpecioſa puta, hanc neceſſariam: illa ad ornatum adhibe, hanc ad ſalutem. In moribus autem duplex mihi præceptio: & vt bonos rectoſque vbique adnotes, & fugias malos & detortos. Sed in bonis, ne mentiar, haud magna fortaſſe peregrè copia eſt. Latent enim plerumque verè probi: & in pectore intimo domicilium Virtus habet, non in vultu aut fronte. atque inde vt extrahatur, vſu opus & notitiâ quadam propiore: ad quam peregrinantibus rarò acceſſus. Tamen elegantia quædam morum & comitas, & externa quædam, vt ſic dixerim, virtus, quin apud exteros iure quæratur, non negabis. Quid in cultu, veſtitu, actionibus deceat; quæ Veneres & lepôres in ſermone aut geſtu; docere re ritè poliriores illę gentes poſſint, Itali, Hiſpani, Galli. atque ita rus illud noſtrum aptè ſæpè diluas quæſitâ iſtâ vrbanitate & peregrinâ. Sed quæſitâ, non adfectatâ; vſurpatâ modicè, non oſtentatâ: alioqui nihil comptu co incomptius, eleganriâ ineprius. Riſimus non ſemel eiuſmodi hiſtriones, qui ab Italiâ aut Galliâ noui, geſtus neſcio quos mimicos moleſtè vſurpabant, & delicias parùm non dicam ciuiles, ſed viriles. Tu hæc fuge. & inprimis vera & interna animorum vitia, quorum vbique larga & obuia ſeges. è quâ ne quas ſpicas inprouidè colligas, magna mihi pro te cura, imò metus. Admittimus enim neſcio quomodo & combibimus facilè peregrinas illas culpas; ſiue quia nouitate aliquâ blandiuntur, ſiue quia ſpecie virtutum. Atque vt venena vinis admixta, medicorum ſcito, perniciter & perniciosè penetrant: ſic peccata hæc adſita virtuti. Ferè enim ita fit: vt in quâ gente vitia certa increbuêre, mores iam vocentur, nec in veniam modò veniant, ſed laudem. Adde, quòd naturâ ipsâ proniores nos ad mala imitanda. Vt pictor, leui manu, & volante penicillo, rugas, verrucas, næuos in facie exprimit, haud tam facilè ipſam: ſic probitatem laborioſè imitamur, nullo negotio maculas illas animorum. Aduigila hîc igitur: & iam-ante ſeriò prouide, quæ vitia cognata vel amica cuique genri. Quis enim neget? vt hominibus ſingulis, ſic populis ſuæ laudes, ſuæ labes. Galliam ecce cogitas? leuitatem & vanitatem etiam, quæ in pleràque eâ (omni, falsò dicam) gente. Italiam? proteruiam in eâ & libidinem. Hiſpanias? typhum quemdam & Africanum faſtum. Germaniam? comeſſationes & ebrietatem. Quæ velant illi, ſcio; & comitatem, fiduciam, grauitatem, hilaritatem interpretantur falsò. at tu vitabis, nec in venas rapies peruerſi iudicij aurâ blandientem peſtem. De moribus tantum eſt. & prætexui hanc telam: niſi quòd leue parergum illi addam de Italiâ ipsâ. Laxat enim neſcio quomodo vela huic ſtilo, prouehitque longiùs amor & cura tui. In terram is igitur terrâ iſtâ meliorem, fateor: gentem

[library stamp]

gentem gente nobiliorem: haud ſcio an probam magis, an fidam. Ingenium, & ſubtilitas, & magni erectique animi in illis locis habitant: non ſemper puri, ſimplices, & ad Gallicam iſtam niuem. Ideoque incautis & apertis nobis nonnullum ibi periculum, & quidem à duplici telo. Nam & inter viros multi tecti, callidi, periti ſimulare: & inter fœminas, formæ conſpicuæ, ſed laſciuæ & procaces. Hic Scylla, ibi Charybdis: & duo hæc diſcrimina vt enauiges, opus non prudentiâ quadam ſolùm, ſed dicam fortunâ. Prius tamen illud me angit minus. quod amoliri magnam partem poſſe videor eauentibus quibuſdam præceptis. Nam contra inſidiantes illos aut ſimulantes, quídni firmum ſcutum à ſimulatione item aliquâ ſit? Cres mihi eſto inter Cretas. Nec viam tibi tamen ad fraudes præeo. abſit. ſed vt medici, venena quædam venenis pello, in ſalutem tuam non in noxam. Ad minutas & innocentes quaſdam ſimulatiunculas te voco: nec ad alienas inſidias, ſed ad animi tui opportuna tegumenta. In Italiâ totâ tria hæc mihi ſerua. Frons tibi aperta, lingua parca, mens clauſa. Comis & communis vultus aduerſus omnes ſit, animus extemo nulli pateat: & velut in thecâ clauſum eum habeas, dum redeas ad notos animos & verè amicos. Epicharmææ ſapientiæ illæ neruus hîc valeat, nulli fidere. Niſi facis: non vnus Vlyſſes Aiacem te circumueniet; & dolorem nobis debes, illis riſum. Atque hæc tamen cautio mea propriè in vulgus Italorum dirigitur. Nam de nobilibus cur diffitear? reuerà optimates illi plerumque optimi: celſi, alti, ſinceri; virtutis, gloriæ, litterarum amantes. In vulgo aliter eſſe obſeruauimus, qui fex & limus, & verè vulgus. Itaque in illis; vetus Italicus aut Romanus ſanguis ferè apparet: in iſtis, peream, niſi claræ reliquiæ (fidenter dicam) Gothorum, Vandalorum. Iam contra telum alterum quî muniam te, aut moneam? Ita ſim ſaluus, vt opto potiùs quàm ſpero te hîc planè ſaluum. Tantùm mihi metus & ætas tua facit, quæ in ipſo æſtu: & illæ non dicam fœminæ, ſed Veneres, Venetæ aut Romanæ. In naturâ tantùm tuâ ſpes omnis præſidij hîc, & voluntate. Quarum ſi alterutra ad calidas & callidas iſtas Solis filias inclinat: quis hominum te ſeruet? certè rues: nec vllo præceptorum ſufflamine te ſiſtam. Tamen ne nihil dicam aut addam: ecce armaturam à me duplicem, Oculis, Auribuſque. Oculos inquam, primùm mihi claude, & auerte longè ab illecebroſo hoc aſpectu. Aditus enim mali morbi hinc eſt: nec amor aut cupido facilè irruperit, niſi per geminas has feneſtras. Sed & aures etiam muni, contra omnes non Venereos ſolùm, ſed paullò magis venuſtos ſermones. Ij ſunt enim qui titillant, qui excitant: & vt cupere ab aſpectu eſt, ſic velle ab auditu. Igitur vt athletis olim munimenta quædam aurium adponi mos (ἀμφωτίδας vocabant) ad vitandos ictus: ſic tu hoc firmum contra amatoria vulnera habe velamentum, Amatorium nil audire. De hominibus dixi (quæſo ne cum inuidiâ cuiuſquam aut irâ: quia liberè aliquid protulerim fortaſſe, nihil acerbè aut malignè:) adiungam & aliquid de locis. Qui varij in Italiâ omni & pulchri: vt non iniuriâ deliberes, quem præferas ad videndum, ſiue habitandum. Et meo quidem ſenſu (vidimus enim pleroſque omnes, & triuimus) prima tibi vel antiquitatis cauſsâ, adeunda Roma eſt: adeunda tamen, non habitanda. Confuſio enim ibi & σύγχυσις, aëris & morum haud pura puritas: & quod veriſſimè à Varrone dictum, turba turbulenta. Loca igitur illa priſca & vetera, monumenta ac rudera,

—— & campos, vbi Troia fuit,

cùm luſtratus ſatis & veneratus fueris: Neapolim mihi abi, & paulliſper in ſide illam nobilem, illam cultam, illam amœnam. Per quam viam deliciæ locorum multæ, quas omitto. ſed ſi inhabitanda diutiùs Italia eſt, in Thuſcos mihi redi, & illos incole, linguæ, aëris, morum cauſsâ. Omnia hæc ibi pura. Quòd ſi de opido etiam quæris: Florentia mihi aut Senæ placeat: & magis iſtæ. At iam in ambitu & reuerſione, Boniam amicam ſtudiis libens videbis, & eâdem laude inſigne Patauium. quibus cùm dies aliquot dederis, non pigebit in vrbe maris dominâ (Venetias dico) luſtrandâ ponere ſeptimanas. Heu ad inuidiam pulchra, opulens, felix vrbs! minùs tamen ad noſtrum Genium, quia Mercurio amicior quàm Mineruæ. At in exitu grande illud & diffuſum Mediolanum te capiet. in quâ fine Italiæ finis mihi epiſtolæ. Deum ſupplex precabor, vt te ſeruet, & tu iſta. Vale nobiliſſime iuuenis, vale, vale. nec Deus mihi * auguria perficiat, quæ in triſti mente. Antuerpiæ III. Nonas Apriles, ∞. IƆ. LXXVIII.

* *Certè vera. obiit enim ea ipſâ peregrinatione, princeps noſtra iuuentutis.*

EPI-

EPIST. XXIII. *Vltraiectum.*

IANO DOVSAE S.D.

HEVS tu, ſacrifica. Lipſius etiam viuit. Diſcrimen igitur tibi? inquies. Grande, capitale, mi Douſa: & quidem ſine crimine diſcrimen, à ſcriptis iterùm meis, non à factis. Satyram ego nuper ſcripſi, & illa me pænè proſcripſit. Iocari me putas? verò, ſeriò, à grauibus, imò à grandibus viris res agitata: à proceribus Imperij: tamquam in læſo aut turbato publico ſtatu. Suſpendo adhuc te: rem habe. In iocis illis Menippææ noſtræ, aliquid eſt de lauru poëtarum, quam largitur Cæſar: & ab eâ iſte ignis. Aiunt, ignominiâ à me affici vniuerſum id genus: aiunt, Cæſarem ipſum aſpergi iniuriâ, quaſi non id ei ius per me aut poteſtas. Itaque à Legatis ipſis Cæſaris litteræ ſubitò Francofurtum, quæ grauiter me accuſarent, minarentur: & Satyram ipſam priuatum irent publicâ luce. Hæc audis? hæc credis? non ego ipſe: niſi litteras eas vidiſſem his oculis, tenuiſſem hac manu. O ſæculum, ô viri! Ite vos docti, vigilate, ſcribite: & pro famâ, ſubite hanc flamam. Et tamen vtcumque calumniarum ferax æuum: quis materiam iis cenſuiſſet in re tam leui? Niſi ſi hoc proprium mihi fatum, vt ex candore iſtarum nitium oriatur ſemper aliquis ignis. In Epiſtolicis meis nónne ſimile? Benè certè ſperare de iudicijs poſterorum debeo: cui tam iniqui ſunt viui. Tu vide, ride, & ſi vires, pro Satyrâ noſtrâ Satyram in ſaturos illos ſcribe. Nónne enim noſtrâ? tu certè eius magna pars es. Vale mi oculiſſime. Lugduni Batauor. III. Kalend. Iulias. ∞. Iↄ. LXXXI.

EPIST. XXIV. *Londinium.*

GVLIELMO CAMDENO.

MVNVS à te accepi, Vir ornatiſſime, per mihi gratum, Britanniam tuam: quam illuſtraſti ingenij & induſtriæ clarâ face. Multum patria tibi debet: multum exteri nos. qui per te pulcherrimam inſulam videmus, etiam cùm non videmus. Perge in hoc & ſimili ſtudiorum genere, quod abeſſe non poteſt quin tibi famam, poſteris æternum ferat fructum. Lugduni Batauorum. IV. Kal. Sextil.

EPIST. XXV. *Vltraiectum.*

GEORGIO RATALLERO *Præſidi ibidem Conſilij Regij* S. D.

VALDE alienus à gratiis omnibus ſit, Vir Ampliſſime, cui non & litteræ tuæ gratæ, & hæc ad amicitiam inuitatio, tam amica, tam honeſta. Quam quòd prior, quòd vltrò ſuſcipis: iure magni facio, qui ſcio quàm tu ſis magnus. Et amaui quidem te, imò colui iam pridem, tacito quodam ſenſu: qui diu incluſus, libens nunc ſe promit & exſpirat, ad hanc ſuauem beniuolentiæ tuæ auram. Cui tamen non dicam paria, ſed maiora facio: quò plures mihi ad amorem & æſtimium tui cauſſæ. Doctrina, dignitas, virtus, & ante omnia hæc humanitas: quâ trahis & nectis me tibi, adamantino quodam vinclo. Quod nulla vis, nulla fraus, laxabit aut ſoluet; donec

Lumine adempto animam moribundo corpore fundam.

Idque tibi non per epiſtolam ſcriptum, ſed velut per ſyngrapham volo ſponſum. Tu mihi quæſo reſponde: & hunc, vt ſic dicam, amoris noui fruticem, quem tam amanter eduxiſti, euocaſti, alere & fouere perge beniuolentiæ tuæ radiis, ô Belgij & meus ſplendide ſol. Lugduni Batau. poſtrid. Kal. Auguſt. ∞. Iↄ. LXXX.

EPIST. XXVI. *Hagam.*

THEODORO LEEWIO *Conſiliario* S.D.

MAGNVM illud Antuerpienſe facinus, magnum: dicerem & malum, ſi de cauſſâ mihi liquidò conſtaret, aut fine. Sed tamen hoc ipſo malum, quòd malum imò exitium patriæ trahet ſecum. Heu, quæ vidernus! quæ audimus! quàm inopinata! quàm obliqua! quàm non pro veteri fide & more regum! Nec tamen, mi Leewi, deiicere. erige te potiùs: &, vt palma, attollat ſe animus contra nouum hoc pondus. Inſpice ludibria rerum humanarum, & aleam ambiguæ Fortunæ: quæ gaudet iactum aliquem ex occulto iacere. nec exſpectandum. Hinc ille vulgi ſtupor & querela, Quis putaſſet? quæ non cadit in mediocriter ſapientem: qui iam antè ita meditatus, vt ſciat hæc & deteriora poſſe euenire. Vt in bello, etiamſi hoſtis abſit, ſemper excubiæ: ita vigilat ille contra improuiſum omnem ictum. Quis fuit ille dies, cùm hîc & alibi inſulæ

inſulæ totæ aquis abſorptæ, aut vrbes terræ motu? Quis eorum, qui tam magnâ ruinâ perierunt, id putaſſet? Nec exempla nobis deſunt iſtarum, quas patimur, cladium: ſed ipſi nobis. qui, inſito à naturâ vitio, proni ſemper ad ſpes meliores. Quas coërcere tamen potiùs ſit, & laxiores habenas permittere timori. Non deerit conſilium aut ſolatium illi animo, qui timuit quidquid potuit timeri. Iure à Romano ſopho laudatur is verſus,

Cuiuis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.

Quem velim impreſſum tuæ menti, vnà cum amore mei. Vale. Lugduni, Prid. Kalend. Febr. ∞. Iↄ. LXXXIII.

EPIST. XXVII. *Brugas.*

LERNVTIO, ET GISELINO.

SALVETE meæ animæ. ita enim meritò vos appellem, quia quamdiu iſtîc fui, vixiſſe videor: nunc vitâ frui quaſi per vmbram. Circumagunt me hæ turbæ in Numidæ morem: & adhuc diſcurri ſine lare, ſine certis ſedibus. quas tamen poſiturus in Batauis videor, Ordinum vocatu, & ſtipendio ſanequàm honeſto. Sed temporaneas, non perpetuas: ſaltem,

Dum hæ conſileſcunt turbæ, atque iræ leniunt.

Aliter videtur quibuſdam è meis, qui in mutatione hac rerum ad dignitates & ſplendores vocant. vid[illegible] mihi ſtat vetus illud decretum meum, reipub. tam confuſæ non miſceri. Orpheus ille veſter Lugduni eſt, & (inuideo vobis hunc riſum) partes has ſimulat, & ambit profeſſionem. Exambiétne? non, ſi Batauos noui: in quibus certè pluſculum, quàm pro veteri verbo, auris eſt & cordis. Eurydice etiam eius hîc: & illa profeſſionem. O Douſa, viuis & Satyram non ſcribis? Sed ridebimus coràm. Ita enim de vobis recepit mihi Winterus veſter, adoleſcens adprobus & perhumanus. Facite, & properate ad hæc Neptunia loca: in quibus ego cum Douſâ tam arctè, tam auidè, vos amplectemur, quàm Amymonem ſuam ille ipſe Neptunus. Sed hoſpitium quidem vobis (ita iubeo) apud me erit: familiare ſcilicet & ſobrium, nec propter vos maiorem fumum vicinia videbit. Properate tantùm. quod vt magis faciatis, nuncio accepiſſe me nunc nuper Lutetiâ à Pythœo Trochaïcum vetus, cui titulus Peruigilium Veneris, elegans & ſcitum carmen, & digniſſimum illâ ipsâ deâ. Plura non addo. venire, videte, valete. Lugduni Batauorum, Kal. Veneris. ∞. Iↄ. LXXIX.

Sed heus tu, Lernuti! eſt quod à te ſeriò petant mei horti. non magnum aliquid, ſed illud idem quod hortus tuæ, Seminari. Itaque ſiquid ſeminij tibi ſupereſt, non illius Plautini (apage nuptiales nunc nugas) ſed iſtius hortenſis: quæſo, hoc nuncio mitte. Habeo enim & colo hîc in ipsâ vrbe hortum, amœnum potiùs quàm grãdem, conceſſu noſtri Hauteni. Pro eo, ad Venerem natũ mihi herè hoc Carmen. quidni enim friuola mea mittam, vt eliciam gemmulas tuas? Ita callidè captator ſum: nec nego.

AD STELLAM VENEREM PRO HORTO.

ALMA Venus, quæ cælorum colis ardua tẽpla,
Quæ maria ac terras vitali ſemine comples:
Qui ſine nec flores hortos, nec gramina campos
Veſtierint, neque frugiferas animalia terras,
Quæ ve ſolũ pedibus ſulcãt, quæ ve aëra pennis:
Tu dea, tu fautrix hortorum in cultibus eſto,
Adſpiresque meo numen genitale labori.
Nam ſine te nil Flora poteſt, nil flaua Segeſtis,
Nodutisque, herbæ pubenti optabile numen.
Pelle malum virus à floribus; imbricitorque
Ne noceat Aquilo; neu grando, neu robigo,
Effice. diua potes. Solis Lunæque poteſtas
Te ſuperã: ſed conſenſu tua tertia regna.
Nec tibi Mercurius certauerit, aut tibi Mauors:
Ipſe tuo faſce ſubmittit Iuppiter igni.
Intereà, dum nos fera mœnera militiai
Exercent, lituique vocant ad ciuica bella:
(Patria da veniam) Hauteni ſecurus in hortis
Ipſe habitem, fallatque meos cultura dolores.
Non ego Bellonæ ſim victima, non ego Marti
Miles: naſcentique alius mihi riſit Apollo.
Sat patriæ Belgisque datum, ſi fama Camœnæ
Noſtræ erit, atque aliquis venienti Lipſius æuo.

EPIST. XXVIII. *Herbipolim.*

FRANCISCO MODIO S. D.

ERGÓNE viuis Modi, & nos amas? De vtroque enim ambiguos reddebant & locorum interualla in quibus agis, & ſilentium quo tamdiu non iuſtè vſus. At nunc emendaſti, & longâ epiſtolâ ceſſationis culpam eluiſti in parte. nam totam tum demum, ſi perſeuerabis. Et quamquam remotum te doleo ſeiunctumque à nobis: tamen quòd in iis locis, & apud eum virum es, lenit deſiderium, & gaudio penè mutat. Amo enim, amo, Germaniæ illũ tractum, in quo beatè viximus olim ipſi: & gratulor

lor de hoſpite, qui, vt ſcribis, tam benignus eſt in meliores Muſas. Sæpè apud noſtros prædicaui, ſed parùm credulos, Homines etiam illa tellus alit ingenio doctrinaque pares nobis, fide & virtute meliores. Experiris ipſe: & magis experieris cottidie, ſi omiſsâ inanium ſpecie, de re iudicabis ex re ipsâ. Intereà vides portum aliquem & receptum in his ſtudiis eſſe, per res adflictas: nec vanum illum quicumque ſcripſit,

* Τὸ τέχνιόν γε πᾶσα γαῖα ἐκτρέφει.

* Artem omnium terra quæuis educat.

Ego quidem auctor tibi ſim non commouendi ex iis locis, donec Belgio huic fiducia ſtatus melioris. Nam nunc quàm fluctuemur, vides. Fœdera, & domini noui: & omnino aut mutatio, aut interitio rerum. Sed malo aliquid de ſtudiis. Tacitum ad me, ſiue Eclogas potiùs tuas in Tacitum, ſi mittes, gratum: & vtar, non ſine memoriâ eius, per quem vtar. Paramus enim iterùm vulgare Commentarium noſtrum, ſed auctiorem. Habemus & libros duos de Venatione iam adfectos, Saturnalium priorum (quæ dilaudas) titulo & exemplo. Sed & de Epiſtolis meis edendis aliquid cogitabam, ſi quas colligere aut ſeruare potui in hoc naufragio noſtrarum rerum. Quæ meus iniecta mihi nuper, non nego, per Italos: quorum epiſtolas ambitioſè editas vidi, & (liberè dicam) non inuidi. Quid enim? à verbis cultas eas cenſeas? ſæpè nec Latinæ ſunt. à ſententiis acutas? torpor & tepor merus eſt. O Italia, vbi Politiani tui, aut Barbari? defeciſti: & hoc ſæculū ambitionis & fuci aliquid fortaſſe plus habeat, re deſeritur & ſeriâ illâ doctrinâ. Etiam Agellius nobis nuper in manibus: depoſuimus, poſtquam aliis audiuimus eam eſſe curam. De Matulis illis & Petreus, iam aliquid inaudiuerâ. ſed quid? etiam illæ nitedulæ extrahi volunt è ſuis ſenticetis? à me fruſtrà. Tu rantùm purga me calumniarū eiuſmodi apud Poſthium: & animum hunc illi aperi candidiorem veſtrâ niue. De poëtis Germanis aliquid dixi aut ſcripſi: at non de germanis, inter quos mihi ipſe. Fucos & dehoneſtamenta poëtarū ſaltem tetigi: quorum fertilis ſanè illa ora. Vidimus nos, & vides ipſe. Quis non ibi ſomniaſſe vult in bicipiti Parnaſſo? Itaque vates omnes audiunt, & prodeunt: & compti ſublimeſque multi, cum Cæſareâ ſuâ lauru. Quos non equidem ſperno aut rideo: hoc tantùm iis inſtillo, *Laurigeri multi, pauci Phœbi.* Quin re plerumque didici. minimè re poëtas, qui titulo illo

ſunt & nuncupatione. Extrema tua epiſtola pupugit me de M. Antonio. Itàne eſt? abiit? certè doleo. Nam æmulatiunculas illas eius (ita appellare malo, quàm calumnias) nihil moror. Habere hoc ſcio iſta ſtudia, vt neſcio quomodo facilè pariant riualitatem. quam ego ſeriò contemno: ſed & hoc mihi ſeriò dolet, contemni per hanc illa. In contentionibus enim iſtis quis riſus ſæpè vulgi? & iure, cùm tam pueriliter deſipientes eos videant, qui ad ſapientiā aliis magiſtri. Ratallerum Præſidem quòd ſaluere tu patronuſque iubetis: ille verò ſaluus. iampridem enim à nobis abiit ad beata illa loca: idque præcipiti quodam fato. Nam benè valens ad curiam cùm veniſſet, ſubito deliquio animi concidit, nec ſurrexit. Ita ereptus patriæ optimus ciuis, nobis amicus. Hoc ante ſeptem menſes accidiſſe ſcirote, & mecum dolete. Vale mi Modi, & magno illi patrono tuo à me ſalutem. Lugduni Batauor. Nonis Auguſti. ∞. Iↄ. LXXXII.

EPISTOLA XXIX. *Hagam.*

THEOBALDO TEELINGIO.

APPELLA me verò, & litteris, & ſermone: nec excuſa. vaco ſemper ingeniis, quibus diſcere vacat: quale eſt, & ſpero erit, tuum. Hoc excuſa, quòd ad epiſtolam proſam, carmen non addideris: nam id te decebat. An alienū ab Muſis me cenſebas? non ſum. amaui adoleſcens & nunc amo, & ſcio eas eſſe, quæ laro & læto limite ad ſapientiam & virtutem ducunt. Laſciuia modò caueatur, & obſcænæ illius deæ laquei, quos in Muſieis illis arbuſtis ſæpè texit. Tu redux me appellabis reducem, (nam & ipſe iam in vlteriorem Bataniam excurrebam:) & hoc mihi ſemper gratior, quò maior in te ardor ad diſcendum. Ætatis tuæ florem cogita, & æui huius fluxum: quodque Æneas ille Homericus aurigæ ſuo dixit, tibi ego:

* Ἀλλ' ἄγε νῦν μάστιγα καὶ ἡνία σιγαλόεντα δέξαι.

* Verùm, age, nunc manibus flagrum & ſplendentia frana accipe.

Atque vnà ſalue. Lug. Bat. poſtrid. Id. Sextil.

EPISTOLA XXX. *Viennæ.*

NICOLAO BIESIO *Cæſareo Medico.*

NOS quoque, mi Bieſi, Legarum Budenſem vidimus. Magna pompa, multi comites: veſtis & mores nobis exteris mira. Pellis illa iniecta puerorum antecun-

tium humeris, numquid abeſt à priſco Scytharum ritu & habitu, qui pelliti? non videtur. Veſtis illa laxa à Braccis? nihil. Sed & honoris habendi ritum, quem Cæſari retrogradiens exhibuit (ſollenne id genti) odoramur eſſe à Perſis. Ammianus ſuggerit lib. XVIII. de Antonio quodam, qui transſuga ad eos eorumque mores: *Simul hoc dicens è medio proſpectu abſceſſit, non aduerſus, ſed dum euaneſceret, verecundè retrogradiens, & pectus oſtendens.* Garritum hunc præmiſi. plura, ſi voles, in cœnâ: ad quam bonâ fide me ſiſtam. Salue.

EPISTOLA XXXI. *Hagam.*

Theodoro Leewio S. D.

Ita certè oportuit. in viam, inquam, officij redire, à quâ exorbitauimus vterque nimiùm diu. non negligentiâ aliquâ, vt ſcio, aut contemptu: ſed fortaſſe dulcedine ceſſationis, & fiduciâ amoris. Id enim de me fateor; de te opinor. Quin ſæpè ſic afficior, vt quemadmodum mulieres, quæ vterum ferunt, ad omnia nauſeant: ſic mihi nec ſcribendi libido vlla ſit, nec legendi. Mare quoddam mortuum eſſe aiunt, ſine vento ſine motu: ſic ſæpè ego. Sed tu me excitaſti: præſertim illâ parte epiſtolæ, quâ conſiliũ à me petis de ſummâ vitæ. Deliberas de coniugio, aut cælibatu. Difficile mihi ſententiam interponere, præiudicio iam pænè deuinctam. Vides enim quid ipſe fecerim. Ita niſi à coniugio dixero, damnem me ipſe neceſſe eſt aut inconſtantiæ, aut erroris. Sed ſeponam tamen pauliſper eam cogitationem, & de totâ re videbo quaſi liber & exſolutus. Ac principio coniugium, ſi quis damnet, impius ſit in vtramque legem, & ciuium, & naturæ. Stare genus humanũ non poſſe omnes ſcimus, ſine viri mulieriſque cœtu. Non ergo vniuerſè id quæris, credo, an coniugium probandũ: ſed ſtrictiùs, an ſapienti, an hoc tempore, an tibi. Sapientiæ ſtudia & vitæ quietem ſi ſequeris; neſcio an ducenda vxor. Exempla veterum ſapientũ in vtrumuis ſunt: ratio magis eſt vt neget. Si enim liber animus, Deo & ſibi vacans, ad ſapientiam & tranquillitatẽ requiritur: non video quomodo adſumenda illa cura, quæ noctes dieſque adhæreat, angat, coquat. Si ſatis moleſtiæ in te tuiſque cupiditatibus regendis, frænandis: quid aliunde accerſis, cui imperes & moderère? Cymbam noſtram difficulter gubernamus: ecce nauim adiunctam volumus, cum tot armamentis? Et fero adhuc, ſi reges. ſed quid ſi regere illa vult? ſi fulmenta lectum ſcandunt, vt vetus verbum eſt? quid? nónne bellum tibi non ciuile, ſed familiare ſumendum eſt de principatu? At enim moderatam audientemque tibi ſperas. Ita cenſeo, & opto. ſed quâ in re vmquam magis ſpes & vota ſefellerunt? An ex compoſito illo vultu, oculis, verbis, toto corpore ad modeſtiam ficto, vxorem eliges? crede mihi, nulla fides. Proprium hoc & velut innatum illi ſexui, vt crudæ adhuc & vix pueritiam egreſſæ ſimulent, fingant, fallant. At enim fide & commendatione aliorum, inquies. Nolim equum ſic emere aut agrum. Et quâ in re libentiùs, aut minùs cum periculo, fallunt amici? Si in equo aut agro impoſuerunt, expoſtulandi mihi ſaltem ius eſt: at id non in iſto. Canetur tibi illud comicum, *Habeas vt nactus:* & querelæ tuæ in ventum ibunt, imò in irriſum. In genere hoc prædixerim de ſapiente: iam tempora iſta videamus. Si res lætæ & prolixæ: magis ferrem te ligari hoc nexu. Nempe publica ſolarentur: nempe in ſpem honorũ & felicis æui liberos ſuſciperes, educares. At nunc quid niſi communes calamitates & bella? ne domi tu quæras. Quid niſi exſilium, exitium, imminet, & mutatio vniuerſi ſtatus? ne ad aureum ſæculum liberos procudi à te cenſeas. Denique teipſum (quod tertiò poſui) intuêre. Animus tibi ingenuus, & corpus: id eſt vires valetudoque parùm firmæ. Ætatis quidem bona pars ſupereſt; ſed & bona elapſa. ingeniũ tibi come, molle; quod ferre iniuriam potiùs poſſit, quàm inferre. Hæc omnia vide ſis, an apta ad mores fœmineos noſtri æui. Et Diogenes quidem ab omni ætate coniugium remouebat, ſatis ſcitè. *Nam iuueni*, inquiebat, *nondum ducenda eſt vxor: ſeni numquam.* Græcè hoc ſonat meliùs, *τῷ νεωτέρῳ οὔπω, τῷ γέροντι μηδέποτε.* At ego certè non vanè id reſtrinxerim ad ſtatum mediumque hoc æuum, quod velut vinũ iam deferbuit; quale, mi Leewi, eſt tuum. Hæc in parte vnâ dici poſſunt, nec pauciora in alterâ: quæ quoniam ſcio ſubiici & à te tibi & ab aliis cottidie, laborem non ſumam in iis recenſendis. Eò minùs, quòd fruſtrà ſcio ſuaderi coniugia aut diſſuaderi: quæ à cælesti nutu & à fato haud vanè eſſe dicuntur. Benè Euripides,

* Ἔστι γὰρ ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ μόρσιμον: ** Fatalis eſt viro atque fœmina thorus.*

idque didicimus nos ipſi. Bina Socratis monita tantùm addam. Primum, iuuenes cælibes

libes ſimiles eſſe piſcibus, qui alludunt circum naſſam & geſtiunt inire; contrà, qui iam incluſi, exire: ſimile in matrimonio eſſe, quod ambiunt liberi, damnant capti. Alterum, Sciſcitanti cuidam Vxorem an non duceret? *Vtrumuis*, inquit, *feceris, pœnitebit*. In quo verè oraculo concludo, & ambiguum te ſententiæ meæ relinquam, non amoris: qui tam verboſam à me Epiſtolam expreſſit. Vale.

EPISTOLA XXXII. *Lutetiam.*

IOSIAE MERCERO S. D.

AD me verò ſæpè eiuſmodi muſcæ aduolent (ita per iocum te appellas:) imò apes. quoniam tu & litteræ tuæ plenæ ſuauitatum, & meri mellis. Ipſâ quidem cauſſâ ſcribendi quid mihi gratius? Appetere te amicitiam meam: quæ ſi vltrò offerenda ſit tam benè natis ingeniis, nihil abeam à decoro. Tu tamen anteuertiſti: etſi non ignotus planè, vt ais: quia famæ aliquis radius te quoque illucet à magno illo patre: cuius eruditio, & virtus, clara apud omnes. Et tu ſuccedes, imò præcedes: ſi pergis modò in hoc laudis ſtadio, quod currere cœpiſti recto & felici pede. Nam notæ tuæ ad Cornelium noſtrum quas mittis (verè, non blandè dicam) vix tuæ ætatis. Macte hoc acumine! quod vide te, quæſo, ne ambitio deprauet aut calor. Nam illud niſi ad rectum maturumque iudicium dirigis; noces, non iuuas, & infligis ſcriptoribus vulnera, non ſanas. Nos Tacitum vulgare iterùm paramus, cum Commentariis noſtris (ſiue Notæ erunt) ad omnes libros. Nam priores ſanè illi ad Annales, refingendi etiam ſunt: quia & lapſus alibi ſum, & quædam mihi elapſa. Cur negem? ſemitam ſæpè ingredior, cùm maximè cenſeo viam: & gratiam ſeriò habeam, ſiquis corrigat, dirigat, reducat. Ad P. Pythœum litteras iam nuper dedi. accepitne? inquire obſecro. Nam ipſe quidem ſilet: at non in illum meus amor. quod indicabis, & ſalutem à me nunciabis ipſi & fratri. Vale. Lugduni in Batauis. Idibus Martiis. ∞. IↃ. LXXXII.

EPISTOLA XXXIII. *Gandauum.*

ALEXANDRO RATLO *amiciſſimam ſalutem.*

LECTIS litteris tuis, mi Ratlo, & dolui dolorem tuum, & gauiſus in conſtantiâ ſum: quòd videam te quæ euenerunt ita ferre, vt ferenda humana ſunt, & vt dignum eſt iis ſapientiæ ſtudiis quæ tractas. Nam reuerà hæc bella, hæ turbæ, hi diſcurſus, quid aliud quàm ludi? cruenti fateor, ſed tamen ludi, quos inſtruit ambitio & ſæuitia noſtrorum regum. Itaque non ferenda ſolùm iſta, ſed ridenda. Et vidéſne cùm nuces ſparguntur, vt curtant pueri, & rixentur? idem iſti, qui oppida & arces rapiunt, diripiunt, alieno malo & ſuo nullo bono. Atqui ea ipſa quæ tanti faciunt, propter quæ ſudorem ſanguinemque fundunt, ſi dimotâ vulgi nebulâ conſideres, nuces ſunt. Quare mi Ratlo mittamus iſta, & habeamus eo loco quo ſunt: id eſt, pro nugis. Ad nos redeamus, & ad eum quem dicis* τετράγωνον λίθον: in quo ſolo quies & tranquillitas firma: *cetera fluminis ritu feruntur*, vt canit Poëta ille inter verè ſapientes. Senecam noſtrum tibi placere ex animo gaudeo. Scio non alios è priſcis magis conſentire cum Chriſtianâ pietate, quàm eos qui è Stoicâ domo. In quo numero etiam Arrianus eſt, qui digeſſit Græcè Diſſertationes Epicteti, mihi valdè probatas. Quære, moneo, & lege. Nos hîc turbæ iterùm exercent, quæ ſub diſceſſu tuum ſopitæ. ſed ſopitæ tantùm: nam euigilant iterùm & viuunt, metuo ne in reip. malum, & ſcholæ noſtræ exitium. Niſi fallor, ea imminent, vt non diſceſſiſſe à nobis videare, ſed nos præceſſiſſe. De Gallis mihi quidem ænigmata. Veniunt, non veniunt; volunt, nolunt: audent, timent; & omnia ancipiti metu ſuſpenſa & ſuſpecta. Turcarum princeps aliquid in Africâ mouet: & aget is ſaltem bonâ fide. Mitto ad te Saturnalium meorum primam partem De Gladiatoribus, vt videas cruentas etiam illas in pace pugnas. Salutem quibus dici voluiſti, dixi: iidemque te reſalutant. de patris tui morbo doleo: quem à me ſaluta, & tu vale x. Kalend. Feb. ∞. IↃ. LXXXII.

* *lapidem quadratum.*

EPISTOLA XXXIV. *Brugas.*

IANO LERNVTIO.

SPES iterùm me fefellit. quid fecimus, quòd totiens in nos vana iſta dea? Mercurialis ille hodie ad me rediit, negauit poſſe. Rem dicam? poſcere volebar, nec audebat: quia collybum vulgò iam dinumerant trium florenorum in centenos. Id lucellum inhiabat; nec petere ſcilicet ab amico volebat, nec ego dare, te inconſulto. Tu diſpice illic. aut, ſi vis, Atuaticum excurre: in hoc

ſtatu abeuntium, redeuntium, transferentium, reperies qui velit. Loquere cum Moreto, efficaci ad res tales. Sed quid me celaſti? túne Gtudios? Peream, niſi adprobo: ad quietum locum, amœnum, &, quod caput, amicum Paci, & eximium à milire ac Marte. Si expedire te vinclis poſſeſſionum tuarum potes, abi, curre, vola. Ego nónne aliquando vicinus? ſi dî me, & mihi Iſcanum meum ſeruant; quam ſedem deſtinaui reliquæ huic vitæ. Cum lege, ſi ſecuriras illîc; ſi ſtatus, quem Modeſtia & Probitas non ſpemat. Parêre boni poſſunt & debent; ſeruire, ancillari, adulari, non niſi vitiorum ancillæ. Valear autem æternùm mihi patria, ſi valebunt in eâ iſta. Tu quoque, mi Lemuti, (ſed ab aliâ mente) mihi vale. I. Octob. ∞.IↃ.LXXXV.

EPISTOLA XXXV. *Antuerpiam.*

FRANCISCO RAPHELENGIO.

DILATVM mihi reſponſum ad ſuperiorem epiſtolam tuam, non dimiſſum. Dum enim cottidie diſceſſum ſororum tuarum exſpecto, atque aliud ex alio interuenit; ſeptimanæ aliquot in hoc ſilenrio exactæ, vt vides. Ceterùm grata mihi tua ſcriptio, vti & amor: cui à me cum fide reſpondebo Filius tuus in ſtudiis perſeuerat, & effecimus ne quid Typographia auocaret illum aut impediret. Curſum certè huuc ſtudiorum interpellari aut ſiſti, non erat è re eius. De filio altero tibi agnato, gratulor: etiam filius tuus, vt videbis è carmine Genethliaco, quod credo illum iam miſiſſe. In Conſtantiâ noſtrâ pergimus: ſæpè negotiis, ſæpè valetudine, retatdati. Iuuat tamen opus argumento ſaltem vtile futurum hodie multis. Nubem enim hanc temporum vides: nec Solem aliquem qui pellar. Ille quidem Gallicus, qui *DISCVSSVRVM ſe promiſerar, videtur FOVISSE. Et Auſtri iſti cum Circiis mixti & iuncti, vereor vt dent mage maiores tempeſtates. Omnia hodie Principum, infida, intuta: nec veri ſolatij vſquam ſpes, quàm in ſe cuique. Firmemur iam antè coutra hæc omnia, quæ euenire homini non ſolùm poſſunr, ſed communi quadam lege debent. Ciceronis falſi Conſolationem vidimus. quæ me quidem adeò non erigit, vt deiiciat potiùs: ſcripta videlicet frigidè, ſolutè, & verbo dicam, ineptè. Quis ille tam ſtultus, qui ſperauit ſe poſſe imponere nobis falsâ hac perſonâ? ſub quâ latet aliquis ne ſuperioris quidem, vt ſuſpicor, æui. Bardi Typographi, qui tam ambitiosè hæc diuulganr! ſed credo in noſtrum riſum, & ſuum quæſtum. Valdè me Ciceronis pœnitear, ſi ille vel in medio dolore tam elumbis. Nuſquam nerui, nuſquam ſententiarum ſanguis: ne color quidem verborum, niſi cum ceruſsâ & fuco. At ru vale, & ſine eo me ama. Delphis. huc enim ſorores tuas abeuntes deduximus. III. Idus Septemb. ∞.IↃ.LXXXIII.

*Ad dictũ eius alluſum: *Diſcutit, & fouet.*

EPISTOLA XXXVI. *Viennam.*

IOANNI SAMBVCO S. *mitto.*

DIV mihi nullum alloquium apud te, ne per litteras quidem. cauſsâ & temporum horum, quæ nos turbant: & locorum, quæ ſeiungunt. Nam nos, vt audiſſe te credo, in Batauis agimus, apud Oceanum verè vadoſum: & iactamur ciuili rempeſtate, tibi non ignotâ. At nec loca tamen, nec tempora, gratam mihi memoriam Sambuci excutiunr: quam teſtari volui per hanc occaſionem, primò nunc datam. Qui enim illuc viam affectaret, præter hũc adoleſcentem, nactus ſum neminem: & nuncij illi ordinarij, ordines deſeruêre per hæc bella. In ſtudiis, dum Mars hîc feruet, languidè verſamur: ita tamen, vt cogitemus editionem nouam Taciti, cum pleno iuſtoque Commentario in eius omnes libros. Eâ in re iuuari me à te poſſe ſentio, vſu libri manuſcripri, quem memoriâ teneo Viennæ olim vidiſſe. non illum quidem antiquiſſimum: ſed è quo ramen non dubiè aliquid eruamus, & Criticâ iſtâ ſagacitate indagemus. Quare ſi eum ad tempus gratificari mihi volueris; amorem in me oſtenderis, & ſimul morem tuum tenueris rei litterariæ adiuuandæ. Videtur ſub has nundinas tutò tranſmitti ad Plantinianos poſſe: quibus mandata dedimus accipiendi, adſeruandi. Velim voluntas tibi & occaſio in mittendo non deſit: nobis fides conſtabit in remittendo. Salue ab eo qui meritiſſimò te amat, Iuſto Lipſio. Lugduni Batauor. Kalend. Mart. ∞.IↃ.LXXIX.

EPISTOLA XXXVII. *Hagam.*

THEODORO LEEWIO. S. *dico.*

SEMPER amo litteras tuas, præſertim eas quibus (vt ſic loquar) nota aliqua impreſſa eſt bonæ mentis. Vel hæ poſtremæ

quàm

quàm ſine adfectatione prudentes! quàm verè Philoſophum referebant, & ſine vllo fuco! Itaque vt calebant adhuc à meâ latoriſque manu, iis reſcripſi. Melonis tui odor vel huc uſque nares meas adflauit: & mentior, niſi ſaliuam mihi mouet & deſiderium guſtandi. Sed cohibe tamen. & vide ne gnatum illum, qui vnicus nobis, nimiùm properè auellas à matre. Auſter ſaltem & imber hic abeat, & ſoles aliquot videat puriores. tum licebit,

Extremum hoc oculis lumen radiatum rape.

De Alenconio me herclè quid dicam neſcio: ita ænigmati ſimilis res eſt. Venit, non venit: acceſſit, receſſit. Credo non illum Callipidem, qui prouerbio locum fecit, tardiùs ambulaſſe, quàm hunc ſubnixum tot equitum alis. Nec aliud tamen adhuc audimus quàm, Veniet. Si ſeriò hæc aguntur, facilè præſagio difficile & diuturnum bellum: cuius exitus Deo in manu eſt. Ad nos quidem quid iſta? non magis quàm ſi Æthiopes inter ſe belligerent, aut noui Indi. In animo nobis pax ſit, cum affectibus concordia: & ecce omnia tranquilla. At enim patria periclitatur. Fateor. ſed quis noſtrûm iter præcludet publicis fatis? Habent iſta tranſitus ſuos, imò interitus: quorum tempora cùm venerint, nulla vis aut conſilium ea firmet. Et tamen illi ipſi patriæ, cùm res feret, non manu, non mente, deerimus: atque hoc ſcilicet agemus, vt non ſolùm boni viri ſimus, ſed & boni ciues. Vale mi amiciſſime. Lugduni Batauor. xv. Kalend. Septemb. ∞.IↃ.LXXXI.

EPISTOLA XXXVIII. *Roſtochium.*

IOANNI IONSTONO SCOTO.

QVOD & me amas, & Conſtantiam meam laudas, mi Ionſtone: alterum valdè amplector & approbo, alterum timidè, quia ſcio reipsâ non attingere me culmen hoc laudis, in quo collocat me tuus affectus. Etſi tamen nonnihil blanditur, quòd Dauid Chytræus (quis ille vir?) pariter tecum, vt ais, ſiue iudicat, ſiue errat. Quidquid huius eſt, amo iam, amo Conſtantiam meam, quæ tam multos mihi conciliat amicos. In quo numero vt fidenter te deinceps cenſeas, mi Ionſtone, iubeo, non ſolùm rogo. Quòd ſi Deus mihi tangere & videre Germaniæ ſolum iterùm dederit (fiet fortaſſe voto citiùs, vt res hîc fluunt) te videbo, & dexteram iungam, teſſeram Fidei & Amoris. De Carmine gratiam tibi habeo, magis magiſque habiturus, ſi crebrò me epiſtolis tuis ſalutaueris, in quibus notas claras video elegantiæ priſcæ & doctrinæ. Lugd. Bat. XI. Kalend. April. ∞.IↃ.LXXXVIII.

EPISTOLA XXXIX. *Lutetiam.*

IANO GVLIELMIO S.

LIBENS vidi Quæſtiones tuas Plautinas, mi Gulielmi: in quibus non doctrinæ ſolùm notæ vberes & acris cuiuſdam iudicij, ſed etiam amoris in me tui. Partem enim mihi inſcribis. cum magnâ meâ gratiâ (liberè profiteor) vel quia ſcriptoris eius res eſt; quem amo vnicè, vel quia beniuolentiæ hoc teſtimonium me delectat ab eo, quem æſtimo, quemque amo. Ego profectò ſi vmquam occaſio erit, præſtabo me ad gratiam referendam non modio, ſed horreo toto. At in libro eo tuo, magnæ mihi voluptati non ſemel interpoſitum iudicium, de ſtudio Sapientiæ & Morum. Macte hac ſententiâ! Obſecro enim, vt quid iſta humanitatis ſtudia tam ambitioſè adfectamus, tantùm propter ipſa? Abutuntur plerique ad malam & vanam pompam, vt ſcis, verè cum Appione illo cymbala quædam inanis iuuentutis. Tibi melior, vt video & gratulor, mens: atque vt porrò ſit, quæſo & hortor. Noſtrum illud de Conſtantiâ cenſeo vidiſti. nunc damus De Amphitheatro, & eis paucos dies habebis: etſi opus ludicrum, & natum mihi per remiſſiones, vt ſtilus ipſe indicabit. Dedi litteras ante ſeptimanas ſex ad Egmundum, quibus incluſæ alteræ ad Busbequium de te, imò pro te. quid iis factum, neſcio. quia hactenus nihil inaudiui. Quæſo inquire. Ille quem tangis, quid & vbi agit? Vtinam in gratiam cum virtute redeat! nam mecum tunc vt volet, & quando volet. Busbequium ſi conuenis, ſalutem illi à me dicito: & è iuuentute ſelectâ, Ioſiæ Mercero, ſi noſti. Paſſeratio item doctori publico, & ſi quibus aliis ex eo numero procerum innotuiſti. Vale.

EPISTOLA XL. *Brugas.*

IANO LERNVTIO S.D.

CISTAE tuæ heſterno die ad me perlatæ binæ. hoc ante omnia ſcite te volui: ſed perlatæ benè madidæ, per continuum imbrem.

brem. Itaque valdè veremur, ſi qnid in iis ſit, quod periclitetur ab vdore, ne putiſcat: præſertim ſi quid è lino aut lanâ. Cogitet tua vxor:.& ſi videtur, aliquem fidum huc mittite, qui inſpiciat, aperiat, euentilet. Nos quidem amicam & ſedulam omnem operam cuſtodiamque pollicemur? quantum id pote. Collocabimus etiam eas bono & aërio loco. Scripſi bis ante ſeptimanas aliquot, & valdè fallor ſi meas non acceepiſtis. Carmina tua adhuc apud me ſunt. Douſam enim exſpecto in horas, cui velim oſtenſa. Ego, niſi quid interuenit, intra ſeptimanas duas aut circiter Antuerpiæ ero. velim ſanè te videre & amplecti: & ſi illuc venis, poſſes mecum pergere in Batauos: atque ita ipſum iter nobis non ſine gaudij & amoris fructu. De Giſelini re, omnia hactenus nequiquam, & nonnihil turbellarum inter Magiſtratum & Curatores, occaſione profeſſoris cuiuſdam admiſſi Senatu inconſulto. Priuata profectò & publica turbant. quid refert? ſi quies modò apud nos & in hoc animo ſit: ex quo puro ſiue impuro, liquidum omne aut turbidum manat humanarum actionum. Vt in corpore ægro & corrupto, quidquid infertur, alimentum eſt morbi, atque abit in noxam: ſic in homine, qui internum illud non depurauit. pectus dico, fontem & originem cupiditatum. Opes adfluunt? auaritia te torquebit, & angor ſeruandi, diſpenſandi. Deſunt? inopiam non feres, & quæres eas per vndas & per ignes. At motus ab animo petendus eſt: cui compoſito ſemel & ſecuro, numquã ſupereſt aliquid aut deeſt. Sola, mi Lernuti, quies eſt & internæ illæ opes,

* Οἷοι τ' εὖ ζώουσι, καὶ ἀφνειοὶ καλέονται),

* Qui rectè viuunt homines, diuiteſq; putantur.

vt ait Homerus. Vides philoſophari me tecum: nec excuſo. ampliùs dico, Sæpè faciam. Valdè enim te tuamque egregiam naturam trahere ad hæc alta velim (quò ſcio propendes:) & collocare te ſupra hominem, etiam dum es in humanis. Et enitêris, ſi nitêris. Vale, & ſalueat à me virorum optimus noſter Giſelinus, à quo reſponſum exſpecto, ſed non lentum vt ſolet. Lugduni Batauor. III. Non. Feb. ∞. Iↄ. LXXXIV.

EPISTOLA XLI. *Pontem-Muſæum.*

GODSCHALCO STEEWECHIO S. D.

MIHI & ſcriptio tua grata, & magis Coloniam reditio: quam extra noxam fuiſſe gaudemus, etſi non extra metum. Scimus quàm intutæ viæ his temporibus: quibus ad iniuriam omne ius prædonibus non militibus, dant hæc latrocinia non bella. Tu quoque gaude. portum enim iterùm attigiſti, in quo acquieſcere poſſis, Muſarum ſuauiter adſpirante aurâ, ſine vento vllo aut nimbo ciuilis huius tempeſtatis. De promiſſis Plantini, ſecurus es. hominem non noſti, ſi ambigis: & credi illi poteſt, tamquam Fidei ipſi. Nec tamen deero ſubmonere, eùm redierit: quod fiet cis paucos dies. De Modio, certè amicus ei ſum. (ingenium & adoleſcens eius virtus ita merentur.) ac valdè auctor tibi, ſic rem in ſcriptis tuis temperes, vt nequâ parte eum aut ſtringas aut lædas. lædas autem? laudes imò volo. Ita de illo ipſo Vegetio meruit: & ſepone mihi, ſodes, omnes iſtas æmulatiunculas, quæ intercurrunt hæc ſtudia malo iure, malo more. Inuidet quiſpiam? hoc ipſo inferiorem ſe oſtendit. quia apud humiles dumtaxat animos habitat, & in altos dirigitur liuida illa dea. Sed tu non talis. moneo tamen vel ex ſuperuacuo, quia peccatum hoc in litteratorum noſtrâ gente peccatur hodie nimiùm crebrò. De Vegetio ipſo ſic ſentio. ſcriptorem non malum potius, quàm bonum eſſe: & hoc tamen quod in eo boni, deprauatum & pollutum à patribus variâ labe. Creber enim in illorum manibus: quæ nec innoxiæ vſquequaque, nec puræ. ſed nec oculatæ. Itaque non iniuriâ ad perpurgandũm cum tu Modio noſtro velut optio ſuccedis: & opto vt cum publico fructu, cum tuâ famâ. Quod fiet, ſi ſtilum manumq; modeſtiâ quâdam temperabis & diriges: maliſque ambigua quædam vlcera relinquere, quàm diſtrictè auferre omnia, & præcipiti quodam ferro. Medicos in Criticâ iſtâ ferre poſſum: ſectores ad Matrem deûm ablegem, procul à virginali noſtro choro. Vale mi Steewechi, & mutuiter me ama. Lugduni Batauor. Poſtrid. Nonas Octob. ∞. Iↄ. LXXXII.

EPISTOLA XLII. *Vltraiectum.*

THEOD. CANTERO S. D.

ITANE Dalius noſter abiit? abiit, non viſurus ampliùs, non videndus. Sanè dolui: eò magis, quòd ſubita ea plaga, & præter exſpectatum. Nam letalis quidem ille morbus (phthiſis enim vera erat:) ſed quis putaſſet tam præcipitis eum fati? Trahere, vt ſcis, plerumque ſolet, & lento paſſu ducere

ad

ad Orciuum illum theſaurum. Sed nimirum vt nauim interdum improuiſus vortex abſorbet: ita homines nigra dea. & præſertim eos, quibus indoles melior, & ingenium ſupra annos. Quod in Dalio planiſſimè fuit. Claudium Quadrigarium ſcribere memini: *Hæc maximè vexatur deorum iniquitas, quòd optimum quemque non ſinunt inter nos diurnare.* Aptè & verè. niſi quòd iniquitati impiè tribuit, quod eſt æquiſſimæ æquitatis. Cur enim cæleſtes illæ animæ diu in hac fæce? abeant imò, & euolent ad ſuum cælum. De Arnobio, vrge cœptum. Quis poſt Tertullianũ inter ſacros ſcriptores doctior? ideoq́ue doctorum limâ dignior? Etſi bona ſanè in eo opera Gelenij: quamquam interdum (quis non Criticorum?) exerret per acumen nimium aut calorem. Satyram quam vulgaui his diebus, en tibi. Nomen te terret? fruſtrà. edentula eſt, &, vt antiqui noſtri loquebantur, planè innox. Laſciuiam alibi agnoſcas, nuſquam morſum. Artemidorum tuum totum auidè legi, & velut ἀμυστί. Neſcio quomodo non ſperno totum hoc diuinare (id quoque fortaſſe à noſtrâ porticu:) & eam rem viſus mihi ille commodè & acutè tractaſſe, ex ipſis fontibus naturæ. Salue. & ſalutem à me, vt Comicus noſter ait, plenis faucibus propina Lamberto Burchio Decano, viro qui litteras & litteratos vnicè amat; ideoq́ue digno qui ab iis vnicè ametur. quod me bonâ fide facere ei nunciã, imò ſponde. Lugduni Batauorum, quo die Cæſar olim in Curiâ Pompeij. ∞.IↃ. LXXXI.

In Arnobij tui iſto loco, lib. I. *Et tamen, ô iſti, qui pollutas res noſtras vitiorum criminamini: ſtribiligents & vos iſtas in libris illis maximis atque admirabilibus non habetis? Nónne aliud hæc vtria, aliud dicitis hos vtres? cælus & cælum? non item filus & filum? crocus & crocum? fretus & fretum? ſanguis & ſanguen?* Odoror duplex vitium. Ac primùm ſcripſerim, *res noſtras vitio verborum criminamini.* Fugit enim omnino prior illa verbi ſyllaba, retrahenda ex Arnobij ipſâ mente. Hoc ſcilicet politi illi & docti Romani obiiciebant noſtris, *ſolœciſmis obſitas res noſtras, vitiorum deformitate pollutas*, vt ipſe præmiſit. Reſpondet: variari ſermonem pro arbitrio, & illos ipſos veteres à talibus ſolœciſmis non abfuiſſe. *Nam*, inquit, *alubi hæc vtria, alubi dicitis hos vtres.* Ita enim alterum vitium tollo; *Alubi*, inquam; ſcribo, non *Aliud*. Clamat res, & ſequentia exempla. An enim aliud ſanguis, quàm ſanguen? fretus, quàm fretum? Minimè. Variatum tantùm licenter genus oſtendit, & modò Vtres poſitos ἀντὶ τοῦ ἀσκῶν, modò Vtria. Ecce in Nonio: *Vtres vſu generis maſculini tantùm. Neutri, Liuius Andronicus: Placci teget vtria.*

EPISTOLA XLIII. *Hagam.*

Theodoro Leewio S. D.

Te verò laudo, non imitaris meam pigritiam, & quamquam ad binas tuas iam ſilui, tamen tertiis etiam laceſſis. Etſi, mi Leewi, nulla hîc pigritia. ignoſcas aut miſerearis potiùs, ſi ſcias quàm per omnes hos dies diſtrahar & diſtinear negotiis nec ſeriis nec bonis. Amici & alieni adpellant, interpellant: ad conuiuia vocant: & hoc putant comitatem, auferre mihi vſum veræ vitæ. Pareo tamen, & quamdiu in hoc proſcænio ſum, ſuſtineo perſonam. Mallem ad interiora illa gaudia diuertere, ſtudia dico & ſapientiæ exercitationes: à quibus non per hæc ſolùm acerbiſſima tempora, ſed etiam lætiora, veros petam quietis & gaudij fructus. Sed differo ſæpè illa, non dimitto: quod tibi etiam vſu venire certò ſcio. Plantinus nunc adeſt, ſeriò à me monitus de * Thalete illo Gallico, ſeriò ad ſuos iterùm ſcripſit: & illi reſponderunt iam Lutetiâ ſe petiiſſe. apud nos ſcilicet ſapientia illa non habitat. De adoleſcente quem nuper mihi commendaras: ſcis quàm omnia velim tuâ cauſsâ. Hoc tamen nolo. & ſi rationes omnes meas audias, ſcio, ipſe non velles me velle. Multis iam recuſaui. quos omnes offendo, ſi vnum admittam. denique rimam aut feneſtram hanc ſi aperio, toto oſtio admittendi alij ſunt. Quies autem mea id non patitur, & ratio vitæ quam per ſilentium ago. Peto ergo vt id excuſes: & maiora aliqua à me petas, cùm opus erit, non neganda. Inſtitutum tuum de omiſsâ domo, hactenus probo ſi in eo perſeueras. Semel enim conſtituendum eſt quod vitæ genus eligas, ſolitarium an ſociabile, illud cum paucis & ſapientibus quos melior Deus adſpexit, commune tibi futurum; hoc, cum multis. Et vtrumque tamen illi rectum, qui incommoda vtriuſque fert. nam vt omnia tollas, vanè cum vulgo ſperes. Siue vxor ducitur, ſiue omittitur: habebis quod doleas, quod querare. nec in hac omni vitâ tam optabile aliquod bo-

* *Ita indigetaui Michaelis Montani librũ Gallicum Guſtuum titulo. probum, ſapientem, & valdè ad meum guſtum.*

num eſt, quod non mixtum poculo aliquo mœrorum. Hæc publica & æterna lex: cui, improbus & refractarius eſt, quiſquis repugnat. Vt athletis olim ſors non electio aduerſarium dabat, cum quo certarent: ſic cuique noſtrûm vitæ ſuam conditionem fata, cum quâ luctemur. Hanc vincere oportet, id eſt ferre. Huius enim pugnæ robur omne in patiendo eſt, & victoria in cedendo. Res publicæ non in bonâ ſpe. Præcipuæ aliquot Flandriæ & Brabantiæ vrbes nauſeare incipiunt, & faſtidire præſentem hunc ſtatum. ſiue diuturnitas belli id facit, ſiue gubernatio non vſquequaque inculpata. Conſilia arcana agitare dicuntur de paciſcendo cum hoſte. quidquid horum eſt aut erit, nos peſſima timere nihil nocuerit: & vt pugiles, iam nunc parari ad ſtrenuam cum omni ſorte pugnam. Paupertas imminebit? exſilium? carcer? proponamus interdum animo has imagines; & perſuadeamus illi quàm nihil in his aut certè non multum mali ſit illis, qui mala ea non putant. Reuerà enim vti opinio diuitias bonum fecit, ſic eadem inopiam malum. Sed hæc facilia dictu videntur: fortaſſis etiam factu, ſi quis conetur. Nunc plerique eò ſtultitiæ venimus, vt nec aſpirare audeamus ad bonam mentem. Sicut ij qui phreneſi laborant, irrident aut verberant ſuos medicos: ita nos. Vale. & me amantiſſimú tui, ama. de hortulo tuo nihil narras noui. meus in eadem cauſsâ. qui iampridem animam agit, aut potiùs egit. Credo enim per huius ipſius diei æſtum ablatú illi omnem ſuccum & vitam. Hoc quoque feramus. Leidæ. VIII. Kal. Iun. ∞. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XLIV. *Antuerpiam.*

GASPARI SCHVERMANNO IC. S. D.

LITTERAS tuas, mi Schuermanne, libens vidi: at nondum ſororem. quam ne fruſtrà mihi commendaueris efficiam, ſi quâ in re operâ meâ illi vſus. Conſtantiam noſtram quòd laudas amaſque, gaudeo: complecti magis te velim & amare virtutem ipſam. quâ certè in omni æuo, & hoc noſtro inprimis, opus. Hoſtis, vt audio, vicinus vobis, perfidiâ eorum in quibus numquam fuit eritque fides. qui vt trutina in eam partem vergit, in quâ plus ponderis; ſic ipſi in eam, vbi plus æris. Peſtis iam olim & calamitas noſtri fundi. ſed quî auertas? cùm etiam nunc immixti nobis, nec longè à clauo, quibus idem morbus. Ambitio aut Auaritia multa regna & opida euertit: vtinam ne vtraque hunc Belgicæ ſtatum! Hortaris me, vt iuuem. votis poſſum, non conſiliis: quis enim audiet? Publicè dico. at priuatim ſi quoſdam poſſim erigere, & in ſingulis ciuibus de totâ patriâ benè mereri; non immunis hæc mea quies. Conati id ſumus in poſtremo hoc ſcripto, & conabimur porrò, ſi Deus mihi dat vitam. Nam otium ipſe mihi parabo, etiam in æſtu negotiorum. Gabrieli Roelandio, adfini tuo, velim ex me nunties beneuolam ſalutem. Verè eum amo & æſtimo inter paucos meos Belgas. Vale. Lugduni Batau. poſtrid. Non. Nouemb. ∞. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XLV. *Toletum.*

ANDREAE SCHOTTO.

CARVISSE me alloquio litterarum tuarum tamdiu, mi Schotte, non re ſolùm, ſed cogitatione moleſtum fuit. Illud, quia priuari voluptate eâ mihi durum: iſtud, quia trahebatur animus hoc ſilentio in varias ſuſpicionum partes. Quid cenſerem? mutatum eſſe te? non fidei tuæ videbatur, non amoris. Offenſum? verebar. vtique cùm oculos flecterem ad illum, qui non mihi, non bono cuiquam ſatis bonus. Sciebam litteras te crebrò commutaſſe cum eo, & ſermones: ſciebam & hominem duplicem, cuique (ſed non mente Ennij) *plures linguæ & plura corda.* In aliis didici, quàm illi volupe diſiungere & ſoluere, qui mihi iuncti. At rurſum tuæ prudentiæ videbatur, non temerè ei credere, qui aliarum rerum apud te ſæpè vanus. &, vt video ac gaudeo, haud planè credidiſti. Litteræ hæ tuæ mihi teſtes, ſcriptæ ex veteri more & amore. nam binas alteras, quas dediſſe dicis, non vidi. Iſtæ me delectarunt; & te mihi reſtituerunt, me tibi. De manſione in Toletanâ vrbe, & in illuſtri domo, gaudeo. eò magis, quoniam ſplendorem hunc cum fructu video, nec interiora illa tua ſtudia interpellari aut abrumpi: quod ſæpè in illis aulis. Senecam patrem quòd paras, approbo. Vnicè me ſapientia in filio delectat: in patre comitas, lepos, & facundia quædam profluens ac ſimplex. Sanè Controuerſiarum illi libri mirificè non corrupti ſolùm, ſed abrupti: atque opus in elimandis ingenio meliore, ſed inprimis libro. quem valdè veterem & integrum ſi reppeniſti, vt ais, apud Couarruuiam;

ruuiam; vtere, ſodes, & adnitere. nos iuuabimus in parte. Nam quæ notata mihi, quidni tranſmittam libens? De Lanoij noſtri morte, valdè mihi acerbum. Amabam adoleſcentem altæ indolis, niuei pectoris: & deſtinabam eum olim in corruptâ hac noſtrâ nobilitate velut gemmam. De Papio etiam, vt video, inaudiſti: qui merſus Moſâ flumine, dum in eo iuueniliter ludit & natat. Sed hæc triſtia. illud lætius, quòd amicum mihi te interprete & tamquam paranymphum... rario conciliatû video Ant. Couarruuiam, virum à ſtirpe, à fratre, à ſe verè illuſtrem. Deus bone, quæ illa ad me epiſtola! mentior, ſi ab aliquot annis litteras vidi magis litteratas. Imbutum profectò arcanâ doctrinâ pectus illud oportet, quod promit tam docta. Quidni ita iudicem? facilè nobis* ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γνώσεσθαι. Veterani venatores ceruum ex impreſſo veſtigio dinouerint: ego ex ſcriptiunculâ virum. Saluta quæſo à me: & quoniam te ſerenre, & ſub tuâ velut manu, hæc amicitia ſurrexit, effice vt eodem te irrigante, augeat & creſcat. Libellos noſtros miſimus, & in his Electa: in queis reperies amicam memoriam tui. Iure. quia amamus te, & æſtimamus: quod velim à te mihi fieri, alterum certè. Vale. Nonis Iuliis. ∞. IƆ. LXXXII.

* à fimbriâ de veste iudicare.

EPISTOLA XLVI. *Vltraiectum.*

EVERARDO POLLIONI S. D.

LITTERAS tuas & adiunctum Carmen, Euerarde, legi lubens. Alteræ memoriã mei; alterum diligentiam tuam teſtabatur: quam te non remittere in ipſis remiſſionibus, lætor. Et ita te dignum eſt. Quid ætatis ſis, vides. in hoc vere, niſi virtutis doctrinæque feceris ſementem, fruſtrà eùm æſtas erit, exſpectaueris fructum. Indoles tua ingeniumque ad alta te voeant, & ſæpè Homericum illud inſtillant:

*——Παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκου:

nec nos monitores tibi defuimus aut doctores. Niſi ſequeris & adſequeris, præter ipſum te, quem culpes? feriæ noſtræ finem habent cum ipſo Caniculæ fine. Sub id igitur tempus te exſpecto: ſed ad Valerianum ſcitum: *Vegeta ingenia quò plus receſſus ſumunt, hoc vehementiores impetus edunt.* Vale. Lugduni Batau. VI. Idus Sextil. ∞. IƆ. LXXXI.

* Omnis virtutis memor esse:

EPISTOLA XLVII. *Antuerpiam.*

GABRIELI ROELANDIO IC. *mitto ſalutem.*

GRATAS mihi tuæ gratiæ: quas tamen ita ad me mittis, vt ipſe eas non dimittas. Habitant enim apud te illæ Diuæ: nec aliud pectus magis amant, ſcio, inter meos Belgas. Fama ita mihi anteà dixerat: nec mentitam eam, firmant lepidæ iſtæ litteræ & litteratæ. Atque vtinam poſt hos nimbos lux & ſol aliquis tranquillitatis; in quo apricari nobis liberè liceat, & ſermones ſæpè miſcere, non ſolùm ſcripta. Voueo. quid ſperem tamen neſcio, cùm oculos deflexi ad hunc rerum ſtatum: qui indies minùs ſtabilis, & niſi à Deo aliquo fulciatur, (non enim à Gallo illo tibicine) ruet. Iani Guilielmi litteras accepi: paullò antè etiam librum Quæſtionum. quem ego ita probo, vt negem aliquid melius in hoc genere vidiſſe ab aliquot annis. Rectam viam adoleſcens ille ingreſſus eſt: & ingenium in eo ac iudicium pariter magna. At tu mi Roelandi ſalue, quod vt mihi quoque magis magiſque ſit, litteris me tuis ſæpè appella. Douſa, niſi fallor, ſcriptutus eſt, quem ſcire debes tui peramantem. Ad finem tuum Schuermannum ſaluta. Lugduni Bat. Non. Maiis. ∞. IƆ. LXXXIV.

EPISTOLA XLVIII. *Viennam.*

CAROLO CLVSIO S. D.

ET ſalutem à te accepi, mi Cluſi, & munera quæ Plantinus noſter reddidit; bis mihi grata, quia & à te miſſa, quem tacito quodam ſenſu dudum amo, & quia miſſa in optatum mihi finem. Vis enim ea ſanciendæ amicitiæ eſſe, & offers velut arras quas libens accipio, & reſtipulor tibi ſanctè, eâ fide & officiis cultum à me in hanc nouam amicitiam, quæ ſunt inter verè bonos. Talem enim te ſcio, nec minùs integritate & ingenuâ quadam virtute clarum acceptumque, quàm doctrinâ. Atque vtinam tempora aut conditio noſtra permittant, minùs longè vt abſimus: non litteris ſolùm beniuolentiam hanc foueremus, ſed alloquiis & adſpectu. Sed iſtud quoniam non datur, nec fortaſsè citò dabitur (augeſcunt enim hæ turbæ, & in iſto mari cotidie maiores fluctus:) quod relictum eſt alterum amplectar, & te amiciſſime Cluſi per chartaceum hoc æquor (vt cum poëtis loquar)

loquar) ſæpè adibo, ſæpè ſalutabo. Vale. Lugd. Bat. Non. Maiis, ∞.IↃ.LXXXIV.

EPISTOLA XLIX. *Antuerpiam.*

IOANNI VIVIANO S.

VTRVMQVE libellum carminum tuorum accepi, mi Viuiane: gratiſſimum mihi & argumento & verſâ (ita ſentio) verſione. Sciunt experti, quàm arduum ſit in talibus & mentem ſcriptoris exprimere, & non abire à proprietate aut venuſtate priſci ſermonis. quod vtrumque egregiè es adſecutus. Atque meo voto, poëtæ noſtri alij laborent in ſimilibus argumentis: quibus non oblectari tantùm animi poſſint, ſed inſtrui & iuuari: pietas & mores inſeri, qui nimium exſulant ab hoc æuo. Itaque Prouerbia eiuſdem regis, hortor te, accelera & vrge; quibus ne in extremâ quidem ſapientiâ melius aliquid apud omnes Sapientes. Otium nónne adeſt? Mercurius certè veſter non calet. Mars vobis ante portas, & hactenus non nimis felix. Deus tamen ille noſter iuuabit: quem bonum & propitium ſemper ſcimus bonis, vtcumque externa iſta cadant. Remitto muneri Conſtantiam noſtram recuſam, cum Epiſtolæ nouæ additione ad Lectorem. Douſæ non libellos tuos offerre potui, non ſalutem. abierat enim à nobis in Angliam peregrinãdi cauſsâ. De loco Ioſephi nihil mihi in mente, præter adſcutiri Ortelio. Sed nec in Serrato nummo iuuo multum: de quo tamen quid ſentiam, iam dixi in Notis meis ad Tacitum, qui tantùm non abſolutus. Vale mi Viuiane, & pariter me ama. Lugduni Batauor. ∞.IↃ.LXXXIV.

EPISTOLA L. *Lugd. Batau.*

IANE HAVTENE

ALIPSIO tuo ſalue. Suaues herè conuiuas habuimus (auribus enim meis inerrat ille ſermo) elephantos. Multa de ingenio eorum, deque mirâ indole, garriuimus: omnia iucundè, niſi quòd in pleriſque indignabar haud plenam mihi eſſe fidem. Quid cenſebatis? madidum eſſe me? non fui. Quin ſiccus nunc & ſobrius ingeram tibi eadem: & laudum hunc campum ſtilo paullò certiùs decurram, quàm linguâ. Nónne Hilarium iſti dies ſunt? lubet ludere hunc luſum. Sed fides mihi priùs ſtabilienda veterum, quibus præcipuè innixa mea fides. Nonnemo enim eam herè eleuabat: & nimios harum rerum aiebat fuiſſe, aut vanos. Itáne? quibus igitur hæc res notior? Nobíſne, qui omni hoc noſtro æuo vix * vnum vidimus, eumque puſillum, iuuenem, bonarum artium rudem: an illis, quibus cottidie bellua ea in ore, in oculis? quibus tam crebra de ingenio & moribus eius pericula facta, in bellis, in ludis? Habebant enim & docebant magnâ curâ, Afri, Aſiani, Græci, ad prælia: Romani magis ad ſpectacula & Venationes. Quamquam Europæis tardè ſanè innotuit; & * ἐλέφαντας (Pauſaniæ verba ſunt) πρῶτος τῶν ἐκ τῆς Εὐρώπης Ἀλέξανδρος ἐκτήσατο: qui victâ ſcilicet Indiâ, intulit ſiue immiſit. Sed ab eius tamen morte ſtatim crebri: & tranſportauit in Italiam ipſam Pyrrhus, bello quod cum Romanis. Hinc quoque iam Romæ nobiles. & magis per Punica bella: quibus tanta copia, vt vno tempore centum quadraginta duos ceperit & in vrbem miſerit L. Metellus. Nam Critolaus apud * Plutarchum apertè mendax; qui à Paullo Æmylio, bello Pyrrhi, centum ſexaginta Romam miſſos vult, & quidem turritos. At poſteà ſanè Romæ ſemper: ſiue capti, ſiue magis pretio parati ad populi voluptates. Vides initia, vides frequentiam. quæ magis expreſſa apud Plinium: quem, ſi voles, lege. De fide igitur veterum cur ambigimus? Nónne nouerunt hoc animal? imò intimè atque optimè. An fallere nos voluerunt de compacto? nec potuerunt quidem, in re cottidie omnium oculis ſenſibuſque expoſitâ: & in quâ miracula milleni aliquot homines ſimul viderunt, id eſt theatra tota. Iſta ipſa ætas fidem fidei illorum ſtruit, etſi in alio illo orbe. Luſitani nauigationibus ſuis terras eas aperuerunt, in quibus animal hoc crebrum. Inſula Madagaſcar eos habet, & quidem Indicis maiores: habet Zeilam, vbi venales ſunt miro modo. ad menſuram enim admetiuntur, vt pannos, aulæa, telam: tanti palmos ſingulos. ita cum magnitudine pretium creſcit. Habet prouincia Malabar, Goa, & tota illa ora: itemque regnum Beniamen inferioris Æthiopiæ, ſed omnes (quod notes) albos. Qui adierunt, qui viderunt; eadem aut ſimilia narrant de ingenio bruti huius non bruti. Quæ vt ſeriò aliquando noſcas ac credas: cape à me de naturâ eorum & moribus. quæ nihil aut paullùm ab homine abire, miretur aliquis, imò indignetur. Sed priùs vniuersè comme-

* Illū, qui anno LXII. donū Cæſari miſſus ab Hiſpanorum rege.

* Elephantes primus inter Europaeos Alexander habuit.

* In Parallelis.

commemorabo elogia de iis veterum: inde facta ipſa diſtinctè, & exempla. * Ariſtoteles inter alia de elephante: Ἔστι δὲ καὶ εὐαίσθητον, καὶ τῇ συνέσει τῇ ἄλλῃ ὑπερβάλλον: *Eſt autem apprime bonis acutiſque ſenſibus, & cetero intellectu excellens.* * Cicero: *Elephanto belluarum nulla prudentior.* * Idem: *Elephanti acutiſſimis ſenſibus.* Quin homini ipſi adiungunt paſſim. * Cicero: *Eſſe illi bellue quamdam cum genere humano ſocietatem.* * Strabo. Ἐγγὺς τοῦ λογικοῦ ζώου. *adſidere animali ratione prædito.* * Philoſtratus: Τοῦτο γὰρ ζῶον δεύτερον ἀνθρώπου τάττω, κατὰ ξύνεσίν τε καὶ βουλάς: *Hoc enim animal proximum ab homine colloco, prudentiâ & conſilio:* Plinius: *Animalium maximum elephas, proximumque humanis ſenſibus. quippe intellectus illis ſermonis patrij, & imperiorum obedientia, officiorumque quæ didicêre memoria, amoris & gloriæ voluptas. imò verò, quæ etiam in homine rara, probitas, prudentia, æquitas, religio quoque, ſiderum ſoliſque, ac lunæ veneratio.* Et Plinius ſanè effuse: tamen verè. ad cuius accuratam laudationem, videor non ineptè diducere poſſe & adducere lecta mihi teſtimonia aut exempla. Tribuit primò,

* Lib. IX. Hiſt. cap. XXVI.
* De Nat. deor. III.
* De Diuinat. II.
* Epiſt. ad Marium.
* Lib. XV.
* Lib. II. De vitâ Apoll.

Intellectum ſermonis patrij.] Quod mireris. Nam cùm duo velut limites ſint, quibus Hominem à Bruto diſparamus, Sermo & Ratio: prior iſte vide quàm vacillet. Sermonem patrium ait ab iis intelligi: id interpretor, Indorum, Æthiopum, Afrorum, & vbicumque nati. Præter Plinium, * Ælianus: Συνιᾶσι γὰρ ἐλέφαντες, καὶ γλώττης ἀνθρωπίνης τῆς ἐπιχωρίου. *capiunt & humanum ſermonem elephantes, ſed indigenam.* Etiam * Dio: Ἤδη καὶ ἐκεῖνο εἶπον, τῆς φωνῆς τῆς πατρίου αὐτοὺς ἐπαΐειν: *Etiam hoc aiunt, eos patriam vocem audire & intellegere.* Nec alia res certior. Inſtitutionem eorum vides? linguâ fit. Domituram? lingua. Incitationem, reuocationem? linguâ. Denique vt clauus nauim: ſic animal hoc impellit dirigitque, quò libitum, humanus ſermo. De inſtitutione, * Ælianum audi: *Docentur*, inquit, *atque inſtituuntur ad varia* φωνῇ τινι ἐπιχωρίῳ, πατρῴου ἐπαΐειν εἰλήχασι, ὥστε καὶ ἀπορρήτῳ καὶ μάλιστά γε δίοιτε οὐκ τινὶ, *ſermone vernaculo, cuius miro quodã & ineffabili modo ac velut peculiari naturâ ſunt capaces.* De domiturâ, * Strabonem. *Primum*, ait, *captos vinclis ac fame domant*, μετὰ δὲ ταῦτα τιθασεύειν διδάσκουσι, τοὺς μὲν διὰ λόγου, τοὺς δὲ μελισμῷ τινι καὶ τυμπανισμῷ κηλοῦντες, *deinde cicures eos reddunt manſuetoſque, hos ſermône, alios cantu aliquo aut tympani ſonitu delinientes.* De regimine toto: cottidiana olim exempla in bellis, in pace. atque item hodie. Quin furere etiam cùm incipiunt & à ſe abire, ad mentem reducuntur oratione. Credere ita ſeriò Chriſtophorus Acoſta me iubet: cuius aſſertioni præſtruenda breuiter fides. ſæpiùs enim teſtimonio eius vtar. Is gente Hiſpanus, profeſſione Medicus, ad nouum illum orbis tractum abiit, quem Orientalem Indiam vocamus. Diu illîc egit, luſtrauit, ſcripſit: & inter alia de elephantis non pauca, viſa ſibi aut à viſoribus accepta. Crebrum enim valdè & cottidiani vſus, animal in iis locis. Is igitur * refert: Genere morbi tentari elephantos quotannis, quod haud diſtat à * furore. cauſſam, amorem eſſe, & venire cùm venit ad eos Venus. Tum bacchari eos, furere, lædere, incurrere: niſi quidem vinclis coërceantur. quod fiat ab incolis ſtudiosè. *Sed eum morbum haud fermè aliter tolli, quàm pharmaco verborum. Adſiſtere belluæ magiſtrum, increpare acriter, & oſtendere fœditatem. Tantámne belluam & reginam aliarum ita dementire per adfectum? Vilitatem eam eſſe, degenerationem à naturâ & à ſtirpe. Rediret ad ſeſe, & concularet amorem, qui turpiter nimis ipſum. Et his talibus, quæ etiam homini vtiliter adhibentur, fieri medicinam.* Quomodo autem poſſunt iſta, niſi ſi non audit ſolùm, ſed inbibit, & capit? Nec verò, vt aliquid mirius dicam, audiunt ſolùm ſermonem, ſed edunt. Oppianus diſertè Elephantos colloqui inter ſe vult:

* Lib. IV. cap. XXIV.
* Libro XLVIII.
* Lib. VIII. cap. XXII.
* Lib. XV.
* In libello de Aromatibus.
* Plinius & Ariſtotel. meminêre eiuſdem morbi, ſed Plinij locus moſus, eũ corrigendo non hic locus.

Φήμη δ' ὡς ἐλέφαντες, ἐπ' ἀλλήλοις λαλέουσι,
Φθογγὴν ἐκ στομάτων μεροπηΐδα τονθρύζοντες.
Fama eſt inter ſeſe ſermonari elephantas,
Diſtinctaſque ſuſurrare atque emittere voces.

Acoſta ille idem nihil acceptius in regno Malabar eſſe ait, quàm quòd hæ belluæ communicent inter ſe ſermone. Denique vis in hac re aliquid mirisſimum? (ignoſce. tanta nouitas egebat nouo verbo.) edunt & loquuntur etiam humanam vocem. Boues inter prodigia Romæ locuti olim: iunge & elephantem. Atque audi ipſum Acoſtam: *Erat*, inquit, *in vrbe Cochin elephas, qui operas diurnas præbere ſolitus ad portum & res marinas. Eum fortè iam feſſum vrgebat nihilominùs vrbis eius Præfectus, vt Liburnicam quam commouere cœperat, deduceret porrò in mare. Ille abnuere. inſtare alter multis blandiſque verbis, & ad extremum in gratiam Luſitanm regis vt id vellet, orare. Hîc (immane dictu) elephas motus, clarè hæc duo verba ingeminat, Hoö, hoö: quod Malabarum linguâ eſt, Volo, volo.*

ac ſine

ac ſine morâ nauim traxit in mare. Trepidas ad hæc, & nutas? Age, age, mouebo tibi in iſto exemplorum mari magis maiores fluctus: & ambiguum relinquam, non dicam an hominem capiant, ſed ad hominem imò ſupra hominem ſapiant elephantes. Dixi enim de priori limite, qui diſcrimine obſcurè: alterum vide, Rationem. quâ ego omnino carere me fateor, ſi prorſus ille. Audi igitur è Plinio, quæ huc ſpectant. Ait:

Imperiorum obedientia.] Clara, & quam nemo neget. Semel domiti, omnia ab homine, & pro homine perferunt: & tanta illa moles vel à * puſione regitur ac dirigitur tredecenni. idque ſine vi, bacillo tantùm (καλαύροπι in Philoſtrato ſcriptum) aut * leui ferro. Et quid non imperentur? etiam iugum ſubiêre, & traxêre currum. Oppianus id tradidit, & Romæ primus oſtendit Pompeius, ac poſteà ſæpè Principes ſecuti. Nummi docent. Tertia in Plinio laus,

* Philoſtr. tradit lib. II.

* Palæ ſiue δρέπανον Ariſtoteles Elephantiſtæ attribuit. Aelianus eâdem mente ἅρπην.

Eorum quæ didicere memoria.] Tenax ſanè memoria, & ad humanam, vt mox dicam. Sed ingenium Plini cur omittis? Præuaricaris in hac cauſâ: quia ſi vlla propria & magna iis laus, hæc eſt acuminis & ingenij. de quo, te ſilente, non ego ſilebo. Ingenium igitur iis docile, facile, flexile, aptum ad omnes artes: & artes Belli dico, ſiue Pacis. Quod vide mihi, & diſce, è paucis his effectis. Ac de bello, quis non ingenium eorum admiretur: ſiue cum belluis pugnam, ſiue in homines iuſſu hominum habent? Dirigunt enim velut * conſilio aciem, defeſſos aut infirmos in medium agmen recipiunt, in * fugâ ipsâ ſuos non deſerunt, ſed gregatim abeuntes circumdant & propugnant. Iam læſis medicinam faciunt: ſpicula aut infixa tela leniter manu ſuâ extrahunt, & * vt Plutarchus ait, ἄνευ σπαραγμοῦ ῥᾳδίως καὶ ἀβλαβῶς, *ſine conuulſione, facilè & ſine damno*, prorſus vt * peritiſſimi chirurgi. Quin & proprium medicamentum, aloës lacrimas, inſtillari vulneribus ab iis, Philoſtratus adſeuerat. At pro homine quis homo neſcit acres eorum pugnas? Inſtituuntur velut milites ad prælia; bellatores non dorſo ſolùm ferunt, ſed & ipſi bellant: propugnant ſuos, impugnant hoſtes: denique eò veniunt, vt munia etiam omnia militaria vſurpent. * Ælianus quidem mihi auctor, *Elephantos decorè etiam motus bellicos edere: ex iis vigintiquattuor Indorum regi adſiſtere, & excubias agere, vt fidiſſimos quoſdam corporis cuſtodes. atque ita agere, vt alternis in ſtationem ſuccedant, ſine ſomno quidem aut conniuentiâ oculorum.* A peritiſſimo milite, dic ſodes, quid aliud exſpectes? Iam quanta fides eorum in dominos, quàm ad extremum ſpiritum pro iis pugnent; ſatis tibi claruerit vel ex vno elephanto illo Pori. qui decantatus: & ab eo diſce omnes. Hæc de belli artibus. At in pacis; quid hominem doceas, quod non iſtos? Quorum tanta in diſcendo (* Æliani verbis & ſententiâ vtar) * εὐπείθεια καὶ εὐκολία, vt eas diſciplinas arteſque hauriant, quas ægre homo ipſe. Circa corpus, circa animum hoc conſidera. De corpore: conformant id ad omnem ex arte motum aut geſtum. Ingeniculare, ſubmittere, & adorare reges docentur. * Ariſtoteles: Πολλὰ γὰρ καὶ παιδεύεται καὶ ξυνίησιν. ἐπεὶ καὶ προσκυνεῖν διδάσκονται τὸν βασιλέα. *multa erudiuntur & ſciunt. quando & regem adorare condiſcunt.* Saltare etiam & choreas ducere. * Plutarchus: Ὀρχήσεις τε μανθάνει, καὶ χορείας, καὶ προσκυνήσεις: *ſaltationes diſcit, & choreas, & adorationes.* Ad ſcopum iaculari, armis vti, natare. Strabo: Οὕτως δὲ τιθασεύεσθαι, ὥστε καὶ λίθους βάλλειν ἐπὶ σκοπὸν μανθάνειν, καὶ ὅπλοις χρῆσθαι, νεῖν τε κάλλιστα: *adeò autem manſueſcere, vt & lapides ad ſcopum iacere, arma vſurpare, & natare optimè diſcant.* Vbi tamen τὸ νεῖν ſiue Natandi verbum mihi anceps: quia nec alteri id traditum, & alienum a naturâ elephantis qui aquas profundiores horret. Ventilare, gladiatorios militareſque motus edere docentur. Plinius: *Vulgare erat arma per auras iacere, non auferentibus ventis,* (vt ſcilicet iterùm iacta reciperent.) *gladiatorios congreſſus edere, aut laſciuiente Pyrrhice colludere.* Denique in theatris eos geſtus effingere, quos vix Pylades aliquis aut Bathyllus. * Plutarchus: Ἐν τοῖς θεάτροις ἐπιδείκνυται σχημάτων εἴδη καὶ μεταβολάς, ἃς οὐδ᾽ ἀνθρωπίναις μελέταις τὸ ποικίλον καὶ περιττὸν ἐν μνήμῃ καὶ καθέξει γενέσθαι πάνυ ῥᾴδιόν ἐστι. *in ſpectaculis oſtendit elephas eas geſtuum figuras & varietates, quarum copiam atque concinnitatem difficile ſit humanæ vlli induſtriæ exprimere aut memoriâ complecti.* Itaque & funambuli elephanti reperti ſunt, irriſum vobis herè & exploſum. * Plinius: *Poſteà & per funes inceſſère.* * Iterùm: *Mirum maximè, & aduerſis quidem funibus ſubire, ſed regredi magis; vtique pronis.* Quorum verborum mens: quòd & aſcendat per extentos funes aduerſi: & regrediantur etiam per eoſdem proni. * Seneca: *Elephantem minimus Æthiops iubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem.* Sueto-

Plin. VIII. cap. VII.

* Aelian. VI. cap. LVI.

* Aelianus VII cap. XXXIV.

* Libello Πότερα τῶν ζώων.

* Aelianus lib. VI. ὥσπερεὶ χειρουργίας ἐπιστήμονες.

* Lib. XIII. cap. XXII.

* Lib. II. cap. XI

* Obtemperatio & facultas.

* IX Hiſt. cap. XLVI.

* περὶ Τύχης.

* Libello, Πότερα τῶν ζώων.

* Lib. VIII. cap. II.

* Eod. lib. cap. III.

* Epiſtola LXXXVI.

Suetonius Nerone: *Notiſſimus eques Romanus elephanto inſidens per catadromum decurrit.* id eſt, per funem in theatro extentum. interprete Dione de hac ipsâ re: Καὶ ἐλέφας, inquit, ἀνήχθη τὴν ἀνωτάτω τ̃ θεάτρου ἁψῖδα, καὶ ἐκεῖθεν ἐπὶ σχοινίων κατέδραμεν, ἀναβάτην φέρων: *Elephas ad ſuperius theatri faſtigium conſcendit, atque illinc per funes decucurrit ſeſſorem ferens.* Quod genus ſpectaculi primum exhibuiſſe Galbam, qui poſteà Imp., Suetonius idem monet: *Prætor*, inquit, *commiſſione ludorum Floralium nouum ſpectaculi genus, elephantos funambulos dedit.* Et quæ frons vltrà obduret contra tot & tales teſtes? Atque hæc raniâ curâ & intentione diſcũt (id quoque valet ad vim teſtandam & indolem acrem animi:) vt ſæpè deprehenſi ſint noctu velut dictata ſua ruminantes & meditantes. Plutarchus cum Plinio mihi auctor, quemdam tardioris ingenij, & verbis verberibuſque malè ſæpè acceptum, inuentum ad Lunam geſtus illos & motus præſcriptos exercentem. Grandia hæc, grandia: tamen de illis artibus quid dices, quę non niſi propriæ videntur humanæ mentis? Legere aut ſcribere, quis ab homine ſeiunget? ego: niſi ſi elephas inter eos. Nam is quoque ſcribit, Rides? time potiùs. æmulus mi Hautene repertus muneris tui, & tuæ artis. Plinius è Muciano clarè adfirmat: *quemdam Græcas litteras pingere didiciſſe, eáque linguâ ſcripſiſſe:* IPSE EGO HAEC SCRIPSI, ET SPOLIA CELTICA DICAVI. Et Philoſtratus: *Scribunt igitur, atque tripudiant, & ad fiſtulam ſaliunt.* Quòd ſi hos duos teſtes eleuas (herè ita memini) *Æliano quid facies, qui oculis ſuis id ſpectaſſe pænè per oculos ſuos iurat? *Vidi*, inquit, *ego ipſe quemdam in tabulâ litteras Romanas promuſcide ſcribentem,* *rectè & non contortè. Quinetiam cùm ſcriberet, oculi eius cum rigore deiecti in tabulam erant: vt planè intentos diceres & ſcriptitantes.* Sed iam concludam hæc de artibus, inſigni & nimis certo exemplo, cuique milleni aliquot oculi ſpectatores: munere, quod Romæ publicè dedit Germanicus Cæſar. *Plinius tangit, & magis vbertim narrat *Ælianus: exque iis ego. *Ludis igitur illis, Tiberio Principe, duodecim elephanti theatrum inducti ſunt ſiue Circum, induti floridas & hiſtrionias veſtes. Ac primùm ad vocem Magiſtri diuidebantur in diuerſas Circi partes, inter eundum molli & ſaltatorio greſſu inundantes: iterumque ad eamdem vocem coibant, & efficiebant ſaltatorium quemdam orbem. Sed & flores ſpargebant, & corollas, & ad cantum terram pedibus leniter & numeroſè pulſabant, & omnia præſtabant quæ peritiſſimi ludiorum. Iam iidem (quod inſanum mirum) docti menſas accumbere, cibum potumque ſumere, parcè, modeſtè, ordine, humanum in modum. Lecti erant humiles* (agnoſcis Romanum ritum) *instrati purpurâ & aulæis: menſæ ad eos, vario & dapſili inſtrumento: diſpoſita pocula aurea, argentea, minuta, grandia: cibi in lancibus, panis, caro, fructus. Ecce ingreſſi duodecim elephantes, ſex mares, totidem fœminæ: illi togati, hæ ſtolatæ. Decorè & verecundè in lectis ſe reclinant, menſam accumbunt. tum ſigno dato (non enim antè) in menſam promuſcides ſiue manus ſuas extendunt: ſummâ modeſtiâ cibos capiunt, delibant. non voracitas vlla in iis, non auiditas viſa, non maioris melioriſve partis appetitio, præreptio. denique cùm bibendum, pateram pueri porrigebant: iique promuſcide eamdem genialiter hauriebant &* (iucundæ potioni hoc adnexum) *reliquiis vini circumſtantes aſpergebant, velut cottabum facientes.* Hæc meis verbis texui, ſententiâ germaniſſimâ Æliani. Et effare. potuitne ſpectaculum magis ad Gratias, ad Venerem, ad Naturam? cui vtinam his oculis arbiter paulliſper ego! id mihi ante omnes theatrorum opes, luxum, nugas. Atque hæc niſi promptiſſimi cuiuſdam & acutiſſimi ingenij ſigna ſunt, tardus valdè & cæcus ego. Quid illa, quæ non à doctrinâ inſita ſunt, ſed emicant & ſubſiliunt naturæ ipſius ſponte? Cuiuſmodi ſpectata in iis ſæpè, ad prodigium vſque, ſagacia & acuta. Quale illud *Plutarchi: *In Syriâ elephas quiſpiam alebatur. ſeruus curator additus, cottidie de dimenſo ſubtrahebat, & dimidio belluam malo furto fraudabat. Fors fuit, vt hero præſente cibum daret: & admenſus igitur eſt totum. Elephas vt iniuriam diu ſibi factam, quà poſſet, detegeret, accuratè hordei partem ſeparat: dimidium ſibi ſeruat, altero repulſo.* quid niſi clamans, callidiſſimo inuento, illud diarium ſibi hactenus fuiſſe? *Alius* (refert idem ſcriptor) *cùm rudera & terram magiſter ad explendam menſuram pabulo identidem miſceret: fraude fraudem hanc vltum iens, in ollam eius carnium plenam, è foco correptum cinerem iniecit.* Sed exemplum quod ab Acoſtâ, fidem omnem ſuperat, etſi ſcriptũ ex fide. Palàm enim & ſpectante populo res geſta eſt. *Elephanti cuidam in vrbe Cochin ad horam cibus non oblatus. Queritur, & barrit. Magiſter excuſat, & vas æneum eius cibarium oſtendit perfluens & pertuſum: cauſſam hanc moræ eſſe,*

* Lib. II. Var. c. XI.
* ἀστραβῶς καὶ ἀτρέπτως.
* Cap. II.
* Lib. II. cap. XI.
* Libello, Πότερα τῶν ζῴων

D quòd

quòd cibi non vltrà tenax. iubet igitur, ſi eſſe velit, ad fabrum ærarium ferat reconcinnandum. Ille paret, promuſcide aufert, fabro offert. Faber ſiue per neglegentiam, ſiue ludos belluam faciens, infideliter reparat atque obſtipat. Elephas refert, herus vitium videt, & indignatur. inclamat illum abſentem, hunc præſentem: denique redire iubet cum illo ipſo vaſe. Facit. & fabro querulus impingit. Ille homo ſuauis iterùm imponere conatur, & admoto malleo claudere rimam ſimulat, non claudit. Nec tamen imponit. nam ille catus lebetem reſumptum ad flumen defert, immergit, & aquâ implet periculi faciendi cauſſâ. Videt effluere. Plenus igitur irarum ad fabrum recurrit, intonat magnâ voce. Confluunt vicini, & inter eos Vicarius regis. Faber blandis verbis demulcet (neſcio an vltrà audeam dicere) *belluam: vas denique ſumit, & refingit probè atque ex fide. Sed ille ne tum quidem fidens, iterùm ad flumen, & ad hauſtum. dum contineri aquam videt, vertit ſe ad adſtantes & oſtendit, velut teſtes eos aduocans in hoc factum: ita demum abiit domum.* Quid addam? nec verbum: quia reuerà datus ſum in ſtuporem. Et cur iam * Æliano non credam, qui iure optimo duplex cor tribuit tam cordatis? Sed ſatis ad ingenium iſta: redeo ad Plinium meum, qui ſuggerebat

* Lib. xiv. cap. vi.

Memoriam.] Ea autem pars tam magna in hoc animante, vt homini non dicam nihil cedat, ſed eum excedat. Vnum exemplum vetus dabo, pauca noua. Michaël quidam Glycas inter Græcos, Annales ſcripſit haud improbè nec indecenter. Is in parte primâ prodidit: *Elephantum quemdam cùm in Circum deduceretur, ſedentem in foro ad Milliarium aureum Magiſtrum ferarum, ſubitâ irâ atque impetu interfeciſſe. Cauſſam non aliam violentiæ fuiſſe, quàm quòd ante annos totos decem, eodem in loco, idem Magiſter, eumdem elephantum ferro percuſſiſſet. quam iniuriam tot annos recondens, tunc demum iuiſſe vltum.* Aliud ex Acoſtâ: *Miles quiſpiam in vrbe Cochin elephantum, per laſciuiam, in fronte putamine nucis percuſſerat:* (grandem illam Indicam intellego, quam incolæ Coccum appellant.) *Elephantus putamen ſtudioſè tollit: illud, atque iram, recondit. poſt dies pluſculos, in viâ quapiam publicâ obambulantem militem conſpicit. accedit, & elatum ex ore putamen, promuſcide ſuâ acriter in illum conicit. tum exultabundus abiit, quaſi talione illâ iniuriam probè vltus.* Iterùm ex eodem: *Miles elephantem in eadem vrbe cum rectore obuium habuit. noluit decedere. elephas ſuam & rectoris contumeliam id interpretatur: vlciſci tamen à rectore prohibetur. Poſt dies aliquot, in ripâ Mangatæ fluminis (id vrbem alluit) militem ſabulantem otioſè reperit. Cùm rector non adeſſet, corripit illicò hominem, in altum tollit, nec precibus nec clamore adſtantium motus, aliquotiens flumine merſit, alleuans ſubinde & demittens. Cumque luſum eum ſatis diu luſiſſet, contentus hac vindictâ, hominem vitæ ſuæ iam diffidentem, rectum & illæſum deſtituit eo ipſo loco vnde ſuſtulerat.* Sed hæc in deteriorem & vindicem partem Memoriæ exempla: ecce etiam in beneficam & benignam. Acoſta idem mihi ſuggerit: *Elephantum in vrbe Goâ fuiſſe, qui annuo illo & ſollenni furore correptus catenas abruperit & vincla. Fugientibus omnibus, ſeruulum quempiam qui vlnis infantem dominicum geſtabat, in ædes properè irrupiſſe, oblitum ſarcinæ quam depoſuerat in illâ trepidatione ante ædes. Elephas adeſt. mortem omnes & obtritum pueri exſpectant. Ille contrà, manu ſuâ leuiter attollit; in humile tectum, quod è regione ædium, collocat, reſpectans curioſè, ſatine puer illic ſine damno. Dein furibundus curſum ſuum exſequitur. Id datum omnes interpretabantur veteri beneficio; quia mulier earum ædium domina & infanti mater, elephanti tranſeunti ſæpiùs panem aut fructus obtulerat.* Et alia quædam legere tibi fas, ſi lubet apud eumdem Hiſpanum. Ego in Plinio pergo, qui admonet

Amoris.] Quod ipſum iure mirum. Nam ſicut Sermo & Ratio homini peculiaria videntur, ſic certi quidam Adfectus. Inter quos auidus ille & varius amor, pro leni tormento, ſoli huic animantium datus. Sed abnuit elephas, & hac quoque parte ſociat ſe nobis. Seriò enim amat. Trita & nota * hiſtoria eſt illius qui Ariſtophani Grammatico præbuit ſe riualem. *Vterque enim Alexandriæ in Ægypto corollariam quampiam amauit. nec minus ſtudij aut ingenij elephanto fuit ad declarandam & mitigandam ſuam flammam, quàm illi acuto & litterato. Forum, in quo ea deſidebat, crebrò adire: adſiſtere, ſuſpirare, poma aut flores offerre: manum intra ſinum blande penetrare: & ea omnia, quæ Venereus aliquis nepos.* Alia ſimilis in * Æliano. *In Antiochiâ vrbe Syriæ, elephas inter cicures more ſuo ad paſtiones iens, vidit fortè mulierem haud inſcitam, pariter corollariam. Vidit, periit. Aſſiduus ille apud eam; promuſcide faciem, manus, lambere, tergere; & quacum-*

* Narrata Plinio c. v. & Plutarcho, in libello Πότερα τῶν ζώων.

* Lib. vii. cap. xliii.

quacumque poterat, blandiri, inſinuare. Quin & illa redamauit, corollas & flores aliaſque amoris illecebras ſæpè offerens. Cùm perſeueraſſet mutuus hic amor, mulier ecce ad plures abiit. elephas deſiderium non tulit, nec mentis ſuæ vltrà compos datus eſt in furorem. Sed & honeſti fidique amoris non deficiunt me exempla. Habe vnum.* *Antigono regi elephas fæmina fuit. Euênit vt in obſidione opidi Megarenſis, puerum péreret vxor Indi elephãtiſtæ. Is ſuâ linguâ commendat infantem inter bellicas turbas elephanti (ita nomen eius fuit) Niceæ. Capit illa ſeriò in fidem: & omnia officia exhibet, quæ piiſſima aliqua nutrix ſiue mater. Infans ante pedes eius deponi debebat. niſi fieret; cibum non capere, iram omnibus ſignis oſtendere & dolorem. Gaudere contrà, eo adiacente. & tum cunas mouere ad oblectandum, aut ſomnum conciliandum; tum ventilare & pellere muſcas. quod faciebat ſanè ſcitè, arundinis ramum promuſcide ſuâ motitans. Atque hæc officia interdum etiam vſurpabat elephas maritus.* Pergit Plinius, & addit

*Athenæus lib. XIII. cap. XXX. Ælianus lib. X. c. XIV.

Gloriæ cupiditatem.] Qui ſanè ipſe affectus hominum proprius; & inter eos, animæ cuiuſque maximè ſapientis. Exempla eius in hac belluâ pluria. tu vnum vetus à Plinio cape, nouitium alterum ab Acoſtâ. Plinius: *Erat*, inquit, *Antiocho regi elephas, cui (ita enim hominum canumque exempla diſtinguuntur) nomen Aiax. Is dux plerumque agminis, generoſus, celſus, & velut rex in regio illo grege. Euênit vt flumen transmittendum eſſet. renuit infelix, & malâ ſuâ ſorte Aiax. Pronunciatum enim illicò à Magiſtris, Principatum eius fore qui prior tranſiſſet. Intellexit, & arripuit Patroclus (& hoc elephanti alteri nomen) fluuiumque tranſmiſit. Præmio igitur donatus eſt; phaleris argenteis, quibus mirè gaudent, ornatus, & velut in poſſeſſione poſitus principis loci. At Aiax noſter properè ab hoc Vlyſſe circumuentus, fatum etiam qua poteſt, illius veteris exſequitur: & mortem ignominiæ præferens, inediâ ſe confecit.* Acoſta autem infit: *In litore vicino vrbi Goæ tormentum grande æneum commouendum erat. conatur elephas: non poteſt. Inſtigante magiſtro & duos iuniores elephantes oſtentante, qui id facerent ni ipſe faceret: iterùm iterumque conatur, tanto niſu, vt medius illicò creparet.* En! dum gloriam illam præreptum alteris iuit, miſer ſibi vitam. Sed proſequitur laudationem ſuam Plinius, & adiungit magis alta. Eſt enim, inquit, elephantis, quæ etiam in homine rara,

Probitas.] Ergóne virtutes elephanto? virtutes. vt nequid ſcilicet ad perfectum, omnibuſque numeris hominem, deſit. Et de probitate, planè verum eſt. Innoxiũ enim, pudens & pudicum hoc animal: probæ mentis, probi oris. Vis ei vt omnibus noceat; vt nemini, voluntas. Homini occurrit? *vitam non adimit: oſtendit viam. Feræ alteri? tranſit. Quin niſi irrites & impugnes, nec in Arenâ quidem excitabis ad lædendũ. In magiſtros rectoreſque ſuos mira illis pietas.* quos aliquando per calorem aut furorem interfectos, ita luxêrunt, vt inediâ interfecerint ſeſe ipſi. Eadem in natos: quos, *vrgentibus venatoribus adeò non deſerũt, vt millies capi, cædi, malint, quàm ipſos. Adde reuerentiam in grandiores & ſenes. quibus de * loco, de potu, de cibo iuuenes concedunt, bonæ ſuæ Naturæ legibus, non Lycurgi vllis minis adducti. Adde pudorem, & caſtitatem. quia non niſi occultè & ſiluis tecti coëunt, & ſanè rarenter. Nam quod Plinius, & ex eo Solinus prodiderunt, *non ampliùs quàm ſemel párere, nec plures ſingulis*: validè refutat ratio. quia ſi vnus ſaltem è duobus: iamdiu, minuente numero, defecerit id genus. * Ælianus tamen vſum Veneris ſemel item iis tribuere videtur. Sed ea ex Ariſtotele hauſta, malè aut lecto aut intellecto. Nam * ille hoc tradit: *Marem quam ſemel inierit, non vltrà tangere. interpoſito tamen triennio coitum repetere, ſed nimirum in aliâ. Fæminam vterum biennio gerere, párere ſingulos.* Strabo etiam de initu eorum & partu, magis cautè & verè. Adtexitur in Plinio

*Plinius cap. IV. *Strabo tradit, libro XV. *Ælianus lib. VI. c. XV. *Ælianus ibid. *Lib. VIII. cap. XVII. *Lib. V. Hiſt. Animal. c. XIV.

Prudentia.] Quam non dilato, ſatis mihi in Acumine & ingenio dictam & doctam. Oſtendunt tamen & hanc propriè in Acie inſtruendâ, in retardandis ſecutoribus fracto abiectoque dente, in flumine tranſmittendo. quæ apud Plinium, Philoſtratum & Ælianum vide. Sequitur

Æquitas.] Quam in ſe, quam in aliis amant. In ſeſe, exemplum à Petro Bellonio narratum Cluſio noſtro. In Aſiaticâ, inquit, peregrinatione noſtrâ hoſpitiũ diuertimus medio iam die, & acri æſtu. In comitatu noſtro elephas erat: in hoſpitij ſtabulo viatoris alicuius aſinus, quo ipſe vectus. Comedebat fortè hordeum, magno illo ingrediente: qui famebat. Itaque ſtimulo illo impulſus, aſinum pellit, ipſe hordei reliquum auidè inuadit & vorat. Superuenit mox elephanti dominus, dimenſum ſuum hordeaceum, de more, elephanti offert. Ille,

ſpectante hero & ipſo Bellonio, memor iniuriæ & rapinæ, reparatum ſtatim it, & diuiſo in duas partes promuſcide ſuâ hordeo, alteram aſino procul ſtanti & muſſanti offert. Atque ille & iſte ſuas deinde partes edunt. Vis æquius aliquid aut iuſtius? ſed ampliùs, retegunt ſcelera, amore iſto Iuſtitiæ, & alienas etiam iniurias vlciſcuntur. Hiſtoriam Æliani duplicem te non celo.

* Lib. x. cap. xv.

* Narrat Romæ eueniſſe, Imperatore Tito: *vt vxor elephantiſtæ malo iure cum altero mœcharetur. Videt elephas, non fert domini hanc iniuriam: irruit, & in ipſo complexu, vtrumque dentibus transfigit. Denique prouidè ita copulatos relinquit, ſtragulo tegit. & cùm dominus aduenißet, ſtragulo reiecto facinus oſtendit, & ſe vltorem.* Hoc pro magiſtro, ſed probo.

* Lib. iii. cap. xvii.

Narrat * iterùm in illum, ſed improbum. *Fuiſſe magiſtrum elephanti, qui adulteraret. nec contentum furtiuâ libidine, vxorem ſuam clàm ſuſtuliſſe, & ad præſepe elephantis ſepeliſſe, alterâ illi mox inductâ Elephantum hoc ſcelus tacitum non habuiſſe. vxorem nouam illuc traxiſſe, & cornibus pedibuſque refodiſſe cadauer, tantùm non rebus ipſis mulieri inclamantem, cui, & quomodo innupſiſſet.* Extrema laus eſt

Religio.] Quam veteres omnes tribuunt conſenſu. Luſtrari aquâ, orientem ſolem ab iis adorari, * Plutarchus & * Ælianus mihi auctores: Lunam nouam, Plinius & * Ælianus. Sed & hoc ad Religionem, quòd mortuos è ſuo genere ſepeliunt, & prætereuntes iniiciunt humum. Ælianus ille idem hoc tradidit libro I. cap. XLIX Homines ecce, mi Hautene, elephantes feci; Sermone, Ratione, Adfectibus, Virtutibus præditos: quid ſupereſt, niſi vt etiam diuinos? diuinant enim. & Oppianus de hoc animante dixit:

* Libello, Πότερα.
* Lib. vii. cap. xliv.
* Lib. iii. cap. i.

Μαντικὸν ἐν ϛήθεσσιν ἔχειν κέαρ.

Diuinum cor habere in pectore.

additque præſcire eos fatalem ſuam horam.

* Libro xxxix.

* Dion ampliùs, ſcientiâ eos ornat cæleſtium rerum. Ἤδη γάρ τινες, inquit, καὶ ἐκεῖνο εἶπον, ὅτι πρός τε τῇ τῆς φωνῆς τῆς πατρίου σφῶν αὐτοὺς ἐπαΐειν, καὶ τῶν ἐν τῷ οὐρανῷ γιγνομένων συνιᾶσιν. *Quidam hoc etiam aiunt, eos, præter quòd ſermonem patrium intellegunt, ſcire etiam quæ in cælo gerantur.* Sed inter quoſdam illos, ne te fallam, non ego. Habes luſum, natum non importunè mihi ex heſtemo luſu & ioco inter vina. cui vt ſeria multa & vera ineſſe nihil ambigo, ita quædam maiora vero: nec vſquequaque in his talibus veteres illos Fidei litaſſe, facilè tecum credam. Quis enim tam magni oneris ſit, vt quidquid illi imponunt, vehat? Nec tamen mali quidpiam in iſtis, etiam falſis: quia innoxia mendaciola ſunt, & volente deo Riſu nata. Qui ſi te non aſpexit dum hæc legis; iam nunc me imponente licet vſurpes cognomen priſci illius Craſſi. Iterùm ſalue.

EPISTOLA LI.

IANO LERNVTIO S. D.

IPSVM pectus mihi commouit ſeries malorum, quæ es paſſus. Heu homines, quid ſumus? quid ſperamus? Atque ego ſub idem illud calamitatis tuæ tempus, neſcio quo inſtinctu, in Saturnalibus meis adfinxeram orationem tibi de incertis caſibus vitæ. Sed benigno Deo gratia, qui concuſſit te, non deiecit: oſtendit vulnus, & non impreſſit. Vtile enim, mi Lernuti, vtile, admoneri nos interdum à ſummo illo Principe & imperij illius, & fluxæ noſtræ conditionis. Nempe quid eſt homo? lutum, vt ille ait, ſcitè mixtum. quid vita? hæmina vna ſanguinis: quam quilibet leuis caſus rumpit, quælibet febricula corrumpit. Solus animus & eius actiones æterni. Vides pulcherrimum hoc mundi corpus? ruet aliquando. Vides hanc Belgicam noſtram? iam ruit. ne indignemur interitum aliquot hominum, cùm cadauera futura ſint cæli terrarumque. Saturnalia noſtra credo te accepiſſe. primam dico partem, quæ de Gladiatoribus. Nam reliqui ſunt aliquot libri, De Venatione, & Circo: in quibus etiam tuus ſermo. Iudicia veſtra liberè, liberè, velim adſcribi: vt mutemus, ſi quid tale erit, iteratâ editione. Iubebo enim, ſi otium aut valetudo mihi conſtat, ſimul excudi omnia quæ ad ludos Romanos. Nunc moleſti mihi quidam nomine Ordinum, vt Grammaticam conficiam, quæ legi poſſit in Belgicâ vniuerſâ. Ride, ſi ſapis: & vide quò me vocent iſti. Apud vos miles, vt audio, & turbæ. Si ita eſt; quid ſi expedias te ab eâ vrbe, & ſecedas in hæc loca ſub Neptuni regnum? Nam terreſtres dij, parùm nobis æqui. Cautè id fiat tamen, & circumſpectè. Nam & apud nos neſcio quid turbellarum, ab iis qui pax deberent eſſe mundo: at illi fax ſunt. Vale mi ſuauiſſime, & aut me exſpecta ſub æſtatem, ſi quies illîc; aut ego te, ſi hîc. Vxorem ſaluta à me ex animo, & tua pignora diſſuauia. Victorem noſtrum ſilere ita miramur, vt ſuſpicio ſit

ne

ne & ille penetrauerit ad loca ſilentum. At tu eum ſaluta, & è veterno excita. Salutat te Duſa, Hauterius. x. Kalend. Febr. ∞. Iↄ. LXXXII.

EPIST. LII. *Romam.*

FRANCISCO BENSIO S. D.

DEVM ego teſtor, vir optime, vt in ſolo nomine tuo lecto exſilij: quantò magis in commemoratione amoris, quem integrum inuiolatumque ſeruari apud te cognoui! ita enim ad me ſcribit P. Egmondus: quem certum mihi, amatum anteà, vel nuntij huius cauſsâ, magis amare. Non enim diſſimulo. verus & vetus mihi in te adfectus eſt, hæreſque mihi in arcano iſto penetrali. Genus vitæ mutaſſe te audiui: quod ſalutare tibi futurum omnino confido. Et reuerà, mi Benſi, quid hæc humana ſunt, niſi iactationes & fluctus? in quibus nihil firmum ſit, niſi ad anchoram ea alliges veræ Pietatis. A me quoque abiit illa iuuentus: & vna mihi hæc cura, vt quidquid hoc eſt æui, in virtute & ſeriis iam ſtudiis traducam. Publicè id teſtari cœpi: & edidi nuper De Conſtantiâ libros duos, qui pietatem (niſi *fallor) aliquam præferunt, etſi priſcæ Philoſophiæ velo. quos ad te mitto, non vt inſpicias modò, ſed iudices: & liberè me moneas, ſi quid exorbitans in iis aut minùs rectum. Nec amantis adfectu iudicabis, ſed vt apud Pindarum eſt,

* βουλαῖς ἐν ὀρθαῖς Ῥαδαμάνθυος.

*Sententiis rectis & ingenuis Radamanthi.

Hoc omnino peto. M. Antonium Muretum (ex animo dico) amo æſtimoque. minùs promptè id oſtendo, quia quædam in me ab illo non amica. Ita enim moneor litteris multorum. Quo meo merito? nam ego te iudicem non defugio, qualiſcumque ea eſt, litis. Tacitum edidi. quid ergo? an illius? quæ hîc iniuria eſt, ſi campum eumdem Famæ decurri, ſine fraude? Sed mihi iam iſta non magna: & reuerà pudeat me verba conſumere in talibus rebus. Nati ad maiora & meliora quædam ſumus, & ego & Muretus. Quem tu quidem à me ſalutabis, & animum hunc illi firmabis volentem ſemper eius & amicum. Ita me poſteritas amet ſiue æſtimet, vt ego illum. Conſtantiam noſtram vt cum eo communices, volo ſiue iubeo: cuius exemplar etiam à me exſpectet. iam enim recuditur. De Amphitheatro ante paucos dies edidi: & mittam. Tu quæſo me ama, & interdum ſolare & erige in his turbis & confuſione rerum. IX. Kalend. April. ∞. Iↄ. LXXXIV. Si quid ad me voles, mittes tutò ad Plantinum.

EPIST. LIII. *Romam.*

M. ANTONIO S. *dico.*

CAVSSA mihi ſcribendi nata ex tuis ad Plantinum litteris: quas cum gaudio vidi, cum motu animi legi. Vel in manu tuâ conſpectâ lætabar: quantò magis in hoc animo, & tam inſigni teſtimonio amoris? quem ſi à quoquam mortalium, à te certè volo. Ita adoleſcens iudicaui, ita nunc, conſenſum quemdam eſſe conſpirantis iudicij noſtri & naturæ. qui ad coniunctionem, quæſo te, valeat; non ad æmulationem, aut, quod pudet me dicere, ſimultatem. Et fuêre tamen improbi homines, qui id ſperarent: à quibus alia quædam ad me delata olim, non nego. ſed vana, falſa, vt nunc video; & quibus caput homines non profeſſi ſolùm, ſed vtrique noſtrûm infeſti. Ea, per communes deos deaſque, obliteremus mi Amice: & beneficiis inter nos certemus, non querelis. Electorum librum iamnunc vulgaui: pato Saturnalium ſermonum, & de vitâ ac ſcriptis Annæi Senecæ. quem nec inuitùs ad te miſerim, quaſi vadem amicitiæ coëuntis & ſaneſcentis. Etſi quid in eâ ægrum? nec aliud peccatum vtrimque, quàm ceſſatione, & amicitiæ, vt ſic dicam, inuſu. Quod ipſum emendemus. Viximus amiciſſimè vnà, viuamus porrò & moriamur. En ego ille, cuius ingenium & os coràm probaſti: nec amorem abſentis requires profectò aut fidem. Te vt eumdem ſperem, faciūnt paucula, ſed impreſſa & ſignata epiſtolæ tuæ verba: quæ ruminor identidem & examino, vt ſolent amantes. Vale. Lugduni in Batauis, ad magnum & ſine terminis mare. III. Kalend. Decemb. ∞. Iↄ. LXXXI.

EPISTOLA LIV.

ABRAHAMO ORTELIO S. *precor.*

PER fidem, Orteli, vt tu vtrimque largus es, & amando, & donando! Miſeram ad te neſcio quid munuſculi nuper, Amphitheatrales meas nugas: tu rependis illicò & reponis, ſed verum amplumque donum, THEATRVM tuum. Ad tutelarem Prætorem ibimus? Profundis enim tua, & quidem valdè * ἀμέτρῳ μέτρῳ: cùm pro libel-

* Immenſâ menſurâ.

lo, libros; pro ludis, ſeria: pro orbiculis Arenarum, diffuſum iſtum terrarum Orbem admetiris. & eum ipſum in triumphali veſte, purpuratum auratumque. Quid cenſes? donis magnis capi me? non magis quàm numina (ſi comparare fas:) quæ vt voluntatem ſolam in oblationibus metiuntur, ſic ego. At ea in te magna: & ideò munus tuum iure mihi magnum. Vtinam hic quoque animus aliquâ tibi liqueat! in quo acris flamma, ſed per nullam occaſionem erumpendi, adhuc clauſa. Quod vereor, mi Orteli, vt breuî quoque veſtræ vrbi ſit. Quæ enim iſtæ pontium moles, quas audimus? aut quid parat nouus ille Xerxes? Non ego * κέρκῳ σαίνων, cum Ariſtophane: ſed maior profectò eſt & prudentior opinione noſtrâ ille Princeps. Hoc ipſum opus quanti animi eſt? priſci, & Romani. Ac compedes profectò Poliorcetes ille iniiciet indomito veſtro Scaldi, niſi quid ſubueniant filij iſti Neptunini. Batauos & Zelandos dico. qui tamen lentè accurrunt, nec vt ad ſocialem flammam. Heu * κρατὴρ κακῶν! & ſalſa vobis vita, ſi auferetur hoc ſalum. Quid ſuadeo igitur? fugam. ſed non ab vrbe, mi Orteli, aut ſolo patrio; tantùm à vulgo. Ad Conſtantiæ noſtræ aſylum te voco, & ad arcana illa Sapientiæ templa. Cuius tectum ſi ſemel ſubis & penetras, rectum ego ſartúmque te habeo ab omni vi, ab omni hoſte. Salus miſſa à Dudithio, Cratone, Monauio, mihi grata: quæ tres ſtellæ in vnâ iam vrbe, valdè illuſtrant Germaniæ illum tractum. tu quoque à me remitte. Viuiani noſtri poëma vidi: valdè mihi terſum & probum. Sed Itinerarium veſtrum quando ad nos? Ne preme. & quod boni prouidique patres, ſi tibi obſideri viſum, emitte ſaltem hanc prolem. De * Chirio Fortunatiano, indagatio tua noua. adeò autem mihi ille non viſus, vt nec auditus. quin ipſe vltrò peto, ſi alicunde eruis, concede vſuram. Ad Scottum noſtrum ſcripſi. en litteras, quas mittes, & amorem noſtri non dimittes. Lugd. Batau. IV. Kal. Ianuar. ∞. IↃ. LXXXIV.

* Caudâ blandiens ſiue adulans.

* Crater malorum!

* Scripſit de Impp. olim, & exemplaria in Italiâ edita, ſed perpauca.

EPISTOLA LV.

HENRICO WELTIO S. D.

VERE exiſtimas. officium mihi fuit tua ſcriptio, imò beneficium: quia & amoris tui in me index, & diligentiæ, quam intermitti à te in hoc otio gaudeo, non dimitti. Adde amicam inuitationem tuam: cui quòd hoc tempore non pareo, ab occupationibus meis eſt, non à voluntate. Nam animum ſi conſulo; reuerà ambit eſſe iſthic, & reguſtare humanitatem veſtram, quam anno ſuperiore pleno ore hauſi. Sed ita conditio mea eſt, vt mos mihi potiùs alienis cupiditatibus gerendus ſit, quàm meis. Impedimenta, quæ deſubitò mihi nata, ſcripſi ad Pollionem: nec hîc itero. Itaque quod benigni creditores ſolent, voluntate meâ ſuſtentaberis, & illam nunc accipies in ſolutum. At te, mi Welti, hortor (quod in extremâ epiſtolâ tuâ prudenter ſcriptum) cogites, quàm in præcipiti curſu ætas tua ſit: nec facilè facturum te meſſem, ſi in hoc iuuenili vere neglexeris facere ſementem. Sementem dico, & virtutis & doctrinæ. Ad vtramque enim te voco. quòd hæc ſine illâ damnoſa: illa ſine hac, parùm decora aut ornata ſit. Aures tuas ſæpè inſonet illa Democritici, vt opinor, laudata vox: * Πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος. Vt in flumine vnda vndam trudit, nec vmquam reuocas elapſam: ſic in tempore dies diem, ne reparas amiſſam. Cogita, & vale. Parens tuus à me ſaluebit, & noſter Canterus. Lugduni Batauor. III. Idus Sextiles. ∞. IↃ. LXXXII.

* Sumptuoſiſſima iactura tempus.

EPISTOLA LVI.

CONSVLIBVS ET SENATVI ANTVERPIENSI S. D.

NOBILISSIMI & Ampliſſimi Domini, Munus accepi, non meo munere, ſed ſplendore veſtro dignum. Pretium in eo reſpiciam, ſiue artem; omnia eiuſmodi, quæ animum veſtrum abundè declarent, & quæ me deuinciant nouo vinclo. Cuius ſi non ſoluendi, at laxandi ſaltem aliquo genere officiorum, vtinam facultas mihi vmquam ſit. Intelligeretis profectò æſtimare me munera poſſe, & accipere: non tam propter ipſa, quàm eos qui adfectu tali dederunt. Ingenuè dico. Aurum illud aut argentum nihil me mouet, aduerſus talia ſatis firmum: mouet prolixa hæc veſtra humanitas, quæ omnia non impetrare ſolùm à Lipſio poteſt, ſed imperare. Valete Ampliſs. Coſs. & Senat. vrbemque veſtram regite inter hos fluctus, præeunte & gubernante ſupremo illo Nauclero. Lugd. Batau. IV. Idus Ianuarias. ∞. IↃ. LXXXIV.

EPISTOLA LVII. *Vltraiectum.*

HADRIANO VANDERBVRCHIO V.C.

ET litteras tuas nunc accepi, & nuper carmen. vtrumque gratum mihi fuiſſe ſcire debes, etiam me ſilente: quidni enim teſtimonia hæc à pectore tam amico? At tu etiam Valerium Max. vltrò ſubmiſiſti: in quo priuatim mihi, & publicè nonnihil litteris etiam contuliſſe te, re (ſpero) oſtendam. Maneat feliciter hic cœptus amor inter nos, qui Genio ingenioque non diſpares; & his ſolatiis vtamur in mæſtitiâ publicâ temporum & infeliciſſimi æui. Nam vt ſol aliquis alius tenebras & turbas iſtas pellat, video nondum. Ligna & oleum ad miſerum incendium hoc Belgicæ ſuggerunt paſſim. & nos ardemus: vicini alij rident, ſpectant; alij miſerantur, ſed miſerantur tantùm. Deus ſcilicet ille eſt qui punitum it iure veterem noſtrum luxum. feramus; aut ne feramus, emendemus. De munere apto ad valetudinem meam firmandam, habeo gratiam. ego quid mittam? animum & verba: cetera immunis. Vale. Lugduni Batauor. v. Kalend. Febr.

EPISTOLA LVIII. *Amſtelrodamum.*

MART. LYDIO S. *mitto.*

NEC epiſtolâ tuâ quidquam mihi potuit accidere gratius, nec admonitione ſiue cenſurâ. In vtraque amor tuus elucet: in hac magis. quam niſi liberè in amicitiam admittimus, tollimus pulcherrimum eius fructum. Ego de meo ſenſu noui & atteſtor, libentiſſimè me ſicubi deflexi, non corrigi ſolùm, ſed corripi: certè eùm de animo mihi conſtat corrigentis. quem totum candidum purumque in te ſcio, mi Lydi, & famæ ac ſalutis meæ amantem. Itaque nec excuſatione nec tergiuerſatione iſtâ opus: quâ (verè dicam) gratiam admonitionis corrupiſti in parte. Ego enim me ab amicis non blandè amari velim, ſed fortiter; id eſt, vt viris ac ſapientibus eſt dignum. Sed de notâ ad verba illa paginæ 66. * Conſtantiæ meæ: ſententiam meam breuiter ſic habe. Cum ea ſcripſi, ad peccatum & ad malum reſpexi: quod Deo ſanciente & præſcribente euenire, dictum mihi videbatur dicere. Fateor eam vim eſſe Prouidentiæ diuinæ, vt nihil in minimis maximiſque eueniat, quod à filo illo non pendeat: tamen cautionem cautiſſimam in verbis & effatis adhibendam cenſeo, vulgi inprimis cauſſâ. Itaque Damaſceni verba hoc fine adiunxi. Nam πρόγνωσιν, πρόνοιαν, προορισμὸν, ratione quâdam diſtingui ab hominibus, & cauſſâ hominum, non ignoras: nec temerè dixerim, Peccata euenire Dei præfinitione. Nec tamen certamen hîc mihi vllum tecum: ſed rem altam, intricatam, & vereor vt homini ſemper obſcuram, ſic explico. Definitum à Deo omne agnoſco, quidquid euenit: trepido tamen dicere, peccata ipſa. quorum fontem à ſolâ malâ voluntate noſtrâ eſſe cenſeam, ſupremâ illâ voluntate permittente. Exempli cauſſâ. In Tarquinij adulterio, in cædibus ab Herode innocentum, duo ſpecto: factum ipſum, & crimen. Factum à Deo definitum fateor, & comprehendo ſub fatali illâ lege: crimen, quod ſoli voluntati inhæret, non videor fateri poſſe, ſine iniuriâ Dei. Cauſſam omnium rerum diuinam voluntatem ſtatuo, omniumque euentuum etiamſi mali ſint: at non cauſſam cauſſæ mediæ, quoties ea mala. Aliàs quomodo effugimus, vt non auctor ille ſit mali? vt non adprobator? Itaque ea quæ ex * Actis aptiſſimè adducis, huc accommodo. Mortem Chriſti deſtinatam ab æterno, proditionem Iudæ ab æterno, mediaque omnia quæ ad ſalutare illud opus ferrent: ſed non crimina adnexa ipſis factis, quibus fundamentum in impiâ tantùm voluntate. Quòd ſi tamen ſatis habemus generaliter & vniuerſè dicere, omnia non præſcita ſolùm à Deo, ſed præſcripta, hoc reſpectu, quòd illa ipſa facta ſine peccato euenire non potuerunt: ego non pugnacitet pugnauero, & fatebor fortaſſe (cùm omnia examinauimus) vim hanc ineſſe catenæ illi & nexui Prouidentiæ immotæ & æternæ. ſed diſſeri tamen ea in vulgus, periculi inuidiæque plenum exiſtimem: vulgo autem ſcriptus meus liber. Habes ſtrictim mentem mei ſcripti. Tu ſi quid aliud obſeruas, aut ſi quid etiam eſt in quo ambigis, valdè à te peto ne me celes. Non delectabunt me ſolùm eiuſmodi iudicia & indicia; ſed docebunt. In iſtis ipſis quæ nunc ſcripſi, ſi quid abetro, dirige: reipſâ videbis, me non admoneri ſolùm poſſe, ſed emendari. De miſſo ad me Heroldo, habeo gratiam. remittam cum fide, vbi legero. Quamquam de Germaniâ Taciti, neſcio an hac editione emoliar accuratè. Occupationes, & valetudo, & Typographi

* Lib. 1. cap. xx. Vide, non aegit ſce-nis, non ſanxit, &c.

* Acta Apoſt. c. 2. vide.

graphi feſtinatio, ſæpè nobis impedimento. Quod paginâ eiuſdem Conſtantiæ meæ 131. in margine poſitum eſt,* *Dauidis adulterium*: facilè obſeruaſti peregrinationem eſſe meæ mentis. Itaque velim pro eâ notâ hanc in libro tuo ſubſtituas, * *Quâ populum ambitioſè recenſuit.* quod alios etiam monui. Vale. Lugduni Batauorum, XIII. Kalend. Decembris, ∞.IↃ.LXXXIII.

EPIST. LIX. *Antuerpiam.*

CORNELIO PRVNIO S. D.

LIBROS hos de Conſtantiâ cùm ad Senatum veſtrum, Vir Clariſſime, mitterem: valdè peccaſſem, ſi non ad te vnà. Nec enim Senatus ſolùm ipſius magna pars es: ſed & mei. qui amo te, qui abs te amor: nec cùm Antuerpiam veni, facilè pectus reperio magis promptum in me aut pronum. Addo & cauſſam tertiam, quia prudens tu & doctus: cuiuſmodi lectore, imò iudice, opus mihi in nouitio hoc ſcripto. Parùm adhuc tritum iſtud ad Sapientiam iter: nec ſcio an ipſe id peragrauerim vſquequaque pede recto. aut ſi; an aliis videbor. Sæculum enim & mores non ignoras, quamque in re quæ pietatem tangit, varij hodie ſenſus & diſſenſus. Non ſententia, ſed verbum aliquod à calente calamo anceps fugiat: ecce calumniarum ſubitus & magnus ignis. Quæ cauſſa abſtinuit me, fateor, ab altiori initu in ſacrarum illud rerum mare. quò materies alioqui & ingenij ventus vocabant: ſed repreſſit hic metus, & adnauigare iuſſit litus. Elephantes aiunt, etſi amnibus impensè delectentur, haud temerè tamen eos ingredi, cùm inſcij ſint natandi: idem in Theologiâ mihi. quam amo, quam æſtimo; & tingo ſalubribus eius aquis libens animum, non tamen mergo. Quæſtionum enim vortices illos horreo: iiſque ne inuoluar, adſideo & obambulo ſaltem eius ripas. Et hinc tamen haurio & ex tuto fumo, quæ ad vſum. Nam acumina aut diſſertatiunculæ quid iuuent? Quod ille de Virtute cenſet, rem eam eſſe non verba: iuſtiùs ego de Theologiâ. cuius verum ſeriumque finem cenſeo, Vitam. Vt melior, non vt doctior fiam, ſacra illa volumina tango: vt pectus inſtruam, non vt acuam mentem. Procul à me iſti, qui alti & ſubnixi ambulant, * μείζω τινὰ ἢ κατ' ἄνθρωπον σοφίαν σοφοί: quique, quod Socrati obiectum olim, * περιεργάζετ') ζητῶν τά τε ὑπὸ γῆς καὶ τὰ ἐπουράνια. Et cùm omnia tamen ſubtilis ingenij alâ peruolarint, miſelli, præteruolant ipſi ſeſe. Reliqua ſciunt: illud vnum quod ſcitu neceſſarium eſt neſciunt, vt ſe ſciant. Sed hos mitto. te Vir amiciſſime quæſo, vt gratum hoc munus animumque noſtrum habeas: & iſtum ames, illud examines. quo fine præcipuè ſcito à me miſſum. Siquid alibi aliter dictum: hoc magis mihi amicus, quò liberiùs monueris. quia inter eos ego qui labi & errare poſſunt, ſed & inter eos qui reſurgere & emendari. De Ampliſſimi Torrentij valetudine & ſtatu; gratum mihi ſi per te cognouero. Iure nobis carus, rarus ille vir. Vale. Lugduni Batauor. XVIII. Kalend. Nouemb. ∞.IↃ.LXXXIII.

* Maiorem quam pro homine, ſapientiam ſapientes.

* Satagunt inquirentes, & quæ terram infra & quæ cælum ſupra.

EPIST. LX. *Leodium.*

DOMINICO LAMPSONIO, *Leodienſi Epiſcopo & Principi à Secretis*, S. D.

DIV eſt cùm ſcripturio ad te, Vir clariſſime, ſuſtinui me dum ſcriptum illud promiſſum exſpecto, materiem ſcilicet vberiorem reſpondendi. Nam lata & læta illa epiſtola, quid ferè aliud habet, quàm adhortationem & laudes? Quæ amplector vtraque, quia in iis amorem tuum agnoſco, ſine labe, ſine fuco. Non merui. quid refert? hoc ipſum delectat, talibus viris & iudicibus meruiſſe videri. Non enim fallacia tua verba, ſed prompta è pectore, & vt ille ait * ἐκ φρενῶν μυχοῦ. Itaque calcar mihi addis ad decurrendam reliquam hanc viam: quod detrahunt mihi ſæpè iudicia quorumdam, qui θεολόγων, vt volunt, παῖδες. Miſceri enim hæc nolunt: & ſatis eſſe putant illam à Chriſto doctrinam, ſine mixtione vllâ Sapientiæ humanæ. Nec acriter iis ſanè pugnem: niſi quòd neſcio quomodo apud homines vim aliquam habeant & iuuent etiam iſta externa. Quis veterum Theologorum Philoſophiam ſpreuit? vſurparunt imò & Græci & Latini, ſed ſuo quodam fine. Ego ex vſu non iuuentutis ſolùm noſtræ, ſed generis humani putem, trahi & conduci omnia ad metam hanc pietatis: modus teneatur tantùm, & vt hæc diuinis litteris ſeruiant, non vt contrà. De Amphitheatro, philologum aliquid nuper edidimus: & exemplaria mitti

* è præcordiorum penetrali.

mitti iuſſimus ad Clariſs. Torrentium, vnà tecum. Nunc feriamur: niſi quòd Taciti Commentarium recenſemus, & in quibuſdam refingimus, ſed leui manu. Ximenio tuo, imò noſtro, velim à me multam ſalutem dici. quem virum olim pæne puer Coloniæ vidi & audiui, ſed numquam pernoui. Doleo, & excitor, non in amorem ſolùm eius, ſed amplexum: ita multa à multis audio de ſincerâ illâ & doctrinâ & pietate. Tu ſi mihi interpres & conciliator amicitiæ illius es, magno me beneficio deuinxeris. Otho Venius à nobis abit, ſed inuitis: inſignis moribus & arte adoleſcens, & cuius manus vſui mihi eſſe poterat ad multa Antiquitatis illuſtranda. Eum commendatum tibi, tamen cõmmendo. etiam me: quem ſcire certò debes tui ex animo amantem. Salutat te I. Douſa. Lugduni Batauor. Prid. Kalend. Iun. ∞.Iↄ.LXXXIV.

EPISTOLA LXI.

THEODORO LEEWIO *Conſiliario* S. D.

HAVTENVS noſter ad te venit: cui vtinam ego comes! Sed valetudo validè vetat: quæ ſemper anceps, nunc acerba, tenet, ligatque me domi. Alioquin in votis mihi prorſus, te videre, te ſolari, & officium exhibere quod eiuſmodi tempora exigunt ab amico. Litteris id feci anteà: ſed neſcio quomodo momentum hîc magnum habet frons ipſa & ipſe vultus. Euripides non vanè mihi viſus ſcribere, Non ſerenitatem nautis gratiorem in tempeſtate aduenire, quàm lugenti amicó amicum. Sed & hoc breuî, vt ſpero, fiet. Intereà mi Leewi, firmare quæſo paullùm, & frigus illud tenebraſque dolorum calface & illuſtra ad Rationis ſolem. Ante omnia nouitatis opinionem hanc exue, quæ luctui tuo malè fauet. Miſerabili, inquis, genere mortis periit, & quod luctu municipium omne noſtrum compleuit. Scio, & adfectu aſpectuque primo ipſe miſereor: ſed hîc quoque paullùm te attolle, & ſecerne à vulgo. Quid illud miſerabile? cùm omnia circumſpexeris, Mori. Varia ad illam metam via fert, cliuoſa, plana, breuis, longa: eadem tamen omnibus quies, cùm peruenêre. Tua per difficilem partum, & velut per nimbos fluctuſque delata eſt in Beatum illum portum: delata tamen. & præteritus labor adeò non grauis illi nunc, etiam gratus. Tu tantùm ne miſerare, imò nec mirare. Scilicet id genus Fati non cadit in hunc ſexum? non communis ille omnium prægnantium timor? Imò non crebriores alios ſermones audias, ſi in conſeſſum aut conuentum venias muliebrem. Attamen hic noſtrûm omnium error: cùm triſte aliquid accidit, etiamſi non nouum, habere id vt nouum. Per circumſtantias quaſdam augemus, polimus, & velut fucum ac lenocinium circumponimus dolori. Peruerſi mortales! contrà oportuit: & in omni caſu oculos flectere ad communem diſperſamque legem. Non Hagam ſolùm aut Batauiæ hunc angulum intueri, aut quid pauculis ibi annis geſtum ſit: ſed diffundere cogitationem per ſola hæc terrarum. Conditionem tibi pono. Iure non lugebis ſolùm, ſed indignabere vt in nouo fato: niſi alibi terrarum, hac ipſa horâ, idem ille aut acerbior caſus. Et tamen cur peregrinêre? reperies exempla eadem, ſi quæres, in finitimis iſtis locis. Quamobrem exſurge, & contra leuia ac luſoria hæc Doloris arma, arripe vera. Quid vita, quid mors, quid fatum ſit, ſeriò cogita. ſcio placari poſſe implacabilem etiam dolorem. Quid enim hæc vita, quam eripi lugemus? ludibriorum ſcæna, miſeriarum mare. per quod vt maximè ex voto tibi feratur nauis, tamen in multos ſcopulos impingas, multis vadis obhæreſcas neceſſum eſt. Quid ipſa mors, quam timemus? requies, gaudium, & vera vita. aut ſiquid in eâ mali, malis tantùm. Quid miſeraris traductam ad hanc, optimam matronam, & per fidem ſalutis ſuæ velut certam? Iam Fatum quid? æterna, ab æterno, in æternum, dei lex: quam adeò non abrogare fas, vt nec obrogari ei liceat aut derogari. Si ab æterno & immobilis: ſtulte, quid cum Neceſſitate pugnas? hoc vnum vinces, vt pluribus plagis contuſus vincare. Si à deo: impie, quid quereris? Culpare non potes aliquid malum aut acerbum in eo & ab eo, qui Bonitas & Benignitas eſt totus. Naturam eius ſi exprimere vales, non meliùs aut magis propritim expreſſeris, quàm per eas voces. Mortua igitur tua eſt? debuit. illo tempore, illo fati genere? debuit. Lex ità lata: quam fruſtrà ſolicitant & exagitant acumina hodie ingeniorum. non enim mouebunt. Quin nos, qui ſapimus, pareamus

mus potiùs; & quod neceſſariò patiendum eſt, etiam libenter patiamur. Leuamentum aliquod miſeriarum eſt, non reniti. Cur autem renitamur? Non Deus ſolùm eſt, quia ita de nobis ſtatuit: ſed & parer. Salutare igitur, bonum, proſperum: quidquid ſenſibus oculiſque noſtris alirer videatur. An illi curæ aut amori nos eſſe non putas? magis quàm nos nobis. Sed & pueris patentes multa præter votum imponunt, idque tutelæ aut ſalutis cauſſâ: item ille nobis. Hæc mi Leewi ſeriò diſcute & bonâ fide. leuaberis, ſi oſtium pectoris ſemel tationi aperies, remoto repagulo iſto vulgarium opinionum. Plura me Hauteni diſceſſus vetat addere: iubebat tamen amor, qui magnus mihi in te ſemper & ſanctus. Vale. Kalend. Martiis. ∞.IↃ. LXXXV.

EPISTOLA LXII.

AMICO *cuidam* S. D.

IRASCI debebam mi**, ſi poſſem. Tu ne vt iter vllum ſuſceperis, non dicam ſine comite me, ſed ſine conſcio? Hoc verum fuit? Pectus tuum roga: non dicet id eſſe pro veteri illo & fido inter nos amore. Caput meum hoc tango & teſtor, nullum mihi caput carius fuiſſe tuo. Quid aurem ſuſpicer? arcanam aliquam cauſſam huius conſilij fuiſſe? non inquiro. & ſi ea aperienda mihi nō fuit totâ fronre, ſaltem veſtigiis & ſub perſonâ oſtendenda. Ego te in meis rebus tale aliquid numquam celaſſem. An ſubitò hoc tibi natum, & pet mortem vnius illius viri? Hoc potiùs credo: quia reuera cauſſæ tibi temporanei alicuius ſeceſſus hîc non iniuſtæ. Noui collegas tuos, ſcio quibuſcum res & conſilia miſcenda fuerint: homines & actiones, parùm ad tuū ſtomachum aut ad noſtrum. Intereà tamen (quæſo hoc volens audi à volentiſſimo ribi amico) nec nos omnino eam rem celandi etamus, nec certè vxot: quæ miſera ſe adflictat. Quamquam nos ſolamur & erigimus: certi, non aliud latête ſub hoc inſtituto tuo, quàm ſeceſſum aliquem ab his turbis. Tamen mulieres noſti; (etſi tua ſanè prudens, & mariti ex animo amans) & linguas ſiue malas, ſiue vanas. Quibus, oro te, in tempore medêre: & ad nos redi, qui manete tecum parati, abire, pænè dicam perire. omnia, vt ferent res & tempus. Quæ enim tibi cauſſa eximij alicuius conſilij, aut ſingularis? Confuſio hîc & diſcrimen? ſcimus: ſed & animum tuum nouimus nihil horum metuentem. Denique inter homines iſtos dum viuimus, obſecro vitam etiam inſtituamus humanâ hac & communi viâ. Pax aut bellum erit? communiter conſilium aliquod capiemus, quod paci huic attemperemus ſiue bello. At ego tamquam ſeriò ſcribo, & quaſi monendus mihi ſis: quem liquet vſurpaſſe hanc profectionem animi cauſſâ; etſi cum angore aliquo tuorum. Quibus etiam, mi**, conſule. & ad ſuauitatem conuictus illius noſtri redi, ſine quo tenebræ nobis in mediâ luce. Verè dicam etſi vulgariter, Vita ſine te nobis non vitalis. Res adhuc hîc quietæ: ſed Brabantia tamen & Flandria raptantut, vt audire te credo etiam iſtîc. E Galliis litteras iam bis accepi, & quædam in iis noua. vti de Re accipitrariâ carmen, ſubtilis & nouitiæ inuentionis. Veni & vide, & (quod Conſtantiam tuam meamque decet) ride. cut enim non ſpetnamus hæc circumfuſa & externa, iure iis altiores? Nobiliſſ. VV. Philippum Sidnæum, & Dierum, ſi vides, ſaluta à me quæſo: & iis indica, per te ſtetiſſe quòd eos non viderim tecum. Certè enim inuitis meis omnibus iuiſſem. Tui valent: vale & tu, & fac vt breuî te videamus exſpectatum. Salutat te Hautenus noſter, qui hilatiter herè apud me in prandio fuit, ad funus Melonis. Inuideas illis exſequialibus epulis, ſi in tam albo pectore liuor. Lugduni Batauor. x. Kalend. Septemb. ∞.IↃ. LXXXIV.

EPIST. LXIII. *Lutetiam.*

AVGERIO BVSBEQVIO *Cæſaris Legato*, S. D.

PERIISSE litteras meas nuperas ad te, minùs doleo, quòd de officio meo tamen tibi conſtat. Nihil enim in iis magnum aut ſerium. hoc tantùm, adfectus mei & cultus ſignificationem continebant: quem à iudicio ſuſceptum, conſtanter ſeruo. At tuæ iſtæ litteræ, quàm mihi gratæ, & in mediis his moleſtiis iucundæ! Prætet enim amotem (qui largitet apparet) etiam grauiſſimi teſtimonij tui pondus continent & iudicij de meis ſetiptis. Quod amo magis, quàm probo: quia mihi virium mearum conſcius ego ſum, & modicæ laudis. Fuimus his ſeptimanis aliquot in Taciti Commentariis refingendis, & nouis quibuſdam attexendis, vt videbis. exemplar enim Antuerpiâ iuſſi mitti: ſi tamen commodè id poterit per has turbas.

turbas. Nam caput illud Belgij à corpore noſtro ſemi auulſum. Ripas obſident, & tormentis aditum nauibus arcent: etſi nautæ adhuc perrumpunt. Nobis mutatio non impendet iam, ſed adeſt: faxit ille Deus vt in bonum. Quamquam hæc ſunt illa, aduerſus quæ Conſtantia noſtra nos armauit: quæ hoc ſaltem mihi profuit, quòd ab eâ ſcriptione impreſſum animo meo ſenſi aliquod robur. Plures hîc imperant. nec vidi eam rem benè vmquam ceſſiſſe in bellis. Diſcidium etiam animorum præſagio, & motus fortaſſis in ipsâ plebe. Nobis tamen decretum patriam non mutare, ſi mediocris aliquis in eâ ſtatus. ſi nullus, & ſi confuſio tantùm & raptus: quæcumque terra dederit nobis aliquam ſedem. Nec enim liberi prægrauant, & ſola mihi vxor. Ianum Guilielmium commendaueram tibi ſuperioribus meis litteris, adoleſcentem, ſiquid video, probi ingenij, animi, iudicij. Et ſi quid benignè facere potes aut dicere, quæſo ne grauêre. Ex iſtâ iuuentute non eſt alius, de quo meliùs ſperem. Itineraria tua Plantinus ſi accipiet, edet. nos qualecumque augmentum auidè exſpectamus. De Thraſeâ meo poliendo cogitabam, vereor vt tempora permittant. Quidquid tamen ea permittent, mihi certum conferre ad hanc meliorem curam: & quod in me eſt, fugitiuas virtutes retrahere in noſtrum æuum. Valdè me huc incitat etiam tua admonitio, & votum, quo honorificè nimis epiſtolam tuam claudis. Vale Ampliſs. Domine. Lugduni Batau. x. Kalend. Septemb. ∞. Iↄ. LXXXIV.

EPISTOLA LXIV. *Leodium.*

LAEVINO TORRENTIO V. *ampliſſimo* S. D.

ITA Salus aliquando ſeriò me reſpiciat (nam hactenus quidem adit, abit, & vacillat) vt mihi inſigni gaudio imò robori ſunt tuæ litteræ, tam amanter ad Plantinum de me ſcriptæ. Te noui, me noui: & hoc ſcio, hunc tam prolixum adfectum non meruiſſe à tali viro. Quid dicam? me meaque offerrem & addicerem, niſi iam pridem addicta tibi, nexu quidem & vinclo, quod non niſi atra mors rumpet. Commentariunculas noſtras ſemeſtris hic morbus valdè tardauit: morbus, qui per interualla duxit me ad Fati limen, & reduxit. Nec nunc optimè: etſi in optimâ ſpe, vt Medici volunt, & iam in abſceſſu atque inclinatione ſit morbus. Abſque eo, iam & Suetonium meum haberes (meum? imò verè tuum, cum tuo integro Commentario, meis tantùm ad oram Notis: prætereà, votum tibi & dicatum:) & Dialogos noſtros De Rectâ inſtitutione iuuentutis, quibus ſermonis partes do Philippo Lanoyo & Pappio noſtro. Amo enim & amaui rectiſſimum ingenium adoleſcentis, digniſſimi hac vitâ, niſi meliorem ei Deus deſtinaſſet. Plura iubet amor meus, imò ardor: vetat languor, & ſerum hoc diei, quo litteræ tuæ conſpectæ nobis. Excuſa. & apud Dominicum Lampſonium item noſtrum, cui eis paucos dies vbertim ſcribam. Officij enim aliqua ceſſatio apud me per hos menſes, non amoris: qui mihi æternus in tales viros. Vale, & ſalutat à me Læuinius tuus. Lugduni, vt volunt, Batauorum. Poſtrid. Kalend. Ianuar. ∞. Iↄ. LXXXV.

EPISTOLA LXV. *Lugd. Bat.*

BONAVENTVRA VVLCANI, *Vir & collega amice,*

CALLIMACHVM, Bionem, Moſchum, iamnunc à te accepi: vno partu trigeminos, ratum & felicem ingenij tui fœtum. Publicâ cauſsâ (verè dicam) tibi debeo: priuatâ magis, quia duos ex iis mihi inſcribis, hoc eſt, immortalem me facis. quo quid homini ab homine maius dari poteſt? Viuent enim amœniſſimi poëtæ illi, quamdiu Muſæ: & cum iis tuus labor: & cum labore tuo meum nomen, quod Muſæo illi peplo intexuiſti amicâ & doctâ nimis acu. Gratias agam aut habeam? referre malim. & tamen verbis quoque nunc dicam, ſed paucis & fidis. Emptum me tibi hoc munere, mancipio tuum. & addo improbi hominis priſcas illas voces, ſed probè & ſinceriter: *Quid concupiſcas, tu videris: quod concupiueris, certè habebis.* Libros nouitios, quos è diuite bibliothecâ tuâ prompſeram, per hunc puerum recipe. De Collectaneis iudicium quæris? illud Iuliani ſcitum profero: * ἔγνων, ἀνέγνων, κατέγνων. Magis ad guſtum meum Conuiuialia Stuckij, ex eâdem gente, non ab eâdem mente. Firmiora hîc omnia & lectiora. De Sigma, quod obiter quærebas & videras, ille nihil nouis fortaſſe nunc ego. Nam quæ in antiquis ſcripſi, vacillantia aut falſa. Non enim Sigma antiquis Biclinium propriè, vt ſenſi

* *vidi, legi, damnaui.*

ego:

ego: non diæta aut cænatio tota, vt Cælius: non menſa ipſa, vt Brodæus: ſed niſi fallor, certa in cænatione pars ſeorſum erecta & exſtructa ad recipiendum lectum. idque hemicycli aut lunâta formâ, quâ littera illa Græca paſſim hodie in lapidibus & priſcis libris. Suggeſtum, inquam, quoddam ligneum (ſiue quâ meliore materiâ, non impedio) ſemirotundum: in quo perpetuus vnus lectus, ad ſex ſeptem conuiuas recipiendos. Quod velut dimidiatum triclinium repertum inferiore æuo, ad facilem & magis aptum vſum. Ab Apuleio hîc mihi prima lux, & à me illi. de Pſyche, lib. v. *Viſoque ſtatim proximo ſemirotundo ſuggeſto propter, inſtrumentum cænatorium rata refectui ſuo commodum, libens accumbit.* Non nominat Sigma, fateor: ſed auribus oculiſque ingerit quaſi nominaſſet, ita clarè. Semirotundum ſuggeſtum ponit, & Inſtrumentum cænatorium appellat. quid capere aliud eſt, quàm hoc Sigma? Triclinij enim certè non illa forma. Radium mihi etiam aliquem, etſi à tenebroſo æuo ſcriptor, allucet Ditmarus Epiſcopus lib. IV. Chronicor. De Othone Imperatore: *Imperator*, inquit, *antiquam Romanorum cupiens conſuetudinem reuocare, magnâ ex parte iam ſuis deletam temporibus, multa faciebat quæ diuerſi diuersè accipiebant. Solus ad menſam quaſi ſemicirculum factam, loco ceteris eminentiore ſedebat.* Quod libens item rettulerim ad Sigma: ſicut illud ad Principalem morem, quòd ſolus, quòd loco eminentiore. Sed menſam ipſam ad Sigma, lunatâ item formâ fuiſſe hinc diſcis. parte dico eâ, quâ conuiuas tangebat: nam illâ, quâ alios, fuerit lineâ ſanè rectâ, ad miniſterium & adſtitionem puerorum ſcilicet aptiore. Et quamquam de menſâ hîc Ditmarus: non tamen eam ſolam veniſſe in id nomen (eruditiſſimo Brodæo ſcriptum:) peruincit Sidonius, qui in his verſibus diſcriminat clarè:

Non tibi gemmatis ponentur prandia menſis,
Aſſyrius murex nec tibi ſigma dabit.

Ita omnino lego, non *Signa*, vt vulgò: Idem alibi nominat, & oſtendit duplex fuiſſe, Æſtiuum & Hibernum.

Cominus aſpicitur vel prima vel extima turris:
Mos erat hic dominis hibernum Sigma locare.

Vbi Locandi verbum refutat item Cælium, Diætam capientem ipſam. At ea non transfertur; non locatur in turre. Cetera, quæ huc faciunt, aut ego aut Stuckius iam diximus. De Antecænâ etiam ambigo, quòd ad vocem. Macrobius ſanè ita: ſed in Apuleio & Iſidoro tuo Antecænium, ſiue multitudinis caſu Antecænia reperio. quidni rectè, quo flexu à Scænâ Proſcænium? Ille libro II. ſic: *Prorſus gladiatoriæ Veneris antecænia.* Alter lib. XX. *Merenda eſt cibus qui declinante die ſumitur: quaſi poſt meridiem edendus & proxima cænæ. vnde & Antecænia à quibuſdam dicitur.* niſi ſi hîc vtrobique Antecæna reponenda: quod haud temerè putem. Salue iterùm mi Vulcani: iterumque tibi à me gratiæ. quas promam ſemper & recondam, habebo æternùm & debebo.

EPISTOLA LXVI. *Lutetiam.*

IANO GVILIELMIO S. D.

SERIÒ ægrotabam, mi Guilielmi, tamen expreſſit amor vt ſcriberem: non miraberis, ſi paucis. Hepatis enim acer nec ſine diſcrimine morbus eſt, qui me ſeptimanas iam aliquot adfligit: quam partem ad vitam eiuſque munia principem eſſe, non ignoras. Litteræ tuæ nuperrimæ ſuaues. celaſti in iis me de Epiſtolâ in Sigonium, quam miſſam tamen è Britanniâ vidi. Gaudeo conſpirate te mecum: cuius iudicium ſuper eâ Conſolatione credo te iam vidiſſe. Sed tu, ſodes; cur non acriùs paullò egiſti hanc cauſſam? Debebas. & ſine adſpectu illius, quem nimis attollis, falſæ huius prolis patrem. Agnoſco ſtylum, diſiunctum, otioſum, lentum: & illam (audeo apud te dicere) Sigoneitatem. Quid ſibi volunt Itali? Tranſalpinos omnes eſſe fungos? Scilicet nemo noſtrûm inter oletum illud diiudicet, & Tullianam myrrham. De Re Accipitrariâ nouitiæ & acutæ inuentionis carmen accepi: legi mihi iuſſi per hunc ipſum morbum. placuit. Gratias quæſo à me auctori & datori nuntia. cuius mihi laudes gratæ, eò inprimis, quòd iunxit me laudatiſſimis illis viris. De P. Fabro: gaudeo mihi impoſitum. Tamen ſcripſeram etiam aliquid ad Cuiacium. tu purga. Tacitus noſter prodit, & nouæ ad Hiſtorias reliquoſque libellos Notæ. ſed Notæ tantùm. plura valetudo vetuit, & hæ turbæ, quæ rerum & manſionis nos faciunt incertos. Saluta Briſſonium, Memmium, Scaligerum, & tu ſalue quidquid me erit. Conſtantia noſtra iterùm prodit, cum Præſcriptione aduerſus quoſdam, qui in ἀσεβείᾳ ἀσεβεῖς. Critica omnia noſtra imprimuntur vno volumine iunctim, quibus noua quædam addemus,

ſi valeo

ſi valeo & viuo. Lugduni Batauor. XIII. Kalend. Octob. ∞. IↃ. LXXXIV.

EPISTOLA LXVII.

IACOBO CVIACIO IC. S. *dico.*

SAEPE mihi de te ſermo, Cuiaci clariſſime virorum: apud te adhuc nullus. Hoc pudor vetuit: illud iuſſit amor & admiratio tui. quæ non apud me ſolùm, ſed apud omnes in quos ſcintilla aliqua diffuſa lucis melioris. Et eualuerunt tandem hæc duo, vt abrumperem ingenitum mihi modeſtiæ vinclum: & iter ad amicitiam tuam ſtruerem, ſine vllis cuniculis, apertè. *Perit enim procari, ſi latet*, aiebat ille: & ſæpè iam litteris nec vnis nec vnius, ſpes imò fiducia mihi facta mutui tui adfectus. Quæ non me fallet: ſi noui humanitatis verè genium, qui ſpirat in tuis ſcriptis. De rebus meis ſi in hoc aditu amicitiæ aliquid quæris: cetera commodè agimus, niſi quòd inter eos, quibus rerum bonarum non magnus ſenſus. Bella etiam & tumultus, quibus inuoluimur, fieri non poteſt quin interdum & tangant nos & angant. Si de ſtudiis: Commentarium Cornelianum vulgamus iterùm, ſed pleniorem. addimus enim in Hiſtorias & adiunctos libellos. Vtinam autem fas polire mihi eum præſentis tui limâ! Quia non licet, velim tibi animus otiumque ſit vel per litteras dirigendi me, corrigendi. Labimur enim, Cuiaci, in hoc genere ego aliique: & illa tua velut propria laus, exacta certaque eſſe quæ ſemel ex adyto tui pectoris profuſa. Paramus etiam de Amphitheatro ſeu Venatione libros tres, vt fiant legitimi Saturnales quinque. Neſcio quid præterea in Liuio nuper exorſus: quod pergam detexere, ſi auxilium mihi paullò firmius librorum. Duo treſque apud me ſunt: ſed quaſi de compacto conſentientes. Tu, vir maxime noſtri æui, ſi dignum me habes quem redames, quem rebus item tuis conſiliiſque (de litteris loquor) participes, in cælo me collocabis nouâ apotheôſi. Ioſ. Scaligerum quem ſcio me tantum amare quantum tu, & quantum te (liberè enim addo,) ex animo ſalutes velim: cuius libros De emendatione temporum auidè, auidè expectamus. Niſi ambitioſum ſit, includam in eamdem ſalutem magnum Briſſonium, Puteanum, Fabrum, Pythœoſque, viros clariſs. & ideò mihi quoque famâ notiſſimos. *Amare* autem *liceat, ſi potiri non licet.* Vale Vir clariſs. Lugduni, vt volunt, Batauor. III. Non. Octobreis.

EPISTOLA LXVIII.

THEODORO LEEWIO *Conſiliario* S. D.

DISTVLI ad te ſcribere, Vir clariſſime, non libens. Morbus meus hoc fecit, qui non ſine diſcrimine etiamnunc me vexat. Ego fero: & æquiſſimo animo exſpecto illum diem, quo Imperator hoc corpore, imò carcere, me ſoluet. Obſtructiones ſunt quæ me tenent, internæ inflammationes, neſcio quæ arcana alia ſymptomata, ad quæ medici ipſi trepidant & caligant. At non ego. Scio hanc legem vniuerſo humano generi datam: nec magis mirum aut nouum mori hominem, quàm naſci. Denique quid eſt quod in ſæculo hoc me teneat aut delectet? Publica video: peſſimè habet. Priuata: etiam in iis ſuæ cruces. Melonem noſtrum tibi gratum fuiſſe, mihi gratum. Sanè bonos & eximios aliquot habui hoc anno, ſed quid? ego, velut Tantalus ſitit inter ſuas vndas, eſurio inter medios melones. Nec guſtare quidem mihi fas, ob hunc morbum. Conſtantiam noſtram recudit Plantinus. paucà mutata aut addita præter Epiſtolam, quam videbis. Exemplar Latinum Seb. Gryphio noſtro dabis, cui ex voto debeo. Belgicum vxori tuæ ſeruiet: ſi tamen hæc ad ſapientiam illius ſexus. Sed tu, ſi tanti eſt, interpretando iuuabis. Ego te illamque ſaluere ex animo iubeo. nam longior ſcriptio mihi non facit. Valete vterque. Leidæ, IX. Septemb. ∞. IↃ. LXXXIV. hodie paullò rectiùs valere viſus ſum.

EPISTOLA LXIX.

MARTINO LYDIO S. D.

VALDE me, Lydi, de ſcriptiunculis meis vrges: vtique de Thraſeâ. quod nollem. Cur enim ex tanti? & ſi eſſent, non certè differrem, ſi otium aut vires mihi tempora darent & hæc valetudo. Quæ nunc quidem (deo magno gratia) præter ſpem melior: ſed infirma tamen ancepſque: & quam fouere ac vegetare per quietem debeo, quàm meditatione aut ſcriptione infringere. Paratus ſanè magnâ ex parte Thraſeas, fateor: ſed limam tamen exſpectat & extremam illam manum, quæ mihi quidem maxi-

maximè in labore. Cetera enim impetu & calore quodã ſcribimus: iudicij hîc res eſt, & acrimoniæ, & intentionis. Materiem ipſam vide, grauem, ſeriam: an præcipitanda tibi ea videtur, & in pugnam aut aciem vocanda mea fama? Futurum id enim certè in rebus illis ſublimibus, niſi omnia non benè ſolùm dicta, ſed etiam cautè. Sæculum hoc noui, contentiones & variantes ſententias, quæ vbique vigent. & vt veram liberè maximè exprimam (non enim vnquam deterrebor:) videndum tamen vt verbis & tempore id faciã opportunè. Feſtinare in alio quouis ſcripto poſſim fortaſſe, & debeã: hîc non niſi maturare. At de Agellio, ecce magis me tibi facilem. Etſi enim H. Stephanus iamnunc eum dedit: tamen non ſpicæ mihi ſolùm multæ, ſed faſces reliqui, quos carpam ex Attico eo agro. Itaque Plantino vltrò iam locutus ſum: nec differemus, ſi curſum typographiæ eius non ſiſtent aduerſi iſti venti. Nam Antuerpia ſi amittitur, optimi viri res in arcto: nec facilè de ſumptibus expediat aut papyro. Quamquam id quoque curabimus. Sed tu mi Lydi, quando in Friſiam? Gratulor enim tibi hoc otium, non otium: honeſtum tibi, vtile futurum iuuentuti. Meo voto & electione, iampridem tibi is locus apud nos fuiſſet, & Douſam habeo crebri iudicij huius mei teſtem. Sed Deo aliter viſum: qui te meque ad ſalutem foueat & firmet. Vale Vir amiciſſime. Lugduni Batauor. IV. Kalend. Iul. ∞. IↃ. LXXXV.

EPIST. LXX. *Brugas.*

VICTORI GISELINO S. D.

ITANE litteræ à Victore? tandem, tandem. Quod in gaudio improuiſo, vix credidi ipſe meis oculis cùm legerem, manibus cùm tenerem. Itaque verè ſcribis, pro bono tibi ceſſit peruicax ceſſatio: quia in morem abiſſe videbatur, & deſiiſti flagitari. Imò præſcriptio tibi iam pænè proderat (ſi Iuriſconſultus eſſe vis) niſi hæc interrupiſſet ſcriptio. Sed vide vt non ſpecimen ſolùm emendandi nobis præbeas, ſed re emendes? nec guſtum modò, ſed rectam plenamque cænam. Aliàs, quò arenti mihi & ſitienti paucula iſtæ guttæ, ſi venã tu iterùm intercluſurus es huius ſuauitatis? Sed non facies: quia non vltrà ego facilis in ignoſcendo, vel te auctore. Quòd ſi iram etiam meam contemnes: quid? quid? Veniam videlicet ipſe, & iterùm te mihi adſeram ſubtractum non bonã fraude. Trellæo illi dij omnes benefaciant: qui adiutor tibi, vt opinor, & interpres honeſtiſſimi muneris. Sed ad carmen eius ſuadéſne reſcribam? nec enim hominem ſatis noui aut mores. De ſcidis reciperatis, noua & mira. Sed ſiue illum pœnitentia (non enim pudor) furti ſubiit: ſiue eum apud quem depoſita: tibi quidem ex animo gratulor de receptis. Vide, vt te vnà cum illis. Nam certè, mi Victor, indignantur iampridem noſtræ deæ deſertas ſeà te, illo militiæ ſuæ principe olim & anteſignano. Purga: & oſtende emanſionem hanc fuiſſe tantùm, alendis ingenij viribus, & velut quiete irrigandis. De Plinio, ego quidem valdè ſum auctor. Nec excuſa velis modò, fides mea interueniet de ſucceſſu. Plantinus ædes hîc emit, Typographiam inſtituit, & videmur effecturi vt ſtipendium ab Ordinibus accipiat honeſtum. Fortaſſis ea res eriget excitabitque me ad ſtudia, aliàs ſæpè languentem. Laco noſter, vt audio, planiſſimè periit: nec deſeruit illum præeuntem Nemeſis, etſi pede claudo. A Cuiacio benigna multa ad me & honorata. Giſanij Agellium excudi audimus. quem ego ſcriptorem ante quattuor menſes ad Plantinum miſeram, ſeuerè & anxiè correctum: curque omiſerit aut dimiſerit, ne nunc quidem ſcio. Nec quæro ſanè aut curo. Nam ſi mens aut otium mihi, ſatis multa in aliis ſcriptoribus quæ agamus: ne eripiam hanc patri prolem, iam certè nubilem & plus quàm quindecennem. Scis quid ille ſemi-Italus queſtus de filiolâ ſuâ nuper: non ſine riſu meo, credo etiam veſtro. Quem mihi commendaſti, cupio omnia: ſed nihildum ego aut Duſa extricamus. Nam de Plantino quam ei ſpem oſtenderam, profertur in eius aduentum, id eſt ad initia veris. Antè nihil ſtatuere de domo ſuâ vult, aut poteſt. Duſa noſter Commentarios ad Petronium ſcripſerat, nunc totus in Hiſtoriâ concinnandâ ſuæ gentis.

EPIST. LXXI. *Londinum.*

IANO DOVSAE V. N. *Salutem opto.*

AN potiùs linguam? iſta enim deeſt, qui tamdiu ſiles. Vindictam talionis merebare: ſed noſter amor ſi non maior, certè acrior: procatur, & laceſſit te vltrò. Valemus ego, tui liberi, tua vxor. non meæ Muſæ, quæ frigent abſente ſuo ſole. Exore-

re.

re. & aut vultu tuo coràm calface; aut illinc ſaltem radios & ſtrictutas aliquot per epiſtolam mitte.

EPIST. LXXII. *Antuerpiam.*

IOANNI MOERENTORFIO S. *dico.*

VXOREM ad te tedeuntem, mi Moerentorfi, quî dimittam ſine litteris? Ægrè eas ſcribo, fateor: ſum enim in alienâ vrbe & domo: ſcribo tamen. ſiue quia debeo, ſiue quia valdè volo. De filioli tui apud nos obitu ſocer, credo, iam ſeripſit. Ego te ſoler? animo facio: verbis nunc non licet, nec opus eſt, ſi firmitudinem animi tui probè noui. Sæpè eam in litteris ad ſocerum aſpexi, ſed in alienis rebus: te illa deſeret in tuis? Non opinor. præſertim cùm ita placita tibi ea virtus, vt per eam Conſtantia etiam noſtra: quam non legis ſolùm auidè, ſed vertis. Vidi enim ſpecimen, & probo. illud vellem, plus aliquid tibi permitteres, nec veſtigia vſquequaque ſermonis Latini premeres pede tam certo. Arta per hanc curam verſio, adſtricta, tenuis, ſæpè obſcura. Eſt ſuus videlicet cuique linguæ Genius, quem non auellas, nec temerè migrare iuſſeris in corpus alienum. Quàm multa Latinè breuiter ſcripſerim; quæ ſi totidem verbis transferas, ſententia nec plana ſatis, nec plena ſit! Quàm multa rectè & altè: quæ in aliâ linguâ iaceant, aut vacillent! Quod iis præſertim euenit, quorum ſtilus paullò magis ab eruditione habet & à curâ. Iam alluſiones illas, annominationes, flexus, & in vno ſæpè verbo imagines, quæ tam dextra mens vertat, vt eadem vis iis aut Venus? Exorbita igitur: & hoc erit rectam in vertendo viam tenêre, viam non tenêre. De pecuniolâ Facuenſi grata tua cura. expediemúſne aliquid à nummario hoc tricone? quidquid erit, tibi debebo. De ciſtâ ſcriptoriâ, ô gratum & opportunum tuum munus! planè eâ egebam. gratiam tibi meæ Muſæ. Tu tam benignus in nos ſalue; & vide vt validum te reperiat valentula iam tua vxor. Delfis, III. Idus Septemb. ∞. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA LXXIII.

GEORGIO BENEDICTI.

ET carmen tuum valdè mihi gratum, mi Georgi, & beniuola memoria mei. ſed illud longè gratiſſimum, quòd valens & incolumis appuleris ea loca, ad quæ miſſus es velut ad mercatum artium ſeriarum. Philoſophiæ dico, & inprimis Theologiæ, ad quam poſtremam, non actiones ſolùm omnes tuas, ſed cogitationes neceſſum eſt collineare. Quæ tamen ipſa, quoniam ſine pietate & puritate nulla eſt; caue, te quæſo, ne quid labis aut maculæ trahas ex cœtu iuuentutis maculoſæ. Fuge illos, fuge, qui liberioris vitæ obtentu ad licentiam trahunt: quæ vna ianua & aditus ad omne ſcelus. Magna non fruſtrà nobis de iſto ingenio tuo pollicemur: tu vide ſollicitè, ne id deprauent praui. In flexu ipſo ætatis es: in quo ſi non laberis, ſperamus te inoffenſo deinde curſu pertingere poſſe ad metam. Vale. Lugduni Batauor. ∞. IↃ. LXXXIV. Deus te ſeruet, in quo & à quo omnis ſalus.

EPIST. LXXIV. *Lutetiam.*

IANO GVILIELMIO *meo* S. D.

EGO verò Quæſtiones tuas iam antè videram, & legeram cum curâ. An gemmæ hæ non luceant? an nos celentur? itaque non itero apud te iudicium meum, quod apud alios nuſquam celo. Si tamen de alterâ editione cogitas, ſunt minuta quædam quæ te monebo. Quid ni moneam? amici hoc eſt: & vtinam id mihi iuueni factum in meis ſcriptis! Quamquam reuerà tua iuuenile nihil ſpirant, matura, adſtricta, grauia: niſi quòd à iudicio tuo abeo in pauculis locis. Itaque abi, nec feſtinationem mihi excuſa, quâ nihil peccas. Noſter, ille noſter, etiamnum Lutetiæ? & quando tandem videbimus in luce illas Noctes? ſanè longa & difficilis ſatio in hoc Agello. & metuo vt acerbi etiam fructus, incuſante & incurſante Oberto. Doleo. ſed videor tamen de his ſtudiis noſtris poſſe dicere,

* *Δίκη δίκην ἔτικτε, καὶ βλάβη βλάβην.*

**Litem parit lis, noxa item noxam fert.*

Impudentiâ id fit & ſcæuitate quorumdam, qui perfudêre animum ſcientiâ, non imbuêre. Gulielmi Fumerij, ad De verborum ſignificatione, vidimus: probum, & ſine ambitione doctum planè opus. Faueo, admiror, amo. Petri Fabri Ad Regulas auidè exſpecto: nec inducor vt lædi me credam poſſe ab eo viro, non certè ſi me nouit. Quid tamen eius ſit (nam è Coluio noſtro inaudiui aliquid) liberè, vt oportet, ſcribe. Ego æquiter punctiunculas aliquot ſtili eius feram, qui ſæpè me iuuit. Errico Memmio viro ſummo, (ita dudum ſentio) meo nomine indica: ſcriptum ad me ab

Egmundo de oblatis Notis aliquot in Tacitum. ſed litteras eas tardè, imò ſerò redditas: itaque non poſtulaſſe eas me, habere tamen ei gratiam, proinde ac ſi impetraſſem. Dicare me ipſi hunc animum; & ſine fuco amorem. Clariſſimo viro Claudio Puteano, iam diu etiam laboro, vt animus meus innoteſcat. ſcio illum eſſe inter lumina illa Galliæ: & velim valdè eum à me ſalutere. Sed tu, mi Guilielmi, quid agis? quid cudis? vt enim vegetum ingenium tuum eſt, non ceſſas. Perge quæſo te gnauiter in hac viâ, quam ad æternitatem tibi ſtrauiſti. De Scaligero, doleo ſiue indignor eſſe nebulones, qui conuicientur & obſtrepant viro, quem non lædant (* ἀτρωτοί γε θεῶν παῖδες, ait Pindarus:) ſed nos per eum, & curſum illum impediant benè monendi & ſcribendi. Et quis, obſecro, ille Inſulanus, qui iactat etiam reges? Me pariter morantur interdum, & turbant hæ peſtes. De Ioſiæ Merceri Nonio, gratum. vrge vt promat. Ad Augerium Busbequium credo me nunc aut certè breuî ſcripturum, cum teſtimonio quod tibi debeo. Nicolao Fabro, Pythœis, Paſſeratio, multam à me ſalutem dicito. Vale; & ſalue à Douſâ noſtro. Lugduni Batauor. xv. Kalend. Iunias, ∞.IↃ.LXXXIV.

* Inuulnerabiles deorum liberi.

EPIST. LXXV. *Noribergam.*

IOACHIMO CAMERARIO *Doctori Medico*, S. M. *precor.*

EXHILARARVNT me litteræ tuæ ſolo nomine & aſpectu. Grati mihi ſemper Camerarij, ob vnum illum virum, quem Germania veſtra habuit ſine pari: & tu meritò inter eos, cuius beniuolentiæ in me olim ſigna non obſcura. Libellum à te miſſum falſi Ciceronis, cum iis quæ adiuncta, accepi & legi lubens. O duram frontem Sigonij, qui hoc pertendit! ſed ſentire eum ita ſeriò, vix fides. Quid autem ais de altero illo Riccoboni reſponſo, ſi vidiſti? ſatin' vt acriter & veris armis in Sigonium itur? Ait non obſcurè, illum ipſum auctorem eſſe laudatæ Conſolationis. Vide & ride hoc bellum Italum, cui me non miſceo. Vt quid enim? mihi tam clarum eſt quàm Solem illum lucere, ſcriptum hoc nouitium eſſe & improbæ nimis ſpei. Nec diſſentient, ſcio, docti. Sigonio ignoſcere poſſumus, ſi agit ſuam cauſſam. etſi metuo ne labecula aliqua ab hac re offuſa priſcæ illi gloriæ. Ita fit, ſi quis eam non habet cum modo. Nos Tacitum recudimus, & Conſtantiam in quâ Notas aliquot adiunximus, ad reprimendas calumnias quorumdam: quarum hoc ſanè ſæculum ferax. & eâ re tardari nos ad nouum aliquid pangendum non negamus. Andreæ Dudithij per te litteras accepi: viri magni, alti, & de quo illud poſſim

——* πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔργον.

Salueat à me, & tu vnà amiciſſime Camerari. Lugduni Batauor. XVI. Kalend. Iun. ∞.IↃ.LXXXIV.

* Effictum ex Ioue tamen.

EPIST. LXXVI. *Biturigas.*

IACOBO CVIACIO IC.

NON ipſe contentus in amicitiam tuam penetraſſe, aliis ecce fores aperio, quaſi in eâ vetus. Iuuenem hunc tibi commendo, familiarem nuper meum, oris & ingenij probi. Commendo autem ita, non vt ad interiorem illam amicitiam tuam admittas (aliis ſeruetur aditus ad illa adyta) ſed ad externam hanc notitiam, quæ in adfatu poſita & adſpectu. Hæc enim illi ſufficit: & adoleſcentibus id ætatis ſatis gloriæ, Vidiſſe, Conueniſſe. Quamquam hic etiam Audiſſe referet: quæ vnica illi cauſſa Biturigas, imò Galliam, petendi. Tu mi Cuiaci illum, vel meâ cauſſâ complectere, & me omnino, qui æternùm tuus. Lugduni Batauor. Non. April. ∞.IↃ.LXXXV.

EPIST. LXXVII. *Lutetiam.*

FRANCISCO RAPHELENGIO FRANCISCI F. S. D.

IAM vir es, laudo. Binas à te litteras accepi, tu à me nullas: non culpâ tamen noſtrâ (ſcripſimus enim vbertim nuper) ſed Legatorum qui diem ex die ducunt, & more ſuo morantur. In eorum enim comitatu I. Eſychius noſter eſt, cui faſciculum dedimus. Valetudo noſtra infirma, incerta. non etiam animus, cui fixum parêre & ſequi magnum illum Deum. At rumor ille falſus, qui vos terruit de meâ morte: qui tamen idem Brugis & Leodij ſparſus, ne mirer apud longinquiores Gallos. Homines de meo capite poſſunt ludere, ſtatuere tantùm ſupremus ille Princeps. Ego mortem non timere dudum didici: quin vt hæc tempora & languores mei ſunt, propior ſum appetenti.

——* Κρεῖσ-

*Melius eſt ſemel mori, Quàm continuenter in diem affligi malè.

——* Κρεῖσσον εἰσάπαξ θανεῖν
Ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς,

ait Æſchylus. In ſtudiis quòd pergis & perſeueras, gaudeo. quid ſequendum tibi, reperies in litteris meis primis. Paſſeratio ſedulam operam da: qui vna columna labenti nunc Scholæ. Nam vetus ſanè Pariſienſium doctorum gloria valdè flaccuit & imminuit. Sapientiæ ſtudia & virtutis ne omitte. Pietas tibi in mente, modeſtia ante oculos, & demiſſio animi: ad quam numquam ſatis te horter. Illa fundus bonorum omnium & fundamentum: nec peſtis alia plura ingenia abripuit, quàm Confidentia & æſtimatio ſui. Tu abſtine. Reuerà enim quid ſumus? quid ſcimus? Quò longiùs progrediere in ſcientiæ veræ viâ, tenebras, & circumfuſam caliginem magis cognoſces ingenio humano. De me ne labora, ſi quidam inuideant aut carpant. An ego eximius ſim inter homines qui ſunt, qui fuêre? Omnes qui excellere aliquâ in re conantur (non enim dicam qui excellunt) ſtatim adflauit & aduſſit maleuolentiæ iſta aura. Cita veteres, reperies. circumſpice hodie noſtros: idem. Quid miraris ſi Marculus aliquis hoc in me faciat, aut Lacon? Mihi ſententia de me, non niſi apud me fertur: nec quis ſim, alium rogo. Interno iſto iudice ſi probus audiam: quid addent aut dement mihi hi ſermones? Nec famam tamen ſperno, aut neglego: ſed hoc de te moneo, non eſſe eam noſtræ poteſtatis. ideò inter externa habendam, & in momentum nullum ad beatam tranquillamque vitam. Quis ſim, in me ſitum eſt: qualis audiam, in vano iſto vulgo. Sed ad te redeo. Iuxta ſapientiæ ſtudium, ſtilum cole & exerce: qui diuæ illius fidus & neceſſarius adminiſter. Quid enim recondita illa aliis prodeſit, niſi ſpargere & emittere ad plures eam poteris felici quadam pennâ? Stilum autem, meo iudicio, Plautus & Cicero tibi perficient: aptâ quadam, & quam ex me ſæpè audiſti, mixturâ. Æuum tuum vides? propera. non aliud magis idoneum diſciplinæ. Auum tuum vides? item propera. infirmus enim ille tibicen, qui te ſuſtentat. Morbi & languores cottidiani illum vrgent, facturi aliquando quod minantur. Quis autem ſtudiis tuis gubernator, amiſſo illo? Nam & ego ſanè infirmus. quo tamen viuo haud ſpero quidquam tibi deerit. Vale. & veram virtutem noſque ama. Lugduni Batauor. XVI. Kalend. Ianuar. ∞. Iↄ. LXXXIV.

EPIST. LXXVIII. *Aurelianum.*

EVERARDO POLLIONI S. D.

ERGÓNE in Galliâ tam diu es, & ſiles? Siue adfectum meum in te reſpicis, ſiue conſuetudinem quâ domi meæ vſus: peccas. Nam me certè vel morbus excuſat, qui quattuor iam menſes perpetim me vexat. Et tamen cum miti arbitro tibi res eſt. ſcribe, & excuſaſti. Loca illa quî placent? quî homines? Probi illîc, ſcio, improbique: ſed hos, mi Pollio, vita: & in primis ſi qui nequiores aut leuiores. quæ vetus gentis illius nota, & nunc per bella, per tumultus, auxit valdè. At illos (probos inquam doctóſque) elige & excerpe: his adhære: linguam ab iis diſce & mores. Vt aromata odorem ſemper aliquem adfricant tangenti: ſic boni & modeſti, auram aliquam ſuæ virtutis. Inter hos Aureliani (illîc enim agere te cenſeo) Furnerium anteceſſorem habeo: quem virum probum eſſe audio, penitus doctum è ſcriptis ſcio. Si potes, illi innoteſce: & ſi gratum eſſe putas, à me ſaluta. Peſtem in iis locis ſæuire accipio, niſi ſi iam deſæuiit hoc frigore & hac hieme. fuge contagem illam, quantum humaniter potes: ſed ante omnia peſtes illas animorum, ſodales malos, qui fraude & arte irrepunt & irrumpunt. Plura, cùm reſcripſeris. Nos enim adhuc in morbo: nec ſine diſcrimine, niſi clemens ille Deus auertat. qui virtutem modeſtiamque tibi ſeruet, & noſtri amorem. Lugduni Batauor. XVI. Kalend. Ianuar. ∞. Iↄ. LXXXIV.

EPISTOLA LXXIX.

MART. LYDIO S. *dico.*

SOLICITVDO tua de valetudine meâ, non magis mihi noua, quàm amor tuus, quem iamdiu oſtendis. Vtraque grata. conſilium etiam, quod amicè adiungis contra vim melancholici morbi. Sed mihi, mi Lydi, non planè capitalis ille morbus, non inquam vera Melancholia; ſed tantùm ſuboles eius, flatuoſa illa hypochondriaca adfectio, longa & ſæua nihilominùs, niſi quòd cerebro & menti adhuc parcit. Quæ conſtant mihi, niſi erro. Nam in hoc ipſo morbo illud mirum, quòd cùm maximè deſipiunt, ſapere maximè ſibi videntur: & ita aberrat à ſe mens, vt ſe non quærat. Libellum quem dicis Aloyſij Luiſini, vidi

numquam. argumento certè iamnunc placet, neſcio an tractatione. De Thraſeâ mèo aliiſque ſcriptis, quæſo minùs vrge. In morbo hoc niſi morbidum quid poſſim? & ego me ne ſanum quidem ad ſcribendum ſcio accedere, niſi cùm vegeta mihi mens & artus. Cum calore quodam noſtra illa pangimus, non minùs quàm poëtæ. At nunc frigeo & tigeo, anni tempore & morbo. Ego mortuus in Galliâ & alibi dictus ſum, vt ex litteris non vnis intellego: falsò. Vtinam tam falsò I. Guilielmius noſter, quem emigraſſe ſcies Iulio menſe Auarici Biturigum, correptum ardidâ febre. Item C. Sigonius in Italiâ abiit, reliquum in eâ gente lumen. Heri mihi dictus Cuiacius idem feciſſe, nec tamen certò. Quid ais? nónne funeſtus & fatalis ingeniis hic annus? videtur. De me, Deus ille & ſeruator meus videbit: qui nec præter mentem meam hac in re aliquid ſtatuet, nec præter votum: Obſecro enim quid nos teneat aut liget in hac fæce? Nihil me: qui magis magiſque in dies video & rideo furorem Principum & vulgi. Etiam priuata ſi introſpicis: miſeriæ, & angor, & languor: & cùm Homero

——* δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί.

* Mæror ſubit ex mærore.

Quæ tamen Chriſtiani meritò ferimus, quamdiu Deo illi viſum, qui explorat & purgat nos per hunc ignem. Tu vale. Lugd. Batau. XVI. Kalend. Ianuar. ∞. IↃ. LXXXIV.

EPIST. LXXX. *Romam.*

ROLANDO WINCELIO S. *mitto.*

Me quoque certè accendit ad redamandum amor hic tuus, cuius ſcintillæ exſiliunt & emicant in omni epiſtolæ tuæ parte. Quem quòd meritum meum ſiue aluit, ſiue accendit? Nam quòd magni æſtimas hoc neſcio quid litterularum, quod in nobis eſt; vide mi Winceli, ne abducat & ſeducat te adfectus. Voluimus ſanè quædam in publicum; ſed adoleſcentes, nec annis aut iudicio ſatis adhuc firmi. Quibus, benignè mecum agitur, ſi venia à Lectore tribuitur; nedum vt cumulus iſte laudum. At tu tamen ea extollis, & cum aliis quibuſdam errorem erras, quem negare mihi non poſſum eſſe gratum. Poſteritas ſaltem (vt ille inquit) ita de me meiſque aut erret, aut iudicet. Nam viuus certè iudicia multorum experiar valdè in me prona. Quorumdam etiam aduerſa, fateor. & cur offendar? ſcio quòd ſæpè meritò. Lapſi enim non ſemel ſumus, præſertim in iuuenilibus illis ſcriptis: quæ tamen nunc reprehendo & retracto, & à poſtremâ hac incude firmiora erunt, niſi fallor, contra malum dentem. Sed cur tamen in me iniqui? Dent mihi aliquem ex omnibus æuo noſtro Criticis, qui non peccent; & flageller ego ſolus. Sed hos omitto. illud tantùm inſtillo: ſi temerè arroſerint,

——* καὶ μῦς δάκοι ἄνδρα πονηρόν.

* Etiam mus momorderit virum improbum.

Sed libentiùs ad beniuolas & amicas animas deuenio, in quibus te auctore dehinc cenſeo Illuſtrem Gondoſaluum Pontium, Neapolitani Proregis nepotem: cui quid niſi gratias agam pro adſectu? addo etiam redamare me iure, etſi ignotum. quomodo enim non, qui tam benignè prouocat? De Mureto ſumma mea opinio eſt, & erit: & felices vos ſanè illo doctore. Patria noſtra porrò turbat: nec ſcio quando nobis adfulgebit tranquillitatis ille ſol. Itaque nos etiam ſæpè frangimur: niſi quòd conatus ſolari me meoſque Belgas ſum nupero De Conſtantiâ ſcripto. quod ſcite equidem velim; quî faciat ad Italorum teneram ſaliuam. Vale mi Winceli. iam enim interpellor, imò auocor. Nonas Apr. ∞. IↃ. LXXXIV.

EPIST. LXXXI. *Rotomagum.*

VICTORI *meo S. dico.*

Qvod deficientibus aſperſa frigida, hoc mihi veſtræ litteræ. Releuant recreantque labentem me, & virium adſpirant nouam auram. Hem, amor quid potes! tu honeſte, tu vere & qui ſemel in puro amicitiæ ſolo egiſti radices. Intemperies mea adhuc me tenet. ita enim veriùs appellitare videor poſſe, quàm morbum. Cetera valeo: calor tantùm moleſtus in hepate, meſenterio, & pænè dixerim venenatis in eo venis. Eæ ſunt, ex venulæ, quæ pugnam mihi cum ſtomacho mouent: quæ calorem eius ſuccumque ad ſe trahunt, malâ vi aut fraude. Capútne alterum de Melancholiâ Rondeletij tui legiſti? is purus putus meus morbus. Mytchialem Arabes, niſi fallot, appellant. Pugno ſanè cum eo ſtrenuè; & abieciſſe ſæpè videor, ſed vt Antæus quiſpiam, vireſcit & reſurgit. Frigidis iuuari imprimè videor: ſed crebra & continens eorum vſio, ſcis quàm non ventriculi ex vſu. Hic nodus. habes ei cuneum? an tu quoque cum veteris Scholæ medicis obhæres? Dico, veteris.

nam

nam iſti noui à Paracelſo, auxilium pollicentur ab Vitrioli aceto. Frigerare id aiunt, penetrare, aperire; & ſimul robur addere viſceribus & membris. Et ſanè (iram & vocem comprime) iam vtor, ſucceſſu non infelici. De exitu videbo: ſi iuuare ita porrò pergit, ego inuentorem hunc deum. Phlebotomiâ nuper etiam vſus eram, & iuuit valdè. ſed quid dicam? Vt ille iu Ætnâ ignis intervalla ſua habet, & cùm deſæuiiſſe creditur, redit: ita meus iſte. Quem niſi breui tollo, me tollet. Quid refert? generoſa & Herculea hæc ad cælum via eſt, per æſtum & per ignem. Ego, mi Victor, iamdudum paratus ad hoc iter: nec cum alio adfectu minor mihi pugna, quàm cum metu mortis. Vitam habeo, velut hoſpitem. ſi manet, non eiicio: ſi abit, non teneo, nec pænulam ſcindo. De Modio, grata mihi narratio. Faueo & faui iamdudum illi ingenio: nec (cùm à paucis vobis abii) in Belgio habeo, cui ſactum velim magis. Placent mores & indoles, & (conſtet ſibi tantùm, nec tranſuerſum eum abripiat aliquis Lacon) fructus, ſcio, dabit ſtudiorum. Sed cur ad me non ſcripſit? cur ne ſalutem quidem adſcripſit? Peccatum largum; ſiue illius qui dicere omiſit, ſiue tuum qui ſcribere. De Lacone quid? trepidas in aduentum eius & palles? Sta rantùm: ſpondeo tibi, fugit. Nihil eo homine * κροκοδειλώτερον. Scelera hoc faciunt, & occultum illud in pectore flagellum: quod commouet, quiſquis eum conſtantiùs aſpexit. De Apuleio & Pintiano, curæ habebo, imò iam habui: & indica ſi quis alius tibi à viuo mortuoque me vſus. Douſa in Angliam abiit legatus. Mihi, ſi vires paullò magis firmæ, (nam atrophia quædam coniuncta cum hoc languore) decretum Vbios excurrere, priuatæ meæ rei cauſſâ: & illinc Eburones, ad acidos fontes. Mira iis vis dicitur & propria in hunc morbum. Videbo. & pro valetudine omnia faciam, pro vitâ haud multum. Mori enim mihi non graue, graue tabere iſtud & languere. Tu ſalue, cum tuâ. Fratri tuo, ſi iam adeſt, amiciſſimam ſalutem: quem tuâ, & magis morum eius cauſſâ, ſeriò amo. Rubeaſium noſtrum valere audio, ſed calcere rotum in rebus. Dea Lua eum adiuuet, & nexibus illis malarum litium exſoluat, quibus implicatur. Valdè eum ſaluta, & iube (ita loquor) amantem me amet. In Batauis, XI. Kalend. Sextil. ∞. Iↄ. LXXXV.

* Crocodilo ſimilius.

EPIST. LXXXII. *Lutetiam.*

FRANCISCO RAPHELENGIO FILIO S. *dico.*

GRATAS exſpectataſque nobis fuiſſe tuas litteras, nihil opus eſt ſcribam. ſcio te id ſcire. etiam adfectum tuum amauimus, qui & in epiſtolâ ſe oſtendit, & in carmine quod adiunxti. Tu verò & in amore noſtri perge, & iu virtute ac modeſtia multò magis: ſine quibus caue cenſeas, non dicam famam vllam tibi eſſe poſſe, ſed vitam. Litterulæ enim, & aliæ elegantiæ ſiue cultus ingeniorum, vacuæ ab iſtis, ſordes ſunt & deliramenta mera. Modeſtia eſt, quæ ad cognitionem noſtri nos ducit: hæc ad virtutem & ad Deum, in quo omnis felicitas. De profeſſoribus quòd diſtinctè ſcripſiſti, gratum. Ego audiendi tibi Genebrardi auctor ſum in Hebræis, in Græcis Heliæ aut Gullonij, (nam magnus ille Auratus lectionem, vt audio, iam deſiit:) vt res ſuadebit, aut ſcriptor aliquis quem leget. Philoſophiam ante omnia non deſeres: cuius fructus demum guſtabis in progreſſu. At nunc obdura. Sed de litterariâ tuâ ſarcinâ, quid? perirne? inſignem * μανουλαν tuam: quam vide feriò emendes. etiámne in eadem ſorte meæ litteræ? Nam memini dare me tibi ad Memmium, & Pincæum, & Faucetium. cur non ſcribis, vt ſaltem iterùm ſcribam? Nam ſilentium meum trahi alioqui poſſit in culpam. Agellium (quandocumque difficilis ille partus lucem videbit) fac habeamus: & ſi quid aliud prodibit, quo ſcias nos capi. Scribe de P. Fabri ad Regulas iuris, an prodierit; aut potiùs mitte. quod facile tibi per Somnium. Contagionem peſtiferam valère iſtìc audio: tu quantum in te eſt vita, & ſegrega à turbâ. Abſtine à multiplici omni curſu, diſcurſu: donec hiems & gelu telum infregerint malæ diuæ. Valetudo mea nondum ex voto, melior tamen: ſed ita, vt nec corpus nec mens mihi ſatis firma. non certè ad labores. Itaque ſtudia noſtra ceſſant. non tuà ſpero: quæ niſi auidè, imò calidè proſequaris in hoc flore æui, fruſtrà poſteà quæres fructum. Hæc monita noſtra tuâ ſponte ſeruabis, confido: nequid tamen ea laxent alij, nonnullus mihi eſt metus. Quos vita, per Deum immortalem: & mala illa, ſoluta, & perulca ingenia, fuge ſupra ipſam

* negligentiam.

peſtem. Non enim hæc magis corrumpendo corpori eſt, quàm illi animo: cui per ſubdolas blanditias inſtillant & adfigunt venena. Euripidæum illud cogita,

——— * πόνος εὐκλείας πατήρ.

* *Labor gloriæ genitor.*

Auus tuus & auia valent. tibi volunt ſemperque volent, ſi voles ipſe. Salue & vale. Vxor mea te reſalutat. Lugduni Batauorum Prid. Kalend. Decemb. ∞.IↃ.LXXXIV.

Ecce tibi ad Busbequium librum & epiſtolam. ſi ita Porreto viſum fuerit, tu illi meo nomine dabis. Sed vide vt tales viros conuenias honeſtè & modeſtè. Hoc ætatem tuam, hoc inſtitutionem decet. Inter loquendum (moneo enim hunc, quia fortaſſe non alius tibi monitor) caue tua verba præcipites, ne ſint cum Humero * ἔπεα πτερόεντα. vitium tuum noſti: quod nunc aut numquam corrige, & effer ſermones tuos, clarè, articulatè, diſtinctè. Sed heu tu. de ſumptibus itinerariis tuis quid audio? valdè vos quidem largi. non conueniebat. An tempora hæc neſcitis anguſta, arcta? Sed in poſterum attentiorem futurum te confido. Vale. III. Kalend. Decemb. ∞.IↃ.LXXXIV.

* *Verba alata.*

EPIST. LXXXIII. *Lutetiam.*

PAVLO MELISSO S. D.

EPISTOLAM tuam, mi Meliſſe, quî non amem? indicem conſtantiæ tuæ in amore. & magis carmen, quod de morbo meo ſcriptum cum ingenio & adfectu. Gratiam habeo, & debeo. Sed te quis Deus, quæ Dea è Germaniâ tuâ mediâ traduxit ſubitò in Gallos! Amor niſi fallor, non ille à Cipride, ſed hic à Phœbo, diſcendi, videndi, & doctos cognoſcendi. Quorum omnium fores & pectora, non dubito, quin pateſcent tibi. Nos etiam in morbo: contra quem animo magis, quàm corpore pugno.

* Νόσους δ' ἀνάγκη τὰς θεηλάτους φέρειν,

* *Morbos neceſſum ferre cælitus datos,*

ait Sophocles. in I. Guilielmij morte valdè indolui. De vultu aut facie non eum noueram: optimè de animo. nec cenſeo melius aut rectius ingenium fuiſſe hoc æuo. Sed Deo ita viſum, optimos quoſque traducere ad optimam illam vitam. ad quam in tot turbis & moleſtiis nos quoque adſpiramus, & te ſaluere iubemus, optime poëtarum. Lugd. Bat. Kal. Decemb. ∞.IↃ.LXXXIV.

EPIST. LXXXIV. *Vltraiectum.*

THEODORO CANTERO V. N.

DIV & ſæpè ad te ſcripturio, mi Cantere: tardauit morbus, qui aliquoties minatus diſcedere, non diſcedit. Redit enim per interualla, & cùm ſeriò ſurrexiſſe me cenſeo, proſternit. Tamen nunc iterùm meliuſculè eſt, & omnino aut menſis huius genitalis aura me reficiet, aut nulla. Ad vos cogitaui ſæpiùs. (inuitabat, præter amorem veſtrum, aër) ſed abſterret via longior, imbecillitas, finitimi etiam nunc terrores. addere audeo, & conuiuia veſtra: quæ lenta nimis apud vos & lauta. Librum II. Electorum nuper demum tibi per Vulcanium miſi. credo accepiſti. Cetera ceſſamus: & ſatis abundè habeo, ſi omni curâ corpuſculum hoc ſuſtento. Labores certè nec ingenij quidem fero aut ſubeo, ſine manifeſtâ noxâ. Ferenda iſta: donec aliter viſum magno illi & benigno Deo, qui te mi Cantere ſeruet, & me (ſi ita expedit) aliquando firmet. Vale. Lugduni Batau. Non. April. ∞.IↃ.LXXXV.

EPIST. LXXXV. *Lutetiam.*

RENATO PINCAEO *Senatori Regio* S. D.

QVAE hæc tam obuia humanitas tua eſt, Vir clariſſime? quod vltrò appetendum mihi fuit, ipſe defers vltrò, amicitiam & coniunctionem tuam: quibus, moriar, ſi quidquam mihi gratius accidere poteſt à talibus Viris. Splendor, fama, opes haud altè me tangunt: iuuant & penetrant hæc iudicia, quæ proficiſci ſcio à viris, myſtis Virtutis & Doctrinæ. Quarum candidatum me non nego: ſed hoc tantùm. & vereor vt purpuram ſeriò vmquam induam tanti honoris. At vos ita benigni, vt non rem tantùm ametis, ſed vmbram etiam & ſpeciem, omneſque in quorum animis effulget aliqua * τοῦ καλοῦ imago. Itaque mi Pincæe (amicè & familiariter iamnunc te compello) amorem meum viciſſim ſeriò tibi offero: ſpondeoque futurum, priùs vt à me excidam, quàm vt ex animo meo illi, qui tam procliues ad me amandum. Ampliſſimo quidem Briſſonio, & Regij concilij & cœtus noſtri Præſidi, publicè deuinctum diu me ſcio; priuatim nunc, hâc amicâ ſalutatione. quam meo nomine illi reddes, cumulatam adfectus

* *Honeſti*

tui

aurâ. Vale vir Clariſſime, & litterarum hoc iter ſi crebrò teris, gratum mihi: qui numquam vincat in officij aut fidi amoris curſu. Lugduni Batauor. IX. Kalend. Octobr.

EPIST. LXXXVI. *Brugas.*

SALVTEM AMICISSIMAM IANO LERNVTIO.

TV certè, mi Lernuti, in amore iuxtà & in litteris prolixus. Nam Victor noſter quàm breuiculus! In hac taritate nuntiorum, difficultate temporum, tribúſne verbis ad Lipſium? Ita fecit. pro more ſuo, imò naturâ: quam quia noſco, ignoſco. At effuſionem tuam amo & amplector: cum quâ iure pariabo. Valetudo noſtra ne nunc quidem ex voto. Menſis Maius iuuiſſe aliquid & vegetaſſe viſus, ſed vt in floribus quoque, vigore fluido & haud diuturno. Anceps enim hæc ſanitas, mi Lernuti, anceps. Hodie ſtare me putem? cras relabor. vires recepiſſe? amitto: & quod medici mecum mirentur, cæcis nec liquentibus cauſſis. Calores ſaltem viſcerum ſentio & neſcio quos edaces æſtus. Quid me alioſque fallam? tabes ea eſt, niſi erro, & certâ ſed lentâ viâ eo ad mortem. Nec ingemiſco. Deo ita viſum: cui nos tam libenter, tam fortiter paremus, vt manum non verterim, hoc fiat an illud. Ennianum iſtud verè proclamo:

Viuam an moriar, nulla in me eſt metus.

Cur aliter adficiar? Æquiſſima hæc naturæ lex eſt, quæ pariter ligat omnes. Carnifex illud Fatum te meque exſpectat: & alium alio tempore duci iubet magnus ille Imperator. Ecce tibi plebeium aliquem tam conſtantem, vt lictorem ſuum ſequatur, & manum vltrò expoſcat percuſſoris: aliena ab eruditis vis ea ſit? Non à me: nec præibo ad mollitiem hanc exemplo. Vt fera auis, apertâ caueâ, non eiicitur, ſed euolat: ſic ego libens in apertum illum purumque campum. At enim iuuenis. Fateor, ſed vitæ huius tam ſatur, quàm Priamus aliquis aut Neſtor. Quouſque enim eadem? edere, bibere, legere, ſcribere: & adde miſerias, quas largiter ſuppeditat hoc æuum. Sed mitto hæc ſopha: ad martya venio tuarum litterarum. Electa noſtra Secunda probari tibi, ais vnicè. Gaudeo. eoque magis, quòd ſeriò verebar ne parùm ad Genium priorum ſcriptorum meorum is fœtus. In morbo quippe conceptus & editus, quid mirum ſi referat aliquid triſte & morbidum, & tabeat ipſe à ſpiritu hoc tabente? Quòd ſi aliter; præter ſpem meam eſt, non præter votum. Epigrammata tua in impurum illum valdè puta. Cur plura eius generis non mittis, reficiendi ſaltem mei? Paſcor enim libens hâc ambroſiâ: quam per altum iſtud otium vbertim neceſſum tibi eſt gigni. Sed illa aſpis etiámne Audomari? Æternùm velim, necubi propinquior halitu ſuo vos afflet. Agellius autem eius tam ambitioſè promiſſus, vbi eſt? Stephanicum enim vidimus, & in eo ſcommata ac tela non obſcurè in iſtum. O improbum pariter & infelicem! Vbique vapulat, & corpus eius tot cicatricibus infamiæ iam occalluit, vt plagæ nouæ non ſit locus. Et tu tamen hoc cadauer petis? me inuito: qui mucronem hunc acutiſſimi ingenij ſeruari & dirigi velim in digniorem hoſtem. Hic quidem calcandus eſt, non feriendus: & demittat atque abiiciat ſe neceſſum eſt, quiſquis eum tangat. De Modio, gratiſſima. vos monete, firmate, & comitate veſtrâ retinete, quæſo, in hâc meliore viâ. Fax aliqua Belgis aliquando ab ingenio illo. Rubicaſium noſtrum amo, & in pectore gero. Litigátne etiam & tricatur? an Grudios noſtros potiùs abiit, ſedem illam Muſarum olim & Gratiarum? Quæ breuî aſſurget, niſi fallor, & virorem & calorem iterùm ducet ab hoc Zephyro pacis. Ibi enim certè iam luceſcit: ſi verum quidem eſt de Machliniâ, quam deditam nos audiebamus. Critica noſtra en tibi. quibus * verſiculos de meliore venâ, Deo duce, audacter inſeruimus, numero ccc. vtinam comite Fortunâ! Spero. Vxori etiam Cilicis illius aliquid concredemus: nec de fide ambigimus, tantùm de ſucceſſu. Dî viales adeſte, dî præſtites, dî tutelares. En epiſtolam, an querelam? meri enim in eâ morbi & mortes, quæ non ingrata tamen tibi, ſiquid in Lipſio gratum habuiſti, præter corticem hunc externum. Ille enim abiicitur. at Lipſius veſter nullus moritur: eumque præire ſcitote, non perire. Longùm mihi ſaluete, tu, vxor, liberi. Lugduni in Bat. Kalend. Sextilib.

* *De aureis tranſmiſſis angmaeſt.*

EPIST. LXXXVII. *Lutetiam.*

ERRICO MEMMIO V. A. S. D.

ANIMVM ſæpè corpori imperare, vir Ampliſſime, non vanè dictum: ego teſtis. Ecce enim cùm Iani Guilielmij epiſtola

ſtola ad me veniſſet, amoris & iudicij tui de me index; etſi languebam ex acri & difficili morbo (nam hepar mihi laborat ex inflammatione & infarctu) tamen animum ſecura hæc manus eſt, & per adfectum potui, quod vix per vires. Scribo igitur; & gratias ſeriò tibi ago pro amico iſto in me animo, in eoque vt perſeueres, ſi neceſſum eſt, rogo. Etſi cur neceſſum? quem vltrò amandum delegiſti, non ſpernes, vt opinor, cupienrem iam, imò ambienrem. Vtar enim iſto verbo, & ambio reuerà amicitiam talium virorum & gratiam, quos velut ſidera quædam huius æui habeo, & à quibus lucem conciliare me poſſe ſcio pallenti meæ famæ. Quam vulgarem, & à vulgo, nihil moror: bonam, & à bonis, numquam contemnam. Vale Ampliſs. Domine, & à valente me litteras pleniores exſpecta, &, vt ſic dicam, magis robuſtas. Lugduni Batauor. IV. Kalend. Octob. ∞. Iↄ. LXXXIV.

EPIST. LXXXVIII. *In Holſatiam.*

HENRICO RANZOVIO, *Viro illuſtri, Vicario Regis Daniæ, Salutem mitto.*

LEVEM ſignificationem animi & iudicij tui, Vir illuſtris, pro beneficio habuerim: quid cenſes hoc teſtimonium & litteras, tam amicè ad me, tam honeſtè de me ſcriptas?

Omnes mortales ſeſe laudari expetunt,

ait poëta vetus: non valdè tamen ego, niſi à laudatis. Inter eos autem, quis ante Ranzouium mihi ſit? Genus tuum intueor? nobiliſſimus es. Famam? clariſſimus. Virtutem & doctrinam? vtrâque maximus. nec facilè quem his iunctim rebus prætulerim tibi, reperiam in Europâ. Itaque beaſti me hoc tuo iudicio, beaſti. & iam demum Conſtantia noſtra mihi placet, cùm illa vobis. Incitor ad ſcribenda talia: quæ apud rectas iſtas mentes ſint recta. Tribuni illi, quos indicas, me abſterreant? nihil. iactent ſe apud ſuam plebem: mihi adfatim ſatisfacitur, ſi eques hic plaudat & Senatus. Vt eadem purpura homines delectat & ad gaudium prouocat, tauros offendit & irritat ad pugnam: ſic eadem veritas aut virtus intellegentes capit, lædit improbos & imperitos. Itaque ſcribere hæc talia (quidquid incurrant) nihil tardor. & vt Luna, quod luminis à Sole accepit, infero huic mundo refundit: ſic libens ego dona, quæ à magno illo Deo. Qui te, Vir illuſtris, reip. & bonis ſeruet: & mihi hunc animum tuum, quem tam amanter defers. Vale. Lugduni Batauorum Idib. Februar. ∞. Iↄ. LXXXV.

EPIST. LXXXIX. *Delfos.*

PAVLO BVSIO V. *Ampliſſ.* S. D.

CVRATOREM te (ita iamnunc intellego) huic Scholæ datum, Vir Ampliſſime, iure tibi, & magis nobis gratulamur. Tibi honorem aliquem: nobis grande beneficium, quod ab hac electione meritò ſperamus. Speramus? imò iam tenemus. ea voluntas tua eſt in iuuandis optimis ſtudiis, ea facultas. Illa clara; qui omnia pro nobis egeris, laboraueris, re priuſquam titulo Curator. iſta etiam non obſcura; qui magnus es inter magnos. Sedes in hac publicâ, vt ſic dicam, naui, non inter remiges aut nauales ſocios, ſed inter eos qui ad gubernacula & ad ipſum clauum. Vis igitur, & potes: & ideò adfirmatiò mihi non iniuſta, de adfectu optimo & ſimul effectu. Sed ſub initia tuæ Curæ, ingeram tibi maximè curas duas; de Collegio & Philoſophiâ. Diu nimis dilata vtraque res, cum noſtro, imò cum patriæ damno. Collegium inquam ante omnia inſtituendum eſt, in quo ali iuuentus aliqua poſſit: certo numero, diſciplinâ, lege. Domus iis vna ſit, vna menſa, vnum caput: lectiones variæ, pro captu cuiuſque, & pro iudicio Præfecti. cui hîc & alibi diſtrictè parebunt. Numerum eſſe quàm maximum velim: certè non infra tricenos aut quadragenos. Sumptus in eam rem aliqui faciendi, fateor, ſed exigui pro fructu. Hoc ſeminarium lectiſſimorum hominum erit: hæc ſeges eorum, qui ad Eccleſiam, ad remp. admouendi. Nec alios legi quàm ex ipſâ patriâ velim, qui in eâ, pro eâ, & ab eâ alentur. Cur enim lac maternum hoc germanæ ſoboli præreptum, indulgeatur & immulgeatur exteris? ne facite: & ſumptus cùm à vobis, ad vos etiam fructus redundent. Cetera quæ ad legem & diſciplinam, tunc diſtinctè ſuperædificabo & addam, cùm poſitum hoc fundamentum. Quòd ſi Ordinibus de Collegio ægrè aut tardè perſuademus, (tempora video & impenſas:) age, inite ſaltem hanc viam alteram, quæ impendij minus habeat, compendij non minus. Pro Collegio, ſubſtituite Menſam communem. Ita ſuadeo, ad Germanorum aliquot Principum exemplum. qui in Academiis (vtamur voce tritâ) ſubſi-

ſubſidium hoc ſubtiliter & vtiliter inuenêre paupertinæ iuuentuti. Domum aliquam à ſe præbent, inſtruunt: nec eam nimis laxam. In hac Oeconomum cum familiâ collocant; cui cura nulla præter eorum, quæ ad victum. Conueniunt cum eo certis legibus: & ferè iſtis. Domum hanc, tibi & familiæ, habeto. frumenti annui tantum numerum, ad panem: tantum, ad zythum ſiue ad potum. Iuuenes cottidie ad menſam recipies quadragenos, quinquagenos. pro obſonio viritim quid pendent? Et ferè in ſeptimanas conuenit, de pretio aliquo minuto: inque vnum onus (excipio quòd cubiculum ſibi quiſque parat) incumbit iuuentuti. Singuli inquam pro obſonio obligantur, cetera liberi & immunes. Sed id quoque leges ſuas accipit, quantum & quale ab Oeconomo detur. Iam Rectoris & Profeſſorum illa cura eſt, qui ad hanc menſam admittantur, qui admiſſi reiiciantur: & quater anno recenſus habetur & examen eorum, qui beneficio Principali digni ſiue indigni. Submouentur, retinentur, ſubrogantur, vt cenſoribus illis viſum. Conuiuiolum iiſdem tunc, pro labore. Mihi crede, non alia res ſumptum minùs grandem habet, fructum magis certum. Nam in ordinariis illis collegiis, ſcimus quàm multa ambitu peccentur, admittendo, reiiciendo: ſcimus quàm verba ferè ſint, præclaræ illæ de diſciplinâ leges. Neſcio enim quomodo, aſſidua conuictio illa & contubernium, non ex vſu iuuentutis. qui, vtcumque arceas aut ſepares, ſermones communicant, conſilia, vitia, ſordes. Non id peccati in meâ Domo, in quâ, præter menſam, nil commune. Nec aliud ea eſt, quàm velut publicum Diuerſorium: ſed parcum, ſed honeſtum. Cogitabis: & cùm voles, colloquemur. Iam de Philoſophiâ, quàm turpe! Ceteras hîc minores, & velut ancillas artes, coli & colere: negligi illam dominam & reginam? locum ei non eſſe in proprio ſuo loco? Quo enim aliter hæc omnis Academiarum inſtitutio, quàm ad Prudentiam Sapientiamque inprimis ſpectat? Arqui ad eas Philoſophia ducit: quam tu, Vir ſapientiſſime, induce. Barbaries te terret, & ſpinoſa illa viarum? Pelle illam, has purga: quas patres noſtri malis tribulis, malis ſcrupis, impleuêre, per prauum acumen. Ipſam illam legitimâ Diuam reuocari à te volo: non hanc ſquallidam & perſonatam. Nam Scholarum hunc, ante annos trecentos aut quadringentos, vſum ſiue abuſum cur teneas? Speme. & redue omnia ad veterem veramque formam: cui, præter fructum, maior ſanè dignitas & venuſtas. Quis enim amœnior adoleſcens ad illa tam inamœna veniat? fugiunt imò, cùm aduenêre: & imbibere non iniutiâ ſpernunt tætrum illud abſynthium doctrinarum. Nos Ariſtotelem reducimus: ſed ipſum &, ſi me audis, non ſolùm. Ipſum dico. quia obſcuri illi in eum & aculeati Commentarij, cui rei? Detorquent rectiſſima ingenia, & in acuminum flexuoſos labyrinthos abducunt, à vero Philoſophiæ fine. Ipſum legiſſe, & intellexiſſe, ſatis ſit: & maximè in iis libris, quos hi minimè legunt. Logica illa ætatem eos occupant: concepta ab Ariſtotele fortaſſe, numquam ita ſcripta. Politica quis tangit? quis De animalibus? aliaque diuina, ob quæ mirati illum nos & priſci ſumus? Nam Ethica ipſa, leuiter libant & velut in tranſcurſu. Scilicet hoc iamdiu moribus his obtinuit, vt nulla pars minùs ad Philoſophiam facere cenſeatur, quàm quæ ad mores. Arqui ea præcipua erat, vel veriùs ſola. Iam, nec ſolùm, addidi: & bono iure. Cur enim vni Ariſtoteli locus in hoc procinctu ſit? Ille ſignifer quidem aut Imperator, ſi volunt: commilitent tamen alij, & in vnâ legione non vnus ſaltem Centurio aut Tribunus. Plato aliquod agmen mihi ducat, aliquod Epictetus, Plutarchus, Seneca: & in opinionum nonnullâ varietate, omnes tamen pro ſapientiâ & ſub eâ pugnent. In Ciuili & Morali eius parte, an ille à Lycæo indignetur Platonem ſibi apponi? fortaſſe nec præponi. ita diuinitus libri illi de Rep. & Legibus magnâ ex parte concepti ſunt & conſcripti. An Senecam ſæpè & Plutarchum? Idemque de Phyſicis cenſeam: ad quæ & Senecæ Quæſtiones Naturales, & Lucretij etiam liber ſextus, aliquod, me arbitro, adferant momentum. Nec enim vel poëtas expunxerim ex hoc maniplo: & cum fructu hæc talia publicitus legi cenſeam in Scholis. Sed plura item & diſtinctè magis huius rei, corâm. Illud mihi non monendus es, ſed rogandus, ne te alior ſum trahant iudicia quorumdam. Nouam viam noui homines ineunt: & exploſâ illâ ſectâ veteri, ſapientiæ frugem quærunt in agellis Rami, aut Philippi. Quid dicam? neutrum culpo. vterque doctus, ſedulus, induſtrius: ſed valdè erro, ſi errorem hunc errare nos voluerunt ipſi.

Compen-

Compendia perueniendi conſcripſerunt: an vetuerunt adite loca & templa ipſa? Atque iſti ita eos complectuntur; vt non viam illos, ſed metam cenſeant: nec per eos ad veteres tranſitum faciant, ſed in his ſubſiſtāt. De Philippo, vt vir fuit, aliam ei mentem fuiſſe planè ſcio: de Ramo, ſpero. Quòd ſi alteruter hoc adfectauit: ſi ipſe ſolium illud Sapientiæ inſidère, priſcis eiectis: næ ille apud ſapientes omnes valdè inſipiens. & quem iſtipſi tyrunculi Principatu mox deiicient, qui per prauam ſeditionem elegēre. Puetorum enim iſta (dicam liberè) illudia, & Saturnalitia dietum aliquot regna. Nec tamen eos ſpemo aut refuto prorſus (ſcio, & fateor, multa in his breuitate & ordine bona:) manêre tamen intra fortunam ſuam iubeo, contentos parietibus & auditionibus priuatis. Puluerem ſcholaſticum & aërem adfectant? non ferent: obruentur ſiculis & pugionibus iſtorum, qui prodeunt à Veteribus illis caſtris. Iuuentus noſtra à me hoc audiat: Numquam ille magnus erit, cui Ramus eſt magnus. Pergebam in hac ſcriptione: (vides quàm benigna materia:) reuocant me non meæ occupationes, ſed tuæ. Eas aſpicio: & in ambulatiunculam noſtram vnam, aut cænulam potiùs, hæc conferam, quàm vt manum tibi & mentem impleam epiſtolâ tam longâ. Quod initio dixi, repeto: gratulari me, & optare vt euræ has curas habere poſſis, non rogare. Cur enim rogem? ſcio te iuxtà ac me velle: nec penes te vmquam culpam fututam non impetrati huius aut non effecti. Deus illis, in quorum manu res eſt, tuam mentem det, tibi ſeruet. Vale Ampliſſime & amiciſſime vir. Lugduni Batauor. IV. Idus Iulias. ∞. IƆ. LXXXIII.

EPIST. XC. *Vltraiectum.*

FLORENTIO THINNIO
Syndico reipub. eius.

SILVI aliquamdiu Vir amiciſſime: ſed (dicam veram cauſſam) fiduciâ ſolâ amoris. Obliuio tui fuerit? abſit. hæres mihi tu & humanitas tua in medullis. Neglegentia mea? nec illa. quia alibi ſocors, numquam in hac parte quæ ad Amicos. Amor, inquam, fuit, firmus inter nos amor: & ab eo fiducia, quia tam certus eram non iraſci te poſſe Lipſio, quàm non amare. Et tamen ſiquid hîc quoque culpæ, morbus excuſet: ſub cuius vmbone ſæpè nunc in his talibus latito & me defendo. Nam etiamnunc apud me ille hoſpes, lentus, deſes, certus non abire. Vitrioli acetum à te nuper accepi, ſiquid acria eum fortaſſe fugarent: & vtor. Nam nec Heurnius noſter improbat, medicus mihi in omni hoc morbo fidus, peritus, & (quæ laus ei propria) cautus. Refrigerat ſanè aperitque inſigniter: ſed nocet exſiccando. Itaque nondum plenè iuuat. A Pollione noſtro ante biduum ad me litteræ. Omnia, quæ volumus. Aureliani ſanus agit: Furnerio innotuit: pecuniam accepit. Conſulit ſuper abitu, aut manſione. Illum ego ſuadeam, vt tem video & natas in regione eâ deſubitò turbas. Et Baſileam (anteà mihi ſcriptum) cur non emigret? placet locus, incolæ, mores. Atque adeò ſi nulla vis alia aut metus expellat, ſuadeam Germaniæ tamen adſpectum. Vtile enim & è re peregrinantium, qui Galliam inſederint, in illam tranſilire: vt ſiquid ex gente iſtâ adhæſerit exultans, diluant ſiue temperent Germanâ grauitate. Quærit & de Titulo, Vbi? Ego, dum rem adferat, Aureliani an Biturigis, non diſcerniam. Et illam adferet; aut valdè me fallent ſemina, quæ hîc iecerat firmioris doctrinæ. De rep. non illa mea cura. Tamen excuſſo Palinuro noſtro valdè fluctuatur hæc nauis, nec Æneam aliquem promprom video, qui ſuccedat ad clauum. Varij inter Ordines ſenſus: benè: ſi non diſſenſus. Deus videbit: ad quem confugio. quia, vt ſcitè Plinius, *tunc votorum præcipuus locus eſt, cùm ſpei nullus eſt.* Quæ ipſa vota mihi interpoſita pro tuâ meaque (ſi id expedit) ſalute. Vale. Lugduni Batauorum, a.d. XII. Kalend. Iulias. ∞. IƆ. LXXXV.

EPISTOLA XCI.

CAROLO CLVSIO V. C.

MI Cluſi, & litteras tuas accepi, & cum iis theſaurum (ex animo ſic appello) hortenſem. Cariores mihi bulbi illi Tuliparum ſelectarum, quos ad me mittis, quàm ſi globulos totidem ex auro vel argento. Vulgus non credat? ego de meo animo & ex animo loqnor. Grandes tibi gratias habeo: & cùm habeo, debeo: ac debebo ſemper. Infortunium quod in pede tibi euênit, mihi dolet. ſed quid? tu hanc fortem, ego aliam: & quemque clade aliquâ internâ ſiue externâ afficit Homerica illa

Ate.

Ate. Dea triſtis, amara, petambulat hunc orbem, neſcio quomodo magis celeri pede, quàm candidæ Litæ. At tu quieſcis, & id luges. Vtinam nobis domi illa deſidia! Sed (en tempora, mi Cluſi, imminent) iactamur & pellimur ad neſcio quæ terrarum. Nam hic palàm diſcidia. Tamen ſermo etiam aliquis de Irene: ſed vereor, vt ſermo. Te vocaui nuper: nunc reuoco, cùm video inſtabilem ſtatum. Nos in ſtudiis agimus, & promouemus haud multum inter tot turbas: tamen his diebus feriatis neſcio quid in Senecam adnotauimus Tragicum, quæ mitto, ſi te fortè delectat ille poëta. Paramus Politica, & grandiora quædam; ſed quid mihi aut tibi ſpondeam, per hæc tempora & valetudinem hanc incertam? Hoc vnum. amare me virtutem, doctrinam, & amaturum ſemper: eoſque qui eâ præditi. te, mi Cluſi, inter primos. Vale. Lugduni Batau. VII. Kalend. Nouemb.

EPIST. XCII. *Preſſauiam.*

ANDREAE DVDITHIO V. N. *Cæſ. Conſiliario* S. D.

IN ruborem me das hâc humanitate tuâ, Vir illuſtris. Scribis vltrò, compellas vltrò: & promis atque offers ea, quæ improbæ pænè mentis ſit à tali viro ſperaſſe. Ego enim te noui Dudithi. & quamquam inter nos multæ terræ, multi montes: tamen etiam huc penetrauit ſedudum fama nominis tui & virtutis. Boni omnes ita me probent amentque, vt iam pridem ego te, etſi tacito dumtaxat quodam ſenſu. Quæ enim mihi occaſio aperiendi? ad quam præiuiſſe nunc te, & velut ſtrauiſſe hoc iter beniuolentiæ & amoris, ſanè gaudeo. In quo ſedulò & cum fide decurrendo, numquam erit vt vincar. Libellos noſtros & Conſtantiam laudas. mentiar, niſi id mihi gratum: non quia laudes me capiant nimis aut titillent, ſed quia teſtimonia talium virorum. Itaque addis ad reliqua calcar. quo egere nos interdum fateor, ob iudicia ſiue calumnias quorumdam. Nam valetudo mea nunc (propitio Deo dixerim) nihil impedit: & querela illa, quam Conſtantiæ ſubtexui, ſcripta in morbo meo ante aliquot annos. De Amphitheatro librum edidimus: quem mitto ad te non vt munus, ſed nouæ amicitiæ velut arram. Superſunt Saturnalium aliquot libri: qui digeſti, imò perfecti, niſi quòd aliquam expectant iudicij limam. Quam haut facilè adhibeo, partim negotiis diſtrictus, partim his bellis: contra quæ etſi ſtamus erecti, tamen auocant ſæpè hunc animum à talibus cogitationibus, & in ſe intendunt. Remedium tu amice offers: ſcio enim quod domiciliũ, & apud quem, deſignes: & exoſculor adfectum. Sed multa mihi nunc impedimento. familia, vxor, (nulli tamen liberi) parui è ſorore nepotes, quibus tutor ego, illâ nuper mortuâ, imò velut pater. Sed nec corpus mihi nimis firmum ad longum iter: etſi integra adhuc & viridis ætas. Itaque non decretum mihi commouere ex hac patriâ, niſi fluctu aliquo maiore expellar: quod non ſemel nobis timendum videtur, in hâc tam diuturnâ tempeſtate. Alioqui beniuolè me habent Bataui, & ſtipendio ſanè honeſto. Nicaſiũ Ellebodium ab adſpectu numquam noui, optimè à nomine: iam tunc cùm Romæ apud Cardin. Granuellanum agerem, paucis menſibus poſt eius diſceſſum. Nam ipſe tunc Patauij: & ſcio me aliquando ad eum ſcripſiſſe, Cardinalis nomine & iuſſu. Scire velim viuátne, & eequid agat. Idem de Michaële Bruto: quem ex Epiſtolis editis video tibi amicum, itemque ex Præfatione eâ, quæ in iudicio tuo de Cometis. quem libellum iam olim auidè legi & cum fructu. De ** Mathematico ſcripſeram olim ad Ortelium, ſed neſcio reuerà ſitne futurus ad ſaliuam veſtram & guſtum. Mathematicus enim merus eſt, ſine aliâ arte, imò pænè linguâ: denique ex genere, qui *μηχανικοὶ* potiùs quàm *θεωρητικοί*. Adde quòd ægrè nunc auellatur ab his locis, in quibus arti eius honos & vſus. Siquid de altero eruam, non grauabor indicare. Donellus Iuriſc. amicè te reſalutat: quem Norici abſtrahere conati à nobis ad Altorfianam Academiam, fruſtrà. Manet enim manſuruſque eſt, quamdiu hæc ſchola. Valdè & tibi ſe inſinuat noſter Douſa: itemque Plantinus, qui apud nos nunc agit, & caſu cùm has ſcriberem interuenit. Vale Ampliſſime & nobiliſſime Domine. Lugduni Batauor. ∞. IƆ. LXXXIV. Saluto ex animo D. Monauium, ſi eſt iſtîc.

EPIST. XCIII. *Middelburgum.*

IANO GRVTERO S. D.

IMPEDITVM in Galliam iter tuum moleſtè fero. & hoc tamen malo, quàm vt cùm perueneris, periculum tibi aut fuga. Quam-

Quamquã rumores illi magis grandes fortaſſe, quàm graues. Sanè qui modeſtiores illinc veniunt, omnia magis placida nuntiant, nec de bello etiamnunc aperto. Suſpectam tamen pacem eſſe fateor: ſed quando non in illâ gente? vtique hoc ſtatu: quo de religione illud diſcidium malè ſartum malè coit. Conſilium tamen à me ſi quæris: ego cenſeã per Galliam tranſire te poſſe ad Germaniæ fines. Baſileam vel Argentoratum dico: atque illic velut è ſpeculâ proſpicere quis in Galliâ ventus. Si Zephyri pacati: redire. ſi Auſtri aut Noti: hærere apud craſſiorem, ſed & quietiorem gentem. Omnino conſilium non eſt, dare te fruſtrà & cupidè in turbas. quarum ſi tibi amor: mane apud infelices Belgas. De Electis meis. ſi is, fer ad Briſſonium vnà: ſi manes aut aliud iter capis, remitte. Nam vt per nuntium, non ſunt tanti. atque ego tantum munus illud velut conciliando tibi viro magno dederam, & aditu muniendo. Vale, & ſalue à me nondum ſaluo. Lugduni Batauor. XIV. Kalend. Maias. ∞. IↃ. LXXXV.

EPIST. XCIV. *Antuerpiam.*

ADOLPHO METKERCHO
Præſidi Flandriæ S. D.

QVÒD rariùs te appello, Vir ampliſſime, ab occupationibus tuis eſt, non à meis. Illis hoc largior: quas cùm in reip. curâ & patriæ noſtræ ſalute defigas, non inſcitus ſolùm ſed impius ſim, ſi temerè interpellem. Et verò quid magnopere ad te ſcribam, præter colere me & amare? neutrum ambiguum, qui deberi hoc tibi à bonis omnibus ſcis & iam reddi. Effecit enim dudum (ratum in * πολιτικῷ) integritas tua & mira probitas, vt inuidiam odiumque non minùs in aliis viceris, quàm auaritiam in te & ambitionem. Ad patriæ ſalutem conſilia tua omnia diriguntur; ad tuam, ciuium vota. Sed hæc apud alios malo. Studia noſtra per has turbas non vigent, ſed nec planè ceſſant. Aliquid De Pronunciatione linguæ Latinæ meditabamur, vt tu de Græcæ: ſed exemplo magis eodem, quàm curâ fortaſſe aut ſucceſſu. Tenuis enim hæc materia: & quam vix impleam, niſi à ſuſpicionibus & coniecturis. Nam auctoritatum nos hîc ferè inopes. Plantinus etiam ad Grammaticam concinnandam impellebat, quæ communis Belgio vniuerſo eſſet. ſperabat id enim Ordines decreturos. Vix ego. nec ſi faciant tamen, valdè ingenio aut Genio meo ſcriptio talis. Quamquam fateor vtiliſſimi inſtituti rem fore: nec magis peccari in iuuentute inſtituendâ, quàm hac Grammaticarum varietate. Inter magiſtellos factionum res eſt: & quiſque hanc aut illam præfert, quia poſthabuit eam alter. Iam illi ipſi qui condunt, quid? hoc vno reges. Mihi puero triplex olim Grammatica prælecta, in triplici migratione. Ad annum decimumtertium nugæ illæ tenuerunt; & adfirmo tibi ab anno octauo eadem me tenuiſſe, etſi non eodem modo. Quinque illi anni ſi in ſtilo & grauiorum rerum ſcientiâ poſiti fuiſſent, quis mihi fructus? Et hæc peccantur cotidie, non tam imperitiâ, quàm ambitu docentium & prauitate. Cui vos quoque, velut publico malo, mederi par ſit: ſi tamen à grauioribus illis reſpiratis paullùm & ad mortem morbis. Quos Deus aliquando à miſerâ hac Belgicâ auertat, & te Vir Ampliſſime nobis illiqúe ſeruet. Vale. Lugduni Batau. III. Idus Nouemb. ∞. IↃ. LXXXII.

* *Adminiſtra reip.*

EPIST. XCV. *Lutetiam.*

M. VALERIO COLLINO
S. *multam precor.*

NON largiter ſolùm, mi Colline, ſed, quæ maior laus, firmiter amas. Louanij cœpiſti: comitatus te in Galliam adfectus etiamnunc non deſerit, etſi in temporum & locorum grandi interuallo. Adde inter nos ſilentium: quod frigus inducere potuerit vel incitatiſſimo amori. At tuus nec intepuit quidem: & ſcintillas acres ſparſas video, & colligo in epiſtolæ tuæ omni parte. Redamo, redamo; & iure, pectus tam fidum, tam amicum. Locum ſic ſatis honeſtum tibi illîc eſſe gratulor: nec, ſi me audis, muta. Ad patriam enim cur aſpires? Zephyri interdum aliqui melioris ſpei, fateor: ſed turbant ſubitò ex tranſuerſo Noti. Cur autem iuuenilem hanc, vt ſic dicam, nauim in feruidum illud fretum immittas; cùm ſtatio tibi aliqua ſaltem, ſi non portus? Obducta. credo aliquando, poſt tam diuturnas tenebras, miſeris Belgis ſol aliquis illucebit firmioris pacis. Nos quoque non mutamus: etſi exteri ianuam aperiant & inuitent. De pugnis, quas in improbos quoſdam pro me pugnas, (ita ſcribis:) gratum, nec gratum. Ab adfectu gratum: re diſplicet & effectu. Quid enim litigio iſto

vincis?

vincis? non illos meliores facis: non me honeſtiorem, quem nihil maculant linguarum illæ ſordes. Ita ſeriò ſentio. laudari me, cùm culpant tam illaudati. Non virus illud homuncionis ego noui? inter cuius minimas culpas eſt liuor. Alia peccata ſunt, quæ ipſum eoſque perdiderunt & perdunt, qui adhæreſcunt. imò qui tangunt. Tu fuge igitur, non pugna. Ceſſiſſe hîc præſtat, quàm inceſſiſſe: quia nec vincis quidem ac repellis ſine maculâ tam maculoſos. De Hoſpitalij Epiſtolis editis, valdè gratum. haueo inſpicere: magis quàm illos ad Ciceronem Commentarios, famæ grandioris quàm rei. Quid refert? emptores ſuos, imò & amatores reperient vana illa doctrinarum. Nos ſolida nihilominùs amabimus, contra iudicium hoc vulgi; & te vnà, mi Colline, quamdiu tu me & virtutem. Vale. Lugduni Bat. Pridie Kalend. Septemb. ∞.IↃ.LXXXV.

EPISTOLA XCVI.

IANO DOVSAE *meo* S. *dico.*

LEGI ad vxorem litteras tuas, quâ de me erant. Bellum hominem & facetum! qui tam arguto ſchemate ſcribis ad me, & non ſcribis. Quid cenſes? excuſatum iri te? Non debebas. præſertim cùm non alieni ſolùm multi huc cottidie, ſed ipſe à te tuus homo. Et tamen excuſo. non tam arte iſtâ captus, quàm inductus à naturâ tuâ: quam cetera efficientiſſimam, ceſſare plerumque ſcio & faſtidire in ſcribendo. Culpa ea in amicitiâ, fateor: ſed cui non ſua labes? Nec circumfuſa illa Thetys eam in te eluerit ſuis vndis: nedum vt ego me poſtulem minis. Taceo igitur, & patior. Emanſio veſtra præter vulgi vota & noſtram ſpem eſt. Etiámne in illâ aulâ tricæ & remoræ? nec tamen mirot in re tam intricatâ: cui, in vrbe vrbium iam amiſsâ, nouus nodus. Multi apud nos concidunt, multi dilabuntur. è familiaribus tuis abit quantum poteſt *Iupiter ille Tonans.* Iam valedixit, iam ſarcinas collegit, iam eſt in viâ. non tenuerint hominem Batauæ omnes quadrigæ. O vim metus, & verè * τὰ πίτπτερα δεῖμα! A quo pennas etiam Hybrida noſter ſumit, ad eamdem fugam. qui tamen diſſimular, & reſiſtet, vt ait, hac hieme: ſcilicet cum ciconiis ad vos venturus, ſub æſtatem. Ceteri valemus, & ſtamus. Valemus. vt & me includam: haud planè etiam firmum, adſidentem tamen iam ſanis, imò & accumben-

* timor pes-ſis alas!

tem. Nam conuiuiola etiam obire hilariter audemus: quibus ades plurimum, & non ades. Nam mens noſtra ſæpè apud te, & de te lingua. At inuitatiunculâ tuâ, & illorum procerum, nunc non vtor. Dî boni, quàm voluiſſem nobiliſſimam inſulam! Sed anteà languor impediuit; nunc hiems, quæ per continentes has tempeſtates occupat præmaturè. E Galliâ mihi litteræ; & hoc noui, Petronium ibi recuſum cum tuis Notis. Apud me eſt, videbis redux. De Mureto, nuntiant vixiſſe. anteà tamen Senecam Romæ edidiſſe caſtigatum & illuſtratum. Valdè velim vidiſſe. Rogertius noſter iſtîc quî valet? quem inuideo tibi, te illi. Fabulamini enim aſſiduè, muginamini, & eſtis vnà quando libet, quamdiu libet. ô beatum par! & quod vtinam per me impar! Saluta ſodes, & excuſa me de ſilentio iuſtiſſimâ morbi cauſsâ. Sed heus tu! imitabor tuum οὐ-φισμα, & ad alium id hac epiſtolâ ſcribam. Cognatus mihi illîc eſt in comitatu Buſij, ... appella hominem, saluta, (caue neglexeris.) dic accepiſſe vnas eius litteras, cupere plures. reſponſurum me in breui: impeditum adhuc morbo. O velum mihi vtile, & hâc ſaltem parte ſalutarem morbum! patrocinatur in omni culpâ. Tu ne inuide, cui frons tam dura, vt excuſari etiam poſcas & poſſis ſine illo. Nos editionem Epiſtolarum paramus (ſi quid fortè ſubitum in hoc morbo) & iam concinnauimus ad libros plures. Tardat, quòd offenſam alibi aut inuidiam veremur, ex candore & libertate. Quomodo tamen aliter ad amicos ſcribamus? Sed videbo, & incîdam aut recîdam: nequi noui in nos venti. Qui vtinam te referant, mihi, vxorique! quorum altera te amat, altera perit. Vale. Lugd. noſtræ, Kalend. Septemb. ∞.IↃ.LXXXV.

EPIST. XCVII. *Leodium.*

LAEVINO TORRENTIO V. *Ampliſſimo* S. D.

LITTERAE tuæ quàm gratæ mihi acciderint, haud facilè effabor. Mittentem intueor? ſcio ab eo viro, à quo noſci perhoneſtum, non dicam compellari. Ipſas? plenæ ſunt fidæ cuiuſdam beniuolentiæ, & ſalutarium præceptorum. Et fateor, de Conſtantiâ meâ iure ita ſentis. Aptare enim veterem philoſophiam ad Chriſtianam veritatem volui: & in cogitatione eâ totus dum ſum, illapſa & elapſa mihi quædam fortaſ-

ſe, quæ illam magis ſapiant quàm iſtam. Non purgo. correctionem imò polliceor. & effecturum me vt ad culmen illud veniam, à primo iſto velut gradu. Ego enim ſeriò ſcio & ſentio, in vno Deo & Filio eius Chriſto, qui nos benignè redemit, liberauit, ſpem omnem poſitâ humanæ ſalutis. Vias ad eam perueniendi, expreſſas in Sacris litteris. nec hæc externa omnia, & Philologa ſiue Philoſopha, aliud eſſe quàm acceſſiones quaſdam & ornamenta: folia inquam, non fructus. Quod iudicium meum in iſto ipſo de Conſtantiâ libro in fronte apparebit: qui iam iterùm ſub Plantiniano prælo. At Senecam & Stoïcos admiratus ſum. Certè. ſed non vt qui verum, me iudice, viderint: ſed qui paullò magis tamen in iis tenebris oculos aperuerint, quàm ceterum vulgus. De immortalitate noſtrâ aut malè aut timidè ſenſerunt, & ſcripſerunt: eſto. (etſi diſputari eâ de re poteſt) deum tamen adſpice: quæ ſecta aut illum magis aperuit & homini inſeruit, aut ea quæ ad ipſum? maieſtatem dico eius, prouidentiam, gubernationem, & curam noſtri. Quem primum limitem eſſe ad cognitionem & amorem veri dei, nemo negat. Hæc mihi ſectam illam non probam prorſus fecerunt (abſit:) ſed probabilem tamen ſupra ceteras, quæ magis humi & circa hominem repunt. Iam de moribus & animorum luſtratione, quis Senecæ, Epicteto, Arriano (quamquam ille, Epictetus alter eſt, & loquitur ferè eius verbis) hac parte præponendus? Multa & præclara Plato, confiteor, multa Ariſtoteles: ſed non robore eodem aut neruis. Spirat neſcio quis calor in Senecæ aut Epicteti ſcriptis, qui ad lectorem quoque peruenit: nec diſſerere illi magis de virtute videntur, quàm inſerere & inculcare. Quòd ſi vitâ eam & factis non expreſsêre: quid miramur? Veræ fidei & veræ lucis fulcrum illud defuit: cui qui non innixus, neceſſum eſt in partem aliquam ruat. Et tamen hîc quoque facilè peccari ſentio, ſi quis eos nimis apud lubricam iuuentutem hanc miretur & laudet. Abſtrahat enim à veris & legitimis illis animorum medicis, alliget ad agyrtas iſtos. quod cùm aliis, tum mihi quoque deinceps cenſeo cauendum. Non enim ſatis, ne ipſe errem; ſed ne alteri ſim erroris cauſſa. Itaque, vt illuc redeam, iure quædam in ſcripto illo meo deſideras: & præſertim magis expreſſam pietatem. Quam ego, te hortatore & duce, non animo meo deinceps geram incluſam, ſed proferam & præferam clarè in ſcriptis. Factum antè à me parciùs, (ſi veram cauſſam vis) in hoc ancipiti ſtatu rerum & varietate iudiciorum, metu offenſionum. At ego te ſequor: nec inuitus in placidum illud mare rapior ab hoc Torrente. Quod ſupereſt, & te (vir maxime) ex animo amari & coli à me ſcito. & canam illam veritatem. De Douſâ hoc quoque confirmo, virum modeſtiſſimum optimumque eſſe, & tui amantem. Plantinus ad nos redierat: è quo ſperamus aliquid audituros de tuis ſcriptis: quæ æſtimari magis à nobis ſcito, quàm apud te promo. Vale. Lugd. Bat. Prid. Nonas Maij. ∞. Iↄ. LXXXIV. Dominic. Lampſonium valdè velim à me ſalutes, cuius litteras accepi, at non illud quod in iis promiſſum. Item Læuinium, ſororis tuæ filium.

EPIST. XCIIX. *Lutetiam.*

HENRICO WILTIO S. D.

QVÒD ſalui adueneritis, idque ex litteris tuis intellexerim, valdè gratum. contrà moleſtiſſimum audire, de morte Sigonij & Guilielmij. Sed ille præter ætatem nihil paſſus eſt, (caneſcebat enim:) & fructus vberes cepit & reliquit ſtudiorum ſuorum. iſte noſter, exſtinctus in ipſo æui & ingenij flore. Feramus, & vereor vt hic annus fatalis ſit ingenio non vni. Me quoque carpit lentè morbus: etſi mitior nunc paullò molliorque. Lutetiæ, ſiue in plerâque Galliâ totâ, peſtiferam luem vigere audio: caue & fuge, quantum humaniter licet. Abſtine à diſcurſu, ab intemperie, luxu, & inprimis ab inſolenti illo Baccho. Niſi caues, fatum tibi per illam viam. Meliſſum iſtîc eſſe, gaudeo: & magis ſi vſus tibi cum illo. Velim te in hac peregrinatione innoteſcere viris, qui claritatis aliquid habent ab ingenio & ſcriptis. Hæc enim res ad tuam lucem. De Cuiacio quid eſt? Auaricíne agit? an Lutetiæ eſt in conſilio Regis? ita neſcio quis rumor ad me adfert. Tu hæc & talia ſcribes: quæ grata nobis ſcis intellectu. Eidem viro epiſtolam meam oſtendere poteris ad Ianum Guilielmium (ſi tamen occaſio erit) quia ſi memini, quædam in eâ quæ ad illum. Aperi priùs, & vide: & quod videbitur face. Sed ô illius alumni noſtri ignauam ignauiam! itan' eum perdidiſſe aut proiecisse commiſſas litteras? At ego de ſuperbiâ & contemptu periclitor apud

Mem-

Memmium, Pincæum, Faucetium, quem Leidæ olim noſti. Plura vetat languor: nec manus aut mens mihi ſatis prompta ad ſcribendum. Deum rogo te ſeruet, & augeat cum annis modeſtiam & virtutem. Lugd. Bat. Kalend. Decemb. ∞. Iↄ. LXXXIV. I. Aurato, viro & poëtæ ſummo, item Paſſeratio à me ſalutem.

EPIST. XCIX. *Antuerpiam.*

IOANNI ROTARIO S. D.

ET ipſæ litteræ tuæ, Vir prudentiſſime, mihi gratæ: & gratior cauſſa, quæ te impulit ad ſcribendum. Amor enim & humanitas eſt: quem niſi mutuum amem, manantem à tam puro fonte, durus ſim & inhumanus. Atque ego te, mi Rotari (verè & ſine blanditiis dicam) iam antè inter iunctos habebam & inter caros: ita multa de virtute tuâ audiebam, & ſtudio ſapientiæ & doctrinæ: quod rarum inter tui ordinis homines, quibus * pennatus ille deus carior eſt quàm * laureatus. Nunc autem à te litteris tam amantibus prouocatus, ſequar in hunc amicitiæ campum, nec vinci me patiar officiis, quæ ab animo quidem ſunt & adfectu. Conſtantiam noſtram à te probari gaudeo, & magis illud, quòd ſignificas te iam olim in ſtudiis his Sapientiæ deditum: quæ ſperni ſcio à quibuſdam vt ſuperuacua, & in quibus parùm ad virtutem ſit momenti. Sed errant. quoniam etſi à diuinis litteris verum omne robur, & purâ luce nos perfundi fatear pietatis: ſunt tamen hæc iuxta diuinum verbum adminicula quædam, quibus dirigi & firmari poſſint vacillantes iſti greſſus. Nam quin caſtè & cautè Philoſophiâ vtendum ſit, non abnego: eaq́ue ad normam & velut lapidem exploranda cæleſtis legis, cum quâ tamen conſentire pleramque eam (dico quæ de Moribus eſt) quis item neget? in Platone, Triſmegiſto, Epicteto, Arriano, altas præclaraſq́ue multas voces reperio: quid refert à quo eæ profuſæ, ſi ab vno illo ſpiritu veritatis? Quem inſpiraſſe, vbi libuit, priſca illa etiam pectora, & oracula edidiſſe per homines vanos & profanos, nihil ambigo. Inter vetuſtiſſimos Iobum vide. quem è gente electâ fuiſſe non cenſent, & tamen ſcripſiſſe omnia electa. Mercurium illum ter maximum, quem dixi. myſteria in eo multa & arcana noſtræ legis; etſi Ægyptium fuiſſe traditum ſit, nec imbutum veris ſacris. Idem in philoſophis eſt, & omni illâ ſcholâ quæ à Socrate: quorum ſcripta notas non obſcuras & ſcintillas præferunt clari illius ignis. Itaque vt in prælio, non gladiis ſolùm & grauioribus telis res geritur, ſed etiam funditorum quædam opera & leuis armaturæ eſt: ſic in hac noſtrâ contra vitia & adfectus militiâ, non ſolùm illo penetrante Verbi mucrone, ſed etiam philoſophorum haſtis & ſagittis aptè interdum & vtiliter pugnabimus. Sed digredior. & tu fortaſſe aliquid de repub. item noſtrâ exſpectas, vt remunerer te hâc quoque parte. Sed quid ſcribam? lenta hîc omnia, non læta: & videntur res noſtræ velut in vado quodam adhæreſcere. idq́ue eo tempore, cùm velis & remis feſtinandum ſit. Nam qui in nos pugnant, quos progreſſus cottidie faciunt, vides. Remedium hîc mutatâ reipub. formâ & ab vno capite quæritur, vtinam vtiliter! Sed vix ſpero. ita multi palàm, plures diſſident occultè. A labe eâ quæ Flandriam corrupit, immunis noſtra Batauia non eſt: & hîc quoque varia iudicia & diſcidia animorum. Ita vereor ne rebus noſtris fractis & labentibus *extremum malorum* (vt Tacitus noſter ait) *diſcordia quoque accedat*. Quod ſi fit, conclamatum eſt: & exſequias Belgicæ, quibus commodum eſt, ire. Sed hæc ſunt illa, aduerſus quæ Conſtantia nos munit: & in cuius præſidio ego quidem acquieſco. De falſo Cicerone illo, gaudeo tibi probari iudicium noſtrum. Illud miror, Italos fuiſſe tam obeſæ naris: à quibus, ſi deo placet, aureus ille partus. De Boulenio & Panhuiſio, faciam ſedulò: & ſi quid aliud erit, in quo gratum facere tibi tuiq́ue ſimilibus poſſim. Salue. & per te Iohannes Viuianus vir planè bonus & poëta. Lugd. Batauor. XIV. Kalend. Ianuar. ∞. Iↄ. LXXXIII.

* Mercurius.
* Phœbus.

EPIST. C. *Antuerpiam.*

PETRO EGMONDO S. D.

GRATVLATIONEM exſpectas? increpabo. Túne Româ recèns redieris, & tribus verbis ad Lipſium? idq́ue poſt biennium, & illo ipſo biennio per ſilentium elapſo? Certè tuum. non enim ego etiam ſilens, qui ad te crebrò, ad Benſium etiam, & ad Wincelium dedi. At nunc, tamquam in oculis mihi & ore aſſiduus, ita languidè ſcribis & quaſi inops rerum. Quin ſi de te nihil & itinerum euentu: ſaltem de ma-

nu illâ noſtrâ aliquid litteratorum? quid Fuluius, quid Muretus, quid meus Benſius agitent, & illi velut Patres litterarum ac Senatores? quid iunior alia ſoboles, qui ſuccreſcunt? Non enim effœtam nunc ingeniorum Italiam cenſeo, illam nutricem eorum olim & parentem. Hæc peccaſti. &, vt ſpem imò viam veniæ oſtendam, purga. Quod fiet vnâ re, ſi priores illas litterulas delebis & obrues grandi aliquâ epiſtolâ, longâ, latâ; & quò magis latâ, magis lætâ. Talibus enim alloquiis egeo nunc, ô Egmonde, in torpido hoc morbo. qui me, annum & tres ipſos menſes, iam tenet; nec notus quidem adhuc planè medicis, adeò non remotus. Ardores viſcerum ſunt & interni æſtus, haud procul ab Hypochondriacâ melancholiâ: niſi quòd mens & caput mihi ſana. quæ tentari tamen & lædi per eum morbum non te, credo, fugit. Similis aliquis languor fuit, qui magnum Laurentium illum Medicem tenuit & citò abſtulit, ſed per imperitiam medicorum. Nam aliàs, ad mortem non ita præceps. Ego omnibus armis in eum pugno, & præcipuè auxilio Nympharum (frigida enim in potu & eſu mirè iuuant:) & aliquid ſanè proficio: niſi quòd ad extremum, vereor vt ſuppeditet me tam pertinax hic luctator. Victus enim aliquoties non vincitur, deiectus non cadit, fugiens non cedit. Antæus aliquis eſt:

—— ab ipſo
Sumit opes animumque caſu.

Et profectò Terræ illa progenies, ducet me ad terram. De me habes. nam de ſtudiis, ſcilicet in languore hoc languent. Tu autem quid? Grudióſne cogitas, & illîc honorem? Faueo, & voueo. illud miror, in eâdem togâ candidâ tecum conſpici tam nigros. Etiámne ille, ab Lutetiâ hùc adſpirat? O frontem, frontem! Nec tamen illum nimis culpo (perſeuerat enim eſſe quod fuit:) magis illos, qui flectunt & inclinant ſe ad tales. O vrbs mihi olim amata & culta, miſereor. tenebræ & infamia tibi, per tam obſcuros, tam infames. Tu autem, ſi me audis, obdura & fortiter age: peruinces, ſi inter ſuffragatores aut arbitros, vlli erunt mediocriter boni. De migratione noſtrâ: amicè tu, neſcio an ex famâ meâ, aut ex vſu. Inter hirundines iſtas ego? æſtates aliquot otij & pacis hîc egimus: vis mutem ad ingruentem primam nimborum hiemem? non decorè, fortaſſe nec prudenter. Perpetuum enim ſerenum in illâ parte quis mihi ſpondet? Obſcura, mi Egmonde, hæc talia: in quibus vetus illud Tiberianum iure nobis placeat, vt *conſilia, quibus impares ſumus, fato permittamus.* Homo hîc quid videat? deſipit maximè, qui ſapit maximè. & ſolus ille æternus æthereuſque oculus eſt, qui hos euentus cernit, & dirigit ſæpè præter omnium mentem. Illi ego hæc & me permitto, & clamo ex animo hoc vetus:

* Ἄγου δέ μ' ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη: ** Tu Iupiter me ducito, & Fatalitas.*

Tu mi Egmonde vale, & Clariſſimum Iuriſc. & Anteceſſorem Iohannem Wameſium, ſi occaſio tibi, à me ſaluta, virum prudentem, doctum, & (quod expertus ſum) in virtutem & litteras valdè pronum. Idem cupio & cenſeo de Anteceſſore Philippo Suerio.

IVSTI

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA SECVNDA MISCELLANEA.

AD ILLVSTREM VIRVM THOMAM BVRGIVM BARONEM, ET BRIELANVM PRÆFECTVM.

ALTERAM Centuriam epiſtolarum nunc emittimus, Vir illuſtris, & nomini tuo meritiſſimò eam dedicamus. Si amor aut beneficia huc me vocant: ille in me magnus, & hæc crebra. ſi dignitas aut virtus: vtrâque ornatus es inter gentis tuæ primos. Genus tibi nobiliſſimum, & antiquâ ſtirpe decôrum: magnitudo animi & prudentia eximiæ, & cuius vtriuſque ſpecimen dediſti in his Belgicis quoque turbis. Ad arma quoties te hoſtis aut occaſio duxit, tu manu ſtrenuus, conſilio prouidus: & quies cùm fuit, Præfectura tua te habuit cum ciuium militumque veneratione pariter & amore. Quinetiam in illâ nocte temporum, cùm homines quidam maioris animi quàm conſilij hæc noſtra turbarent, & vno velut filo appenderent publicam ſalutem: ea moderatio & prudentia tua fuit, vt in mediis flammis flamma te non tangeret, & pænè vnus firmus quietuſque ſtares in communi illo motu. Magna iſta ſunt: & maiora futura, ſi maior aliquis aut latior virtuti tuæ campus. Quod voueo: & te, Vir illuſtris, rogo, vti inſcriptionem hanc accipias velut animi cultuſque mei in te pignus. Vtriuſque quidem eximij exiguum; ſed quid faciam? vt Vlyſſes ille apud Alcinoum nihil habet quod rependat pro ingentibus meritis, præter vota & grates: ita ego, quem cetera deſtituunt præter munera hæc mentis. Quæ tamen vobis magnis quoque ſæpè magna. & meritò: quoniam fama & æternitas ab iſtis: &, vt ait Pindarus,

* ῥῆμα δ' ἐργμάτων χρονιώτερον βιοτεύει,
ὅ,τι κε σὺν Χαρίτων τύχᾳ
γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας.

* Sermo factis diuturnius viuit, quem cum Gratiis volentibus lingua extulerit è profunda mente.

Vale. III. Idus Apr. ∞ .IↃ.XC.

AD

AD LECTOREM.

HABE etiam hanc CENTVRIAM *Lector, ſed puram, ſimplicem, & ſine mixtione. Jn priore illâ alienas aliquot inſeruimus: nunc diſplicet, & detraxi. Non ergo digna illa edi? digna, ſed non à me: & mali exempli, arbitrium hoc ſibi ſumere in ſcripta aliena. Mihi fieri nolim: & tamen faciunt. atque ecce edunt alibi hanc aut illam epiſtolam, me non ignaro ſolum ſed inuito. Quæ hæc temeritas, ſiue improbitas, eſt? Clamo & teſtor apud homines qui ſunt, qui erunt, inimicus mihi quiſquis hoc facit.*

QVICVMQVE QVODCVMQVE MEVM, PRAETER ME,
DIVVLGAT AVT DIVVLGABIT,
PRAESES LITTERARVM ET FAMAE DEVS VINDICATO.

*Homo imperite & * φρένας ἠλεέ. verba aliquot apud te familiaria, aut libera,* (* mentem vacue.) *aut blanda effudi: ſed apud te: & in lucem tu hæc calidè effers?* Quid hoc eſt aliud *(vtar diſertiſſimi viri verbis)* quàm tollere è vitâ vitæ ſocietatem? tollere amicorum colloquia abſentium? Quàm multa ioca ſolent eſſe in Epiſtolis, quæ prolata ſi ſint, inepta eſſe videantur! quàm multa ſeria, neque tamen vllo modo diuulganda! *Abi igitur inhumane, inepte: nec ſic me produce, imò traduce. En, cùm cautè omnia & circumſpectè ſcripſimus (vt hoc æuum eſt) non effugimus morſum: tu ſubitaria mea prodis, id eſt, latus pectuſq; meum nudum obiicis ad omnem ictum? Abſtine. & tu Lector, mea ama, ſed mea.*

INDEX
EPISTOLARVM SELECTARVM
CENTVRIÆ II. MISCELLANEÆ.

ABRAHAMO *Mylio epiſtola*	*xxvij.*
Abrahamo Ortelio	*xxxvij, lix, xcix, c.*
Aemilio Roſendalio	*xix.*
C.	
Carolo Cluſio	*xxiiij.*
Caſpari Voſbergio	*lxxxviij.*
Chriſtoph. Plantino	*xxviij, lxxij.*
D.	
Dionyſio Gothofredo	*xxxiij.*
Dominico Baudio	*xxiij, lxxx.*
Dominico Lampſonio	*xv, l, lxxxvj.*
E.	
Elberto Leonino	*xij.*
Euerardo Pollioni	*xiij, xxxix.*
Euerardo Reidano	*xcv.*
F.	
Federico Morello	*lxix.*
Franciſco Benſio	*lxxv.*
Franciſco Hildesheimio	*lxxij.*
Franciſco Iunio	*xiiij.*
Franciſco Nanſio	*xxxvj.*
Franciſco Raphelengio Filio	*vij, xxxiiij, lij, lxv, lxxj, lxxiiij, lxxxvij.*
G.	
Gerardo Tuningo	*lxxvj.*
Gulielmo Cripio Filio	*lxxxij.*
H.	
Hadriano Sarauiæ	*xx, lxx.*
Hadriano Turnebo Hadriani Filio	*j.*
Henrico Borbonio Principi Dumbarum	*lviij.*

Henrico

Henrico VViltzio vij,liij.
Hieronymo Groſlotio Liſlæo xj.
Hieronymo Mercuriali xlvij.
Hugoni Blotio xciv.

I.

Iacobo Auguſto Thuano Amerio iij,lxj.
Iacobo Corbinello v.
Iacobo Cuiacio xvij.
Iacobo Monauio lxxviij,xcviij.
Iano Douſæ V.N. lvij.
Iano Douſæ Filio xliij.
Iano Duyſtio xxxij.
Iano Grutero xlj.
Iano Lernutio ix,xviij,liij,lxvij.
Ioh. Arcerio xxv,lxxxiij.
Ioh. Guliel. Stuckio xxvj.
Ioſepho Conſalues lxiij.
Ioſepho Scaligero xxj.
Ioſeph. Scaliger Iull Cæſaris F. Franciſco Vertu-
niano xlv.
Ioſiæ Mercero xxxj.
Iſaaco Caſaubono lxxxiv.
* Iul. Scalig. Ferrerio xlvj.

L.

Leuino Caluardo lxxix.
Lamberto Culenio xlviij.
Lamberto vander-Burch vj.
Lanceloto Brunio xcvj.

M.

Mariæ Gornacenſi, virgini nobili lvj.
Martino Lydio xc.
Matthæo Dreſſero xxxviij.
Michaëli Forgacz, libero Baroni de Gimes
lxxxj.
Michaëli Huralto Hoſpitali lxiv.
Michaëli Montano xlj,lv,xcij.

N.

Nathani Chytræo lxxxix.
Nicodemo Friſchlino xxxv.
Nicolao Oudarto xciij.

P.

Paullo Meliſſo xxx.
Petro Aloſtano xl.
Petro Brachio lxvj.
Petro Pauvvio lx.
Petro Regemortero xxij,xlix.
Petro Villerio x.
Petro Villerio Filio iiij.
Philippo Marnixio lxxxv.

R.

Regnero Grutero xcvj.

T.

Theodoro Bernardi xlij.
Theodoro Cantero lxij,lxxvij.
Theodoro Leevvio xvj,xliij,lxviij.
Theodoro Marcilio xxix.
* Typographus Lectori xcvij.

V.

Victori Giſelino ij.

IVSTI

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA II. MISCELLANEA.

EPISTOLA I.

HADRIANO TVRNEBO HADRIANI F.

MERVM mel, non epiſtolam, à te, Clariſſime Turnebe, accepi. Tu mihi gratias? ego tibi, qui tam gratè & benignè interpretaris officium, quod ſine ſcelere non omiſiſſem. Qui vir diuinus ille parens tuus fuerit, norût & fatentur omnes, quos ſtupor non præpedit, aut liuor. Ego à puero, velut aſtro quopiam inclinante, iui in amorem illius & laudem: nec grandior mutaui affectum, ſed auxi. Nonnemo inuidet? eſto: ille viuet in ſummâ æternaque gloriâ, quamdiu res Græcæ aut Romanæ. Nec plura hîc de illo: de te, germaniſſime Turnebe, ſic habe. non ambire me amicitias, naturâ & iudicio propenſum ad tenebras & quietem: ſed triumphare in tuâ, quem iure amo purum aurum ab illo auro. Plura liber, non licet. teſtis mihi iſte Hier. Groſlotius veſtiâs, inſignis iuuenis, qui iam nunc mihi adeſt, & abit. At nobis haut ſæpè opportunitas mittendi, ſcribendi tamen ſemper voluntas. quod crebrò & magis ſeriò faciam, ita amor hic inter nos perennet, quem coïmus auſpicè & teſte immortali tuo patre. Poſtrid. Id. Mart.

EPISTOLA II.

VICTORI GISELINO.

INVITI à vobis abiimus, inuiti. Quid vis ampliùs? apud amicum hoc ſatis eſt: ceterùm, calceum hunc vide, nemo veſtrûm ſcit vbi me premat. Apuleium tuum ſcriptum conferre cœpi: quædam in eo valdè bona. Venationes etiam noſtras attigimus, ſed frigidè imò contemptim. A peregrinatione enim hac ſupinus & aliarum cogitationum, vagè adhuc in ſtudiis erro. nec facilè inſiſtam lineæ, niſi recreatus aduentu veſtro: qui, per omnes deos, ne me fallat. Hoc communiter rogamus, Douſa, Hautenus, ego. Varias Lectiones ..... legi, editas in Galliâ nuper. placet ingenium adoleſcentis, placet aliquot locis noſtri imitatio, ſi non furtum. Idem in libello ······. Quid dicam? diſcipulos habeo, & breuî faciam ſectam. Sed vt ait Pindarus,

* Τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν. ** Optimum omne quod à naturâ eſt.*

Sanè ſiquid in oratione noſtrâ aut ſtilo probandum: totum à naturâ eſt, vix à curâ. Rationem meam ſcribendi ſcire vis? fundo, non ſcribo. nec id niſi in calore & interno quodam impetu, haud aliter quàm poëtæ. Siquid operoſius paramus; rem meditamur, diſponimus. verba facilè ſuccedunt, ac pænè præcedunt meam mentem. Iſtos rideo, qui etiam epiſtolas, ſi dîs placet, lentè & velut ad numerum componunt. Verba examinant, circumſpiciunt, traiiciunt: & miſelli cùm omnia fecerint, vmbras putes non homines loqui. Ita tenuis tota ſcriptio, ſine ſanguine, colore, carne. Sed diffundor. peccatum meum ſollenne, cùm ad te ſcribo. Nunc emendo, & ſileo; & te valere iubeo, ac venire. Ni facis, Amor Giſelini res tuas tibi habeto. Lugd. Bat. xv. Kalend. Iun. ∞. IↃ. LXXXI.

EPIST. III. *Lutetiam.*

IAC. AVGVSTO THVANO AMERIO.

DISTVLI ad te ſcribere, V. C. dudum: præter morem meum, & præter votum. Amantes redamare non ego negligens: & tu merueras, non amore ſolùm, quem benignè vltrò attuliſti, ſed ingenio, ſed doctrinâ, ſed probitate: quæ tria in vno Carmine tuo clarè vidi. Sed amabo te, ita perpetuùm Fama te amet & Virtus, ignoſce: & morbum hunc noſce, qui non ſinit me eſſe mei iuris aut moris. Verba non dedi, non miſi: dedi animum, miſi affectus mei ſæpè auras, qui apud te & duos illos quos in extremo Carmine tuo mecum iungis. O cæleſtem pænè dixeram Trigam! niſi de terrâ & luto meo aliquid afferrem ego, funalis ille tertius equus. Nam iugales duo, reuerà ſuprà homines:

& tu item auriga, qui iunxiſti. Nos Epiſtolas dedimus nuper: & valdè hauebam exemplar tibi illiſque mittere, niſi qui has ferret, recuſaſſet. Noſti per hoc bellum, nec tuta, nec trita nunc viarum. Valetudo mea meliuſcula: ſic tamen, vt extra morbũ potiùs videar, quàm languorem. Damus nunc & edimus *De Pronunciatione Latinæ linguæ Dialogum*, tenue in te tenui opus, nec dignũ meliori veſtrâ aure. Tu ex animo à me ſalue: qui æternùm tuus ſum. ita ſim ſaluus. Clariſſimis Cuiacio & Scaligero ſalutem. Lugd. Bat. III. Id. Februar. ∞. Iↄ. LXXXVI.

EPISTOLA IV.

PETRO VILLERIO *Filio.*

VERE ſcribis. ſemper tu mihi curæ, & nunc es: ita ingenium tuum & mores: & pater etiam, merentur. Vtinam aliquâ curâ meâ te curem, & à morbo iſto releuem, qui pertinaciter vrget! Quid facias? feres. certus ad ſalutem tuam hæc dirigi, etſi non ad voluntatem. Si vulgi more loquerer; querelas miſcerem, & dolorem meum oſtenderem in caſu, quo hæc ætas tua & tu indigni. Non faciam. fortiorem eſſe te & me volo: nec te cupere ſolatia ex alienâ ſympathiâ, nec me promere dolorem, etſi doleam. Nam hoc non nego: ſi deo viſum eſſet, alium te malim. cùm non viſum; quod ipſe vult, nolens, (vt ſic dicam) volo. Hoc de te ſcribo. in me nónne idem? languor hic biennalis me tenet, & abiicit in validiſſimâ hac æui parte. Annum enim trigeſimum-nonum vix attigi. quid tamen angar, aut opponam? facit ille, qui me fecit. Nónne in figuli manu eſt, effingere leui rotâ vaſculum, & idem frangere? Et hoc melius, quòd figulus noſter nos non frangit, ſed refingit, & è miſeris beatos, ex inferis ſuperos reddit. Sed hæc talia aut tu tibi ſæpè, aut omnium optumè pater dicet. De iuris ſtudio, quid nunc cogites? profectò ſolitudinem id non amat, cui forum ſemper propoſitum & turba. Ad Philoſophiam magis te nunc ducam, quæ non delectet ſolùm in hoc tædio, ſed firmet. Eloquentia & ſtilus rus tuum non ſpreuerint; in quibus ſi tempus hoc ponis (donec melior tibi valetudo) id non perdis. Scripſimus De Pronunciatione, leui manu, vt in re leui. en habes, vide, & à me ſalue, qui ex animo tibi cupio. Lugduni Batauor. Kalend. April. ∞. Iↄ. LXXXVI.

EPIST. V. *Lutetiam.*

IACOBO CORBINELLO.

LITTERAS ad me mitis, non adfectus ſolùm plenas, (leue id verbum ſit) ſed amoris. Benignè ad amicitiam prouocas, laudes adiungis, è quibus has vix agnoſco, illam appeto pari tecum voto. Gentem veſtram amaui ſemper; & ex eâ illos maximè, qui vetere illâ Italiâ digni. Qualem te eſſe, mi Corbinelle, non ſolùm ex igniculis litterarum tuarum, quos ſparſos colligo, video: ſed etiam ex teſtimonio viri magni P. Victorij, qui de indole tuâ ad virtutem magna prædicat, nec vana. Atque vtinam peſſima hæc tempora concedant nobis liberum eundi redeundi iter! profectò videremus vos, (lumina illa Galliæ etiam includo:) & nectar illud ſermonum veſtrorum hauriremus auidâ aure. Sed nos iactamur: nec Æolo etiam vos, vt video, litaſtis. Venti vbique & tempeſtates: quæ, mirum, niſi hoc anno euertant, certè conuertant, hanc Europam. Fratris tui μεγαλοψυχίαν hiſtoriam & triſtem exitum legi. quid miremur? hodie illæ viæ, & nil niſi σκολιὰ videmus à pleriſque his dynaſtis. O Italia, Italia illa priſca, vbi es? At tu, vir nobiliſſime, ſolare te cum aliis rationibus, quas litteræ & ſapientia tibi ſuppeditant, tum maximè communi eo Fato, quòd iniquum hîc ſemper in bonos. Exempla tibi prompta ſcio. tu ſcito & hunc animum: quem iamnunc ſeriò deuoueo in tui amorem. Lugduni Batauor. ∞. Iↄ. LXXXVI.

EPIST. VI. *Vltraiectum,*

LAMBERTO VANDER-BVRCH, *Decano.*

AMO iure tuas litteras, amoris & prudentiæ ſimul plenas. Amorem enim interpretor, meas laudes: quas adfectus tibi magis certè, quàm iudicium dictat. Quid enim ſumus? conari me magis ſcio quàm efficere, velle quàm poſſe in publicum prodeſſe. Quidquid tamen id eſt (& eſſe aliquid vobis tam fidis amicis credo) gratum mihi, quod gratiæ ſaltem locum parit apud tales viros. At prudentia tua, in iis mihi clara, quæ de publicâ iſtâ re ſcribis: quæ ſanè confuſa, turbida, & vtinam non vicina ad occaſum. Quis bonus non queritur de eâ tecum? ſed hoc vnum relictum

ctum eſt, quoniam mederi non in noſtrâ manu. Imò fortaſſe nec humanâ. Deus ille eſt, qui publicas has clades immittit, qui alit, & fouet; & tum finiet, cùm nos earum cauſſas. Eæ autem peccata ſunt. quæ adeò apud nos non deſinunt aut minuunt, vt augeri mihi & adcumulari videantur vnà cum pœnis. Iritamus cottidie magnum illud numen, & quaſi puniendi iuſtæ cauſſæ non ſint, damus nouas. Quando luxus, faſtus, libido maior, impunitior? & religio paſſim nunc in ore, improbitas in corde. Verba pietatem ſonant, facta ambitionem, auaritiâ: nec in vno alteróve, ſed apud plerumque ordinem, ætatem, ſexum. Itaque de pace aut tranquillitate, nihil ego ſpero. —— *bella horrida, bella* exſpecto: aut certè tyrannidem non optabiliorem quouis bello. Illi ad quos Victoria inclinare ſe videtur, irati veniunt: & ſi qui moderari volent, neſcio an audientur. In omni bello cruda poſt victoriam principia: magis in ciuili, vbi odia & acerrimæ factiones. Sed Deus videbit: cui, quod ad me, curas has ex animo relinquo. Sicut & illam de valetudine meâ: quam non ego quidem, Vir amiciſſime, neglego, nec mortem vltrò appeto: ſed cùm feci quæ humanitus poſſum, ſecurus exſpecto euentum. Hoc curo, vt vitam meam corrigam, vt deo meo placeam, vt ſedem ab his nimbis quietam in ſuperâ illâ arce poſſideam: vnde adſpiciam humana hæc omnia, & contemnam. Intereà tamen nec ſtudia prorſus omitto, nec ea omnia per quæ publicè aut priuatim humano generi videor poſſe prodeſſe. Oſtendent id breuî quædam etiam ſcripta noſtrá, quæ iterùm paramus. De Floro tuo manuſſ. quem offers, valdè gratum. multa ſanè reperio, non animaduerſa Vineto aut Stadio ante me cenſoribus: & reperiam plura, ſcio, ſi auxilium mihi tui libri. Itaque ſi eum quamprimùm ad me miſeris, beneficio adficies me & poſteros: nec id celabo. Vale, & fratrem tuum Graphiarium amanter à me ſaluta, cum gratiarum actione pro munuſculo nuper ad me miſſo. Lugduni Batauor. ∞. Iↄ. LXXXVI.

EPIST. VII. *Antuerpiam.*

FRANCISCO RAPHELENGIO *Filio.*

TVAS reuerſus vidi libens: non etiam ea, quæ in ipſis. Languorem præferunt, & nauſeam in rebus omnibus ſeriis & honeſtis. Vidi, mi Franciſce, iam olim inſitum tibi hoc vitium: quod ratione & curâ, quæſo te, vince. Iaces, niſi facis. Quid hominis tam proprium, quàm erigi & ſpectare alta? Alta dico, id eſt, quæ ad æthercam illam partem pertinent, cælitùs immiſſam nobis mentem. Hæc colenda. nec poteſt ſine meditatione, ſine actione: neque iſta, ſine labore. Hunc igitur vſurpa: quidquid reclamet faſtidiens illud tædium, haud longè à veterno. Tu deo, tu auo, tu mihi, curæ & cordi es: nec te deſeremus, ſi non te ipſe. Doctoris illius noui diem quòd obieris, benè factum: quòd eum verſu celebraueris, nec malè. Sapientiæ pars eſt leuiter deſipere, & paullùm extra viam rectam ire, ad vitandum violentum aliquem occurſum. Vidéſne vt nautæ vela ſinuent & obliquent: & teneant nihilominùs ſuum portum? imitare. Pietas tibi interna & vera ſit propoſita, Modeſtia & Virtus: in externis, perſonam interdum ſume aut pone, pro re aut pro æuo. Studia tua calere velim (ætas iſta hoc poſtulat) & videbimus quid in rem tuam maximè ſit vnà cum auo. Surge tantùm, & confide. Ineptias........ vidimus, & riſimus. quis comprimet Criticorum hunc luxum? Satyra mea frenos non dedit: opus lege aliâ aut rege. Vale. Ex vrbe, in quâ tu olim, XVI. Kalend. Decemb. ∞. Iↄ. LXXXVI.

EPIST. IIX. *Biturigas.*

HENRICO WILTIO IC.

CANTERVS apud me erat, cùm tuas accepi. dicam gratas? gratiſſimas, ita me Deus amet, vel hoc nomine quòd à ſex menſibus primas & ſolas. Et tu de me quereris? bellè. at ego pluries ſcripſiſſe me ſcio (vide an deceat) quàm te reſpondiſſe. Excuſabis non redditas. credo: feramus igitur inter nos & excuſemus, non tam culpam communem, quàm temporum ſortem. Valetudo tua & ſtudia proſpera, mihi gaudio. perſeuera. Nónne apud illum virum es, qui ſæculi decus? vide ne fruſtrà: frequenta, audi, diſce. Pollio meus honore ab illo auctus: quòd ab illo, iure ante honorem ipſum cenſeat. Scripſi ad eum, & quàm grata mihi Dedicatio illa, oſtendi. Vos, quæſo, inter vos concorditer & amicè viuite: quia Belgæ, quia ex meâ domo, quia ſacrorum eorumdem & ſtudiorum. Senectus mea, ſi ad eam pertingo, ſolatium ſibi ſpon-

 der

det in vobis. Sed quando videbo? quando reditis? mihi placet non porrò vos currere, in Germaniã flectere, illinc lares. Iuno Iuga vos exſpectat, & Quies. Etſi patria hæc etiamnunc turbulenta. ſed ſi non antè peregrinandi vobis finis, quàm hîc quies, quis finis? Tua ad Nonium grata, proba. Sed litteras vrge, & ſapientiæ ſtudium ne omitte: ad quam metam dirigi velim omnia tua. Inſelix ſemper erro, ſi ab illâ aberras. Vt nauis quæ inter fluctus ſine clauo iactatur, ſic mens quæ in hac vitâ ſine ſapientiæ gubernaculo. Mores illi plebeij, ſtolidi, vani, ne te inficiant caue. Alphæus mare Siculum ſubterlabi dicitur, ſine mixtione vndarum, ad ſuam Aretuſam: tu per leuitates, per vanitates, ad amatam illam Diuam. Vidiſſe ea vtile, non ſe inſeruiſſe: tranſiſſe, non miſcuiſſe. Edidimus nuper Centuriam Epiſtolarum. magni illius viri mihi illic mentio, & ſæpiùs fuiſſet niſi impediſſet ille vir quem hîc noſti. Scænæ ſeruiendum eſt, quamdiu ego in hoc Theatro. Sed verum meum ſenſum breuî aperiam magis & diffundam. Nec vos quidem omiſi, te & meum Pollionem, vt videbitis, aut potiùs iam vidiſtis. Nam libri, credo, allati. Etiam nunc edidi De pronunciatione Latinæ Linguæ Dialogum, mihi probum. Tu ſalue, & tedi ſi parenti tuo ita viſum. De Italiâ, non tibi, non Pollioni noſtro nunc ego auctor, ponite vana cogitationum. XVI. Kalend. Maiias. ∞. IↃ. LXXXVI.

EPISTOLA IX.

IANO LERNVTIO S. *dico.*

ITA perpetuus inter nos amor ſit, mi Lernuti, vt cum aculeo diſceſſi à vobis. Curſim, inquies. Quid facerem? aliud animus, aliud res ſuadebat. Vitam meam noſti, & ſcænam cui ſeruimus. Si vmquam aliquid verè ſcripſi, hoc eſt. quaſi anima à corpore, auulſus ſum à vobis. Fuge aliud ſuſpicari in me: quem, culpa tua eſt, ſi nondum noſti. Nam apud amicos nihil me vno ſimplicius: apud alios, ſanè ſim quod Vlyſſes. Nónne & aulam, & Etruriam ego vidi? ſed iis non vtor apud ſimplices & candidas iſtas mentes. De colligendis & digerendis poëtarum noſtrorum verſibus, ego verò tibi iterùm auctor. Famam tuam cum alienâ auctum ibis (quanti enim eſt, putas, illa recti iudicij gloria? apud me, ſuper ingenij aut doctrinæ.) decus item Germaniæ & noſtræ Galliæ. quarum intereſt, non omnia ingenia intra Alpes clauſa videri. Non exemplũ nuperum illius vidiſti, qui Italos poëtas digeſſit? ſed vellem eius, imò ipſorum cauſsâ, magis cum delectu. Inter noſtros Lotichium amo: Ianum Pannonium æſtimo: Scaligerum patrem admiror. qui ſi felix illud ingenium & inuentionum inuidendũ acumen curâ temperaſſet & limâ, coronari contra omnes poëtas poſſet ab illo ipſo æuo priſco. Hac, niſi fallor, deficitur: nec in edendis quidem eius adhibitum, quod debuit, diſcrimen. Eò ſuaſerim, illius & aliorum optima quæque ab optimo iudice ſelegi: & tu is eris. Reliqua in ſermonem reiicio, qui inter nos proximo menſe. Ita enim ſcribo, ita impero. Venies inquam ad hunc Iunium: & iamnunc aures claudo ad omnem excuſationem. Extra iocum, Lernuti, in hac breui fugacique vitâ fruamur hunc fructum. Ferrum noſtrum in igni eſt. Vale. XV. Kalend. Iunij. ∞. IↃ. LXXXI.

EPISTOLA X.

P. VILLERIO.

SOLATIO mihi anteà amicorum litteræ, nunc remedio: nec vlla medicina magis leuat hunc languorem, quàm alloquia hæc à vobis. A te inter primos: qui me ſeriò amas, quem ſeriò ego amo. Vultum tuum videre nuper cùm Hagæ eſſes, optabam. Fefelliſti. contentus manu ſum, quia ſcio quæ negotia te circumſtent & implicent, atque abripiant ſæpè inuitum. Ego hoc vno felix, quòd meus. Sed nimirum, vt qui ſemel nauim & mare ingreſſi, in arbitrio ventorum ſunt, nec redeunt ad terram, cùm volunt: ſic vos, qui in rempub. Tenet illa inuitos; & cùm terram maximè ſpectatis, retrahit aliquis æſtus. Atque vtinam tui ſimiles teneat ſemper! Remiges & ſentinatores plerique ſunt, qui nunc ad clauum. Hinc iactatio, & ad extremum, naufragia: niſi ab alto dirigat ille Deus. Inuitatio tua in Zelandiam, grata: & puto, parebo. non illi alteri conſilio, de Galliâ. Nec vera nego quæ de opportunitate, ſalubritate, & ſuauitate locorum hominumque narras: ſed peregrinandi mihi nunc vna cauſſa, Valetudo. Eam meliorem poſſe fieri per acidas illas aquas medici ſuadent, & (vt in ſpem noſtram proni ſumus) perſuadent. Tentaſſe quid nocuerit? eo certè animo, vt nihilo abiectior illinc redeam,

quàm

quàm eam, etiamſi omnia ſint contrà. Vitam hanc magnifacere Chriſtiani non puto, quem manet vita illa melior: ſed nec abiicere, & remedia ſpernere, quæ data huic fini. Gallia veſtra, ſi deo ita viſum, ſanum me videat; & exoſculet magnas illas animas, quas ignotas amo: imò etiam, queis ignotus amor. Nam ſi vſquam in Europâ, amicos mihi in eâ gente eſſe, hoc ſcio. Busbequius meus iamdiu inuitauit, differo. In grandi illâ Epiſtolâ tuâ, de ſtilo & imitatione quod monuiſti, verum eſt. Quàm multi in iuuentute nos æmulantur! & rideo: quia aur à me procul illi, aut procul certè ego à recto. Nihil magis breuitate amo, ſed ſi ſimplex: nihil magis breuitate odi, ſed ſi adfectata. Quid etiam, ſi fucata? nam verba emendicant, & abſtruſiores aliquot phraſes: ad quæ, non dicam riſum non teneo, vix iram. Comprimam publico aliquo ſcripto, & de Imitatione totâ. quid mihi videatur, monebo. Nam ego vt mutem, ſerum eſt. arbuſcula hæc, ſiue recta, ſiue aliter, creuit & induruit in hanc formam. Ciceronem amo. olim etiam imitatus ſum: alius mihi ſenſus nunc viro. Aſianæ dapes non ad meum guſtum, Atticæ magis. De Lemouicenſi: an fruſtrà monueris, vide. Miſi enim exemplar ad filium tuum, non ad te: quia parùm dignum te argumentum. Sed tamen cùm ad filium, nónne & ad te? qui imago vera tui, imò tu ipſe. Sanitas tantùm ei adſit. quam Deus ille dabit, ſi ſalutate: & in eâdem te Vir amiciſſime ſeruabit. Lugduni Batauor. Kalend. April. ∞. Iↄ. LXXXVI.

EPISTOLA XI.

HIER. GROSLOTIO LISLAEO.

TANTVM non in procinctu iam eram iturus Vltraiectum, & inde in Germaniam; cùm me litteræ tuæ inuenerunt. Dicam gratas eas? non gratior Gratiarum ipſa diua: per ſe, & nonnihil à clauſulâ illâ, quæ de Mercero. Illéne illîc? hîc mallem: & iamnunc vos inuitem, niſi abeam. In reditu fiet, ſi viri eſtis; & tam vicini videbitis & libabitis ſaltem oram Batauiæ noſtræ. Mihi valetudinis vnius cauſſâ ſuſceptû hoc iter. imus enim ad acidos, qui iuxta Confluentiam, fontes. Valebo per eos fortaſſe, aut valere iubebo hæc omnia humana. Ad alta illa ibo, nec ibi quoque me amor veſtrûm deſeret, qui altè in pectore iſto hæret. ——* θεοὶ δ' ἐπιμάρτυροι ἔστων. Lugduni Batauorum. VI. Kalend. Maias. ∞. Iↄ. LXXXVI.

* Dij verò ſint mihi teſtes.

EPISTOLA XII.

ELBERTO LEONINO *Geldriæ Cancellario.*

PECCARE mihi viderer, ſi expertem te habeam conſilij, quod firmandæ valetudini meæ cepi. Iter in Germaniam inſtitui ad acidos fontes: in quo iam ſum, ſed ſorte non nimis fauſtâ. Diſcrimen quidem adhuc nullum, ſed in hoc opidulo, circumcludor à turmis equitum, quæ in Belgium parantur. Ita differtur mihi via, imò pænè aufertur: quia perit opportuniſſima pars anni, & hyemi ſuſtinendæ haud planè firmum hoc corpus. Ambigo an pergam, an ſub rectum me dem, & reſiſtam in aliquâ maritimâ vrbe. ad vos quidem bonâ fide redibo, niſi impediat me, vt vos Iuriſconſulti loquimini, vis maior. Ego vir ampliſſime, amorem & officium omne tibi offero, ab animo non ficto: & iure debeo, quia te comperi mei amantem. Vale. Oldenburgi, Non. Octob. ∞. Iↄ. LXXXVI.

EPIST. XIII. *Francofurtum.*

EVERARDO POLLIONI.

QVID ais? ſiluiſſe me? erras. Nullas ego à te vidi, ad quas non ſedulò reſponderim: & habui te, mi Euerarde, ſemper inter primas curas. In languore tuo doleo: & miror quid illud mali morbi, quod vires tam valdè afflixit. Sed ætas tua eſt, quæ facilè reſurget: & ſiquid ſpirituum aut ſanguinis perierit, reponet. Tu modò te cura, ſed ſine curâ: & quidquid Deus ille noſter dabit, excipe libenti, imò & hilarâ fronte. Viuere te vult? velis. Mori? non nolis. finis & initium noſtri ab illo ſunt: felices, ſi in illo. Σκεύεα quædam ſumus à magno illo figulo: quid querimur, ſi fingit nos & refingit? Hæc tibi, & per te mihi dico: qui & ipſe valdè inter imbecilles. Febris quidem nupera vix vitam mihi reliquit: & eam ipſam, præter ſpem omnem medicorum. Baſiléam meam placuiſſe tibi, gaudeo: vrbem eo nomine planè dignam. In Gallis nondum γαλήνη: & ſanè doleo Wiltzium noſtrum inuolui, nonnullâ ſuâ culpâ. Vt quid enim deſidet & cunctatur, præter noſtram & parentis mentem? Nam de abſceſſu in Ger-

Germaniam, ſuaſi pridem. At quod ad te nunc, mi Eueratde: ego de reditu ſeriò tibi auctot: ſiue quia patet ita poſcit (ſcis quid illi debeas) ſiue quia tua valetudo. Amicus hîc & familiaris aër, facilè tibi dederit nouas vires. Et quid ibi hæreas? inter bonos & doctos, ſcio: ſed ſine magno tuo vſu. Meta itineris quæ tibi fuit, eam iam attigiſti: nec tu mihi Vlyſſes aliquis eſto aut Philoctetes. Terrent te hæc ambigua? quî magis, quàm nos? Sanè infirmus hic patriæ ſtatus, fateor, & qui ſine manu Dei palàm ruit: ſed valdè erras, ſi his pereuntibus, ſperas illîc firmitatem. Europæ libertas corruit, ſi ſemel hoc vallum. Ego hoc non ſuadeo ſolùm, ſed hortor: & fac, vt in viciniore te aliquando conquieſcamus. * Ἄτεκνον eſſe me ſcis: tu, & qui alij probi è diſciplinâ noſtrâ, mihi * τέκνα. De genere vitæ quod capias; hoc vnum dico, vt nullum. Late nunc & quieſce, donec deſæuiat ciuilis hæc tempeſtas. Plura coràm. nam me ſpero in primis videbis. Prid. Kalend. Mart.

* *Sine liberis.*

* *Liberi.*

EPISTOLA XIV.

FRANCISCO IVNIO S. D.

NON amore me præueniſti, ſed ſignificatione ſaltem amoris. Quis paullò humanior, te non nouit? & qui nouit, quis non amet? At tu tamen affectum in me largiter ſanè declaraſti, eùm epiſtolâ ſuauiſſimè ſcriptâ, tum munere adiuncto, quod meritò mihi carum. Monumentum enim ingenij tui eſt. paùm illud ad guſtum vulgi, fateor: ſed ambroſia & nectar nobis, quibus paullò acrior iudicij ille ſenſus. Sanè in implicatiſſimo ſcripto vtilem ſubtilemque operam nauaſti: & lumen prætuliſti locis, in queîs æternùm fortaſſe caligaſſemus. Multiplex notitia linguarum hoc tibi dedit, vt talia iſta interpretari noſtro æuo poſſis vnicè, & dixeram penè, vnus. Iam de affectu tuo in Georgium noſtrum quàm mihi ſuaue! Viuit enim in animo meo ille adoleſcens, magni ingenij, magni acuminis, & qui ad ſumma omnia veniſſet, niſi Deus ad verè ſumma illum euexiſſet. Felix, qui ereptus tot inſtantibus malis, & tot futuris. Nam fauillæ huius noſtri incendij ſpargi mihi videntur, & iam ad vos ire, comprehenſuræ (vtinam fallar!) Germaniam totam acri igne. Sed publica omitto. De iis quæ Epiſtolis ad Atticum obſeruitaſſe te ſcribis, & offers mittere: valdè velim. Nunc tamen in aliis curis ſum, vt videbis. Nam, cùm abſoluero, mittam. In tuis ad Curopalatem de Aſpro Turcarum lêgi: addas opportunè notulam è priſcis Gloſſis, *Δωδέκατον λάλιον*, *Aſprum.* & iterum: *Ἀσπρότης, candor.* Vberiùs aliàs. nunc ſalue, vir magne: & tui amantem ama. Lugduni Batauorum.

EPIST. XV. *Leodium.*

DOMINICO LAMPSONIO.

SPERABAM & aſpirabam ad vos, mi Lampſoni: ſed, heu, ſperabam. Conſilia illa omnia euertit is, qui meliùs nobis, nobis ir conſultum. Redij, & acquieſco: niſi quòd lepidiſſima tua epiſtola ſaliuam mihi ſæpiùs mouet, & * πτερυγίζειν iterùm ad vos facit, Amoris & Venerum ita plenos. O ſermones nectarei, quos promittis! ô fabulæ! ô epulæ! ô Iunonem tuam mihi non timendam, quam placem non verbulo vno, ſed ocello! Nullo Ioue opus ad iram eius leniendam in hunc Æneam: qui paratus eſt ſatisfacere, & altera tanta ſcribere aut dicere in viros. Viles mihi, & domi naſcuntur tales ſermones. Dic illi, ſaluta, diſſuauia. Quid ais? ſatin' familiariter? non excuſo, talis apud te volo eſſe. Noſter * αἰδέσιμος éſtne Antuerpiæ? vbicumque, ille meus. Imaginem noſtram mittam breuî. quam ſculpi iuſſimus à Goltzio, qui te amat, & multum ſapere in iſto quoque genere ait non falsò. Amici quidam in Germaniam, & vltra, me vocant: ego delibero, & caueo nequid temerè. * ζώει δὲ μᾶλλον ὄλβος ὀπιζομένων. Quid ni circumſpiciam? vbique ſunt quæ arceant, quæ alliciant: nec ad guſtum humana omnia, quamdiu erimus in humanis. Contentus ergo ego meo Catone. Tamen Auſtelli nonnulli nos hîc turbant: ſed adhuc occultè. ſi pergunt, & magis ſe aperiunt, mihi quoque ad alia conſilia viam. Politica dogmata pango, ſelecta ex antiquis. Minus gloriæ ea ſcriptio habebit, ſcio: ſed & minus inuidiæ, & fidei pluſculum apud eos, quibus homines magni (vt poëta ait) *Propter mille annos.* Valetudo vacillat. ſuſtentamus eam quantum poteſt, remiſſionibus, peregrinatiunculis, & præſertim horruli delieiis: in quo leges ecce meas vide. nam inſerui, vt rideas. Vale. XIII. Kalend. Iul. ∞. Iↄ. LXXXVII.

* *Alas quatere.*

* *Venerabilis, ſiue Reuerendus.*

* *Durat magis felicitas circumſpectorum.*

LIPSIANI HORTI LEX

IN IPSO ADITV, SVB PERSONA BIFRONTIS IANI.

*B. F.

* *Bonum factum.*

Quiſquis es, STA, LEGE, PARE.
IANVS ad hoc limen ſic EDICO.

K.I. HORTO *&* HERO *fruendi tibi ius eſto:*
Sed illo ad ASPECTVM, *iſto ad* SERMONEM.
Niſi OCVLIS, *quidquid heic ſatum aut natum, ne* LIBATO.
TIRO *eſto,* MANVM *apud te habeto.*
Si eſſers ad TACTVM *aut ad* RAPTVM:
Verbo dicam, te EFFERTO.

K.II. *Sed nec* HERO *vſquequaque* FRVITOR.
Ante SEXTAM *veſpertinam ne* ADITO:
Poſt SEPTIMAM *ne* MANETO.
Horæ aliæ, ad alias illi curas.
Heic cogitat, heic pangit:
STILVS *heic eſt, Abi* MVSCA.
Quid ſi & CAENA? *Abi* MVSCA.

K.III. SERMONES *etiam ne exléges.*
IOCARI *licet:*
NARRARE *licet:*
ROGARE *licet:*
Sed nihil SERIVM.
GRATIARVM *hic locus eſt.*

K.IV. *Siquid* AMOENIVS *tamen in* STVDIIS;
Inter AMBVLANDVM
Diſſere, doce, diſce.
Et MVSARVM *hic locus eſt.*

K.V. *Tu qui* SERIOSVS,
Tu qui RIXOSVS,
EXESTE.
CLVSIVS *ego ſum vobis.*

K.VI. CANIS, *præter vnam,* EMANETO.
HECVBA, *præter vnam,* EMANETO.

Habes? hoc etiam.
QVOQVÒ TE AGIS, TE VIDEO.

EPIST. XVI. *Hagam.*

THEODORO LEEWIO.

ERGO tamdiu te éxſpectamus fruſtrà? non hoc pollicitum, cùm nuperrimè iſtîc eſſemus. Præſta age fidem, imò & amorem: & veni non quia promiſiſti ſolùm, ſed quia cupis. Certè debes. quid iucundius quàm cum amicis verſari, diu non viſis, aut vix viſis? Nam aſpicere & non alloqui, nec videre quidem eſt: ſi non fallit ille Sapiens, *Loquere vt te videam.* Verborum ſatis habes, ſi vir bonus es qui ſoles: ſin degeneraſti, nec preces quidem te adducent. Quibus abſtineò, quia amicis ſummum precandi genus eſt, Velle. Ego te die Dominicâ exſpecto veſpere in cænâ, cum Douſâ & Hauteno. Hæc, vt iuris priſci verbis vtar, ſumma dies eſto. Vale & ambula, aut vehere potiùs. Poſtrid. Kalend. nouas. ∞. IↃ. LXXXVII.

EPIST. XVII. *Biturigas.*

IACOBO CVIACIO IC.

DIV ſilui, ſed inuitus. Bella hoc faciunt, quæ viam nobis omnem intercludunt, pænè & vitam. Ego Germaniam meditabar nuper, & tentaui, ſed non volente Euentu. Nunc huic epiſtolæ ſpem fecit ad tranſitum Hier. Groſlotius, egregius adoleſcens, & quod inter laudes eius pono, tui amans: ideò amatus eſt mihi. Vtinam ipſi mihi os illud intueri coràm aliquando fas: quod vnum miror hodie (Scaligerum tamen adiungo) in Europâ. Vidi nuper Iuonis in miſellum Titium. Periit infeliciſſimus hominum, hoc vno tamen felix, quòd ab illâ manu: tuáne an Scaligeri, an vtriuſque? Nam præter vos, fallor, aut nemo ſic ſcribat. Excitaſtis ſanè quoſdam, imò non excitaſtis: quia, certum habeo, immorientur ambitioſo illi veterno. *Admonere poſſum,* aiebat ille olim ad Galbam, *corrigere non poſſum:* hoc hîc valet. Elogium tuum quo me conſecraſti, legi. & ab amore amplector, à iudicio & admiratione (nam & eâ voce vteris) quî auſim? Debeo tibi, Cuiaci, debeo: & falſa in me dictio, *Beneficia tam diu grata eſſe, donec videantur poſſe exſolui.* Ego non poſſum, & quia non poſſum, vt inſani illi amantes, hoc magis volo. Thuanum amo. vbi is eſt? Scaligerum depereo. quid agit? quid non agit? vtrum-

uis enim poteſt & debet: illud ex voto noſtro, hoc pro æuo. Politica neſcio quæ ego molior, non à me, ſed à priſcis. illorum gnomas filo quodam verborum meorum necto, &, irriſo olim verbo, ferrumino. Vellem quædam de Iunonis filio, qui apud nos: ſed differo, ne differar. Ventura enim hæc ad te quis ſpondet? Vale vir maxime. Lugduni Batauorum Poſtrid. Idib. Mart. ∞.IↃ.LXXXVII.

EPISTOLA XIIX.

IANO LERNVTIO.

IMBVISTI me liquore litterarum tuarum ſuauiter aridum & iamdiu earum ſitientem. Reuixi. Te tuoſque viuere & valere gaudeo: ego quoque vtrumque. etſi iſtud mediocriter. Animus me ſuſtentat, & concepta opinio non fore perpes diſcidium hoc noſtrum. Nónne ab Albione ſpem faciunt albæ deæ? hîc narrant. Politica etiam nunc me tenent, neſcio an cœptum opus bonâ aui, certè lentâ. Pennas ſuas non habet. quin vellico & carpo eas vndique ex alieno ſcriptorum corpore: eoque res tardior. Quale futurum opus ſit, nec ipſe adhuc ſcio: & tamen auguror, melius quàm laudatius: id eſt, maioris rei, quàm famæ. ſed vos iudicabitis. In Senecam poëtam haud pauca notaui: quem legi his diebus, & nimis me cepit. vtique Medea & Thebais: quas ſupra omnes alias eſſe, nec eiuſdem vatis, mihi certum. Tu quid cenſes? quid iuuas? nam aut ipſum dare molior, aut ad eum Notas. Idem de Liuio. in quo nimia nobis bona. Senecam propriè meum, id eſt Philoſophum, præripuit mihi is, cui ego olim Tacitum, vt aiebat. Quamquam non tam ille me abſterret, quàm hic Lutetianus Faber, qui politè poſt illum dedit, & ne quid ſpei relinquat, pollicetur etiam Prætermiſſa. De rebus Amici apud Amicum ſecurus eſto: excipio Fatum aut Vim. Victoriolo noſtro iámne melius? ſpero. cauſsâ duplici: quia & ſedes ei pinguior, & in Autumno iam meſſis. Reuireſcite, me amate, planè planè tuum, & tuum. Propríd. Kalend. Septemb. ∞.IↃ.LXXXVII.

EPISTOLA XIX.

ÆMILIO ROSENDALIO.

VIX legi tuas, & reſpondi. Quid ais, aut quid cenſes? illuſiſſe me? Non is ſum, nec qui amo verba, vt ille ait, blandicella. Strictim laudaui te, ſed ex animi mei ſenſu: nec hîc vela te aut excuſa. Diis gratia, ego is ſum & eò veni, vt ſaltim iudicare poſſim de meliore & elegantiore ingenij venâ. Nec tamen feci aut facio, vt te attollam: quin contrà, promouiſſe te cenſe, non perueniſſe. Modeſtia eſt, mi Roſendali, & pudor iſte ipſe quem in te amo, quæ ſiſtere te debent in candidâ illâ Virtutis & Sapientiæ calce. Si iſta deſerunt, non velis vllis peruenies aut ventis. Peſtem hanc video in pleraque iuuentute noſtrâ hodie, quæ ſimul ſapere cœpit, iam ſapit: & vix limen libauit arcanæ huius domus, putat penetraſſe. Tu caue, quod facis: & ſponſorem me cape feliciſſimæ tuæ viæ, quem anteà in parte ductorem. Seriæ quidem beniuolentiæ meæ hoc ſymbolum habe. quòd tardè ad pleraſque litteras & vix reſpondeo: libenter & auidè ad veſtrûm talium, qui à nobis ſemel inducti in Viam hanc rectam, calcatis eam conſtanter pede recto. Pergite, creſcite, viuite, in veſtrum & patriæ bonum. Fratri vota eadem reddo, quæ mihi. Leidæ, in hortulo meo, quem cùm voles, vide; proprid. Kalend. Iun. ∞.IↃ.LXXXVII.

EPISTOLA XX.

HADRIANO SARAVIAE.

CERTE mihi iucundum fuit litteras tuas, & in iis te, reguſtare ex interuallo. Tamdiu cur ſiluiſti? Scire debes me tui & fuiſſe, & eſſe, ex quo ſemel te noui, peramantem. Collegæ fuimus, iuncti ſermonibus ſæpè & conſiliis: & vt illa nunc nō ſint (Deo viſum aliter) manebimus tamen iuncti animo, optimâ illâ parte noſtri. Diſſident quidam à te, qui mihi aſſident? nihil ad rem. Amare, & iudicare, ego poſſum: nec probo ſanè omnia, quæ fero. Naturâ mitis & lenis ſum, vt noſti: nec facilè me oppono, præſertim ſine ſpe vllâ profectus. Me & mea, quantum poſſum, compono & curo: publica fateor me numquam tangere, niſi inuitum. Perpetuum hoc mihi iudicium eſt, nec facilè vlla Suada aut Sophia eripient mihi hunc errorem. Stoïcos illos, quos ſæpè miror, ſcio hac in parte eſſe alios: qui in rem eunt, &, vt poëta ait, ciuilibus vndis ſe merſant, ſed mihi ingenium meum dictat aliud, & inprimis valetudo: quorum neutrum ſuadet mihi trahere hoc iugum. Itaque priuatim amicus eſſe didici, & fidus

amicus:

amicus: iuuare patriam aut rempublicam, animo & voto poſſum, vix conſilio aut facto. Quòd me in ea loca inuitas: vellem, ſed valetudo nunc quidem arcet. Videbo quid hæc æſtas ferret: animus quidem iamdiu auet videre pulcherrimam & maximam inſularum. Vale. x. Kalend. April. ∞. IƆ. LXXXVIII.

EPISTOLA XXI.

IOSEPHO SCALIGERO.

ADOLESCENS hic cùm ad te iret, mi Scaliger, nefas putaui vt ſine meis litteris. Vtinam ego cum illo! ſed * ἀνεμώλιον hoc votum: ita Gallia veſtra, & noſtra item, turbat. Quis prudens pedem nunc domo? & tamen ardet mihi animus amplecti te ante fatalem illum diem. Si vlla quietis aura adſpirat; certus eſto, nos ad te rectà. Iamdiu ne publicè quidem nos alloqueris: quid tibi factum? Per deum noſce te, & ſperne hoc æuum maior hoc æuo. Pungunt aut allatrant? qui? nempe ij qui palum non digni figere præ te in parietem. At nos amamus, miramur, & quicumque ſumus * τοῦ ἀμείνονος πηλοῦ. facturi hoc æternùm, ita amet me ille Æternus. Ad Senecam Tragicum aliquid meditatus ſum. habes. niſi ferre grauabitur hic ipſe, qui olim ait fuiſſe tuus: & vt nunc per me ſit, rogo. Vale. Lugduni Batauor. XI. Kalend. Maij. ∞. IƆ. LXXXIIX.

* irritum

* è meliore luto.

EPISTOLA XXII.

P. REGEMORTERO S. D.

EPISTOLAE ego tuæ * πρωθύστερον reſpondebo, & quæſtiunculam libabo quam proponis, ſed breuiter & cum Homero * ἐπιτροχάδην. Quid enim hîc vela pandam? hoc ipſum timidè, quòd pedem omnino pono in hanc cymbam. Quæris, an ſapienti fas aut ius conſciſcere ſibi mortem? Olim id diſputarum: nunc deciſum. & ſcis quid hac in re ſtatuant religionis noſtræ leges, quas improbè ſolicitemus. Tamen vis aliquid pro veterum mente? diſtinctè & breuiter. Stoïcis adhæream; quibus * αὐτοχειρία placuit, ſed non * ἀορίστως aut ſemper. Cùm neceſſitas ſuprema ingruit, puta à tyranno aut aliâ vi violentâ, nec mori tibi fas decorè aut honeſtè: putant arbitrij noſtri eſſe vitam noſtram. Pauculos dies aut horas quídni præueniam, non metu aut ignauiâ, ſed honeſto illo fine? non, inquam, vt euadam, ſed vt aliâ viâ vadam. Quid ſi morbus etiam vrgeat difficilis, pertinax, & ſine ſpe medicorum? videatur haud improbum, non diu iactari in hoc mari, & tranſire compendio ad portum. Idem in acerbitate temporum, & cùm omnia miſeriarum plena, ſine ſpe alleuationis. Atqui durare melius eſt, inquiunt alij: & hoc viri fortis. Non negamus, vbicumque breue aliquod malum eſt, & quod habere poſſit medicinam: vbi aliter, ô ignauiam mori toties, & non mori! *Rebus ſecundis ſeruare* nos poëta iubet: ſed non per aduerſa aduerſis. Vt in domo conducticiâ ſi habitem, nihil peccem ſi paullùm exeam ante diem penſionis: ita hîc videtur. ſed videtur: & nihil definio (abſit, abſit) præter definita piis ſapientibuſque viris. In Thraſeâ noſtro locum hunc magnificè tractauimus, & vt viro illo dignum. quem tamen premimus, quia nimis nos premant iudicia aut voces calumnioſi æui. An iamnunc non pecco, quod hæc * ἀποφώλια βάζω? ſed apud te vnum, & ex lege dictâ. Scribis ampliùs de Galliæ rebus: quæ hercules incertæ, & neſcio an id quoque regnum venerit ad fatalem metam. Nos quieti per illas turbas: nec præter votum etiam mors illius Albionij, quem putant parùm in nos fuiſſe æquum. Adoleſcens, quem mihi commendas, ita erit: & ex vultu ac moribus iudico mereri. Vale. Lugduni Batauorum, IX. Kalend. Februar.

* prius-poſterius

* curſim.

* ſui interfectio

* indefinitè

* vana proferre

EPISTOLA XXIII.

DOMINICO BAVDIO.

DOLOREM tuum quòd apud me effundis, gratum: certè apud amicum, & de amico. Collegæ illi meo non ego volo, & ſemper volui? ex animo. nec moror quid maligni ſuſpicentur aut effutiant pro ſuo more. Deus, ego, res mihi teſtes: & tempus quædam aperiet, quæ nunc latent. Eò dico, quia hæc res ita geſta eſt, vt me celata omnia ſint, & nunc adeò celentur ab iis, qui nihil aliarum rerum me celarunt. Non credunt? eſto. hilum non ego deterior, ſed nec triſtior: qui ſto apud iudicem, cui nemo mentitur. Curuæ illæ mentes ſunt, quæ de me tam curua. At tu Baudi eſto quod ſemper: id eſt, bonus & volens, & æquus in eum, qui talis in bonos. Sed de ſermuſculis parùm eſt, quos nemo par mihi vita-

uit; nemo maior: res magis ipſa me angit, cui vtinam à me medicina. Nec de cauſsâ inquiro, quam tu tangis: vulnus ipſum quî coïbit tam grande, tam patens? Auctoritas alterius partis agitur, alterius honor: & ſcis alioqui quàm lenti cedere iſti noſtri. Heu multa in hoc æuo quà publicè, quà priuatim moleſta! illud in primis, quòd rebus miſcentur, ſuſpicione aut voluntate vulgi, illi ipſi qui extra res omnes ſe proiiciunt animi quodam decreto. Talis ego, nec mentior. ſed rarum tamen aliquid in hac vrbe, non ſolùm Scholâ, cui Lipſij nomen non inſertum, verò ſiue falsò. Douſam noſtrum ama, excuſa, & inter plures ſcito eſſe vnum: aut certè ne damna (quod in hac miſſione maximè damnatur) inauditâ cauſsâ. Ego eum à diebus aliquot non vidi: & me ſubtraho, & manum cum Milone haud temerè inſero inter hiantes has rimas, quæ (Deus ita faciat) coïbunt. niſi, quòd ea quæ munus Rectur & officium amici mihi imponunt, non deſero, non deſeram, nec cum offensâ. Salue mi Baudi. III. Non. Maij. ∞. IↃ. LXXXVII.

EPIST. XXIV. *Viennam.*

CAROLO CLVSIO.

SCRIBERE me ad te, mi Cluſi, mirum eſt: & non ego, non alius quiſpiam id cenſuiſſet, ante menſem. Ipſo enim natali meo XIV. Kalend. Nouemb. acris & feruida febris me inuaſit; quæ corpus per ſe haud validum ita duos menſes pænè afflixit, vt omnium iudicio iam in ipſo Fati limine ſtarem. Viuo tamen, clementis dei beneficio palam

——* θάνατον καὶ κῆρας ἀλύξας.

* *Fato ſeruatus ab ipſo.*

Meas accepiſſe te gaudeo, & quæ in Senecam adiunxi. Ea nata mihi ſubitò, nec otium habuiſſe aut animum plura exemplaria conferendi, tute facilè vides. Gratum mihi quòd Excerpta tui codicis miſeris, quæ inſpiciam opportunè. Lapidem Ancyranum accepi. & iam antè habebam deſcriptum à Busbequio: ſed tamen gaudeo firmari eius fidem & induſtriam alterius etiam deſcriptione. Nam tua hæc, parùm aut nihil mutat ab illius. Vſui ea nobis in volumine Antiquitatum Smetij (vbi crebra tui quoque mentio) quod hîc edimus elegantibus typis, nec ſine publico, vt ſperamus, bono. Vnde vos illud nacti? inquies. Dicam quod rideas, Prædones à prædonibus. Milites, inquam, noſtri in tumultu hoc Belgico res Marci Laurini diripuerunt, inter eas, hunc Theſaurum. Centurio qui habuit, in Angliam venalem detulit: emerunt illîc Academiæ noſtræ (cùm caſu pro legatis adeſſent) Curatores. Ego auctor diuulgandi, & adiutor. Auctuarium enim addidi Inſcriptionum aliquot, quas Smerius aut non vidit, aut omiſit. Vtinam tu propior nobis fuiſſes! nec enim dubito, quin iuuare largiter potuiſſes, & bonam ſymbolam conferre ex ære, quod peregrè collegiſti. At nunc ſerum: nam liber lucem iam ſpectat. Quòd deſides, me cruciat: & vtinam agere ac peragere tibi fas vtiliſſimè cœpta! Dacia non miror ſi te trahit. me quoque, ſi deus meus pateretur, in primis delectaret ea loca luſtrare, quæ trita ſcio veſtigiis Romanis. Quot illîc lapides & monumenta priſca! Lazius me docuit, qui multa adfert, nec adfert: ita exſcripſit parùm fidè aut curiosè. Nos etiamnunc in ſpe de Irene. Illa quæ Albioni præſidet, legatos miſſura, imò iam miſiſſe dicitur ad Principem ſcuti equeſtris. Tu quid ais? diffidis. Ego illud cogito, *Optare liceat, ſi potiri non licet.* Ill^o viro Vincentio Pinello cùm ſcribes, quæſo te, ſalutem ei à me dicito, ignoto de facie, non de famâ. Amo virum, magnum meritò apud omnes magnos. Idem te rogo de Hier. Mercuriali, quem Felicitas mihi dedit, vt coràm etiam Romæ noſſem. Vale. Poſtrid. Idib. Ianuar. ∞. IↃ. LXXXVIII.

EPISTOLA XXV.

IOANNI ARCERIO.

LITTERAE tuæ honeſtiſſimi amoris indices, mi Arceri, an gratæ mihi fuerint ne quære. Gratiſſimæ. & in iis ἀφελότης illa tua & candor, quem haud minùs quàm doctrinam amo. Pauci hodie tales: & pleræque, quod doleo,* σκολιαὶ aut curuæ mentes. De morbo meo, & eius grauitate, nihil vanum audiſti. Pæniſſimè factum (cum Plauto meo loquor) vt irem ad beatos. Sed tamen viuo, imò & dei benignitate meliuſculè etiam habeo, quàm ante morbum. Quòd autem rogas vt te quoque in cohortem meam adſcribam amicorum, fruſtrà rogas: quia reuerà iam adſcripſi. Notitia mihi aliqua tecum dudum fuit, & nuper inſtituta etiam amicitia, idque in ſacrâ menſâ: nec violabo, quamdiu me violen-

* *obliquæ*

ta illa dea non violabit. Spondeo. & arram velut pacti huius mitto ſyntagma noſtrum ad Senecam, haud magnæ rei aut molis, in quo tamen (niſi mea me fallunt) non vulgariæ aliquot Notæ. Vale mi Arceri, & vxorem tuam à me meaque ſaluta. Leidæ, Kalend. ipſis Ianuarij: quas ſalutares tibi precor & fauſtas. ∞. Iↄ. LXXXVIII.

EPISTOLA XXVI.

IOH. GVLIEL. STVCKIO.

QVOD gaudes & gratias mihi agis, Vir Clariſſime, pro teſtimonio quod in Epiſtolis meis tibi reddidi: ego quoque gaudeo, &, ſi pateris, gratias etiam tibi ago. Quídni pro tantâ & tam rarâ gratitudine? præſertim quam elicuit beneficium à me nullum. Quid enim mi Stucki in te contuli? paucorum verborum teſtimonium, doctrinæ & induſtriæ tuæ ita debitum, vt non qui dixerit benignus exiſtimetur, ſed qui tacuerit, malignus. Abeſt autem à me hoc vitium, & abſit in omne æuum. Candidum mihi valdè ingenium fateor, & quod alienas virtutes ſiue dotes videt facilè, & viſas amplectitur atque amat. Hæc mihi cauſſa eius elogij, à naturâ meâ profecta: nec magis de te demetendo cogitaui, quàm ſol ille cùm nobis lucet. Tamen hoc quoque laudibus tuis nunc accedito, quòd non ſolùm doctus, probus (hoc ſciuimus,) ſed etiam mirificè gratus eſſes: quod nunc diſco, & eò magis exemplum exoſculor, quò rarius in hoc æuo. Paſſim ambitio, inſidia, detractio; & commune paruis magniſque ingeniis vitium, ingratitudo. A veteribus haurimus cottidie, quæ ſcribimus: quotuſquiſque fatetur aut meminit? A nouis multa ſubducimus: & diſſimulamus callidi, quaſi hoc vno magni, ſi nemo præter nos magnus. Sed quod mimis, hoc iſtis ſæpè euenit: & veſtis iis detrahitur in publico hoc theatro. Sed quorſum iſta? vt producam, & paulliſper tecum fabuler: quem æſtimatum mihi anteà, certum eſt iam dehinc amare. Tu me quoque Vir clariſſime, & ſalue. XI. Kalend. Sept. ∞. Iↄ. XC.

EPISTOLA XXVII.

ABRAHAMO MYLIO.

LITTERAE tuæ quomodo mihi non gratæ? Adfectus in iis vndique elucet: ſed vereor, vt adfectus. pro ſcriptis meis & pro famâ pugnas: ſed rem audi, amanter magis quàm prudenter. Quid enim acri hoc amore tibi vis? probare me aut mea iis, qui non probant? fruſtrà. & hoc eſt quaſi cibum aliquem conciliare illis, qui abhorrent. Vt palati inclinationes quædam ſunt, quas haud mutes: ſic iudicij. nec in probando minus differimus, quàm in agendo. Vt hæream in hac ſtili lineâ: age, quis inter veteres, & inter nouos, eâdem ratione ſcripſit, aut ſcribit? Similes fortaſſe aliquos reperies, & id ægrè: nullos pares. Natura in corporibus raro hoc commenta eſt, vt vel ab eâdem parente fœtus aſſimilent: vis tu à diuerſiſſimis ingeniis ſtilum? Quòd ſi ille variat: neceſſum eſt & iudicia. quia quiſque optima aſſequi, aut certè ſequi ſe, cenſet. A fonte ingenij interno, Myli, iſta ſunt: & diffuſa oratio, ſtricta; læta, ſeuera; quemque delectat aut indelectat, vt quiſque eſt talis. Hinc nationes olim totæ diſſederunt de optimo genere dicendi: & noſti oratores Atticos, Aſiaticos, Rhodios: quid miraris homines ſingulos? quid hoc æuo? cùm imperitiſſimus quiſque audaciſſimus, & iudicij hunc calculum ſibi ſumit quilibet è litterariâ plebe. De eloquentiâ iudicant, qui non dicam cuius coloris illa ſit neſciunt, ſed vix Latina lingua. Itaque Myli non tu, non ego, his ſermonibus moueamur: & de Apelleis iſtis lineis Protogenes aliquis iudicet, non qui auerſi ab hac arte aut Muſâ. At Critica noſtra non effugiunt etiam * κρίσιν. Gaudeo, & ideò ſcripſi.

* cenſuram.

Præter naturam cuiquam hoc videatur, at non meam: qui tam libenter iudicor, quàm iudico ipſe. Cur in tam libero ſcribendi genere non liber cuique ſenſus, diſſenſus, imò & lingua ſit? Liuor modò abſit & malignitas, quam odiſſe me, cum Homero, fateor

——* ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσι.

* æquè atque Orci portas.

Sed in eo ſuaues, quòd Orationes me negant ſcribere. Vellem dixiſſent, edere: agnoſcerem, & cauſſam darem cur laudem non quæram in hac arenâ. De ſcriptione quis abnuet, qui vel puerum me nouit? Iactantiam omittamus, ſed audi ſimpliciter. hæc palæſtra mea vetus eſt, hoc ſtudium quò vſus me duxit & naturâ. Vix duodecennis orationes ſcripſi, habui: pueriles ſcilicet: ſed quas grauior etiam ætas laudaret in illâ ætate. Nec deſtiti poſteà: & credo me ſpecimen etiam dediſſe in Batauo hoc ſolo. Improbulum aliquid addam. ſi ſtadium iſtud eloquentiæ aperuiſſet

ſet mihi mos mei æui, decurrere id auſus eſſem cum nonnemine priſci æui. Nec verbum vltrà addo. erubui. Tu vale. Lugduni noſtræ, Kalend. Iuniis.

EPIST. XXVIII. *Coloniam Vbiorum.*

CHRISTOPHORO PLANTINO S. P.

IN curâ de te fuimus, mi Plantine, ob tempeſtatem, quæ præter anni tempus, ſub diſceſſum tuum exorta. Venti quidem proſperi, ſed violenti, grandes: deus faxit, vt breuî audiamus fuiſſe, ſine tuâ noxâ. Imbecillitas etiam corpuſculi tui nos torquebat, timentes vt parùm eſſes ferendæ agitationi inter vndas. Solatur me vnicè tuus animus, magnus ille ſemper, & ſe maior, vbi diſcrimen. Apud te, vt volumus: apud me, vt poſſumus. Nam morbus meus non deſerit etiam hanc materiam, & ignis ille interior in eâ lentè ardet. Suſtentamus tamen, & corpore atque animo repugnamus. Typographia bono loco. operæ modeſtæ. nos Tranquillum daturi videmur cis paucos dies. Nam de Thraſeâ (etſi bona pars iam parata) tardamus, offenſiuncularum quarumdam metu: etſi non negamus multa iis ineſſe, quæ non ad famam meam magis, quàm ad publicum bonum. Videbimus porrò, & ſtatuemus. Franciſcus tuomeus rediit ante biduum, mihi quidem valdè gratus. Litteræ quas ad me teque adfert, teſtimonium de ingenio & moribus habent valdè honeſtum. Qui hæc dedit, ſeruet quæſo augeatque. Sed eo quid fieri vis? hîc habes, an euocas ad te? Si hîc: dabimus operam ne otio abutatur, & vt id locet in ſtudiis benè cœptis. Si illuc traducis: (nec id fortaſſe, vt tempora ſunt, abs te) tua hæc cura, vt collocetur apud eos, qui iuuentutem benè & peritè formant. Scis quid in ſermone ſuaſerim. Plura hîc non innouata à tuo diſceſſu, qui nunc me ſanè mordet. Ludouico Pereſio amico noſtro, & M. Varroni, item Ximenio, Metello Sequano à me officioſam ſalutem nunciato. De rebus tuis & conſiliis exſpecto auidè. Vale ego alter. Lugduni Batau. IV. Kalend. Septemb.

EPIST. XXIX. *Lutetiam.*

THEODORO MARCILIO.

CLARVM inſigne beniuolétiæ in me edis, Marcili, litteris vltrò & tam amanter ad me ſcriptis. Quæ ita gratæ mihi ſunt, vt velim omnia quæ publicè ſcribo. Nam quòd tu me ames, æſtimes, quî non amem? Ingenij tui fætus vidi, noui eos qui te nôrunt: in illis omnia erudita, bona legi, & ab iſtis audiui. Hæc de te * παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα πιστῶς. Nam in me, vereor vt tu & tua Gallia parùm veri. Ab amore vel ab humanitate effuſæ illæ laudes ſunt: quorum ille in te nuper natus, hæc à veteri æuo inſita præter omnes gentes huic genti. Error iſte eſt, error: ſed amicus, & neſcio quomodo ſapientiſſimo cuique etiam gratus. De tuâ meaque patriâ quæ auguraris, vtinam ne tam certa! Iactamur, imò mergimur, niſi quid adiuuat ſupera illa manus. Arcturus tuus turbat, & rex quiſpiam etiam ab Arcto: qui clauſo freto, minatus nobis nuper miſerrimam omnium mortem, Famem. Quid cenſeas? niſi in totâ Europâ, ſed non ſine ſonitu, inuerti orbem hunc rerum. Id ego video & fero: non ſolùm præceptis ab arcanioribus libris firmatus, ſed malorum vſu ipſo, qui in animo iſto genuit callum. Valetudo noſtra anceps, propior tamen bonæ. qualem tibi longùm, longùm, mi amiciſſime Marcili, (is mihi deinceps eris) opto. Lugduni Batau. IV. Kalend. Iun. ∞. IↃ. LXXXVII.

* pauca quidem, ſed fida.

EPISTOLA XXX.

PAVLO MELISSO S. D.

CERTE poſtremæ tuæ mihi traditæ, vnà cum Exſequialibus, quæ feciſtis piè & legitimè Principi Anhaltino. Tot aliis tuis quid factum? illud, quod non inſolens hoc æuo, abiectæ credo, aut interceptæ. At carmina illa veſtra me recrearunt, tua inprimis, ſanè docta: ſed & F. Iunij, quem ego neſciebam harum etiam eſſe Muſarum. Ille autem eſt in primo choro. Stenius etiam veſter adprobus. Quid dicam? Aonij illîc montes, & niſi Douſa vnus vetet, nobis luridæ, imò Stygiæ paludes. Quídni ſic appellem, per funeſta hæc bella? Nos tamen obduramus, colimus, & vi quadam retinemus abiturientes illas Diuas. Iuſtitia minatur: cuius (hoc quidem loco) præſes, abit & deſerit Donellus. non ſponte: miſſus enim eſt à Scholarchis, cauſſis quas non dicam. Sed de Pronunciatione etiamne vidiſti? gaudeo, magis, ſi apertè mentem explicares, & aut conſenſum in eâ re mecum, aut diſſenſum. Nam nunc quæ lo-

queris,

queris, meræ mihi ambages. Hortenſius non ſum, nec Sphingem accepi, quæ adiutet. De poëmatis Bargæi, monui Plantinianos. aiunt ſe miſiſſe, & in vaſis incluſa, quæ ſunt nunc (eſſe certè debent) Francofurti. Baronem Serotinum vidi, ſtellam, verbo dicam, Germaniæ veſtræ. Iani Gulielmij poëmata, premis, an edis? Neutrum ſuadeo, quia incertum mihi an pro ceterâ eius famâ. tu deſpice, & tui amantes nos ama. Lugduni Batau. Kalend. Iuniis, ∞.IↃ.LXXXVII. V. Nob. Othonem Grynradium ſalutes à me velim.

EPISTOLA XXXI.

IOSIAE MERCERO.

LISLAEVS apud nos fuit: cur non vnà tu? Bella occaſio erat: quam vereor vt nunc amiſſam, fruſtrà poſteà requiras. Atqui, cùm illic ſis, Bataviâ te noſtram, & in eâ Lipſium non videre, dedecus ſit noſtrum mi Mercere. me coniungo. Non enim tanti ego tibi? Nec crede hanc eſſe

——— * δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε:

** longam viam difficilemque.*

dici vnius res eſt, cùm leuiter fauet ventus. Sed, ſpero, emendabis. Noſtra ad Senecam Tragicum iam mitto. quid cenſes? & an non mecum facis in iudicio illo, quod de ſcriptoribus feci? Nam * τυφλὸν ἔχει ἦτορ ὅμιλος ἀνδρῶν ὁ πλεῖστος, ait Pindarus: non etiam tu. Profectò ſi conſideras, Thebais illa, Thebais, * ἐξαιρέτως pulchra eſt: & quoties lego, * σέβας μ' ἔχει, vel potiùs * ἄγη. Nemo vatum viſus mihi tam altè, & tam feliciter, volaſſe. *Iuonis Villiomari* in Titium ante paucos dies vidimus. Neſcio an recens lectio me ita ceperit; ſed non videor ſcriptum bellius legiſſe à multis annis. Non decima illa Muſa, Plautus, poſſit aliquid magis Muſæum. Sed dic ſodes, quis ſcriptor? non enim ille falſus Iuo.

** cæcum cor habet pleraque hominum turba, * eximiè * veneratio me habet, * ſtupor.*

* ψεύσομαι, ἢ ἔτυμον ἐρέω. κέλεται δέ με θυμός:

** Mentiar, an verum dicam? iubet me animus.*

Scaliger noſter eſt, lumen illud & columen litterarum. Non diuinaui? Quæ tamen ibi correctio inter baſilicas videtur,

Diſcit ab hirſuto iaculum torquere Capellâ,

nondum mihi proba. Nos aliò longè ducimus Iuuenalis eos verſus. Sed hæc talia (deus faciat) aliquando coràm. De patriâ, valdè * ἐπίκηρος, mi Mercere, noſter hîc ſtatus. Mihi parùm certum eſt hîc manere; imò certum non manere, ſi hæc manent. Turbones nimis multi: vtinam vnus aliquis, qui ſub Hadriano! Sed tu vale, & nos ama. Lugduni, x. Kalend. Octobr. ∞.IↃ.LXXXVII.

** caducus,*

EPIST. XXXII. *Baſileam.*

IANO DVYSTIO.

SI vlla res me delectat, mi Duyſti; ea eſt cùm vos tales video, qui me audiſtis. Amantes mei, æſtimantes: ſuprà quàm meritum fortaſſe eſt: at non ſuprà, quàm vos decet. Tu inter eos inſigniter gratus: cuius beniuolentiæ in me, iudicij apud omnes de me, clara in litteris tuis video ſigna. Perge verò, amare inquam non tam me, quàm ea quæ cenſes in me, Virtutem & Doctrinam: quæ te clarum aliquando efficient, & mihi certè effecerunt iamdiu carum. Studium tuum cognoſcendi & compellandi illuſtres viros, laudo: & pudorem in omni re ama, non in iſtâ. Hic fructus inter alios peregrinationis tuæ ſit, vidiſſe illa lumina, quæ cogitatione ipſâ te illuſtrent, excitent ad ſui imitationem. Ruinæ & monumenta veterum heroum nos commouent aſpectu: quidni iſtæ viuæ imagines virtutum? Itaque quòd Italiam etiam ex Germaniâ cogitas, approbo: cum cautione tamen illâ quam olim Lanoyo meo (nam Epiſtolas meas video te vidiſſe) prouidè præiui. Non repeto. Hoc tantùm Varronis inclamo, CAVE CAVE CANEM. Multi in animo, nonnulli in corpore admorſi, æternum dolorem retulerunt è pulcherrimâ illâ terrarum. Tu me capis: audi tantùm, imò auſculta. Patauij ſi Hier. Mercurialem Clariſſimum Medicum, imò æui noſtri primarium, ſi inquam vides: à me ſaluta, & dic ad ſuauiſſimam eius epiſtolam reſpondiſſe. O vtinam anni & vires mihi quæ olim! profectò luſtrarem amata mihi loca, & amplecterer viros, quorum nomen me recreat & diffundit. Sed coërceo exſilientem animum: te rogo, vti in me ſis quem oſtendis, certus à Lipſio idem tibi fore. Lugduni Batauorum, Kalendis Iuniis. ∞.IↃ.LXXXVII.

EPISTOLA XXXIII.

DIONYSIO GOTHOFREDO.

BREDERODIVS noſter, dum ad vos iter affectat, deſiderium & memoriam mihi excitauit tui. Meritò te amo, qui iam dudum me: & id oſtendiſti non vno ſigno. Scripta tua, quæ in publicum elaboraſti, nobis

nobis grata, tibi honeſta: & in ſimilibus cedendis vt perſeueres, te hortor. Vides langueſcere Galliam tuam, & ponere paullatim ardorem illum diſcendi, docendi, ſcribendi. Vos pauci è ſubſidio adeſte. Malum illum deum & * βροτολοιγὸν abiiſſe à vobis, gaudeo: vtinam & * λιμός! quod, vt hæc tempeſtas anni eſt, ſpero. Nos peſſum imus: aut valdè fallor: nec ſuſtentat ſcirpea illa, quam induximus, ratis. Fraudes, inſcitia, calor, quid non corrumpunt? Fuit apud nos nuper Paulus Stephanus Hen. F. mitis animi adoleſcens: quod velim patri nuncies, & à me ſalutes. inprimis autem Caſaubonum, eiuſdem, vt audio generum, cuius ingenio & creſcenti famæ valdè faueo. placent nimis ſcripta eius, quæ vidi. Cetera à Brederodio noſtro audies: quem vt commendem tibi, à ſe commendatum, non laboro. tamen vno verbo id facio, ſed ſeriò prorſus. Vale V.C. & me ama. Lugduni Batauor. Idib. Sextil. ∞.IϽ.LXXXVII.

* hominum peſtem
* ipſa peſtis!

EPIST. XXXIV. *Antuerpiam.*

FRANCISCO RAPHELENGIO *Filio.*

SI paullò tardiùs, mi Raphelengi, ad litteras tuas reſpondeo, non miraberis, ſi me & te videbis. Me, qui ita cottidie interpellor & occupor, vt omne tempus ſermonibus aut colloquiis pænè dandum ſit, exiguum aliquod meditationi aut ſtilo ſuperſit: te, qui ipſe in hoc largo otio, in flore ingenij, aut ſpiſsò ad nos ſcribis, aut ſiles. Et tamen ſcito affici nos tuis litteris, & hærere in iſtis medullis ſemel conceptum tui amorem. Poſtremæ tuæ me recrearunt. in quibus omnia beniuola in nos (de quo numquam dubitaui: nec aliter tibi facere fas eſt) & de te ipſo plena bonæ ſpei. Vitia vides mollioris illius præſertim & reſidis animi: quem vtinam, vtinam, ſemel excites & erigas, mi adoleſcens, non tam citò relapſurum. Contemni à te humana, gaudeo. quæ me quidem auctore pedibus etiam trahe: ſed ita vt contemptus iſte ab alto quodam animo ſit, non qui ipſus ſe contemnat. Pars illa ætherea in te viuat & vigeat: cetera illi ſeruiant, ſed non vt cum illis ipſa. Hoc modeſtiam aut ſapientiam cenſes, iacêre? nihil agere? ad nullum vitæ genus collineare? Ignauia eſt, magnorum etiam ſæpè ingeniorum peſtis. *Subit enim*, vt ille inquit, *inertiæ ipſius quædam dulcedo, & inuiſa primò deſidia poſtremò amatur.* Vt lignum occulta teredo conſumit: ſic animum delimat paullatim & exedit ignauus hic affectus. Homo es, è duplici materie, cæleſti & terrenâ: ad duo etiam natus, cælum & terram. Illud inprimis; ſed nec hæc negligenda eſt, quamdiu es in iſtâ. Id eſt, famam, opes, amicos, doctrinam, hæc omnia modicè parare debes, quæ magna eſſe vides apud homines etiam magnos. Ad vanam & validam ambitionem non te voco: ad media tantùm illa: quæ vſum ſui varium præbere nata ſunt, bonum bonis, malum malis. Per hunc omnium rerum immodicum contemptum, vide ne in contemptum veniat vita ipſa. Tempora me dant in languorem, inquies. quid tempora? tu ſemel ſtatue quis eſſe debeas, illuc cogitationes actioneſque dirige: cetera eo loco habe, quo tempeſtates aut ventos. Munies te contra illa, vt poteris: neminem contumaciâ aut loquentiâ irritabis: cetera permittes illi, qui tempora & temporum dominos regit. Rarò alliſa nauis eſt, quæ modico velo legit litus. Eminentia feriunt procellæ. Hæc cogita: & illud inprimis, vt attemperes te ad conſilia aui tui, ſiue iuſſa. Quis illo tui amantior? quis vſu rerum peritior? nec puta prudentiam omnem à litterulis manare, aut neſcio quâ hac doctrinâ. Telum ea & adiumentum acre, fateor: ſed non ſola.

Tua in Senecam miſſi proba ſunt. quid ſi aliud tale in alium oratorem, ſiue poëtam? elige. Quæ conferre cœpiſti cum Ortelij noſtri libro in altero Senecâ, video non mala eſſe: cupio vt perſeueres, & vt quemque librum abſolueris, ad me mittas. Ego his diebus Controuerſias contuli, & repperi haud pauca Cenſoribus non viſa nec Romanis nec Gallicanis. Res noſtræ fluctuant, & turbat vicinum mare: nos illi (Deo hoc debemus) qui ſolemus, inconcuſſi. Vale mi Raphelengi, & ſi me amas, te ama. Lugduni Batauor. proprid. Kalend. Septemb. ∞.IϽ.LXXXIIX.

EPIST. XXXV. *Marpurgum.*

NICODEMO FRISCHLINO.

SEROTINAE tuæ ad me litteræ, tamen gratæ: vel quia tam amanter ad amandum prouocas, vel quia communicas iis rebus, quæ in Germaniâ geruntur. Quam terram velut alteram parentem (origine

enim nos Belgæ inde) iure diligo, atque eò magis, quòd benigna ea nutrix mihi fuit per aliquot annos. Statueram regustare liquores eius, & in itinere medio fui: reppulit me aduerſantis Fortunæ velut ventus. Ergo nunc iterùm in aquosâ Batauiâ meâ, mihi tamen carâ, quia carus ego illi. Cum Cruſio tua liticula nonnihil me cruciat. nollem in hac paucitate eruditorum eos inter ſe

— *Ἀντιβίοισι μαχήσασθ' ἐπέεσσι.

* Aduerſis ſermonibus depugnare.

Sed tamen, liberè dicam, etſi ætate ille grandior; tu mihi in hoc certamine Achilles, ille Troilus videtur. Plus virium in tuâ haſtâ, imò & cauſsâ: ſi tamen eam per calorem & immodeſtiam (quod ſpero longè à te eſſe) non corrumpis. Ego miror homines eſſe, qui plus Grammaticorum præceptis tribuant, quàm illis per quos Grammatici viuunt. Mihi probum & rectum eſt, quidquid proba & priſca illa ætas ſcripſit, etſi Grammaticorum omni cohorti aut non lectum aut neglectum. Tamen Cruſiana illa nondum vidi, & ideò iure amplio, ne audiam illud, *μηδὲ δίκην. Te amo, & ſaluere iubeo, & crebrò terere hoc litterarum iter. Agere te Marpurgi gaudeo, apud Principem, qui ſapientiâ Germaniæ Princeps. Vale. Lugduni Batauor. VII. Nonas Ianuar. ∞. IↃ. LXXXVII. ſtilo noſtrate.

* ne cauſſam.

EPISTOLA XXXVI.

FRANC. NANSIO. V. C.

SALVE mi Nanſi. en habes Nonnum tuum, quem remitto lectum à me cum voluptate. Ipſe Poëta mirificus (vt res quidem illa & verſio patitur) & tu Cenſor, in eo emendando. At defectus quos in ea ſupples, iam non defectus: cùm tam felici & pari venâ carmina addideris tua, nec tua. Nonnum enim totum ſpirant, quem concoxiſti. Perge, & ede. ego ſuadeo: quem ſcire debes tui amantem eſſe. Prid. Kal. Iunij, ∞. IↃ. LXXXVI.

EPISTOLA XXXVII.

ABRAHAMO ORTELIO.

THESAVRVM abs te, mi Orteli, vidi & in parte legi: verè theſaurum. Condita in eo habes, quidquid Græcia aut Latium habuit, in eâ quidem argumenti parte. Placet materies, ordò, induſtria: illa vtiliſſima, iſte facillimus, hæc ſumma. Iam prælóquia illa & velut lumen operis, quid? bona. Bochij veſtri & Vackheri verſus laudabiles: quos ex vngue illo viros puto, & gratulor veſtræ vrbi. Quæ iámne reſpirat? Diu fauces vobis premit atra & famelica illa Diua: quam pellet, niſi fallor, nata mox copia pleno cornu. Deus faxit! ciues enim certè amamus, & quicquid Belgarum eſt, longè ab odio quod factio gignit. Byzantina Imperatrix (Irenen dico) quando ad nos? heu, tardè. nec viam video: niſi quia Deo, cùm volet, *ἔτους ἀρχῇ, πίεσμον. Cratonem medicum abijſſe audio, & doleo. amauit me vir, ego illum. At nos manemus, in extremâ velut vitæ lineâ ſtantes, & animo duntaxat, non corpore, fortes. Politica noſtra pergunt, ſed, vt familiaris poëta meus loquitur, teſtudineum gradum. Ita ſæpè interpellamur, ab amicis, à munere quod ſuſtineo, à morbis. Fero omnia, & te in pectore æternùm. Vale. Prid. Non. Iulias. ∞. IↃ. LXXXVII.

* anno ineunte, peruenium.

EPIST. XXXVIII. *Erfordiam.*

MATTHAEO DRESSERO.

ETIAMNE ex diſſitis illis locis aura ad me beniuolentiæ? etiam. & ſpirat ea ſuauiter in tuis litteris, quas ante paucos dies accepi amoris & honeſti iudicij plenas. Vtroque gaudeo, etſi illo magis quàm iſto: quia riuus hic ab eo fonte, & multum me æſtimas, quia multum amas. Et verò iam pridem inter nos cognouimus, cùm in Germaniâ veſtrâ aliquamdiu Ienæ agerem, & ad meliores artes præirem iuuentuti. Tunc (memoriâ teneo) coïtum inter nos fœdus amicitiæ, non niſi nobiſcum morituræ. Perſeuera: ego de me hunc affectum tibi ſpondeo *εἰς αἰῶνας. Quem vtinam tempora & res noſtræ ferrent, vt aut præſentes, aut certè vicini magis oſtenderemus! fruerer te non ſolùm cogitatione, ſed etiam poſſeſſione, & manum inijcerem in ceruic[illegible]m amicas. Fata negant. nec aliud relinq[illegible]r, quàm arcta & arcana illa animorum coniunctio: quam magis magiſque ligemus per epiſtolarum hæc vincla. Verba iſta ſunt, fateor: ſed *ἀπὸ βαθείας ψυχῆς, & re comprobanda, cùm res ſe dabit. Salue Vir eruditiſſime. Lugduni Batauorum.

* in perpetuum.

* à profundi mente,

EPIST. XXXIX. *Patauium.*

EVER. POLLIONI.

ITALIANE te tenet? præter opinionem meam, fateor: & tamen gaudeo. Quî non amem illum locum, in quo iucundiſſimè viximus ipſi olim? qui ante nos, ſedes tot illuſtrium animarum? Sanè amo, & ſi adire aut peregrinari in eo diſſuadeam, repugnem interiori meæ menti. Tamen tardè nec libenter conceſſi hoc tibi. quid mirare, ſi timidus amor eſt? ſi iuſta etiam mihi cauſſa timoris? eò magis quia gentem & loca illa penitiùs paullò introſpexi. Ad Lanoyum quæ ſcripſerim, legiſti: crede non ſcripta ea animi cauſsâ. Mare, mare, nauigas, & id ſcopuloſum: caue ne obhæreat alibi iſta ratis. Cautè inter captatores homines ambula, te cela, linguam preme, omnia proba etſi non probas. Certamen aut diſſenſus omnino tibi cauenda, & vt feliciter hoſpitem agas, age ſeruum. Iactantia aut libertas nobis ſeruentur: nobis etiam omnis tuus amor caſtus, purus, & nequid delibent ex eo obſcænæ illæ aues. Quantumuis formâ aut plumis blandiantur, ah fuge; aut potiùs pugna, quòd dicitur, * περὶ κρεῶν. Reuerà de illis agitur. Præſidium tu in motu ponis, & quòd nuſquam, vt ais, figes pedem. malo vt nuſquam oculum, inprimis ne animum: & vt ille ſemper munitus ſit in eiuſmodi occurſus aut aſpectus. Hoc tamen ſuadeo, vt vidiſſe Italiam ſatis habeas, hoc quidem tempore: non placeat tibi pemouiſſe eam aut inſediſſe. Viros magnos regio fert, ſcio: ſed ſepoſitos aut ſubductos: & vt prompti ſint, vix per illa diſcrimina adeundos. Minùs mihi ſape, & diutiùs viue. Quibus nunc velim te innoteſcere, paucos noui. Anni octodecim ſunt, cùm Italiam ego reliqui: & qui tunc vigebant, pleroſque ex ijs reliquit vita. Ad Hier. Mercurialem litteras tamen dedi: virum probum, candidum, illuſtri doctrinâ & famâ. Bononiæ, opinor, nunc reperies. Romæ eſt Fuluius Vrſinus, cui ſalus à me fortaſſe tibi dederit admiſſionem. Eſt ibidem Latinus Latinius, ſi tamen viuit, probiſſimus ſenum quos ego noui, & omni litteraturâ inſtructus. Eum quoque à me ſaluta. Reliqui è grandibus ſunt, ad quos te non mitto: qui rem, vt opinor, quæris, non ſplendorem. Quod ſupereſt, Deum, vt Comici verbo vtar, animitus rogo, cautam circumſpectamque mentem tibi det, & auidam ad tuos redeundi. Wiltzium meum, ſi illic eſt, à me ſaluta: à quo iampridem nihil audire me, ſed cohibeo. Tu vale. Poſtrid. Kalend. Septemb. ∞. Iↄ. LXXXIIX.

* de carnibus.

EPISTOLA XL.

PETRO ALOSTANO.

DOVSA meus ad vos venit, & eſt in quo operâ tuâ ei opus: quam vt benignè, &, vt ingenium tuum eſt, comiter illi exhibeas, te rogo. Reſp. noſtra quo loco ſit, vides: & quò perduxerint nos acerba quorumdam conſilia, nec peremta ſatis ad Prudentiæ ſolem. Hinc immites iſti fructus, quos ciues illi veſtri numquam guſtarunt, te regente. Vtinam & nunc (tibi hoc, nec tuâ cauſsâ dicam) eiuſmodi aliquot ingenia nobis ad clauum! facilè ſedarent hi fluctus. Niſi fit, mergimur, mi Aloſtane, mergimur. Deus iuuet, & te Vir Clariſſ. ſeruet. Poſtrid. Kalend. April. ∞. Iↄ. LXXXVII.

EPIST. XLI. *Burdigalam.*

MICHAELI MONTANO.

SCRIPSI ad te ante menſes &, vt tempora hæc ſunt, ſuſpicor non vanè, parùm rectè eas litteras, certè parùm feliciter, datas. Nam nec ab eo cui Lutetiam curandas miſeram, reſponſi quidquam accepi. Itaque itero ſcriptionem. non quia tuâ magni interſit, ſed quia meâ, ſcire te & accepiſſe me humaniſſimas tuas litteras, & eo quidẽ animo quo à tali viro merebantur. Non blandiamur inter nos. ego te talem cenſeo, qualem publicè deſcripſi vno verbo. Inter ſeptem illos te referam, aut ſi quid ſapientius illis ſeptem. Nam externa & polita iſta doctrinarum, ſermonis & linguarum ad faſtum & faſtidium vſque ſcientiam (audi intimum meum ſenſum) ſperno ego valdè, niſi cum prudentiâ quadam & recti iudicij normâ coniuncta dirigantur ad vſum vitæ. Ea duo poſtrema in te eſſe vidi, & illa non deeſſe. Nos in Politicis aliquid meditabamur, deſumptum ex veterum agro: & iam pars non ſcripta ſolùm, ſed tradita typis. tamen differo, & ſuſtineo me temporum horum adſpectu. Ego enim, vt pericula quæ obueniunt, non timeo aut vito; ita non temerè ea prouoco aut arceſſo. Scio autem quàm facilè vel in optimis conſilijs pec-

peccetur, æuo quòd impetu, non conſilio fertur. Intereà in Senecam Tragicum aliquid Criticum dedi: quem ſcriptorem, vel ob nomen, ſcio & te amare. Nunc edo *Curas* meas *ſecundas* (ita appello) in Tacitum. Quid faciam? aliquâ fallendum hoc otium eſt, ſi non ſalubri, certè non inutili occupatione. Tu vir magne ecquid agas, & inprimis ecquid valeas in Regni veſtri morbo, fac me tui amantem ſcitiorem. Lugduni Batauorum, XVI. Kalend. Maias. ∞. Iↄ. LXXXIIX.

EPISTOLA XLII.

THEODORO BERNARDI S.D.

BENE habet, mi Theodore. de Amico illo noſtro extra metum ſumus, imò extra ſuſpicionem. Ille viuit (ex litteris eius mihi conſtat) & viuet, vt ſpero, in multos annos. Heu dolorem meum, ſi aliter! Varijs virtutibus amorem noſtrum meretur, & certè amore. Quòd quæris à me de Apellæis illis lineis, veráſne eas cenſeam, & quales? ad prius reſpondeo, veras: nec fas ambigere, niſi ſi fidem ſpernimus hiſtoriæ omnis priſcæ. Ad alterum nunc ſileo: & cenſeo vt priùs ab Amico illo noſtro quæras, cuius ingenium grande & capax, diffuſum per has quoque artes. Mirificus ille vir eſt, & quem Homeri verbis iure appelles

—— * Δαίφρονα, ποικιλομήτην.

* Prudentem, variâ mente prædituni.

Ego coràm aliquid tecum. quem decretum mihi viſere ineunte hoc Vere, atque vnà cum Henrico Spiegelio meo amplecti. Amo vtrumque: vterque me amate. Lugduni Bat. Prid. Kalend. Mart.

EPISTOLA XLIII.

THEODORO LEEWIO.

GAVDEO & gratulor (hinc enim primùm ordiar) quòd iterùm te dediſti in iucunda hæc nuptiarum vincla. Deum quæſo, vti felix tibi ea res & ſalutaris ſit: id eſt, matrimonium concors. Nam in eo voto, includi cenſeam reliqua vota. De quo mihi magna ſpes eſt, quòd eam non ex dote legiſti, ſed ex naturâ, & ex ipsâ. Sic decuit (quidquid vulgus hîc dicet:) & equum emere, non ſellam aut ſtrata. De rep. noſtrâ nec ex tuis litteris mihi magna ſpes eſt, nec ex rumoribus vulgi. Si vtrimque pertendunt, quis exitus? Cedere altera pars debeat, aut potiùs vtraque, & ſic coïre in arctum & amicum fœdus. Amentia! hoſtis in latere, & tantùm non ad portas Annibal: & nos litigamus? Atque hæc per eos eueniunt, quæ ſententiæ ſuæ tenaces, iudicia omnia & conſilia ſpernunt aliorum. qui quam viam ſemel ingreſſi ſunt, nec omittunt, etiam in errore manifeſto. Peſtis iam olim huius & plurium rerum publicarum: nec facilè excutienda, ſi aut ipſa potens, aut obſedit potentes. Felices illi Principes, quibus electio & iudicium eſt hominum, quibus fidant & credant. Intereà quocumque loco noſtræ res: nos, mi Leewi, noſtro maneamus, id eſt, inconcuſſo illo & firmo. A deo & à fato eius pendeamus, certi ſubire ſortem omnem quam ille dabit patienti ceruice. Calcitrones iſti & refractarij equi, hoc conſequuntur, vt verbera etiam aliquot excipiant, nec excutiant tamen iugum. Omnino lenius omne malum fit, leniter ferendo. Qui interpretando auget, qui velut ſcalpit ſuum vlcus: facit, quod qui onus ad onus ſibi addunt. Ego tecum ſentio. ſtandum in hac acie, & ſine fugæ vllâ cogitatione, vincendum aut cadendum: ſic tamen, quamdiu palàm aliter non ſuadebit ille Imperator. Lugduni Batauorum XIV. Kalend. Octobris. ∞. Iↄ. LXXXVII.

EPISTOLA XLIV.

IANO DOVSAE *Filio.*

SCALIGERVM patrem, quem ſæpè tibi laudo, mi Douſa, ipſum hîc vide. Quis depinxit? quo nemo meliùs, aut veriùs potuit, ſe ipſe. Quando? cùm fallere ei minimè libitum, paucis diebus ante ſummum diem. Heu, quis ille vir! pænè auſim dicere,

—— * Σοφίῃ μὲν ἀλίγκιος ἀθανάτοισιν.

* Sapientiâ ſimilis dijs immortalibus.

Tres ſunt quos admirari vnicè ſoleo, & qui in hominibus exceſſiſſe mihi humanum faſtigium videntur, Homerus, Hippocrates, Ariſtoteles: ſed addo hunc quartum, qui natus in miraculum & gloriam noſtri æui. Scripta docent (etſi bona, imò optima, eorum pars periit:) tum hæc Epiſtola. quam tu mi Douſa, quantum poteſt, lege, deſcribe, remitte. Nam Pici non ita aurum ſuum cuſtodiunt, vt ego hunc theſaurum.

EPISTOLA XLV.

IOS. SCALIGER IVLI CAESARIS F. *Franciſco Vertunniano S.*

INCIDI in Epiſtolam Patris mei, quam vltimam prudentiſſimus Senex dictauit. Agnoſces, puto, manum meam. eam ille dictauit inuitiſſimus. hoc eſt, rogatu Paſchalij illius qui ſe hiſtorici Regij non tam munere quam nomine venditabat. Quod niſi te ex Epiſtola ipsâ cognoſcere mallem, pluribus tibi explicaſſem. Hoc vetabat ingenuus pudor; ſed officium ſcribendi expreſſit importuna hominis loquacitas. Quare, quum te videam ſtudioſum Scaligeri nominis, non dubitaui te hanc Epiſtolam non ſolùm in delicijs, ſed etiam in miraculi parte habiturum. Adde quòd eam in parte officij te habere volo, quòd ad me pertinere putem te nihil ignorare eorum, quæ ad amicitiam noſtram aut augendam aut conſeruandam ſpectare videbuntur. Quum Epiſtolam eam deſcripſeris, remittito. Nam non tantùm meâ, ſed etiam omnium bonorum intereſt, eam non perire. Vale, ac me ama. Vlmium noſtrum ſaluta. Abenni. propid. Kal. Iun.

EPISTOLA XLVI.

IVL. SCALIGER FERRERIO S.

QVOD tuis elegantiſſimis litteris non reſponderim, multas afferre cauſſas poſſum, ſed omnes quidem præter meas occupationes. Nam quemadmodum iucundiſſima mihi fuit ſalutatio tua, ita nihil mihi prius eſſe oportet, quàm vt omnibus omiſſis oſtendã diligenter & mihi fuiſſe honori, & dandam eſſe operam vt mutuis officijs eliciam frequentiorem. Ceterum ad hanc vſque diem nemo ſe obtulit nobis, qui iſtuc iter faceret, niſi Quæſtorum magiſtri, quorum tanta eſt ſuperbia, vt præ ſe contemptis ceteris omnibus penè regnent. Podius verò noſter pæne priùs abijt quam acceſſit. Atque nunc etiam ita ſcribo, non quòd habeam quidem, ſed vt ne mihi deſim, ſi fortè quopiam meliore fato nactus fuero nuntium aliquem opportunum. Scriptionis vero meæ ſumma in eo potiſſimùm verſatur, vt quammaximas poſſim gratias agam viro de noſtro ſæculo benè merito Paſchalio, qui ita cenſuerit, me augere poſſe numerum virorum illuſtrium, præſertim in Regiâ hiſtoria. Ac quanquam diuturnâ ambitione meus animus æger ſibi ſtuduerit aliquid comparare, quo ſe humo, vt ait ille, tolleret; ſæpè tamen ſeſe reſpiciens ac ſui compos factus, faciendum putauit, vt iam partæ gloriæ acquieſceret: non quòd vel recuſem, vel parui faciam me vti beneficio tanti viri; ſed ſatis habiturum me debere arbitror, ſi quantus illi modò notus ſim, tantum me oſtendat poſteritati. Nam quod tam gratioſè atque humanè petit, de me vt hiſtoriam conſcribam, quin ad id adducar faciendum, tres omnino cauſſæ prohibuere. Ac primum quidem pudor ingenuus, & dignus vel familiâ noſtrâ vel meâ inſtitutione. Deinde quòd quammaximis atque illuſtriſſimis de rebus meis vbi narrauero, tum maximè dixerint me mentiri, quicumque tantum litterarum cum tantâ belli gloriâ in ſeipſis coniunctum non eſſe indignantur. Tertium verò illud eſt, quum [illegible] ſimpliciſſimo tranſigendum illi videô, quæ ne maiori quidem libro comprehendi poſſent. Pugnaui pedes, eques; adoleſcens, iuuenis miles, præfectus; certamine ſingulari, in obſidionibus, in campo ciuili, ad ludos equeſtrium ordinarios, in excurſionibus, in exercitibus ſæpius vici, aliquando victus ſum, corpore, non [illegible] non virtute, ſed fato: ſed ita vt etiam aduerſi caſus ipſi maiori mihi fuerint honori propter egregia facinora, quàm ipſis hoſtibus victoria. loca infinita non deſignabo. Familiæ noſtræ merita à Taxili vſque temporibus erga regnum Gallicum ad meam vſque operam notiſſima ſunt. Quòd ſi exempla non ſunt odioſa, poterit illius erga me amor eius animum cò impellere, vt ſimul & Maſſiniſſam & Xenophontem componat, quorum vtriuſque idea vix me vnum exprimat. Vides quàm ridiculus mihi ipſe factus ſim, quàm vix centeſimam quamque partem delibarim. De his omnibus ita vt volet. Nam familiam meam quotuſquiſque doctiorum neget, ſi nobilitas in vetuſtate ſita eſt, eſſe omnium nobiliſſimam? cuius lux in Alani ſplendore ac virtute aduerſus Attilam primùm effulſit. Si ad capita Principum ſpectes, liberalium, magnanimorum, fortiſſimorum; perpaucæ gentes cum eâ ſint comparandæ. Si quis malit intueri cognationes, deductos nos ſciat multis ex Imperatoribus. Quintus enim ego ſum ab Imperatoris Ludouici Bauari filiâ. Si quid verò conferunt etiam adfinitates, quis ignorat Maſtini Scaligeri filiam Beatricem, Barnabæ Ducis Mediolani vxorẽ, decem filias peperiſſe, quæ omnes maximis Europæ Principibus nuptæ fuerint; vna etiam Eduardo Regis Angliæ filio, quo defuncto duxerit eam vxorem Dux Andegauenſium; altera verò Siciliæ Regina fuerit? Sed vt parcam hiſtoriæ; hic eſt ille Barnabas, cuius fratri nupſit Valẽtina, & quam honoris cauſſâ nomino, & quâ nominatâ ſinẽ ſtatuo gloriæ noſtræ. Nihil enim mihi honorificẽtius contingere potuit, quàm vt eſſem ſub luce Regum Francorum non ſolùm tamquã ciuis adſcitus ab Opt. Max. Franciſco Rege diuino; verùm etiam particeps benignitatis atque pietatis Regis incomparabilis Henrici ſecundi. De meis verò vel ſtudijs vel ſcripturis nihil ad Paſchalium mittam.

De

*De ijs moribus, qui ad vegetum robur animi pertinent, etiam in hac extremâ ſenectute, qui penè octogenarius ſum, perpauca poterit, niſi graue eſt. Omitto frigoris, æſtus, mediæ patientiſſimum, dies integros laboribus fregiſſe, noctes etiam continuaſſe. Hoc multis fortaſſe commune: illud non fortaſſe multis; veſpere poſt expedita diurna negotia ad * ſexaginta verſus commentum eſſe, deinde cænaſſe; poſt cænam dictaſſe quæ ad ægrotorum poſt triduanas præſcriptiones pertinerent; poſteà ſomnum cepiſſe; ſummo mane experrectum fremitu nuntiorum qui opem meam petunt cottidianam, interrogaſſe, reſpondiſſe, dictaſſe ſub prandium vſque; meridie pranſum illos ipſos verſus quos veſpere concepiſſem, ad verbum ſine vllâ hæſitatione ſcribi iuſſiſſe. Quis hoc non mirabitur, fortaſſe ne illud quidẽ, decem & ſeptem Aeſchyli verſus ſemel modò lectos ſummâ fide memoriter illicò reddidiſſe. Habes quæ à Paſchaſio humaniſſimè rogatus, à me ipſo coactus effudi; non quòd digna putarem tanti viri lucubrationibus atque admiratione poſteritatis; ſed ne viderer barbaro faſtidio tam luculentum officium contempſiſſe. Vale. Agenno. Prid. Non. Iulij.*

* Sed caſu fuiſſe, colloq. lo meco maiores, Iul. [illegible] dis [illegible] nam ipſe deſcribebat dictante Patre.

Tuus Scaliger alienâ manu. meâ enim ægerrimâ hoc tantùm ſubſcripſi.

EPIST. XLVII. *Patauium.*

HIERONYMO MERCVRIALI.

AD litteras quas à te vnas accepi, iamdiu Vir Cl[me] reſpondi. Vtinam ſæpiùs ſcriptionis hoc mutuæ iter teramus! quid mihi iucundius? Sed, vt ille ait, multæ inter nos terræ ſunt, & multi montes: qui tamen ſeparant me à te, nec ſeparant, ad quem ſæpè tranſuolo cogitationum & deſiderij leui alâ. O Italia, quam vidi olim, non pernoui! quando te reguſtabo? Ita me deus amet, vt hoc aueo. vereor vt fruſtrà, cùm tempora video, & valetudinem quoque iſtam, quæ ambigua & infirma. Sed vt hoc non ſit, fas mihi tamen vos interdum litterarum hac viâ adire & alloqui. quod facio nunc ex occaſiunculâ, quam mihi præbuit egregius & ingenuæ doctrinæ iuuenis Euerardus Pollio; cui apud te commendando hoc ſatis erit, quòd vſus olim ſit domo meâ & menſâ. Si te videt, ama iuuenem, & benigniore vultu excipe. nec enim aliud pretium quærit, aut certè non maius, peregrinationis ſuæ, quàm eiuſmodi viros & hæc lumina vidiſſe, ijſque innotuiſſe. Adoleſcens eſt * οὐ τῶν πολλῶν. Idem à te peto pro Henrico Wiltzio, ſi is quoque templum tuum adibit, ex-

* non è vulgo.

cipias propitius & volens. Hypochondriorum meus morbus remiſit, ſic tamen vt intemperies & imbecillitas in hepate remaneat: cui vt poſſumus, non tam * φαρμακείᾳ quàm diætâ medemur. Abiiſſe te honeſtiſſimâ vocatione Bononiam audimus. ni id eſſet, valdè rogarem in Viri magni Vinc. Pinelli amicitiam me inſinuares: quem ego iure æſtimo inter Italorum primos. Vale, & ſeriò amantem tui ama. poſtrid. Kalend. Septembr. ∞.IↃ.LXXXIIX.

* medicamentariâ

EPIST. XLVIII. *Svvollam.*

LAMBERTO CVLENIO Ic[to].

SI vmquam, lubens litteras tuas & te in ijs reguſtaui ex interuallo. Moleſtus mihi eſſe vereris? numquam potes caput tam amicum. atque hoc debeo Bronchorſtio; qui vt beneficium à me impetraret, prior mihi obtulit litteras tuas: cui adfuturum me in omni re noli ambigere. Ipſe id videbit, & ſcio ſcribet. Vtinam potiùs tibi in re ſimili gratificandi occaſio eſſet! ſed patria te & publicum munus tenent, &(vt verum fatear) ita hoc rerum ſtatu omnia hîc & alibi ambigua, vt neſciam an amici ſit alium temerè commouere. Diſſidij ſemina palàm video. Deus ille faciat, vt opprimantur in herbâ. Animos magnos illa gens auxiliaris gerit, & noſtris certum non cedere de priſcâ libertate. Vtrique tamen vt ſpero aliquid remittent, nec funem hunc contentionis trahent, quod non poteſt ſine caſu & pernicie alternâ. Nobis enim, quod Deus auertat, oppreſſis, quæ illis perennandi ſpes? Huic rei ſymbola aliquot conſcripſi, quæ hîc vides, in vſum & gratiam præfecti veſtri monetæ. Arcanum omnem ſenſum non explicui: nec opus, perit enim horum talium Venus, niſi aliquid ſit, quod lector & inſpector quærat, & inuento eo gaudeat. Comitem Dordraci fuiſſe, ſed ſtatim in Zelandiam rediſſe, credo te ſcire. De ſummâ rerum, non aliud habeo quod nunciem. ſuſpecta enim adhuc omnia, & mutuâ quadam diffidentiâ ſuſpenſa. O Belgica, huc ne redacta es, vt timere eos ipſos debeas, quos euocaſti ne timeres! Impedior, ignoſce. nam animus mihi certè diutiùs tecum fabulandi, quod aut coràm aliquando fiet, aut per litteras ocio meliore. Vale Vir Clariſſime, & prorſus mihi caro. XI. Kalend. Sextil.

EPIST. XLIX. *Brielam.*

PETRO REGEMORTERO.

ERGONE m[e]as nondum accepiſti? at dedi illi ipſi q[ui t]ibi has adtulit, atque adeò etiam ad Baudiu[m]. ſocordia hæc hominum, an perfidia? Tamen amorem & curam tuam amo, qui me alteris etiam compellas, & ſignificas quæ gratum mihi intelligere & ſcire. Nam etſi, mi Regemortere, reip. non miſceor (ſcis hac in parte decretum meum, quod nulla res mutabit) tamen non ita * μισόπατρις, aut ab communi hac vitâ abeo, vt exuam ſolicitudinem omnem de patriâ & affectum. Ego illi benè cupio, & ex animo ijs omnibus qui hanc procurant. Vtinam concordia illa inter nos, quæ eſſe debeat: & quæ niſi breuî coit, perimus. Ego tecum quoque ſentio, legum ita habendam rationem nobis, vt præualeat ſuprema illa lex, Patriæ ſalus. cùm hæc periclitatur ob priua aliqua ſcita ſiue leges, ſcio non ſolùm flectendas iſtas ſed frangendas: & improbus, quiſquis aliter ſentit. Sed tamen videndum, nequid nimis tendatur: & ne acti contentione rumpatur, quod dicitur, hic funis. Vtrique cadimus, ſi id fiat. Principibus honorem & dignitatem ſeruari, æquum & verum eſt: ſed, per deum immortalem, ne ita illa omnia ad exactam & ſummam rationem reuocemus, vt neglegamus ſalutem. Tempeſtas & venti in hoc mari ſunt. quis ille nauta, qui vno curſu & certâ, vt ſic dicam, lineâ peruehi conetur in portum? Flectendum eſt, vela commutanda, obuertenda: & curandum, vt tutò potiùs perueniamus quò inſtitimus, quàm vt citò. Dies multa dabit quæ nunc ardua videntur, & ille * ὁ πάντων πατὴρ χρόνος. Calore quiſquis vtitur apud frigidas has gentes, falletur & labetur. Duci volunt, non trahi. Ille noſter * μεγαλήτωρ, vtinam largiatur aliquid iſtis cum vſurâ recipiendum, & ſubmittat ſe nonnihil vt creſcat. Liberè hæc ad te ſcribo (ſed ſolum) nec celo ſententiam meam in hoc diſſidio non diſſuadeo, quæ eſt, Indulgere. Si pertendimus, è leuiculis rebus veniemus ad mage maiores rixas. Cum Ordinibus vt conuenerit, id eſt opidis, caput rei eſt: de hominibus ſingulis, quales & quanti illi ſint, quis laboret? Sequentur, aut ruent. De collegæ mei negotio, rogari nolo. Non dicam feneſtrâ, ſed rimâ mihi apertâ, omnia conabor ad perfringendam hanc arcem: quamquam ille, quod ſcis, neſcio quâ cauſſâ alienior à me in totâ hac cauſſâ. Sed nihilominùs * μελήσει. Tu vale. XII. Kal. Octob.

* omnium pater Tempus.

* magnanimus,

* cura erit.

EPIST. L. *Leodium.*

DOMINICO LAMPSONIO.

HEVS tu, quid nuntij habes non intempeſtiui ſolùm, ſed infidi? Ille me in horto ſubitò opprimit, litteras tuas porrigit illas quidẽ optatiſſimas: poſcit illicò reſponſum. Intra horulam, inquam. negat. Intra ſemihorulam. negat. Quid ergo faciam? inquio. Mitte ſodes, inquit, Hagam: totum diem ego eras illîc, & in tali domo. Ego, mi Lampſoni, teſtor Genium amicitiæ, miſi: ſed litteræ ad me remiſſæ, cùm ille nuſquam comparuiſſet. Hoc præfari volui, & ſilentium excuſare. nunc ad tuas. Vrges valdè vt concinnem De inſtitutione Iuuentutis. fiet: ſed non antè poteſt, quàm hoc pertexuero in Politicis, quod ſum exorſus. Valdè id opus me tenet: magis quàm vllum meum, etſi nec meum. Colligo enim & conſarcino ex ſcriptis alienis. Quid faciam? vereor vt error iudicij mei fuerit in ordiendo: nunc conſtantiæ laus eſt in abſoluendo. Quædam etiam interueniunt, de temperie in Regionis rebus, & talia, quæ hoc æuo cum omnium gratiâ aut veniâ non dicas. Tamen faciam, & breuî vt ſpero habebis. Nũc iſtud breue adtextum ſiue προσθήκη habe ad Cornelium: non guſtandum, iſſi illé lecto. Opus eo edito fuit, quia iterùm Commentarij noſtri eduntur cum hoc augmento: quos qui non habebunt, contenti ſint illo. Status publicus apud nos valdè * κυματίζει. de Pace multus ſermo & multa ſpes fuit: nunc iterùm langueſcit. Petrum Oranum quòd amicum mihi conciliaſti (tuum hoc eſſe ſcio) gaudeo. Virum magnum, & quod caput eſt, bonum eſſe, quidni credam, qui tibi ſic placeat? Itaque reſponde illi audacter de mutuo meo animo: quem factis verbiſque oſtendam, vbi res cumque feret. Sed nónne ego Oranum noui aliquem Coloniæ olim? opinor, & qui erat ex Leodienſium gente apud Patres illos meos, quos noſti. Nec tamen opinor hunc eſſe. Tu quæ promittis, aut vt verius dicam, offers, de Inſtitutione à Ximenio ſcriptâ, ſi me amas, fac videam. Valdè me ijs aut adiutum iri ſcio, aut firmatum. Lugd. Batauor. XV. Kalend. Iul. ∞. IϽ. LXXXIIX.

* fluctuat.

EPIST.

EPIST. LI. *Dantiſcum.*

IANO GRVTERO.

BREVES & triſtes tuas nuper accepi, de parentis optimi fato: & nunc vberiores paullò, non lætiores. Nimis, mi Grutere, iaces. Quid te moneam? ſcio te hanc in rem omnia quæ me ſcite: hoc deeſt, quòd non vſurpas. Remedia habes, ſed recondita velut in thecâ tuę mentis, non expromis. At nunc eſt vſus eorum, aut numquam erit. Vides publicè, vides priuatim omnia aduerſa, triſtia: nec ſpem cuiquam niſi in ſe, id eſt, robore & contemptu quodam omniũ rerum. Quid alios, quid me cenſes? agere ſcilicet dies feſtos? in morbo iam biennium non cubo, ſed, quod deterius ego cenſeo, ambulo. Æger enim omnia munia fungi cogor ſanorum. Alius me ſcribere, legere vult, alius conuiuari, hilareſcere, & omnia agere vt ſolebam. Et tamen, mi Grutere, apto me huic ſcenæ, & hilari vultu perſonam ſuſtineo, quam impoſuit magnus ille Ædilis. tu idem fac. Non es qui ille, & ille? at multi etiã infra te ſunt, & qui in cælo ſibi videantur, ſi tuo loco. Alia ſolatia omitto: hoc quòd ſapere & ſcire ſupra vulgum aliquid tibi datum eſt, quanti æſtimas? Si vero pretio, ſupra omnes debes humanas opes. Deſcende in te, ſubtrahe ab circumfuſis & externis, & oblectare cum interno illo, deo qui in te viuit. Ille, ille melior ignis, niſi opprimis, exſtinguere vnâ flammulâ poteſt humida hæc omnia & lęta curarum. Huic rei en nouum ſubſidium, libros. Miſimus enim quos petiſti. At tu *Pericula* tua cur nobis inuides? iraſcor. Ego me velut Familiarem aliquem Larem vel primum placandum cenſebam hiſce libamentis. Culpam vides, tu emenda. In Plautũ iam nuper accepi, & ſanè placuerunt. Non ſcripſi: quia tunc nullus videram, & hæſerunt eæ Notæ apud Æmilium noſtrum Roſendalium, me non inuito. Amo enim & illum adoleſcentem, ingenij planè boni & recti, id eſt tui. De Conſtantiâ noſtrâ quod etiam nunc quidam carpunt: ſecurus eſto, mi Grutere. M[illegible]bus hic quidam animi eſt, & nocere [illegible] volent, [illegible] nocebunt.

Illam ag[illegible] pennâ metuente ſolui
Fama ſuper[illegible]es.

Ἄφθιτον inq[illegible]am, etſi non * ἄφθονον hoc ſcriptum. Sed hoc dicendum fuit, ob Lentulos iſtos, quorum abundans ea ora. At tu vale. Lugd. Bat. Prid. Kalend. Septemb.

* [illegible]

EPISTOLA LII.

FRANCISCO RAPHELENGIO *Filio.*

PRAEFATIONEM tuam duplicem vidi, mi Raphelengi, titulo ipſo alteram mihi gratam. Ad me enim eſt: in quo non tam memoria mei delectat, quàm gratitudo, quâ merito declaras in eum, qui voluit tibi ſemper, vult, & volet. Vtraque proba ſatis: vellem paullò longior. Nam etſi breuitas mihi amica, in quo haud infeliciter me ſequeris: tamen in adoleſcentiæ iſto æuo maior quædam vbertas mihi haud diſplicerat. quæ ipſa etiam eſſe poteſt, ſine fraude vllâ breuitatis. Plura cur non ſcribis, etiamſi non pluribus? id eſt, cur non extendis ſiue Epiſtolas ſiue Præfationes tuas, & materiæ pluſculum addis? Nam verba non deſidero: & in eo mihi places. Vide ne rem tibi dicã: nec tu iudicio iſtud facias, ſed fugâ quadam laboris aut intentionis ingenium tuũm, mi adoleſcens in omnia validum. vtinam tu exerceas, & ſolum illud fertile magis aſſiduo, & ſic dicam, vomere inuertas! Diligentiam a te volo, diligentiam; nec eam cum impetu, ſed ſtabili quodam animi tenore. Quid? influere eruditionem aut virtutem ipſam cenſes, famam aut opes affluere, ſine contentione & labore? erras. * Θεοὶ τ' ἀγαθὰ πόνοις πωλοῦσι, vetus & vera gnome eſt: quam, ſi quid me aut te amas, ama. Manutium & Stephanum quoties tibi ingeſſi? tu ſupra eos eſſe potes (verè tibi vaticinor) magnâ conciliatrice Aui tui famâ: quam illi non habuerunt. At tu hæc contemnis. vtinam omnia externa! ſed contemnas tamen cum modo, qui niſi adeſt, inſipiens omnis Sapientia euadit. Homini ego nihil humanarum rerum magnum eſſe fateor, ſi animum & cæleſtem illam particulam ſpectes: ſi corpus, & ſi vitam cur prorſum neglegas ea, quæ ad opes faciãt aut honores? Abiectè ſapit, quiſquis ea ſic abijcit. Erige igitur te, & aptum præbe ijs ad quæ Auus, Pater, Ego, te deſtinamus: [illegible] omnes in hoc honeſto curſu, non clamore ſolum & fauore, ſed & rebus. Ego quidem non opem ſolùm meam, ſed & opes ad hanc rem polliceor: vt te præbeas dignum ijs qui genuerunt, ijs qui docuerunt. Omnino [illegible] hæc ſumma ad[illegible]onis meæ eſt [illegible]uum & crebru[illegible] te [illegible] ſcribendo, in legendo: ma[illegible]em, & æſtimantem. non quod [illegible] ſuperbiam te vocem (abſit, abſit

* *Dij bona laboribus vendunt.*

illa peſtis) ſed vt ad tui pretium: id eſt, ne dona quæ magnus ille Deus in te contulit, vt aquam immotam, ſordeſcere patiaris & obſolete. Senecam tuum exſpecto cum ijs ipſis Præfationibus, in quibus nihil muto. nec in meis quidem laudibus: quas decorè tu mihi das, etſi numquam recepturo. Ad te redeunt. Mitte quamprimùm exemplar. In Thebaide verſum repperi (neſciò an ita in alijs libris) *Meoſque manes manibus infeſtis petit Fœdatque vultus.* ineptè. cùm legendum ſit, *Meoſque manes.* De Senecâ Ottelij noſtri gratiam illi habeo, & tibi tamen facio gratiam conferendi. Nimis nouitium exemplar eſt, vt video ex ijs quæ adnotaſti de æuo. Nos in Tacitum damus CVRAS SECVNDAS: in Politicis paullùm reſiſtentes, in temporum hoc flexu. Vale. Lugd. Bat. VI Kal. Maias. ∞. IↃ. LXXXIX.

EPISTOLA LIII.
IANO LERNVTIO.

AVDES, non dicam ſcribere, ſed cogitare, quæ ſcribis? Ego tui obliuiſcar? ego te deſeram in hoc caſu? Ah, mihi Lernuti, pectus mihi ſcindunt hæc tua verba. Sol citiùs ſuum curſum, quàm ego relinquam tam diu ſanctè habitum amorem. Negas ſcripſiſſe me. qui potes? Ternas dediſſe me ſcio, vnas famulo tuo ipſi in manus: binas miſiſſe ad vxorem. Quid poſſum, ſi eæ perierunt? Iam in re tuâ, & ad leuandum miſerum hunc caſum, quid omiſi? Scripſi ad .... ſcribi iuſſi ad ....: nec vt pro amico, ſed vt pro me ipſo. Nihil factum, inquies. Doleo. nec nimis miror, qui ſcio (vt nunc ſe verterunt vices) gratiã meam leuem eſſe apud hos è ſtirpe Bruti. Vtinam qui hîc potiuntur rerum, ius habeant in eo loco! Lipſius non eſſem, aut tu non illîc. Tamen ſcripſi in Britanniam ipſam: & inprimis ad Thomam Henneagium, virum illuſtrem & mihi amicum. Daniel etiam Rogerſius redux è legatione Danicâ hîc fuit. ſeriò eum eo egi, nec ſolùm vt ipſe adniteretur; ſed vt apud quos ipſe aliquid poſſet. quid tamen dicam? quod res eſt: rem volunt iſti. Caſtorum fabulam [illegible] cùm omnia fecerimus, vſurpanda erit, & non eripies te niſi abiectâ tui parte. Mihi ſi valetudo paullùm modò firmior (caput hoc iuro) iam in Britannis eſſem, aut in tuis vinclis. Sed quàm vacillem, & quàm ægrè *σωμάτιον hoc ſuſtineam, credo te audiſſe. Ceterùm ſpero aliquid à

*corpuſculum

promiſſis Rogerſij, quem ipſum audio futurum inter Legatos. Tu intereà, mi amice, eſto quem eſſe te expedit; id eſt, vir, & fortis. En palæſtra & arena, in quâ Deus ſpectandum te præbuit: exere inſitum tibi robur. Clama in Fortunam, Nihil agis: non ſi libertatem mihi eripias, ſed ſi ipſam vitam. Ignaui animi ad primum ictum concidunt: tu oſtende aliquid in te eſſe altioris auræ. Ego, imò nos omnes quotquot hîc, planè tui ſumus. ſi quid poſſumus, viam præſignatam inibimus, penè dixerim, vel illam quæ fert ad Orcum. Tu intereà vale, & *Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ. VI. Idus Martij. ∞. IↃ. LXXXIX.

*Strenuus eſto, vt poſtumi te quoque ſæcula laudent.

EPIST. LIV. *Romam.*
HENRICO WILTZIO S.D.

GRANDIVSCVLVM interuallum fuit à te litterarum, mi Wiltzi. Accepi nunc demum, quæ te Neapoli fuiſſe nunciarent. Gaudeo, & gratulor vniuerſam hanc peregrinationem adhuc ceſſiſſe ex voto. Deus reliqua ſic ſecundet. quamquam quid reliqua? Deus te ad nos reducat, quod & ſuadeo & opto. Satis vſui datum, ſatis etiam voluptati: longior emanſio diſcrimen fortaſſe habeat, non fructum. Si patriâ decretum carere vobis, donec omnia hîc tranquilla: quando fiet? In omni Europâ turbas ſubſeri vides turbis. Tu nobis te redde, & comportere ad hoc æuum: in quo ipſo minùs recto, viuere ſemper tibi ſit rectè. Externa iſta vis ſi nos cogat, malè agatur cum diuiniſſimâ illâ parte. At hæc talia coràm. Nam ego non conſilio, non auxilio vmquam deero: & amo vos qui apud me olim, vt ſi ex me eſſetis. Meus Pollio, vbi eſt? audio cogitare Viennam & illum tractũ. Nolim. & ſi propior ſim, (quoniam verba noſtra neglegit) manum inijciam huic erroni. Redite. in patriâ, apud parentes viuite, atque ita mihi valete. Ad Franc. Bencium ſcripſi ante menſes pauculos. O virum, quem ego olim & nunc amo! Frater mihi fuit, nec ſolui vmquam poſſit artus ille amor. Iam dotes in eo ſunt, digniſſimę vel admiratione vel amore: quas tu coràm vides & guſtas. Da te viro. paucos meliores aut maiores dabit tibi ille tractus. Vale. Lugd. noſtræ, III. Kalend. Maias. ∞. IↃ. LXXXIX.

EPIST.

EPIST. LV. Burdigalam.

MICH. MONTANO

IAM ſemel ad te ſcripſi, Vir Nobiliſſime: nec ſatis certum habeo, an litteræ ad te perlatæ. Interuallum locorum grande eſt: & addo, quòd nihil hodie tam receptum, quàm fallere fidem. Iteraui igitur. & ſcire te hoc volui, cum gaudio me litteras tuas accepiſſe, & legiſſe cum voluptate. Diu eſt cùm te noui, nec noui nisi à mente & ſcriptis, non a corpore. & admiratus ſum (nihil hîc vanum) rectitudinem iudicij tui, eò magis fortaſſe quod in pleriſque ſimillimum id meo. Nam fateor: in Europâ non inuêni, qui in his talibus ſenſu mecum magis conſentiret. Vtinam plura tibi ſcribere mens, aut otium! quamquam iſtud fortaſſe, non illa: quia auerſum te ab omni gloria video, etiam verâ. Non debebas. & habere in oculis ſi non æternitatem temporum, at miſeriam hominum: qui talibus monitorum auxilijs omnino ducendi, fulciendi. Me valetudo prohibet ab ijs, quæ vellem. tamen, vt languidi, conor & ſerpo: & neſcio quid in Politicis breuî dabo, meo textu, non tamen filo. Videbis inter primos: vtinam & probes! De Galliâ tuâ & te videndo, quòd inuitas & offers: gratû eſt. ſed quî poſſum? valetudo me ligat: & ſi non illa, etiam turbæ quas non effugiam, vt video, niſi in plenâ illâ libertate. Salue, vir nobiliſſime, ab eo, cui tu ſemper carus & magnus. Lugduni Batauorum, III. Kalend. Septemb.

EPISTOLA LVI.

MARIAE GORNACENSI, *Virgini nobili.*

QVAE tu es, quæ ſic ad me ſcribis? Virgo? vix facis fidem. Hæcne, non dicam lectio & ingenium, ſed prudentia & iudicium cadant in illum ſexum, in iſtud æuum? Commouiſti me virgo: & neſcio an gauiſus ſim ſæculi, an doluerim ſexus noſtri cauſsâ. Accedere tu ad nos vis? imò ſupra nos aſcendere. atque ita facito, deo hominibuſque fauentibus: certè me, qui te ignotam amo; &, quem affectum paucis præbeo, miror. O mihi lucem, quâ te propiùs nôrim! non enim dicam probius. adeo ſatis te noſſe videor è pauculis ſcriptis, atq; adeò vel ſine ſcriptis. Ex vno iudicio tuo, quod de viro illo magno feciſti, non ego de te iudicem? Non cadit hoc niſi in illum, illámve (tu ad cautionem hanc nos ducis) qui ipſe valde magnus. Vt animam niſi anima non capit: ſic ſapientem niſi ſapiens. Macta tu, & perſta in hoc ad Virtutem & Sapientiam gradu; tum etiam in illo iudicio, quod fruſtrà vereris vt mutem. Darem, niſi dediſſem. & vellem vberiùs: immò non vellem, adeò tu benignè id explicas & penitè. Illud legi ſæpe mihi detur a tali mente, loqui per talem linguam. Itaque ne me roga quid hîc caſtigem: hoc vnum, quod rogas. ſi hîc etiam hoc alterum, quòd à me illuſtrari cenſes Græcas litteras Latinaſque. Cetera in parte amplector: hoc de Græcis, omitte. Candidè ego apud te candidam. videmus aliquid in Græcis, ſed haud multum ſupra vulgum: & ſatis mihi, ſi haurio ex eâ linguâ quæ ad animi aut ſcriptionis meæ vsû. At tu iam corrigenda ſeriò, audi. Peccaſti. quid ita non plura ad me libri tui miſiſti? Si piguit, cur non argumentum & materiem ſaltem perſcripſiſti? Curioſus enim ſum, vt ſciam (nouum monſtrum) quid paritura ſit virgo. Ad noſtrum illum amicum & tuum, vt appellas, patrem Mich. Montanum, ſcripſi antè menſem, miſi Antuerpienſi viâ: ſpero accepiſſe. Tu vtinam iſtas, & in ijs ſpirantem noſtrum affectum! Vale, vale, æui noſtri (viue tantùm) vera Theano. Lugd. Batauorum.

EPISTOLA LVII.

IANO DOVSAE.

QVID in Bembi hiſtoriâ reprehendam, ſingillatim & diſtincte vis tibi ſcribam. Eſtne, mi Douſa, tanti? aut an ego naturâ * φιλόψογος? neutrum: ſed tamen quia valde vis, age,

* Τοὶ μὲν ἐγώ τοι ταῦτα μάλ' ἀτρεκέως ἀγορεύσω.

Stilus eſt quem reprehendo, ſupinus, languidus, & affectatâ imitatiuncula fractus. Vt pueri pedes per delicias male ponunt, & imitari varias diſcunt: ſic iſte, cùm rectè ſcribere poſſet, maluit prauo elegantiæ ſtudio flectere orationem & eneruare. Magnos viros ea ætas ſub magnanimo Leone tulit: ſed quoſdam qui in puerili illâ hæreſi, vt religio ijs eſſet ſcribere aut dicere aliud, quàm a Cicerone ſcriptum aut dictum. Inter eos Bembus. Itaque vniuerſa ſcriptio, compoſita & formata ad æuum priſcum: & omnia ſic de re Venetâ, quaſi de potenti illâ re Romanâ. Hoc ſcio. etiamne verba omnia ex illorum moribus tracta ad hos noſtros? & vbi ea non ſunt, neſcio quid plu-

* carpendi cupidus?

* Hæc tibi ego ambo valde veraciter edam.

plurium ambitu dictum, quod aſſequi debeamus diuinando? Hoc, vt mea quidem mens eſt, damno: & fallor, aut tu & viri omnes meeum. Ecce. *Patres conſcripti* ſemper, Venetorum Senatus: ipſæ Venetiæ κατ' ἐξοχὴν, *Vrbs.* anni numerati: non à Chriſto nato, ſed *ab vrbe conditâ.* qui militiæ eorum Præfectus, * σεμνῶς vbique *Imperator*: etiam tunc cùm alienis auſpicijs ductuque militat, vt in bello Neapolitano Contarenus. Atque hæc inter minores noxias. Illa iam * γελαστὰ καὶ οὐκ ἀνεκτά: *Rex Vrbini, Rex Mantuæ, Rex Populoniæ, Rex Camertium.* Quid cenſes eum dicere? Duces. Atque item Ducatus ipſos, *Regna.* Quin diſerte etiam ſcribit, Gallorum regem ab Imp. Maximiliano impetraſſe, *vti ſe Regem Mediolani diceret.* Heu vanitas! quiàne Cicero nouitium hunc titulum non nouit, confundendi minuri iſti dynaſtæ fuerũt cum vero aliquo magnoque rege? Saltem *Regulos* dixiſſet, & ferrem. Ab cãdem mente & cauſsâ ſunt hæc: *Sophi Rex Armeniæ*, qui nobis Perſarũ: *Rex Thracum*, qui nobis Turcarum. Tuam fidem, ſiue frontem potiùs, Bembe. ille tibi Thracum modò rex, cui bina Imperia ſubiacent, & * triginta ampliùs regna? Nec in titulis ſolùm iſti luſus, ſed in nominibus ipſis. Quale illud de Ludouico Gallorũ rege, quem *Aloyſium* (magis * ῥωμαϊστὶ ſcilicet) vbique appellat: & alibi cum ſacrâ additiunculâ, *quem iſti* (qui iſti? barbari nos & inepti) *Ludouicum appellant.* Quid, quòd etiam in diuinis rebus hæc ſibi permittit? & Fides noſtra non niſi *Perſuaſio* illi eſt? Excommunicatio, *Aquâ & igni interdictio*: Peccata morituro remittere, *Deos ſuperos maneſque illi placare.* Ipſe Deus rarò in ſtilo aut animo: ſed priſco ritu, *Dij immortales*; idque in ſerijs maximè ſententijs aut rebus. Atque adeò, quod omnem ſtultitiam ſuperet, prudens ille Senatus Venetus ad Iulium Pontificem publicè ſcribit, *vti fidat dijs immortalibus, quorum vicem gerit in terris.* Felicem te gentis & patriæ, Bembe! quia ſi noſtrũm aliquis trans Alpes ſic ſcripſiſſet, profectò non tuliſſet impunè. Iam quæ periphraſes in eo & circuitus verborum? Senatus Venetus dono miſit Aloyſio regi Gallorum *Aquilas ſexaginta, ex earum genere quibus in aucupio vti reges conſueuerunt.* Quid Aquilas? Ita Falcones tibi dicere religio eſt? quã tamen voce * Iulius Firmicus vſus. Accipitres igitur dixiſſes, vero magis etſi minùs auguſto verbo. Sed addis etiã *Reges* vti conſueſſe. Reges tantum? rideo, & pergo. Scribis ibidem, *donatas regi pelles pretioſiores, canis ab ſummo inter nigrum colorem conſperſas, ducentas.* Quæ iſtæ ſunt? Genettas dicis, an potiùs Zebellinas? Quin, malùm, exprimis: & res nouas nouo aliquo nomine dicis? Si puritati ſermonis tui metuis. adde, *vt vulgò dicimus:* nihil infuſcas. At illud ambiguum etiam nunc me habet, quòd Iulius Pontifex *Contareno, cùm claſſem Hoſtiam adduxiſſet, vini Corſi carros ſexdecim, boues ſexdecim, hircos genitalibus deſectis bis totidem dono miſit.* Qui enim iſti Hirci? maritimè captarum per delicias in Italiâ exſecantur? an vis dicere Veruecez? Quòd ſi ad Verba & Phraſes etiam venio: benigna hercules materia cauillorum. Ecce ſcribit, *Velle ſe hominem ſuum Byzantium mittere.* Iterùm: *Reip. hominem ad ſe miſſum.* quod nos diceremus, Actorem aut Legatum.

Turrim terream appellat, Propugnaculum ſiue aggerem è terrâ. quo exemplo? *Sumpti, Tumulti, Senati,* inflectit ad Plautinũ æuum, cùm reliqua omnia minimè antiquarij ſermonis. *Neminem vnam partem muniunt.* pro, Nullam: quia Ciceroni alibi Nemo de fæminâ dictum. *Proopidum* ſæpè, quod nos Suburbium, *Prodominus,* qui Vicedominus Venetis: itemque, *Proimperator*, & *Proordines:* putidè vt ſentio, aut nouè. *Rebus ſuis veritus,* crebrò & ad nauſeam, pro Timens aut Diffidens: quia idem ille Cicero ſemel fortaſſe, Vereor mihi. *Senatus decreuit, vt eorum qui fortiter atque amanter ad flumen Tarum contra Gallos remp. geſſerant, ratio haberetur.* Iterùm: *Præfectos, qui ſe omnes nec ſtrenuè nec amanter eo bello geſſerant, miſſos fecit.* Sæpiuſque. & illud *Amanter* inuitâ ſanè Venere amat. *Lauredanus naues onerarias quattuor ſecum afferens.* Hem! pro monſtro eſt. Attulit? imò adduxit. Tamen iterat alibi: *Legatus Baiazetis equum Patribus attulit.* γελοίως & ineptè, ſiue mari is venerit, ſiue terrâ. *Penſionem annuam, quam poſteri eius ſequerentur, Senatus inſtituit.* Imò, quæ poſteros eius ſequeretur. *Petunt, vt quò celeriùs fieri poteſt, viæ ſe dent.* Solœcum eſt, nec à Latio, ſed ab Idiotiſmo Italorum. Plura ſunt. cur ea colligam? ipſe vide. & fateberis pleraque talia affectatè atque improbè ſcribi; certè indecorè. In pueris iſta vix ferimus: te virũ, & in tam ſerio ſcripto, Bembe, deceant?

—— * οὐδέ τι σε χρὴ
Νηπιάας ὀχέειν· ἐπεὶ οὐκ ἔτι τηλίκος ἐσσί.

At tu Douſa vale, & ſi quid temerè culpaui, mone. In Muſæo meo. H.III.

EPIST.

* magnificè

* ridicula & non toleranda.

* Romanè

* Imò & inter cognomina priſca Romanos Falcones.

* Neque te oportet Pueriles ſectari, non enim iam talis es.

EPISTOLA LVIII.

HENRICO BORBONIO, PRINCIPI DOMBARVM.

ILLVSTRISSIME Princeps, noua & prædicanda hæc humanitas, quâ vltrò ad me ſcribis. Quis ego ſum? vnus aliquis è vulgo litteratorum. Tu quis es? Inter Galliæ primos, regiâ ſtirpe, &, quod magis eſt, indole ac virtute. Atqui etiam amas me, & amicitiam meam (ita ſcribis) poſcis. Illuſt^me iuuenis, commutas nomina rerum. officium & cultum nos tibi debemus: amicitia eſt inter pares. Tamen & hanc, aut certè amorem, tibi ſpondeo: qui ita me cepiſti, vt nihil magis in votis ſit, quàm palàm oſtẽdere hunc in te affectum. Natales tui ad magna te vocant, ingenium ad ſumma: ecce me non ſolùm approbatorem fautoremq́ue tuæ laudis, ſed voce & ſtilo præconem. Deum ego quæſo, vti mentem hanc tibi, quâ ad optima optimoſq́ue accenſus rapens, ſeruet; & te afflicto regno. quod niſi per eiuſmodi columnas ſtat, ruit. Illuſtriſſime Princeps vale. Kal. Auguſtis.

EPISTOLA LIX.

ABRAH. ORTELIO.

COGNATVM tuum, mi Orteli, modeſtiſſimæ frontis & animi iuuenem eò libentiùs vidi, quia litteras à te attulit: nec eas tantùm, ſed & munus. Adiunxiſti enim Tabulam Hiſpaniæ veteris, iucundam mihi & valdè opportunam hoc tempore, quo Liuium & bella Punica auditoribus meis publicè explano. Scis tu, quàm multa illîc mentio paſſim & bellorum in Hiſpaniâ & locorum. Itaque & gratias tibi habeo, & te planè hortor vt eandem operam in Galliâ etiam nobis præſtes. nam de Germaniâ, iam effeciſti. Tum ſi Illyricum voles, aut Græciam, aut Africam, iudicij tui eſto. Ceſſaturum enim te non eſſe, omnino mihi perſuaſi, præſertim cùm & grati labores tui ſint, & otio (rebus illîc tam quietis) iam abundes. Monauij amorem in me pridem noui, & nunc ex litteris eius recognoui. Oro, ſaluta amanter à me virum probum, doctum, & gratum mihi inter paucos. De Thraſeâ meo, tu & ipſe vrgetis. quid pollicear? aliud mihi nunc ſub manu: & eo abſoluto, videbo quò me impetus, aut potiùs iudiciorum hæc auta feret. Nam, quidquid ego conſtans, tamen mi Orteli ægrè obduramus contra minutos iſtos & cottidianos morſus: præſertim vbi aliquid, quod tãgere fines Pietatis videatur. Doctus ſcio, quid ſit irritare hos Cantharos: qui omnia peruolant, & olim etiam ad cælum. Noſti apologũ. Nos hîc in otio, an in longum? nam minas iterùm audimus & apparatus. Deo rem cõmitto, qui publica iſta ex ſui numinis & nominis gloriâ dirigat, & te mi Orteli ſeruet. Lugduni Batauorum, IV. Idib. Decembris, ∞. IↃ. LXXXIIX.

EPIST. LX. *Amſtelrodamum.*

PETRO PAWIO.

QVIDQVID damnaturi me Stoïci noſtri ſunt, miſeratus ſum & dolui duplicem tuum caſum. Illum de amiſſo parente: hunc nouum, de libris & ſcriptis. Ego ſcio quantum vtrumque vulnus ſit, vtrumque expertus: & hoc poſtremum in noſtro animo valet, quod in multorum omnes Fortunæ. Nonne hæ diuitiæ noſtræ ſunt? ſuauia mellificia, è tot ſcriptorum floſculis confecta. Et multa, vt breuitas huius cui eſt, haud facilè refinguntur. Addo, quòd neſcio quomodo delectant nos iuueniles illi & primi noſtri labores. quos velut primitias libauimus & intulimus in aram hanc Muſarum. Me vndecimum iam annum carentem patriâ vides, itemq́ue agris & opibus, quas mihi Deus modicas, ſed ad meum vſum vberes dederat: tamen mihi crede, nulla iactura propiùs mihi cor tetigit illâ librorũ, quam feci in Louanienſi vrbe. Subitò enim abeundum fuit, & niſi ſic abiſſem, numquã abiſſem. Tuas miſerias narras, inquis: ſic me ſolaris? Ego verò, mi Pawi, vel ſic. Parentem alterum amiſiſti: ego vtrumque. libros naufragio: ego, quod magis mordeat, furto. Quid tibi igitur eximium euenit, quod eximiè doleas? Fero meum caſum, quem non muto: tu quoq; fac, hoc exemplo. Vis communia illa me dicere? Hominem te eſſe: Euenire hæc in vitâ: Deum voluiſſe: Dolendo nihil te profecturum? Hæc omnia veriſſimè poſſem: ſed ſubijci ea tibi à te ſcio, aut certè ab ijs qui apud te. Ego ſimpliciter & pro amico ago, & hortor te ad incommoda pari mecum mente ferenda. De munere tuo apud nos moneri nolo. ſemel dicã, quidquid mearum virium erit, faciam: etſi nihil, in te quæ alieni arbitrij eſt, polliceri poſſum de effectu. Iudicium meum & commendationem largiter habebis. Vtrumque

auun-

auunculum tuum amicè à me ſaluta : & Henrico hoc ampliùs nuncia , benè redditos mihi nummos , quos Hamburgo acceperat: etſi puto eum id ſcire. Vale. Poſtrid. Idus Nouemb.

EPIST. LXI. *Lutetiam.*

IACOBO AVGVSTO THVANO.

DIV, mi Thuane, ſiluiſti, nec eò minùs tamen, vt ſpero, amaſti. Spero? imò video, cùm ex epiſtolâ tuâ amiciſſimè ſcriptâ, tum ex munere quod beniuolè adiungis. Amo illam, & hoc laudo: argumento eximium, tractatu arduum , & in quo verè alti atque acris ingenij tui ſignū. Perplexa illa & breuia, tam aliena non ſolùm à ſermonibus noſtris, ſed à moribus, vettere magna laus ſit: quid carmine & verſu illigare? & id dilucidè atque elegāter? Non blandiar. ſed, mihi crede, rem magnam confeciſti , inuidendam celeriùs quàm imitandam. Nobis humilior per hos dies labor, in additiunculis ad Commentarium Cornelianū. *Curas Secundas* appellaui, ab ipsâ re. Velim non videas ſolùm, ſed cenſeas: quoniam illud cuiuſuis eſt, hoc verè amici. Cuiacius ille magnus éſtne apud vos? ego ita accepi. Si eſt, eius cauſsâ nihil doleo: ſed perijt illa, cui ipſe anima, Schola Bituricenſis. O virum, quem miror, quem amo, quem vtinam complecti mihi ſas ante exceſſum! Scaliger quid? valere intelligo, ſed ceſſare. Non ſic oportuit ingenium natum ad tam magna. Si piget huius ſæculi (nec immeritò) at cogitet natorū natos. Res apud vos, vt audio, mirificè calent. Si vera adferuntur, nihil inuidebimus veſtræ quieti. Nos Velleium, Florum, Liuium ordine cogitamus: deus mihi vires, & ò vtinam copiam iudiciorum veſtrorum! Nam hîc ego in ſolitudine: vna vrbs veſtra abundat ſupra reliquam Europam. Librum tuum, quod volueras, miſi ad I. Druſium. reſponſum ecce habes. Ecquid tu, ecquid alij veſtri parent, velim ſcire : ſi quid tamen per has turbas. Vale. Lugd. Bat. III. Non. Iun.

EPISTOLA LXII.

THEODORO CANTERO.

QVOD ſilentium excuſes apud me, mi Cantere, nihil eſt. Siluerunt tuæ litteræ? at non amor : quem viuere in te ſcio & ſpirare. Quòd tamen occupationibus meis id adſcribis: nolo. Cantero meo non ego ſemper vaco? verè dicam. tua probitas & modeſtia, in litteris ſtudium , in litteratos amor, admiſſionem tibi tuo iure apud me dederunt inter primos amicos. eaque vtere. numquam non Lipſius tibi patet , ſeuaro , vt ſic dicam, velo. Iuuenalem quòd doceri totū à me velles, & probas quæ in eo lêgi, gaudeo: ſed vereor vt id ex omnium guſtu ſit , qui volunt Hiſtorias & alia (vt cenſent) magis ardua, à me legi. Ego tamen ſcriptorem eum inter apprimè vtiles numero, & dignum ſerio interprete & accurato. Itaque occaſione captâ Satyram vnam publicè prælègi , ſed extra ordinem * καὶ ὡς ἐξ ἐπιμέτρου. Siquid vltrà tentabo , vtar libro quem mihi offers : etſi ipſe bina exemplaria habeam ſatis proba. Sed tu quid agis ? nouum aliquid cogitas? an Arnobium refingis? Colligo enim ex epiſtolâ tuâ nec hanc quidem curam te poſuiſſe. Cupis vt ad Cuiacium ſcribam pro Excerptis exemplaris Regij: quod facturum me polliceor primâ occaſione. Ceterùm in republicâ an apud vos quies ? ita videtur.. Vtinam & concordia cum finitimis prouincijs, ſine quibus firmum nihil eſſe vobis poteſt contra hoſtem. Benè, quòd ille alibi diſtringitur , eoque ſimultates exercere vacuum nobis fuit. Claſſis illa magna ab Occidente, nunc apud Orcadas ſtare dicitur, exſpectare ventum quò redeat ad incœpta. Videbimus quò recident magni iſti & planè regij conatus. Larrocinia adhuc fuerunt, nunc bella. Heus tu, audiſtine priuſquā Hagæ Hiſpanum Doctorem Medicū eſſe, virum litteratum (mirare in Hiſpano) Latinè diſertum , carminis etiam pangendi non ignarum? Is ad nos ſcripſit, & ſubleuari miſeriam ſuam cupijt, vt conſecranei eorumdem ſtudiorum. Fecimus in parte. Vale mi Cantere. Lugduni Batauorum. Poſtrid. Kal. Septemb. ∞. IↃ. LXXXIIX.

* velut additamentū, & ſupermenſum.

EPISTOLA LXIII.

IOSEPHO CONSALVES *Doct. Medico.*

ALTERA ſcriptione me occupas, priuſquam priori reſponderim. Et cur ſilui? non tui contemptu, aut negligentiâ: abſit. ſed quia ipſe venire Hagam parabam, & in ſermone vberiùs liberiuſque tecum agere, quàm litteris poſſem. Id conſilium meum euectio veſtra ſubita impedijt: & priùs audiui Medemblickæ vos eſſe, quàm ituros cognouiſſem. Excuſa ergo ſilentium à cauſsâ iuſtâ. At nunc ſcribo, & te, mi Ioſephe,

per

per deum & per ſalutem tuam rogo, vti animum attollas contra Fortunę vehementem hunc ictum. In carcere es, à tuis & à patriâ remotus: quæ grauia eſſe fateor his, qui parùm exploratos habent caſus & res humanas. Te quid hîc fugiat? ſi vſu non didiciſti, quàm fluxa & caduca hæc omnia noſtra, imò & nos ſimus: hauſiſti certè è litteris, & illæ tibi millena exempla ſuppeditarunt caſuum ſimilium aut grauiorum. Tricæ & ſpinæ, hæc omnis vita: & falleris, ſi quæris in eâ gaudiorum flores. Noſipſi, quid?

Vt herba ſolſtitialis, paullisper ſumus.

Abeunt hæc vana, & nos abimus: nec quidquam firmi, niſi in firmo illo loco. A Platone tuo didiciſti, * παρεπιδημίαν τινὰ εἶναι τὸν βίον. Hæc cogita, & propriè ad tuum caſum, aſſiduum & pænè ſollennem hunc eſſe fortunæ ludū. Quid crebrius in omni memoriâ quàm carcer? quæ conditio aut ordo ab eo liber? Nobiles, ignobiles, ſeruos & reges accepit, & capiet. Perſeus ille Macedoniæ rex, ſceptro ſimul & libertate ſpoliatus, ſpiritum nō traxit ſolùm in carcere, ſed effudit. Idem Gentio, Iugurthæ, Ptolomæis aliquot euênit. &, ne ad vetera te mittam, tua gens, illi ipſi Hiſpani, regem Galliæ Franciſcum in cuſtodiâ habuiſtis; & reges Mexicanum & Peruanum etiam in vinclis. Heu ſortem humanam! naſci, dolere, mori. Et tamen felices inter omnes miſerias, hoc vno Chriſtiani: quòd etiam nobis per hæc ad aliam vitam, in quâ gaudiorum nec modum vllum eſſe ſcimus, nec finem. Huc adſpiremus, hæc ſpernamus: & vocem illam ex pectore efferamus, *Diſſolui velle, & eſſe cum Chriſto.* Mitto ad te libellos noſtros de Conſtantiâ, quos petiiſti: magis tamen ad Sacros libros te hortor, è quibus vera ſolatia petas omnium malorum. Mittam ad te Biblia minuſcula, vti cupis, quum optimùm nanciſci potero. Nam Antuerpiâ* petenda ſunt: quoniam hîc inopia eiuſmodi exemplarium. Vale Clariſſime doctor, & confide. Viuit Deus. Lugduni Batauorum IV. Eid. Nouemb. ∞.IƆ.LXXXIIX.

* *peregrinationem quandam eſſe hanc vitam.*

EPIST. LXIV. *Hagam.*

MICH. HVRALTO HOSPITALI.

TVNE ad me vltrò non ſcribis tantùm, ſed & venis? tu ille maximi viri magnus nepos? O mihi iucundum lectu Hoſpitalis nomen, quod niſi iure quodam ſanguinis ferres, poſſes ſimilitudinis & exempli. Scripta illius per te edita, dudum vidi; & habeo (certum me ſcito dicere) vt Homeri libros rex ille Magnus. Litteratius aliquid edi fortaſſe potuit, & poterit; nego quidquam litteratius & prudentius ſimul. Pulchra hæc coniunctio; & quæ niſi ſit, abite qui in ſtudijs quæritis ſolidam & veram laudem: me iudice non feretis. Quòd amanter Hagā vocas, imò lictoribus miſſis pænè ducis: ignoſce ſi non pareo. parebo. Nam dies Mercurij, qui feriatus nobis eſt, niſi quid interuenit, tibi me ſiſtet. Ita dico, non vt occupationes excipiam aut talia impedimenta: ſed vt vnicum morbum, qui etiam à vadimonio, vt ſcis, excuſat. Ego autē iam annos aliquot neſcio quomodo non tenui ſolùm, ſed incertâ valetudine: nec quidquam promittere de me non diē in diem poſſum, ſed in horam. Tamen ſauebit & faciet Genius meus, ſpero: eò magis, quòd non ad ſeria vocor (cum Tiridate quid mihi?) ſed ad riſus & Plauti mei ſales. O te virum argutū! qui vidiſti, quo vno poſſim capi. Veniam, veniam, & hîc mecum. Vale, III. Non. Septemb.

EPISTOLA LXV.

FR. RAPHELENGIO *Filio* S. D.

CARMINA tua de me legi: proba & arguta. & in quibus hoc vnum moneo, vt videas ſic me deinceps laudes, ne quid offendas eos apud quos viuis. Temporū non ignari ſumus: cum quibus pugnare te nolo, etſi haud ſeruiliter ſeruire. Apud te & interiorem tuum animum liber eſto, tecti iudicij & ſenſus: in ſermone interdum tempera, nec offende qui poſſunt offendere. Sapientia vera firma eſt, non tamen elata: non timet pericula, ſed nec prouocat aut laceſſit. Aſcanij illius apud poëtam iuuenilis nimis ardor eſt, qui

Optat aprum, aut fuluum deſcendere monte leonem.

Non ita nos, qui abundè fortes ſumus ſi excipimus, non etiam incurrimus in diſcrimen. Plura vellem, non vult hoc æuum. Senecæ Excerpta tua accepi: & erunt vſui, ſi deus volet. Nam ego amo & adiutum ſeriò volo ſcriptorem illum, præceptis optimum ſi non vitâ. Quamquam in ipſâ vitâ, ſi conſideras, præponderāt vilibus aut ſeruilibus, recta eius facta. Certè extremus ille Actus ſi in fabulis poſcit palmam: laudabilis valdè in iſto. Iure doles & culpas, quæ ad

Polybium ſcripſit, vt opinor, exſul. Quid ſacias? verè tūc iacuit: nec credam animo eius plenè adhuc impreſſum à Sapientiâ robur. Ego non tam miror ſcripſiſſe ea hominem, quàm indignor edidiſſe. Quiddam temporibus ſępè damus, ſed furtim & apud vnum alterúmve: quod non niſi propudium aliquod hominis diuulget. Sed de iſto aliàs, & fortaſſe ad ipſum. Eſſe qui opinioně tuam feſellerint in amore & honore litterarum: non miror. Per bella ciuilia non ſpirant Muſarum venti. Tamen, mihi crede, illæ viuent, & in portum venient inter medias turbas & naufragia multorum. Tu eis adhære, & Pietati ac Virtuti inprimis: ſine quibus nec verè honeſtus vmquam eris, nec Meus. In nummo Orteliano (frater tuus me conſuluit) nihil video, niſi ipſum ſciam & quæ adiuncta: id eſt, quo tempore, quid ſymboli, &c. Lugd. noſtræ, IV. Kal. Nouemb. ∞.IↃ.LXXXVIII.

EPIST. LXVI. *Burdigalam.*

PETRO BRACHIO.

LITTERAS à te accepi, mi Brachi, benè amicas. Etiámne amor ad me penetrat è locis tam longinquis? nec tamen de te miror, qui totus es ipſe Amor, ſed fidus ille honeſtuſque. Ita me Fama & tui ſimiles ametis, vt cor mihi tetigit tam pius ille tuus in tuam affectus. O exemplum in omni æuo rarum! & magis in iſto, quo non ſolùm deſijmus laudanda facere, ſed etiam laudare. Liuor & obtrectatio paſſim, bonorum operum impedimenta aut venena. Quid tamen te morentur? qui vitæ delinimenta proijcere & conculcare potuiſti, nónne facilè iſta? Mihi conſtantia tua admirabilis eſt, amicitia grata, ſcripta nuper viſa & probata. Nam tulit ea ad me noſter Douſa, quem nihil eiuſmodi florum, quos Muſarum vſpiam hortus alit, poteſt fallere. Tu verò ſalue poëta, non poëta: ingenio talis, moribus iuxta Socrates omnes aut Catones. Ab eius filio habes carmen quale petijſti. Cur non à me? iuro ſalutem meam, ab aliquot annis nihil tale iam ſcripſiſſe, & vix poſſe. Morbi quid habeam, tenes: & quàm non per eum alacris animus & poëtaſter. Ignoſce. volui, ſed hoc tantùm. Tamen aliàs videbo, & ſiquis etiam halitus me adſpirabit ex illo veſtro & veteri meo fonte; ſeruiet cæleſti tuæ AMATAE. Nunc feſtinabat Faiius Hoſpitalij magni nepos, cui litteras has dabam. Vale, & qui conſtantis amoris exemplum es, conſtanter etiam me ama.

EPISTOLA LXVII.

IANO LERNVTIO.

LITTERAS tuas ad Coluium vidi, non ad me: nec indignor. Illud indignor, quòd tam diu in triſtiſſimo illo ſquallore ſedes, & nonnullâ tuâ culpâ. Quid exſpectas? liberari *ἀμισθί? numquam fiet. Scribamus * *ſine pretio?*
omnes, & ad omnes: numquam niſi minis extis placabimus tuum illum Ditem. Fuge, fuge, ab Acheronte: præſertim cùm de Irenes acceſſu nulla vltrà ſpes. Decedet aliquid rebus tuis. Vbi ſapientia? hoc ſcilicet mauis, vt tibi? Pereant illa omnia, dum ſaluus nobis noſter Lernutius. Quamquam nonnemini, quem non nomino, exigua ſit è magno metallo illa raſura. Sed qualiſqualis, ferenda, ſubeunda. Aliâ viâ qui effugium tibi eſſe ſuadent, non ſuadent vt amici. Torqueor cùm hæc ſcribo. Túne illis aliquid credis, quibus nequid ego crederem, tu mihi primus auctor? Sperne, & ſape. Litterulas cogitas, & noſtras deas. valdè ſcilicet gratioſas apud illos *αἰγειοφάγους & militares. * *agreſtes*
In pretio pretium eſt, mi Lernuti: & cetera in fronte grata ſunt & verbis. Verba ego tibi non dabo. ſiquid poſſum, non pete, ſed iube: ſiquid non poſſum, abſtine tormentum mihi dare, cui hoc ſatis tormenti, quòd tu tamdiu in tormento. In Rogerſio ſpecula aliqua erat: ille nunc in Daniâ. Ad Tho. Heneagium bis ſcripſi, ſine reſponſo. Præfectus Brielanus, & per eum rogatus Vliſſinganus ſcripſerunt; ſed non alio effectu, quàm vt meliuſculè habereris. Ipſe mihi Brielanus coràm dixit (probè autem nouit hominem) precibus aut interceſſione ſolâ numquam te liberandum. Habes meam ſententiam. vtinam ad eam tua inclinet, & omittas aliquid ſiue de conſtantiâ illâ tuâ, ſiue de rigore! Quod mihi, hoc amicis & notis omnibus tuis videbatur. Ciſtas & quæ in ijs, confecto rerum Indiee, traditas ſcito Sayonio cognato tuo. ille porrò miſit, quò debuit: & credo, iam appuliſſe. Nos cùm certum aliquid in rebus noſtris ſtatuerimus, te non celabimus. Vale. & illinc euade, ſi nos valere vis. IV. Idus Septembris. ∞.IↃ.LXXXIIX.

EPI-

EPISTOLA LXVIII.

THEODORO LEEWIO.

De ſilentio ne excuſa, aut me accuſas. Nónne & ego ſilui? Sed profectò, quod aliàs ſcripſi, ſerius & fortis iſte amor delectatur quidem fomentis litterarum, ſed & ſine ijs viuit. Noſter, vt ſpero, æternùm. Cogitatio eum paſcit, cùm non ſermo. De pede tuo moleſtum mihi audire: idque ex meo ſenſu. Nam ego eam partem tam caram, quàm ipſum caput habeo: cui vita ſedentaria, non ſit vita. Scis quàm ambulatione delecter & motu. Cura eam igitur, ſed lentè & molliter; quia nerui reduci ad officium volunt, non cogi. Filium tibi agnatum ex animo gratulor. deum precor vt is tibi heres ſit non opum magis, quàm animi & virtutum. Creſcat, creſcat. Ego illum & te videbo, cùm primùm ſe aperuerit & diffuderit ſtricta hæc aura. Nónne in mediâ hieme etiamnunc videmur? Quod catellum illum nuper mihi viſum & ſimul amatum offers: agnoſco amorem. Accipio: & habeo pro munere magis mihi caro, quàm ſi gemmas à te vel aurũ. Non rideo. amaui à puero totum hoc genus, & video idem feciſſe præſtantes aliquot animas ab æuo priſco. Telemachus ille Homeri in côncionem etiam vênit, canibus duobus aſſeclis; & Patroclo fuiſſe nouem * κύνας τραπεζῆας, idem vates tradit. Non enim ad venationem ſolùm aut Dianæ ſtudium: ſed ad voluptatem & tutelam habebant.

* canes menſarios.

Hæc leuiſomna canum, fido cum pectore, corda.

Ad ſummam, mitte, ſed per fidũ aliquem: ego eum paullò ampliùs amabo, etiam tuâ mittentis cauſsâ. Sed bonâ fide, vxorcula non tingitur? carere eo poteſt, aut vult? abſit vt iratam habeã tuam Iunonem: quamquam ea tam mittis, vt neſciam an habeat bilem. Sed eâ lege tamen mittito, ſi volet illa. De rep. noſtrâ non vanè aſſeris pendêre eam ab alienâ. Ita eſt. in Galliâ certamen noſtrum cernitur: & qui ibi exitus, exſpectandus & nobis. Vt cymba magnæ alicui naui annexa, ita nos Galliæ ſumus, imò pleraque adeò Europa. Exſpectemus euentum fortes, erecti, & ſi volumus numquam ſerui. Poëta Ennius olim egregiè

Ea libertas eſt, qui pectus purum & firmum geſtitat.
Aliæ res obnoxiæ nocte in obſcurâ latent.

Tale pectus induamus, non concutient nos omnia humana. Vale, & vxori tuæ ſalutem dicito, puſionem etiam tuum à me ſuauiare. Lugd. Batauor. VIII. Kalend. April.

EPIST. LXIX. *Lutetiam.*

FEDERICO MORELLO V. C.

Tvne ille es, mi Morelle, qui amicitiæ meæ fores ſuauiter pulſas? ades, ades. nemo hoc anno gratior mihi hoſpes. Præſertim qui Florente illo comitatus ad me venis: quem quis excludat, niſi quem Gratiæ & omnes Muſæ? Nam profectò illud Siculi vatis in eum conuenit

—— Χαρίτων ἱερὸν φυτόν.

* ſtirps ſacra Gratiarum.

Deus bone, quàm me delectârunt illa Tragica eius ſiue Comica! Altera res tentata magno noſtro Scaligero, altera nec illi. Gratulare viro. cuius ego labori faueo, & maximè argumento. O quando nos & vos inuiſet candida illa Diua? Si quando, certè ego recto pede ad vos, mihi populariter tam amicos. Libellos epiſtolæ tuæ adiunctos percucurri: ſed hoc tantùm. nam herè demum accepi, cùm in viâ diutulè hæſiſſent. Amaui & exoſculatus ſum tuum iudicium in Thebaïde, quam voluiſti etiam producere in illud Europę theatrum. Age, age, ſic oportet: inſerere inquam iuuentuti non ea quæ probantur maximè, ſed quę probanda. Certè illa fabula ſublimis & ætherei ſpiritus eſt, & ſoni in verſibus ſupra omnes tubas. Tu, qui legiſti, agnoſcis. Notas ad eam Florentis vidi, & amaui. Cui à me dicito, ſcriptum illum vnà tecum non in externo & ambitioſo iſto amicorum albo, ſed cum paucis * ἐν ταῖς φρενῶν δέλτοις. Qui quòd elogia aliquot tam amica mihi tribuit: quædam non agnoſco, in quibuſdam nec ignoſco. Iraſcor in illo ad Thebaïdem, quòd me Prætoris magni loco habet, ſe nec lixæ. Apage immodeſtam hanc modeſtiam: & ita me nôrit atque æſtimet, vt etiam ſe. Eiuſmodi viri (non ſinuoſo pectore hoc dico) magnus honos mihi, ſi non aſſeclæ mei, ſed collegæ cenſeantur. Illa iudicia eius de Scaligero patre caſtigatoria, & planè ex meo ſenſu. Laudabilior ipſe apud me, ob eas laudes. Nam quod de Tullio dixit vetus magiſter, *Profeciſſe multum cui is placeret*: ego veriùs, Magnum eſſe, cui Iulius iſte magnus. Cuius ego vitam iamdiu haueo mittere in ſcripta, ſi aliquod mihi auxilium ab ijs qui interiora & minuta illa vitæ nôrunt. Nam maxima nobis parent, mirâ & ingenioſâ

* in animi tabulis.

de ſe alibi atque alibi ſcriptione. Tu mi Morelle, vt claudam & coërceam animum nimis ſe diffundentem, me amare perges, vel conſtantiæ tuæ cauſsâ: ego quidem te ſeriò, per veſtigia Turnebi noſtri & munera euntem ad illudipſum veræ gloriæ culmen. Lugd. Bat. VI. Id. Decemb. ∞. IƆ. LXXXVIII.

EPISTOLA LXX.

HADRIANO SARAVIAE.

QVOD ſiluiſſe me ſcribis, miror & doleo: cùm plenè & ſeriò reſponderim ad priores omnes litteras tuas. Quas ab aliquo iam interuallo nullas vidi, præter has querulas & breues. ſed ideò mihi gratas, quia tales. Niſi & me & mea amares, non quererêtis de officij huius intermiſſione. Illud grauius, quòd de morte filij tui (heu vnici) ſcribis: in quo, numquam ex animo gaudeam, niſi ex animo ſum triſtatus. Amabam modeſtiſſimum ingenium, nec vltrà laudandum, ne deſiderium & cauſſas dolendi tibi augeamus. Scis communem legem, Dei ab æterno decretum, & alia quæ alij hauriunt à tuo fonte. Hæc ipſe tibi nunc inſtilla. Imus hùc omnes, mi Sarauia: nec ſeiungimur, ſed leuiter alter alterum anteimus. O beati, qui in beatâ illâ metâ! nam hîc etiam in optimo ſtatu, quid niſi miſeriæ? quantò magis in his publicis Europæ ruinis? Nam mutari eam totam & inuerti, nemo prudens non videt. Cenſebam Politica noſtra poſſe me mittere ſub hoc tempus, trina aut quaterna folia etiamnunc reſtant. Firmioris attentique iudicij Lectoribus probaturum me id Opus ſpero, numquam ijs qui peruolant, & inſtar apum ſcripta ſaltem delibant. Thomam Heneagium à me ſalutes velim, virum Muſis & mihi valdè carum. III. Kal. Sext.

EPIST. LXXI. *Antuerpiam.*

FR. RAPHELENGIO *Filio.*

SENECAM tuum ſub veſperam accepi, & eum ipſum ad lucernam libaui. Placet ſeriò: perge, perge. Malè cœpiſti, ſi hîc deſinis. Saliuam tantùm, quod dicitur, nobis mouiſti; exple deſiderium vberiore aliquâ menſâ. Quid tam proprium huic ſtudio, quod auum tuum immortalem reddidit, quàm Criticæ? quam ſi adiungis iudicio, vt cœpiſti, & opportunè: non rem ſolùm magnam feceris, ſed famam. Neutram harum contemne, etſi aliquid ante eas pone. In poëtis alijs velim te ſimile aliquid aggredi. an in Iuuenale? iuuabo: aut in quocumque alio, quem leges. Nam hoc Poëtices ſtudium, & in eâ emaculandâ labor, non dedecet hanc ætatem. poſteà ad grauiora te ducam. Hortamina quæ nuper ad te ſcripta miſi, credo legiſti & imbibiſti. O vtinam! vtinam erigas, inquam, te, & vno certoque tenore eas, alacer ſemper & vegetus. quid non effecturę? Velim ad me ſeriò & liberè ſcribas, ſiquid eſt quod te mordeat aut abſterreat. depones in fidum & amicum planè ſinum: nec id tantùm, ſed etiam auxiliatorem. Nam ego te, mi Raphelengi, quamdiu ero, non deſeram: & iuuabo conſilijs, & quâ aliâ re potero. Confide. eum leni non medico ſolùm, ſed amico tibi res erit: indica ſiquid eſt morbi. Spero ſanè nihil eſſe, & ſcio cauſſam tibi non præberi ab Auo, qui te amat vt ex ſe natum, non vt nepotem: tamen cùm interdum iacere te ex litteris tuis intellego, ſuſpicor neſcio quid non eſſe ad tuum ſenſum. Æuum & mores illos noui. torquent? indica. ſi concoquere non potes, ſubueniet * ἀποδημία. Ego ſcio non omni ingenio conuenire, quod Homerus Marti ſuo aſſcribit, * ἀλλοπρόσαλλος. Reperiemus quod ex vſu tuo fiat, & cum gratiâ tuorum. Deum rogo vt te firmet, iuueniles leueſque animi motus tollat: quibus ſubijci te non ignoras, & vincere eoſdem debere ac paullatim atterere, hoc quoque non ignoras. Vale. Ex vrbe noſtrâ veteri. VI. Id. Nouemb. Optimo Ortelio ſalutem. Nos è Nundinis nec litteras, nec Catalogum. ſatin' ſeriò veſtri nos curant aut cogitant?

* *peregrinatio.*

* *huc illuc ſe flectens.*

EPISTOLA LXXII.

Francofurtum ad Oderam.

FRANCISCO HILDESHEIMIO.

TAM benigna tua ſalutatio meritò litteras meas elicit, etſi breues. Multa mihi tribuis, Vir Clariſſime, ſed vereor vt amore inductus, qui in hanc laudis partem non bonus iudex. Ego te amo ob amorem, & ſeriò deinceps cenſeo inter meos. Quòd ſi in Germaniam aut loca propinquiora vmquam venero (ita autem ſtarui:) crebrioribus iſtis litterarum alloquijs fouebitur amicitiæ hæc herba. Sin hîc manſero, profectò id arduum in tanto interuallo. Rari à nobis

nobis homines illuc, niſi ad mercatus Francofurtenſes: nec ij ſemper certi. De Plinij loco eruditè diſſeris, nec quidquam addidero aut mutauero in tuis dictis. Macte! virum te eſſe video, quales in illo orbe pauci. Sed, niſi fallor, breuî eas quoque oras illuſtrabit melior hic Phœbus. Vale. Lugduni Batauor. Poſtrid. Kalend. Sextil.

EPIST. LXXIII. *Antuerpiam.*

CHRIST. PLANTINO.

MI amice, nulla vmquam epiſtola tua aut grarior mihi aut grauior fuit hac poſtremâ. Languidâ manu ſcriptionem tuam nimis exoſculatus ſum, & ſeruabo pignus fidiſſimi inter nos amoris. at dolui in tuâ afflictiſſimâ* valetudine, quam tamen mens mihi dictat & præſagit iam eſſe meliorem. O Deus, & tu, facite me comporem huius voti! Aliud nihil ſcribo, niſi hoc. quidquid à me factum voles, etiam cùm me præcedes & in vili hac terrâ non eris, impera: non viuum magis amaui, quàm poſteà verè viuum amabo. Salue, Salue, Salue.

* *Qua illi poſtrema.*

EPISTOLA LXXIV.

FRANCISCO RAPHELENGIO *Filio.*

CERTE, mi Raphelengi, triſti nuncio perculſi ſumus, triſti: nec cuiquâ veſtrûm qui ſanguine iuncti eſtis, aut in amando ceſſi, aut nunc in dolendo. Amiſiſtis tu auum optimum, alij patrem, ego amicum, ſanctum nomen & rarum hodie in terris. Heu mi Plantine, quis mihi poſt te alter? nemo: non magis quàm ante te talis quiſquam fuit. Beatum quidem te, qui extra præſens & imminens omne diſcrimen, extra moleſtias, quæ ſenile etiam caput tuum circumſtabant: at nos voluimur & teuoluimur in medio æſtu. Tu mi fili multum amiſiſti, in omni fortunâ tuâ conſilium, ſolatium, opes. Amabat te, hoc ſcio. Sed feramus, & illius maximè exemplo (in quo enim hæc virtus clarior?) prompti volenteſque ſequamur magnum illum Deum. Scripſiſſem ad Moretum & heredes, ſed ita me ſalus amet, vt ego minimè aptus ſum ad ſolandum. Non quia iaceam (hoc dedecus Conſtantiæ noſtræ non imprimam) ſed quia haud ita firmiter ſtem, vt erigere alios poſſim. Vacillo ipſe, & rationum identidem fulcro me ſuſtento. Ad te nuper breuiter ſcripſi de Italiâ. nunc hoc addo, omnino ad nos venias, priuſquam in alterutram partem aliquid decîdas. E re tuâ erit: nec quicquam ſuadebimus, non dicam præter vtilitatem, ſed fortaſſe nec tuam voluntatem. Ades. Poſtrid. Idus Iul. ∞. IↃ. LXXXIX.

EPISTOLA LXXV.

FRANCISCO BENCIO.

TANDEM, tandem, vnas à te litteras. Nam & ego otdiat à querelâ. Tu ne miſiſſe quidem fateris: ego ſcripſiſſe ſetiò me teſtor, ſed tamen fruſtrà. Qua autem mea culpa eſt, ſi homines parùm fidi hodie aut diligentes? Ego te, mi frater, diligo: & numquam ſuauiſſimam illam conſuetudinem noſtram ruminor, ſine interioris animi motu. Tuæ litteræ me excitant, & velut adſpirant in hoc languore noſtro vitalem aliquam autam. O terra, ô viri! vtinam pet vires aut tempora vos reguſtem! Sed ego, mi Benci, inclino, non tam æuo fractus (eâ parte adhuc vireo) quàm lento & neſcio quo inteſtino morbo. qui tamen vitæ officia atque ipſa ſtudia leuiter interpellat. Vos iacturam ante biennium in Mureto feciſtis: cuius Senecam, extremum opus, etſi non confectum, probamus. Orationem tuam in eius funere, & quidquid tuũ, videre velim. Rarò ad nos veniunt melioris cæli illæ deliciæ: & poſſunt tamen per Plantinum. Ad eum virum mitte, quidquid ad me voles: & inprimis (per ſacrum illum Amorem te rogo) ſi quid editum à te, aut edendum. Cenſuram vis? libera erit. Laudes? effuſæ. nec alius hodie id fecerit magis ex affectu. Amo, amo, primos illos meos ignes, & in ijs puriter liqueſco. Illuſtriſſimum Sirletum ſupereſſe apud vos gaudeo, columen perfectiſſimum virtutis & doctrinæ. Fuluio Vrſino quid ſit, quid Latino Latinio optimo ſeni, gratum ſi per te ſciero: & ſi à me eos ſalutabis. Edidi quædam nuper, ſed lenia, nec nunc mittenda. Vale, & me ama tui & probitatis amantem. In Bat. prid. Kalend. Septemb. ∞. IↃ. LXXXIIX.

EPISTOLA LXXVI.

GERARDO TVNINGO.

AD litteras tuas, mi Tuninge, breuiter reſpondeo: & hoc ipſum amoris eſt, quòd reſpôdeo. Nam etſi vis illa morbi me reli-

reliquit, tamen languor & debilitas manet:nec mens aut manus ſatis apta ad ſuum munus. At ego te ex animo amo, & creſcenti virtuti tuæ faueo: eoq́ue expectata mihi hæc ſcriptio, eius iudicij mei index. In foro verſari te iam credo: & quamquam res nondum calent (tempus iſta adfert) tamen carceres tibi aperti ad curſum. Stadium hoc ſub initia moleſtum & arduum fortaſſe videbitur: dies mollier, & ſcopus qui tibi in oculis eſſe debet, cum Lucro Honor. Dignitas enim & ſplendor plerumque ab iſto campo. Ego ad amicos meos cùm ſcribam, non deero te commendare de eâ norâ quâ te noui. Tu confide. ſponſor ego tibi, ſi perges hac Virtutis & Modeſtiæ viâ, quâ cœpiſti, de optimo ſucceſſu. Vale, & duo illa, ac me vnà, ama. Lugd. noſtræ Batauor. v. Kalend. Decemb.

EPIST. LXXVII. *Vltraiectum.*

THEODORO CANTERO.

CVM mutationem rerum audiui, quæ apud vos facta, lætatus ſanè ſum, quia omnia in melius verſa & modeſtiùs: nec tamen valdè miratus, quoniam veterem illum ſtatum violentum & turbidum, ſciebam non poſſe eſſe diuturnum. Illud neſcio an lætari debeam, te potiſſimùm electum qui clauum teneas in hac tempeſtate. honori tuo quidem gratulor, idque amiciſſimo animo: ſed moleſtias video, atque adeò diſcrimen etiam quod adiunctum, niſi clementer te dirigat & ſeruet ille, qui te huc deſtinauit. Id quod ſpero, & cum ex affectu rogo. Illud ego valdè velim & ſuadeam, ita clementer & leniter omnia nunc adminiſtrari, vt vix appareat conuerſum eſſe orbem rerum: appareat, inquam, dolore cuiuſquam aut pœnâ. Vltio & affectus ſeponantur; & ſatis ſit (meo quidem iudicio) inutiles homines remoueri ab reip. adminiſtratione. niſi ſi quis eſt vnus aut alter, qui palàm in eâ ſe geſſerit malâ fraude. Sed nec omnia ſubitò mutanda, etiam quæ mutari melior ratio ſuadet: lentè, lentè, & minimo ſono. Pro noſtro Arcerio ſolicitor. manebit illi ſua conditio? velim, quod in te ſit, iuues. Non enim puto virum è callidis illis eſſe, qui omnia & omnes turbant. Thinnius noſter an redierit, nondum audiuimus. omnino ego opinor: & admouendum iterùm rebus virum peritiſſimum rerum. Quod cùm ſciero, ad eum ſcribam. De Prætoris reditu, audiui: & velim meo nomine illi gratuletis. Niſi aura hæc turbida impediret, ego ſanè ad vos euolarem, & facerem linguâ quod nunc ſtilo. De filijs tuis, ij mihi curæ erunt. Sæpè me adeant, ſemper mihi grati. Vale. IV. Idus Octobr.

EPISTOLA LXXVIII. *Vratiſlauiam.*

IACOBO MONAVIO.

LITTERAE tuæ à ſe gratæ, mi Monaui, hoc aſperum habuerunt & triſte, quòd nunciârunt de morte Andreæ Dudithij, magni & ſapientis viri. Qui, etſi præter ætatem nihil paſſus videri poteſt, aut præter communem illam legem: tamen profectò dolori eſt, & amicum nos amiſiſſe, & Germaniam in hoc ſtatu rerum ſpoliatam notæ modeſtiæ & prudentiæ viro. Nam in aulis Principum, quàm multi paſſim, vt ſic dicam, incendiarij turbarum, & qui * πῦρ ἐπὶ πῦρ addunt? à quorum ingenio alieniſſimus hic noſter, natus ſedare ciuiles iſtas tempeſtates, non excitare. Sed deo pacis viſum, vocare ad ſe iſtum Pacatorem: ideoq́ue feramus, in Conſtantiæ noſtræ monitis fixi. De amore tuo in me, gratiam non habeo ſolùm, ſed refero. quomodo? amando. atque ego te vnum hoc pretium exſpectare ſcio tui affectus. Mihi quidem iucundum & quaſi pabulum quoddam ſtudiorum eſt, amari non tam à magnis, quàm ab eruditis & vitâ quoque probis viris: quâ in claſſe te ſcio eſſe, optime Monaui. Nos valdè nunc diſtringebamur editione Politicorum. quod opus Regibus Principibuſq́ue ſcriptum, vtinam vſui quoque ijs ſit! quod non deſpero, ſi capere tamen poterunt eius generis ſcripta. Sed deus videbit. ego arduo labore defunctum me ſcio, & ſoluto pede ad mitiora & planiora iturum. Thraſeas noſter omninò differendus eſt, & te alioſq́ue rogo, ne quis me roget. Vale Clariſſime Monaui, reliquum in ijs locis affectus mei fulcrum. Nonis Iunijs.

* ignem ad ignem

EPISTOLA LXXIX.

LAEVINO CALVARDO.

SCRIPTIO tua mihi grata, & ſcribendi cauſſa. Amor in me, & humanitas in afflictos te impulit: quorum vtramque amo, & hanc etiam laudo. At illud mihi iuxtà ac tibi nouum, fuiſſe in eo grege Hiſpa-

Hiſpano hominem Latinas quoque litteras doctum, & doctorum amantem: cui auxilium, aut certè ſolatium, meritò debemus. Id, quod in me eſt, non faciam ſolùm ſedulò, tam amicâ præſertim tuâ rogatione inuitatus, ſed iam feci. Conuêni quoſdam qui cum Prætore huius vrbis agant, qui nauim eam cepit, & in cuius hic eſt manu. Videbo an in vrbem noſtram adduci poſſit, eamque habere pro cuſtodiâ. Sanè Muſarum illum alumnum æquo iure cenſeri cum Barbatis, ignominia noſtra ſit mi Caluarde. quem ex animo ſaluere iubeo, & me amantem tui quoque amare. XVII. Kalend. Septemb.

EPISTOLA LXXX.

Dominico Bavdio.

Plvscvlas à te litteras accepi, fateor: ad quas ſilui, non voluntate aut ſubitâ ignauiâ, ſed quia deinceps ſic cogit valetudo. Tibi narro Baudi. frangor paullatim, frangor: & per aſſiduum hunc languorem deſerit ponitque calor & vigor ille in nobis, velut ventus. Velo ferri ſolebamus, nunc vix remis. Politica etiam mea, ſerium opus, valdè me tenuerunt. Nunc ipſa abſolui, nondum quæ ad ipſa: id eſt Notas. Inuidia fatebitur arduum & operoſum opus eſſe, neſcio an probum. Tu certò & ſemel ſic exiſtima, te à me æſtimari, amari: & ſemper id fore, ſiue ſcribo, ſiue ſileo. donec perpetuùm tamen ſilebo. De munere ſiue titulo, quo non ſine fructu gaudes, tibi gratulor, & voueo atque auguror maiora. Amande ama. Idib. Iul. ∞. Iↄ. LXXXIX.

EPISTOLA LXXXI.

In Hungariam.

Michaeli Forgacz, *libero Baroni de Gimes.*

Amanter valdè me prouocas ad ſcribendum pariter & amandum. quis tu es? ignotus mihi, imò notus, vel ex vnâ epiſtolâ iſtâ, in quâ faciem video pulcherrimæ mentis. Etiámne ille veſter remotus, & verè Martialis tractus, educat ac profert Palladias iſtas proles? gratulor tibi hanc indolem, te patriæ: quæ profectò præſidium grande & lumen exſpectat ab eiuſmodi alumno. Quòd ſi hanc directam ad laudem & Virtutem viam, pleríque è tuâ claſſe ingredi vellent: quid Europâ beatius? quæ nunc iacet miſera, vndique telis confixa ciuilium turbarum. Sed reſurget profectò aliquando (& ea certa ſpes me tenet) eiuſmodi adminiculis & fulcris. Tu perge, & te litterarum ac Sapientiæ ſtudijs primùm, mox patriæ trade: palam facturus, quantum interſit inter doctos cultoſque Nobiles, & iſtos, qui nihil lucis habent niſi à luce maiorum. Meam quidem amicitiam quòd appetis; ita cupidè offero, vt ipſe propior appetenti ſim: & in tempore oſtendam. Lucubrationibus noſtris quòd delectari te ſcribis, vtinam & iuuari! Spero tamen id facturum opus quod nunc edo, in quo Principem formo & eos qui ad gubernacula rerum admouentur. Laborioſè mihi opus ſcriptum fateor: ſed vobis, vobis, non huic vulgo. qui nec capiet, nec ſi capiat, fructum faciet in præceptis quæ nihil ad ipſum. Regendi imperandíque munus vobis conuenit; plebi *obſequij gloria*, vt ille inquir, *relicta eſt*. Nobiliſſime Baro vale. Nonis Iunijs, ∞. Iↄ. LXXXIX.

EPIST. LXXXII. *Coloniam.*

Gvlielmo Cripio *Filio.*

Ad epiſtolas tuas reſpondere, mi Cripi, magis volo aliquando quàm poſſum. Diſtringimur nimis ſæpè, nec cùm nuncius appellat, vacamus illicò ad ſcribendum. Addo, quòd plerumque ille feſtinat. Hoc ſemel ſcito, & excuſa. Alias, amo te, tuumque ingenium: quod excitari etiam noſtrâ voce nonnihil velim ad pulcherrimas artes. Etſi enim per te promptus erectuſque es: tamen vt equum in curſu plauſus, ſic optimam indolem laudes & adprobatio iuuant. Quamquam quid valdè ijs apud te opus? patrem habes, * παντοίῃς ἀρετῇσι κεκασμένον, vt ait Homerus de Vlyſſe: virum ætate & vſu & doctrinâ inter Belgarum primos. Hunc audi. * Αἵματος εἰς ἀγαθοῖο φίλον τέκος: quæſo ne degenera, & lucem quoque à te aliquam adfer ad illam lucem. Quod porrò ſcribis de libris illis priſcis: magis eſt vt voueam, quàm vt credam. Sæpè iam ita decipimur. Blandi rumores ſunt de *Ciceronis Republicâ*, de *Liuij reliquis*: ſed rumores.
——* κακὸν δ' ἀνεμώλια βάζειν. Vale, & in virtute ac doctrinâ pariter mihi creſce. Lugduni Batauor. Poſtrid. Idus Mart.

* omni virtute decoratum.
* Sanguinis es boni care puer.
* malum vana dicere.

EPISTOLA LXXXIII.

IOH. ARCERIO.

VIR doctiſſime, Res tuas iterùm ſtabili loco eſſe, idque in ipsâ patriâ, valdè tibi gratulor, * καὶ ἀπὸ βαθείας γνώμης συγχαίρω. Præſertim cùm honeſtiſſimum illud munus adeptus ſis, & in locum ſucceſſeris viri nobis olim amici. Ita profectò eſt. Deus non deſerit ſuos, ſed abducit à loco vt ad meliorem reducat, & obijcit ſæpè non ſperata. Nos in tenui & veteri noſtrâ valetudine, tamen Politica abſoluimus: quæ vtinam ne mecum langueant, & ſint, quod dicitur, * ἵππου γῆρας. Mihi tamen firmum compactumque opus videbatur, & ferendo æuo: ſed mihi. Veſtra aliorum iudicia exſpecto, nec antè me do ad abſoluendum. Nam quod ad notas attinet, * μέγα ἔργον ἄρεκτον, vt ille inquit: & id quoque fecit morbus. Exemplaria quattuor ad te mitto, diſtribuenda pro inſcriptione ſingulorum. De Galliâ, credo vos audiſſe magnum illud facinus, & inopinatam Regis cædem. Ego video Deum res magnas, res nouas moliri, & conuerſionem ſtatus in vniuersâ Europâ.

—— * Πολλάων πολίων κατέλυσε κάρηνα,
Ἠδ' ἔτι καὶ λύσει.

Vtinam ſalutis nobis! Vale vir ornatiſſime, & cum vxore tuâ à me meaque ſalue. Lugd. Batauorum, XIII. Kalend. Septemb. CIↄ. Iↄ. LXXXIX.

* & ab intimâ mente gaudeo.
* equi ſenium.
* magnum opus imperfectum.
* multarum vrbium ſoluit culmina: Atque etiam ſoluet.

EPISTOLA LXXXIV.

ISAACO CASAVBONO.

NON redditas tibi litteras meas, mi Caſaubone, non miror ſolùm, ſed indignor. Spernam ego te? ne differam quidem: & reſpondi illicò vt accepi tuas. Gratæ mihi & à tali ingenio, quod iamdiu æſtimo: & à tali affectu, quem calidum profectò in me promis. Amo, amo viciſſim; nec tam frigidum aut rigidum mihi pectus, vt non incaleſcat & moueatur ab hoc igne. Strabonem tuum vidimus, & multa in eo proba. perge per Deum, & quoniam Scaliger noſter in hoc genere toto ſilet, tu prodi & age hanc perſonam. Decenter, mihi crede, potes. Sed, heu, Gallia veſtra quàm æſtuat! vetus, florens, & illud regnorum, vt ſic dicam, regnum, quàm periclitatur non conuerti ſed euerti! Illacrumo. nam fateri debemus illuſtrium ingeniorum iam ab aliquot annis hanc matrem fuiſſe, aut ſedem. Nos quoque in veteri noſtro bello: ſed minùs feruido, & conſumimur lento quodam igne. Feramus; & nos, mi Caſaubone, iſtis litterarum Sapientiæque ſtudijs inuoluamus: in quibus abductio, aut certè aliqua ſeductio eſt à turbis. Vale. Lugduni Batauor. Poſtrid. Non. Sext.

EPISTOLA LXXXV.

PHIL. MARNIXIO.

ACCEPISSE te librum noſtrum, legiſſe, probaſſe, ſeriò ego gaudeo. In tuo iudicio quidni acquieſcam? qui ſecaſti hos fluctus, & benè penitus te immerſiſti in rerum ciuilium iſtud mare. Noſti ergo, & peritiam tibi ingenuit ipſe vſus. Qui nobis quidem modicus adeſt, & liberè cum Homerico adoleſcente fateor,

* Οὐδέ τί πω μύθοισι πεπείρημαι πυκινοῖσιν.

Quò magis veſtrum eſt, monere & dirigere ſiquid peccamus. Quod malles in Εὐσεβείας illâ re verbis quoque me εὐσεβεῖν, ſpretis illis profanis: feciſſem profectò, ſi diſtinctiùs & accuratiùs dicendum de ijs mihi putaſſem. Hoc omiſi, aut diſtuli: & cauſſam nonne vides? Cùm tam pauca & timidè dixerim, nunc quoque vndique incurrunt, pænè dixerim,

—— * Ἀγροτέροισι σύεσσιν ἐοικότες.

quid futurum erat ſi magis me diffudiſſem? Libaui igitur: & id non ſtilo quoque nihil mutaui, & exiguam illam laciniam pertexui filo quo reliquam veſtem. Quòd ſi tamen tibi hîc aut alibi aliud videtur, mone, & me deuinc ies. Aliorum voces ſiue calumniæ, aſperæ: * ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου. Tuus Gedeo Boizelarius mirum eſt quàm ſe nobis probet, modeſtiâ, diligentiâ, profectu. Stirpe ſuâ dignus euadet. Vale. Lugduni Batauor. Prid. Kal. Octobr.

* Neque ego adhuc ſermonum prudentium vſum habeo.
* agreſtibus ſuibus ſimiles.
* bona admonitio amici.

EPIST. LXXXVI. *Leodium.*

DOMINICO LAMPSONIO.

IAM nunc mihi adeſt, qui ad vos abit. Ipſe tibi dicet, tempus mihi non fuiſſe ad longam ſcriptionem: atque adeò, vt familiariter tecum loquar, è lectulo me excitauit. Sed vigilo, vigilo cùm Lampſonij nomen auribus & menti meæ inſonuit. Iamdiu etiam ego à te nihil. quid tum? tam ſcio amare te, quàm me ſpirare.

* Οὐδεὶς ἐραστὴς ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ.

* Non eſt amator, perpetuo qui non amat.

Poli-

Politica noſtra abſoluimus:cape,lege,arbitrare. Nam iudicem aliquem requique ſimilem,valdè mi Lampſoni volo: verſatum in rebus ſcilicet, nec à lectione ſolùm ſed ab vſu doctũ. Vide ſicubi erramus. Breuia iſta ſunt,& adſtricta,ſateor: ſed apud te quid excuſem? ſcio in eiuſmodi rebus rem te velle,non ſupina aliquot & natantia verba. quò nimis ferè inclinant,qui res Ciuiles hodie ſcribunt. Nimis,inquam,ſe per diſputatiunculas diffundunt. At mihi Cretenſes illi probi: quos Plato ait *πολυνοίαν μᾶλλον, ἢ πολυλογίαν ἀσκοῦσαν*. Nos iam in manu habemus Dialogum *De magnitudine Romanâ*: & perficiemus,ſi Deo viſum. Epiſtolarum etiam Centuriam alteram excudimus,& priorem reformamus. Apud me iſta:tu quid? ſcribe, ſcribe,nec(quod callidæ amantes ſolent)deſiderio nos torque. Lugduni Batauorum, Poſtrid. Idus Sext. ∞.IↃ.LXXXIX.

multa mente magis, quam multis verbis ſtuduiſſe.

EPISTOLA LXXXVII.

FR. RAPHELENGIO *Filio*.

MI Raphelengi etiamnunc fluctuas? quouſque?Semel ſtatue rationi & nobis pareas,an tibi. Illa ſuadet differri iter in proximam æſtatem, ob cauſſas multas. E famâ tuâ erit, è re tuâ, ex vſu familiæ Plantinianæ. Tam citò ſolui & abrumpi illum cœtum ſublato capite, ſit indignum. Cauſſas,quas habes, ego quoque intellego, atque adeò approbo: ſed calidè nihil fieri volo aut importunè. Ne nimis cupidè cupe quod cupis. Mali ominis ſit nimia hæc feſtinatio. Audi me ex animo loquentem. Ire te in Italiam ad multa vtile eſt: vt abſis ab his turbis, vt videas & diſcas, vt locum & occaſionem quæras emergendi. Hæc omnia vera ſunt, & ſuadeo: ſed hoc quoque verum, magis decôrè te iturum poſt aliquot menſes, magis tutò ſub æſtatem, & magis prouidè omnia ac diſpoſitè acturum. Vtinam antè te vidiſſem! id quoque è re tuâ ſortaſſe eſſet, & certè ex meo voto. Sed nos ea audimus,vt vetear ne breuî intercluſæ omnes viæ,niſi ſi ipſe ſub Ver proximum in Germaniâ me ſiſto, quod haud deſpero. O iuuenis in quod æuum incidiſti! ſed tene viam rectam, haud pœnitebit. Ne pugna cum temporibus, & ſerua te ad meliora fata,ſed ſub tegmine & vmbrâ ſemper modeſtæ Virtutis. Ego deſino: haud multa libet. XIII. Kalend. Sextil. ∞.IↃ.LXXXIX.

EPISTOLA LXXXVIII.

CASPARI VOSBERGIO.

DISTVLI reſpondere litteris tuis,ſed ſine tuâ vllâ noxâ. Nunc id facio per Legatum Regis, cuius negotia tibi commendo, & peto, quod in te eſt,ea matures. Noſtri quàm lenti ſint, præſertim vbi pecuniaria res eſt, non te fugit. Politica grata tibi fuiſſe gaudeo: quæ tu quòd theſaurum appellas, magis ex amore facis, quàm quia merentur. Hoc tamen liberè dixi & repeto, ruminanti ea pluſculum aliquid ſemper ſuboriturum, quàm primâ ſpecie viſum. Hortaris me ad reliqua,& præſertim ad Ariſtocratiam. quam ego quoque probo mi Vosbergi, ſed benè compoſitam, & qualis illa Spartanorum fuit, aut hodie Venetorum. O quis deus eam dabit! Tamen illam quoque conceptam in mente habeo, & vnius omnino libri res erit. Sed priuſquam aggrediar, certum mihi audire & libare iudicia de toto hoc genere ſcribendi. & ſi vniuerſum diſplicebit,ſilere;(cur enim vela faciam aduerſis ventis?) ſi in parte, cognoſcere, & refingere ſiquid minùs rectè aut conſideratè à nobis ſcriptum. Nam id numquam pigebit. Apelles in magnis ſuis laudatiſque operibus hoc ſeruabat,vt ea publicè proponeret omnium oculis ac linguis, atque ipſe velo aliquo tectus iudicia venaretur etiam minimorum: cur nobis hoc non fas in opere, quod tangit omnes? Sed nec Notas,vt vides, plenè abſolui. quod caloribus iſtis immodicis tribues, qui valdè me dederunt in languorem. Te valere opto, & nos amare. Lugd. Batauor. XIII. Kalend. Septemb. ∞.IↃ.LXXXIX.

EPISTOLA LXXXIX.

NATHANI CHYTRAEO S.D.

ACRES quaſdam faces epiſtola tua mihi ſubdidit, quam ipſe amor tibi ſcripſit. Non me fallunt ſupina quædam aut natantia verba,& illa quę ab imo pectore profecta. Talia tua ſunt. & iam mihi carior noſter ille Lydius, per quem tu quoque inter meos caros. Quid verbis me diffundam? redamo ſic amantem: virtutis doctrinæque tuæ merito primùm, ſed etiam fratris adſpectu, qui mihi inter Germaniæ primos. Scripta tua & illius iam olim vidimus, & tenui-

* dulci ſirene ſermonum. tenuiſtis nos ſæpè illâ * γλυκείᾳ Σειρῆνι τῶν λόγων. Non plura apud te repergamus in hoc curſu, & quod reliquum eſt vitæ viuamus

* amantes amantes. —— * φίλα εἰδότες ἀλλήλοισιν.

Accipe daque fidem. & ſalue. Lugd. Bat. Idib. Mart. ∞. Iↄ. xc.

EPISTOLA XC.

MARTINO LYDIO.

AMICA tua epiſtola, vt ſemper, atque etiam anxia pro noſtrâ famâ. Agnoſco amorem: ſed de purgatione, quod ſcribis, quæſo omitte. Quid me eluas apud eos, mi Lydi, quibus decretum quacumque de cauſsâ * μῶμον ἀνάψαι? Ieiuna imò turpia ſunt quæ adferuntur (ago liberè:) & te aut me non noui, ſi hæc * ἀκριβέστερον excuſo. Impiè hoc ſcripſi, inquiunt, quòd Religionem omnem tolero in repub. modò vetus. Etiámne gentilium? etiámne Turcarum? etiam. Vbi hoc ſcripſi? Verba adfers. ſed ô boni, ergo noiulam graue ijs legere, quæ ad otam? Coëtcui enim ecce, & reſtrinxi: MOS PROBVS *& vetus ſeruandus.* Satin' clara hæc verba? ita vetus tenendus. ſi probus. Iam illud alterum, in quo ſæuitiæ me arguunt, bellum. Quis verba ea bonus integerque vir legit, qui non capiat ex meo bonoque ſenſu? At poſſunt alio rſum flecti. Multa talia in omnibus ſcriptis: ſed eos nempe carpimus, qui ſic flectunt. Meliſſæ aliquæ flores noſtros inſideant, non iſtæ Arachnæ. Quid verba facio? his talibus ſuadeor, non vt aliter ſcribam, ſed vt ne ſcribam: & ſilentio tuti ſimus, quoniam ratione vix licet.

* maculam inurere. * diligentiùs

* Multi maleuoli in nos machinantur. * Δυσμενέες γὰρ πολλοὶ ἐφ' ἡμῖν μηχανόωντ).

Ego tibi verum verbum dicam. Quoſdam ex iſtis torquent non quæ ſcripſi, ſed quæ non ſcripſi. Intellige, & me iam olim tuum ama. Lugduni Barau. XVII. Kalend. Apr.

Qui has tradet, Nanſius Filius erit, vt opinor. Faueas ei quæſo meâ cauſsâ, & aut cœptam ſpem promoue: aut ſi ea mortua, in nouâ hac iuua. Ab ipſo audies. Saluta amicos Arcerium, Druſium, Eilardum. Ecce reſponſum etiam ad Nath. Chytræi epiſtolam: rogo te cures.

EPISTOLA XCI.

REGNERO GRVTERO.

GRATAE mihi tuæ litteræ, mi Grutere, nec eſt quòd excuſes. Peccares, niſi ſic peccares. Ego, etſi non ſemper reſpondere aut ſcribere vacuus, tamen legere: & nimis quàm libens ſermones veſtros libo, qui aliquando in noſtrâ diſciplinâ. Statum & formam Academiæ veſtræ per te cognoui. probus eſt: ſed inprimis ille vir magnus, quem iure laudas. Iunium intellego: cui tu, mi Grutere, adhære, & recondita multa hauri ex arcano illo vberique penu. Chryſmannus aliquídne De temporibus poſt Scaligerum? durus ille concurſus eſt: & tamen ſcio eſſe, quæ poſt eum addi illuſtrarique poſſint. Nos poſt Politica edita redimus in veterem campum; & vel mores Romanos illuſtrabimus, vel ſpinas aliquot in eo runcabimus, Criticâ iſtâ falce. Deus valetudinem modò & otium mihi det: de quorum altero vix ſpero. cùm turbas video quæ in Galliâ natæ. Vale mi Grutere, & identidem me appella. Lugd. Bat. III. Id. Sext. ∞. Iↄ. LXXXIX.

EPISTOLA XCII.

MICHAELI MONTANO.

VIR Nobiliſſime, per epiſtolam raro te alloquor, ſæpiſſimè animo & affectu. Vtinã res veſtræ aut noſtrę quietiores: numquam ego deum videam, niſi te viderem. Nam litterarium hoc colloquium, nugæ: meri amores & mera ſuauitas, os aliquod amicum intueri & amplecti. Sed, vt ille ait,

Νῦν δ' ἑτέρως ἐβάλοντο θεοί. ——

Politica noſtra tandem edidi, diu preſſa, & neſcio an vel nunc emiſſa aut ſatis fauſtâ. Æuum ego & hæc præiudicia an ignoro? ſed tamen temperaſſe me videbis, & nihil niſi communibus præceptis ſcripſiſſe: excipio paucula de Religione. In quâ conſilium noſtrum nec improbum, nec imprudens fortaſsè apud probos. O tui ſimilis mihi lector ſit! & tu iudicium tum liberè, & vt vir es, ſcribe. Turbæ apud vos magnæ: ſi ingenium tuum noui (vt certè è ſcriptis noui: in quibus non fallax tui imago:) quieſcis. Quod vt tutò & diu poſſis, æternum Deum rogo. XV. Kal. Octobr.

EPISTOLA XCIII.
Mechlinum.

Nicolao Ovdarto.

ACCEPISSE te libros Politicorum mihi gratum; & magis, te probaſſe. Ex animo tibi dico. probari tui ſimilibus lucubratiunculas noſtras gaudeo, etſi pleraquę́ ſcribimus non huic æuo. In illo ipſo opere Politicorum, quàm multa patùm ad palatum huius illiúſve partis! nec aliter fuit, aut erit, vbi ſunt partes. Veritatem puram candidamque ego ſcio, & immunem ab omni affectu. Vt oculi, vbi glaucoma obſidet, puriter non vident: non item mens, vbi adfectus. Præiudicium iudicium omne tollit. At in ijs quæ de Fato ſcripſi, gaudeo quòd liberè mones. etſi ego nec inſiſtere tritam & priſcam viam ſentio, nec in aliâ mente eſſe Thomam & argutos illos in Eccleſiâ Doctores. Tamen ſi quid aliud, videbo: & tuo monitu libens non explicabo ſolùm; ſed, ſi opus, retractabo. An me pudeat? numquam. & veram rectamque viam tardè videre & inire poſſumus, numquam ſerò. Magnum illum virum nobis obijſſe, doleo: &, heu patria, quàm talibus nunc eges! Impetus & calor eſt, qui nos perdiderunt & perdent. Sed ego longiùs progredior. cui hoc tantùm propoſitum reſcribere: me te amare, & gaudere in amore tuo mei: quem vt propages deinceps ac ſerues, conſuetudinis cauſsâ, rogo. nam neceſſe non eſſe, facilè ex eo mihi liquet, quòd ſine vllo nomenclatore, tot annos firmiter eum in arcanâ iſtâ mente coluiſti. Vale Vir amiciſſime. v. Idus Nouemb. ∞. Iↄ. LXXXIX. Berchemij noſtri mentio in epiſtolâ me excitauit. quid illo fit? vbi eſt? amo, amo virum.

EPIST. XCIV. *Viennam.*

Hvg. Blotio.

VERE diuinaſti. perierunt litteræ tuæ quas Thiſio dediſti: neque ego vllas,
*contubernalibus — præter has à * *συμβιωταῖς* meis, vidi. An ego tam diu aliàs ſiluiſſem?

* *Ζεὺς τό γ' ἀλεξήσειε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι.*
* *Iupiter hoc auertat, & immortales dij alij.*

Meritò amantes ego mei redamo, & te mi Bloti inter primos, verum & veterem Muſarum myſtam. Ergo ſcito amicitiam tuam mihi caram, gratum etiam de ſcriptis iudicium: quod etſi nimis ſumit ab affectu, tamen, liberè fateor, his talibus

—— * *Ἀέξεται ἔνδοθι θυμός.* — * *augetur intus animus.*

Tu ſi me litteris tuis ſæpiùs appellaueris, & in ijs rerum etiam aliquid aſperſeris quæ iſtìc geruntur (præſertim ſiquid ad nos & hæc ſtudia:) beabis, & reipsâ videbis prouocatum à te, quod dicitur, * *ἵππον εἰς πεδίον.* — * *equum in planitiem.* Vale. Lugd. Batau. Idib. Martijs.

Illuſtri Baroni Hieronymo Beck à Leopolſtorf gratiam debeo pro affectu in me, quem ex animo iubeo ſaluere. item noſtrum Leunclauium.

EPISTOLA XCV.

Everhardo Reidano.

SCRIPTIO tua me affecit, & iudicium de Politicis; quæ votum mihi præcipuum eſt vt approbem vobis. Aliorum ſermunculos quid curem? placere ijs & ſatisfacere in alio quouis argumento magis poſſum, quàm in iſto. Ego liberè quod mihi viſum eſt dixi, & ſæpè magis ex vſu publico, quàm ex guſtu. At ſunt etiam quidam qui Batauiæ finibus me includunt, & omnia ſcribi volunt pro hoc ſtatu. Inepti! quod non Plato, non Ariſtoteles, non quiſquam veterum fecit, qui ſcripſêre aliquid in ſpem diuturnioris æui. Hîc illa forma reip. alibi alia: atque vtinam nobis Princeps ſit, ſed ille adſtrictus & legitimus, & qualem formo. Iam etiam quidam diffundi me voluerunt, & iuiſſe potiùs per liberam ſemitam & veſtigia noſtra. Haud difficile mihi, fateor: ſed aliò me duxerunt rationes quas dixi, & quas non dixi. Faciam tamen aliquando, ſi viuo, & Notis meis ſiue Commentariolis abundè explebo hanc ſitim. Mihi iam nunc materies ea parata, ſed premimus, & calamum paulliſper retinemus ſcripturientem. Ego, vno verbo, te amo, & id mihi fieri à te percupio. Vale. Lugd. Batau. XII. Kal. Mart. ∞. Iↄ. XC.

EPIST. XCVI. *Londinium.*

Lanceloto Brvnio.

PADDEIVM tuum inſignem virum libens vidi, & officia præſtiti quæ potui prolixè. Malo ab ipſo hoc re audire. Sum naturâ in omnes benignus, tum maximè in

noſtri

noſtri gregis homines, & qui commendant ſe colore iſto litterarum. Colore inquam, non fuco. quia reuerà Paddeius tuus, imò iam noſter, ſeriò ſe melioribus iſtis ſcientijs tinxit. Nos titulum ei dedimus, ſed rem attulit ipſe ad nos abundè. De valetudine meâ quid ſcribam? potes ex ipſo audire, qui * ἀυτόπτης. Tamen vos medici probè ſciris, quidquid diſſimuletis, leniri non tolli hos morbos. Vbi ſemel radices egerũt, hærent. Itaque langueo, & præſertim per hos Caniculæ inſanientis æſtus, qui corpus hoc per ſe ſiccum & aridum, pænè reddiderunt cornu. Animo tamen egregiè adhuc ſuſtento: & deus mihi ſeruet hanc mentem, numquam eâ parte ſuccumbam. Britanniam veſtram & vos amicos videre iam diu geſtio: ſed neſcio quod impedimentum mihi naſcitur aliud ex alio: & ægrè muto locum, quem numquam tamen ſine fructu & bono valetudinis muto. Sed videbo, & fortaſſis aduolabo * παρὰ δόξαν. Franc. Vlmi *De Liene* iam diu lêgi, miſſum ad me è Galliâ. nam ego veſtra medica, præſertim ſi quid elegantius, valdè appeto, & diuerto ſuauiter in illos naturæ hortos. Túne in eodem argumento? diuulga, & doce nobilem aliquem vſum in nobili illâ parte.

* *inſpector.*

* *præter opinionem.*

Sed heus tu, quid Typographis veſtris viſum Politica mea recudere? non debebant. * Ἀτελὴς adhuc opus eſt: & prætereà, prima illa exemplaria ad vos miſſa, haud ſatis emaculata. Alia aut emendatiora ſunt, aut præferunt certè ſuas mendas. Itaque factum hoc non amo: ſed te fideliter mi Bruni. Vale.

* *Imperfectum.*

LECTORI.

ERANT *in editionibus aliis Epiſtolæ quaternæ, quæ ioci aut ſalis aliquid haberent, non in gentem, ſed in hoſpitia gentis, & præſertim ruſticana. Aliqui morſum aut læſionem interpretati ſunt: & quia non eſt, nec fuit is animus, nunc omiſimus induximúſque. Earum loco iſtæ Centuriam expleant: quæ defenſionem habebant, & ſine cuiuſquam malâ gratiâ, opinor, legantur. Vale.*

EPISTOLA XCVII.

TYPOGRAPHVS LECTORI S. D.

EDIMVS *hanc Epiſtolam, Lector, etſi auctore non tam volente, quàm nolente. Nec enim eò ſcripſerat vt ederetur, non certè ſic ſola: ſed quia iam factum in Germaniâ ipſo ignariſſimo atque inuito, fruſtrà teneri videt quod effugit. Euenit etiam, quod ſolet, vt fugitiua parum compta eſſet atque ornata, imò parùm recta. quæ cauſſa illi maximè, vt edi pateretur iterùm, minus mali ſcilicet ſi minùs malam. Itaque propriam ei veſtem reddidit, & qualis in arculâ remanſit. Hoc tantùm seriò teſtatur: ne nunc quidem iſta quaſi publicè reſponſa velle. quid opus in rebus leuibus? & abeſt alioqui animus eius ab omni non ſolùm concertatione, ſed defenſione: & putat ſapientiùs ſpernere hæc talia, quàm refutare. Præſidium famæ, non in verbis, ſed in vitâ ſuâ ponit: atque illam integram ſperat apud eos, qui hanc norunt. Quod ad ſcripta etiam attinet, acrem ſed æquum iudicem non recuſat: in quibus ſiquid erroris alibi aut caloris, prouocat ad humanam conditionem, cuius hoc proprium, ſicut nuſquam labi diuinæ. Id tantùm rogat, Lector, ne leues aut liuidi homunciones te moueant, neu calumnijs iſtis temerè acceptor ſis: quia illud veriſſimè dictum,* Διαβολὴ ἐςι δεινότατον· ἐν τῇ δύο μέν εἰσι οἱ ἀδικέοντες, εἷς δὲ ὁ ἀδικεόμενος. Calumnia res iniquiſſima: in quâ duo quidem ſunt qui inferant iniuriam, vnus qui ferat. *Tu ne alter ex ijs eſto, & hoc Menandri cogita:* Herodot. VII.

Ὅστις δὲ διαβολαῖσι πείθεται ταχὺ,
Ἤτοι πονηρὸς αὐτός ἐςι τοὺς τρόπους,
Ἢ παντάπασι παιδαρίου γνώμην ἔχει.

Calumnijs quiſquis fidem præbet citò,
Aut ipſe mente moribuſque eſt improbus,
Aut mente eâdem caſſus, & prorſus puer.

Vale. Antuerpiæ. Kal. Sept. ∞. IↃ. XCII.

EPISTOLA XCVIII.

I. LIPSIVS IACOBO MONAVIO.

INCOLVMEM te redijſſe ex Pannonicâ peregrinatione (Ortelius indicium fecit) ex animo, mi Monaui, gratulamur, & Deum rogamus, vt in patriâ quoque talem te ſeruet. Nos adhuc in peregrino ſolo apud Eburones: vrbe, in quâ olim & nunc, in nos proni & benigni. Tamen deliberamus ſub æſta-

æſta[illegible] quid [illegible] m. Nam quoc[illegible] in h[illegible] ambitu [illegible] palàm bella, [illegible] A [illegible] nos quietem, vt ſcis, quæreb[illegible]mus: [illegible] ueniendam niſi in [illegible] peris [illegible] locis, & [illegible] m quiete s? Tamen de pace nunc al[illegible] mentio. ſed mentio [illegible] quàm ad[illegible] tio & qui ſtatum [illegible] iam ſpe [illegible]. Sed cum Poëtâ,

[illegible] ἀλλὰ [illegible] [illegible]

Ei nos hæc, & noſmetipſos permittimus: certi, quod non m[illegible] nam illam ſolum orbis nauem, [illegible] tabulam diriget Pro[illegible]de[illegible]. Sed quod ad Quietem, falcula[illegible] eam nuper Saturnius quidam o[illegible] volu[illegible], calumni[illegible] in me iactis, [illegible] vi[illegible] Volu[illegible] nos hæc talia adeò ad animum non admittimus, vt vix ad oculos: & ſ[illegible] amici, quàm multis denique menſibus pòſt inſpectus mihi hic libellus Curioſi & auid[illegible] quid ſimus tali[illegible] m? qu[illegible] m nobis eſt contemnere magis, quá vindicare. Atque adeò, bonâ fide, nec nunc vidiſſem: niſi ijdem monuiſſent, ine[illegible] quædam, quæ non ad famam doctrinæ noſtræ ſolùm pertinerent, ſed & probitatis. Inſpexi igitur, & quid dicam? Scriptum vniuerſum eſt compoſitum ad inuidi[illegible] pariter & infamiam, quam mouet [illegible] apud homines ſingulos, & apud gentes totas. Deus immortalis, hanc[illegible] cadere in Chriſtiana pectora? [illegible] ob leues al[illegible]uos, ſ[illegible] natiles, & vt [illegible] grauiſſimè dicas, improuidos iocos? Nam in Weſtphalos ecce aliquid dixi. Hoc caput, hæc arx accuſationis [illegible]. Teſtor fidem, Monaui, animo & mente nihil nec luſiſſe qui[illegible] m in ipſos, ſed in ea, [illegible] ad ipſos. Vbi virtuti eorum aut robori aliquid à me detractum? De cultu dixi, & genere vitæ externo: quod valdè elegans apud ipſos eſſe, nec ipſi quidem dicant. Atqui nefas illa tangere. Quid Eraſmo igitur fiet, qui tam vberrim & liberè illuſit in hoſpitia omnia Germaniæ? Quid Clenardo, qui in Hiſpaniæ? Nec tamen vſque adhuc vidimus, qui dicam ijs ſcripſit. Ferri ſolent & poſſunt hæc talia, amœnitates, aut ſi vis, laſciuiæ ingeniorum: nec oderunt hos ſales, qui ſalem ipſi habent. Ij ſciunt, dicta à maledictis, & hæc à maleficijs differre. At iſte capitis etiam me anquirit, & (verba eius ſunt) *crucem mereri hæc, crucem.* Credo ſanè, ſed eam, in quâ Cupido apud Poëtam affixus, iocularem. Sed extra iocum, ſi quid in Epiſtolis illis nimium aut aſperum eſt, quæſo, è noſtrâ mente molliatur: quam palam teſtor numquam [illegible] iſſe ad lædendum. Verba quædam ſi ire videntur longiùs, reuocanda ſunt, nec id me facere pudebit publicè, &, vt ſic dicam, in ipſis Roſtris. Vtinam pectus hoc videant! niueum eſt, & [illegible]it. Humida ſunt illa & lapſantia quædam verba, & nata non niſi in ſummo ore. Quid, quòd in morbo nata? ille excuſet. Querulum hoc genus, & præſertim nos, quos atra hæc bilis vexat: quæ cùm exarſit, * Ἐυμαρέως κεν ἀπ' αὐτῆς καὶ ἔγχεϊ θύσαις, vt ait Poëta. Atqui Germanos etiam vniuerſos læſimus, quibus *paſſim* (ita inquit) *tam ſtultè, quàm ferociter inſulto.* Quæ frons tam infrunita hoc dicit? Ego Germanos? parentes illos maioreſque noſtros? Nam ita ſcio & ſentio, nos Belgas pleroſque origine illinc eſſe: & quamquam poſitu locisque Galli ſimus, tamen ſtirpe & ſanguine Saxones, & læti libenteſque audimus INFERIORES GERMANI. Vbi igitur, aut cur læſi? Dicta & ſcripta mea excutiantur, latebra nuſquam in quâ hæc calumnia deliteſcat. Quin contrà, diſerta & exſerta verba & laudem & elogia gentis, alij[illegible] in [illegible]denda. Scripſi & edidi in commentario ad Germaniam Taciti: CANDIDAM GENTEM: &, CASTVM ORBEM: &, MAGNAM MEAM PATRIAM: &, faſtigium, ſi examinas, omnis laudis, PACE ET BELLO OPTIMAM GENTEM. Quæ vis magis honora, magis viua & ſpirantia verba? Tamen cumulaui, & ecce iterùm ad Annalem Taciti decimumtertium, PVGNACISSIMA ET FIDELISSIMA GENS. Et in Epiſtolis: HOMINES ETIAM ILLA TELLVS (Germania) ALIT, INGENIO DOCTRINAQVE PARES NOBIS, FIDE ET VIRTVTE MELIORES. Ades liuor. quis germaniſſimus Germanus potuit de matre ſuâ benignius? Nec vſquam læſa à me hæc pietas (ita loquor, & ſentio:) niſi ſi quid ioculo in bibones quoſdam, &, vt hoc quoque ioco, * κύλικοι ἐρέται. Sed ille non contentus hoc mare in me commouiſſe, Imperatorem ipſum concitat, & poſtulat me Maieſtatis. Ius, inquit, eius minuiſti, in laureâ Poëtarum. O homo, nec per ſomnium in illo ſomnio feci. Sed tu colligis, vt video, omnium ſermonum aurulas, & ijs vela tua ad calumnian-

* Verum [illegible] Olympi [illegible]

* ab eſſatis vel lychnum accendere [illegible] Theocr.

* Calicum remiges ſiue trauiliæ. Apud Athen.

dum imples. Fuit res in inuidiâ aliquâ, fateor, recenti illo ſcripto: tracti in cauſſam per eos qui iure læſi, etiam qui non læſi. Sed ſeorſim poſtquàm Epiſtolâ excuſaui & aperui (exſtat in Saturnalium noſtrorum fronte:) omnis iſta bilis ſoluta eſt in riſum. Quid enim aliud ſchemate illo (non ſanè ſcommate) volui, quàm quod verbum vetus: *Multos Thyrſigeros eſſe, paucos Bacchos?* Et hoc ſciunt, & dolent illi-ipſi, quos merito ſuo cinxit Phœbæa illa laurus. Ad Imperatorem quidem quid iſtud pertinet, ſi ſint qui imponant & obrepant? Ego tantum abſum, vt lædere aut illudere voluerim Principum illum principem, ſacrum caput Chriſtiani orbis: vt contrà ab adoleſcentiâ cultum omnem venerationemque detulerim ipſi, & eius genti. TACITVS meus cum præfatione ad MAXIMILIANVM iuit, Imperatoris huius Patrem: Electa ad Archiducem MATHIAM, eius fratrem: POLITICA noſtra, ad HVNC IPSVM & Chriſtianos reges. Cur non facerem? debeti mihi hæc & alia meliorum ingeniorum libamenta viſa, *domui ad ſummum faſtigium genitæ*, arci & propugnaculo vnico in æternum illum hoſtem. Hæc ſunt in vniuerſo illo ſcripto, quæ digna reiectione aliquâ cenſui. nam reliqua ſunt con[illegible]cia aut ſcommata inſulſa, illepida, nata inter haras. Peponem habet loco cordis, quem ea delectent. Atque ego, quid me opponam? Spreta illa exoleſcent: & vt in omni alio certamine, qui vincit, coronatur; ita contrà hîc eſt, & accipit herbam, qui eam dedit. Nos ſcimus arbores quæ iuxta vias ſunt, ſaxis & fuſtibus peti ſæpiùs: & homines linguarum his telis, qui in limite melioris famæ. Non tamen ea nocent: imò iuuant. & vt frumentum triturâ folliculos exuit ac deponit: ſic nos concuſſiunculis illis paleas, ſi fortè, vanitatum. quas nimis ſæpè animis adhæreſcere è tractatione iſtâ litterarum non eſt negandum.
LIB. III. Oraculum eſt, *Nimiâ gloriâ luxuriare, & euaneſcere viuida ſæpè ingenia.* Interueniant igitur vtiliter hæc conuicia: & quod amicorum lenis ſpongia non eluit, deterat & defricet ſcaber hic lapis caſtigationum. Hæc noſtra mens eſt, nec nunc ſolùm, *cùm folia in me cadunt*, ſed etiam *cùm arbores* (fiet, vt hoc æuum eſt:) nec aliud, quàm Palladium illud ſcutum pectori appreſſerim, NON MOVERI. Miſeri quid ad hoc ſcamma producimur? quid luctatiunculis iſtis nobis volumus? Ecce mors ſupra caput, & ſuperum iſtud tribunal, vbi non ſcripta noſtra examinanda ſunt, ſed facta. Sapiamus. Mihi quidem deinceps certum, Deum per maiorum veſtigia conſtanter colere, ſtudia & ex ijs famam non negligere, quatenus tamen ea vſui Reip. eſſe poſſint, aut iuuentuti. Quod ſi intereà homines me contemnant, aut incurrant, contemno: & cum Achille clamo,

* Φρονέω δὲ τετιμῆσθαι Διὸς αἴσῃ. * *Spero me honoratum fato Iouis eſſe.* Homer.

Ecce habes, mi Monaui, longam, & pæne præter leges epiſtolæ, epiſtolam: ſed prouexit me res ipſa, & hic um iſtud reſponſionum: tum etiam hæc cauſa, quod tibi homini Germano, & inter eos claro, probare noſtram cauſſam voluerim: maximè duplicem, quæ ad gentem, & quæ ad Cæſarem: amandam à me ſemper illam, & hunc colendum. Vtrumque facturus ſum Monaui & tibi. Vale. Leodici, Nonis Ianuarijs, ∞.IↃ.XCII.

EPISTOLA XCIX.

ABRAHAMO ORTELIO S.D.

EN mi Orteli illam ad Monauium, quam legere te adeò non veto, imò volo. Scripta per hanc occaſionem eſt, & quia quærebat ecquid in illum vellem? Scripta inquam, de ipsâ re, & breuiter, ſed fortiter ſatis ad me purgandum. Reliqua nolui tangere, quæ in me ferè dirigit, & nihil ad ARAS FOCOSQVE PATRIOS: & eaipſa cùm glacie fragiliora ſint, quid inſiſtam? Caue autem tu aut alius aliò me traxeris: longiùs non ibo. *Si ſtimulos pugnis cædis, manibus plus dolet*, ait noſter. non alius hîc fructus. In Busbequij morte, & tali morte, in animo meo dolui. Seruatum hunc virum per tot diſcrimina, apud exteros, apud barbaros, vt in limine ferè patriæ latronum manibus (ita audimus) periret? Sed cùm recogito, quacumque viâ illa venerit, mors eſt: & paucis viris magnis contigit illa, quam Auguſtus optabat & habuit, * εὐθανασία. Sed loco eius * εὐφημία contigit, & ſuauem famam reliquit doctrinæ ſuæ, prudentiæ, probitatis. Nos quando ad hunc portum? Magis appetimus, cùm publica & priuata hæc naufragia videmus amicorum. Sed fiat quod Deo, & cùm Deo, viſum:

* *lenem mortem.*
* *famam bonam*

ſum: cui parêre, & velle quod ipſe vult, ſumma non ſapientia ſolùm eſt, ſed tranquillitas & quies. Vale mi Ortel. III. Idus Ianuar. ∞.Iↄ.XCII.

EPISTOLA C.

ABRAHAMO ORTELIO S. D.

VIDI epiſtolam meam diuulgatam, & dolui, quocumque caſu aut culpâ id factum. Seriò loquor. Hócne oportuit me inconſulto? & an ſic oportuit ſolam? imò & corruptam? Nam immutata in eâ quædam aut omiſſa, quæ vel optimè à nobis dicta. Ego Monauio non quidem iraſcor (quî poſſim tam amico?) ſed tamen ſubiraſcor, quòd paſſus ſit exſcribi ab hominibus, vt res docet, parùm fidis. Atqui beniuoli illi mihi. Credo, ſed an quiſquam ſupra me? Vulnus ego meum optimè intelligo & ſentio, atque vnà medendi tempus. Sed enim edi merebatur. Quis præſumit ſibi hoc iudicium? mihi debebatur: nec feram in parente, ſi viuat, vt hac in re non dicam plus me, ſed aliquid ſine me poſſit. Tamen factum eſt: quid ergo faciam? niſi illud

* Τλήσομαι, ἐν στήθεσσιν ἔχων ταλαπενθέα θυμόν.

* Perpetiar, tolerantem animum iſto in pectore geſtans. Homer.

Vndique mihi materies ad Patientiam, & latus campus in quo exerceam hanc virtutem. Sed iterùm dico, Monauio non iraſcor: quem PECCASSE pronunciare non poſſum, ſed PARVM CAVISSE. Ego in poſterum: etſi quî poſſim, niſi vt planè ſtilum coërceam & hanc manum? Vnum me eſt quod me lenit aliquid & mitigat, quòd epiſtolæ eius me non pudet, & recitetur vel in theatro Europæ. Tamen exempli improbi res eſt, nec probus aliquis neget. Vale mi Orteli. Leodici, VI. Kalend. Iul. ∞.Iↄ.XCII.

L. APPVLEIVS I. FLORIDORVM.

Hoc quoque genus inuenitur, qui meliores obtrectare malint quàm imitari, & quorum ſimilitudinem deſperent, eorumdem adfectent ſimultatem: Scilicet vt qui ſuo nomine obſcuri ſunt, aliorum innoteſcant.

APPROBATIO.

Nihil continent hæ Epiſtolæ fidei Catholicæ aduerſum, aut quod quemquam meritò offendat. Actum Bruxellæ, 4. *Auguſti.* 1592.

Cornelius Worzel. S. Th. Licentiatus,
D. Gud. Plebanus.

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA TERTIA MISCELLANEA.

AMPL^MO ET NOBIL^MO DOMINO,

D. IOANNI DRENCKWAIRTO

EQVITI, TOPARCHÆ DORMALIÆ, SVPREMO BELGICÆ THESAVRARIO.

CENTVRIAM hanc MISCELLANEAM ad te mitto, non munus, ſed particulam luendi æris, quod varium & multiplex fatemur debere. Decem anni ſunt, cùm me beneficijs alijs ſuper alia cumulas: vt non dicam relationem, ſed actionem gratiarum ſtudio videaris præuenire. Quid autem vel nunc refero? EPISTOLAS, pleraſque ipſas ad te miſſas: & vel eo nomine tibi inſcribendas. Sed EPISTOLAS cùm dico, quid niſi rem leuem & ſubitaneam, & intra verba conſiſtentem dico? Sanè argumenti aut grauioris materiæ hîc parum eſt: etſi alibi aliquid intercurrit: ſed qualecumque, nec felicibus boniſque temporibus, cùm flos & acumen ingeniorum fuit, repudiatum ab editione & à famâ hoc genus. Epiſtolas quidem ſcribere, commune &, vt ſic dicam, paſſiuum eſt: benè ſcribere, infrequens, etiam in communi & frequenti aliquâ linguâ. Eò magis iure laudem poſcit, ſi quis in Romanâ præſtat, iam olim deſitâ: & quæ tamen diuinâ prouidentiâ vinculum gentium in Europâ hæſit, & theſaurus ac conditorium ſcientiarum. Quid? inquies. tanti ergo Latinè ſcribere? non: ſed ſic ſubitò & in feſtinationis illo calore, & ſine induſtriæ colore ſcribere, id fortaſſe pretium habet, apud peritos quidem arbitros rerum & ingeniorum. Nam ſi ſtudium hîc & affectatio apparet, nihil eſt: ſimplex hoc genus eſt, ſine fuco aut paraturâ, &

Qualis Apellæis eſt color in tabulis.

Atque ego de elegantiâ neſcio, ſed de facilitate aut (vt liberè dicam) neglegentia ſcio: & quàm nobis hæc ſub manu ſeri naſciq́ue ſoleant, celeriùs fortaſſe quàm ſcribam. Itaque velut præcoces quidam fructus ſunr, ijdemq́ue fugaces: qui tamen & veſtris magnatum menſis inferri ſolent, & gratiam feſtinationis mereri. Quæſo apud te, Ampliſſime Domine, ita ſit: placeant quia inaffectata ſunt, quia candida & aperta ſunr, ſimillima ingenio & moribus tuis. Scio equidem graues ſeriaſque tuas curas, in officio laborioſo & addam inuidioſo: & in quo non dicam gratiam mereri, ſed odium vitare difficile eſt. Quod tu tamen multos annos eſt, cùm ita ſuſtines, vt induſtriam fidemq́ue tuam Regi anteà, nunc Principibus probaueris; & communiter omnibus integritatẽ, & animum ab omni labe aut corruptelâ immunem. Nam ru rationes iſtas Belgicæ, publicâ famæ voce adminiſtras, tam abſtinenter quàm alienas, tam diligenter quã tuas, tam religiosè quàm publicas, & quæ ſacrum illud nomen Patriæ tangunt. Hæc tua laus eſt, & in ſedato animo vigor maximarum rerum capax: quem, vt cœpi, iterùm rogo, ad hæc etiam minuta, ſed fortaſſe oblectantia, demitti. Legiſtíne Achillem intet media arma citharam & fides interpoſuiſſe, & animum ægrum curâ aut offensâ recreaſſe? Idem facito, hæc vt ludicra ſumito: ſed ab animo tamen ſerio & graui profecta, & in cultum tui deuoto. Louanij, v. Kalendas Martias. ∞. IↃCII.

INDEX EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIÆ III. MISCELLANEÆ.

ABRAHAMO Ortelio xj.
Aegidio Schondonckio, Soc. Ieſu lxxxj.
Antonio Richardoto ſuo xcij.

B

Balduino Iunio ſuo xlix, lij.
Balthaſari Moreto ſuo lxxxix.
Balthaſari Robiano, Senatori lxxviij.

C

Carolo Cluſio xvi.
Carolo Vtenhouio xxvij.
Claudio Froſſardo à Broiſſiâ viij.
ad Contubernales ſuos lj.
Cornelio Anchemanto ſuo lxxiij.
Cornelio Prunio V. C. xiij.

D

Danieli Suſio V.N. vj.
Dionyſio Vjllerio V.R. & Cl. lxxx.

E

Erycio Puteano ſuo lxiij, c.
Euerardo Pollioni ICto xxxii.

F

Franciſco Billiodo lvij.
Franciſco Modio xviij.
Frãciſco Mõtmorencio Berſeij Toparchæ lxxxviij
Franciſco Orano ſuo lxxxvj.
Franciſco Schotto, Senatori xxxj.

G

Gedeoni Tſerhendrixio V.R. & N. lv.
Gerardo Buytewechio lxxxij.
Guilielmo Barclayo xxxiij.
Guilielmo Beeckmanno ICto xvij.
Guilielmo Michielſio ICto xxvj.
Guilielmo Scarbergero ſuo l.

H

Hadriano Vander-burchio, patri xl, lx.
Hadriano Vander-burchio, filio, Senatori lviij, lxv.
Henrico Schulteto xcix.
Henrico Vweno ICto xlvj.
Hermanno Malleano xxv.
Huberto Audeiantio xxxix.
Huberto Giffanio ICto xv.
Hugoni Grotio xcix.

I

Iacobo Angiano, Equiti, Toparchæ Keſtergatij xc.
Iacobo Campio, Archidiacono & Canonico iij.
Iacobo Carondeleto, Cancellario & Canonico ij.
Iacobo Marchantio xxiv.
Iacobo Pontano, Soc. Ieſu xxxiv.
Iano Grutero xcvij.
Iano Lernutio lxxvj.
Ioanni Baptiſtæ Perezio Baronio lxx, xcuj.
Ioanni Bernartio ICto xxviij, liv, xcj.
Ioanni Bezanccnotto lxxj.
Ioanni Brantio, Graphiario xx, xxxvij.
Ioanni Carolo Ænobardo V.N. xlj.
Ioanni Drenckwairto, Theſaurario ſupremo Regio, x, xiij, xxij, xxiij, xxxviij, xlii, xlviij, liij, lxij, lxviij, lxxvij, xcv.
Ioanni Hemelario lxxxiv.
Ioanni Hollandio xciv.
Ioanni Moreto, Typographo j, xxxvj.
Ioanni Orano, Prob. Soc. Ieſu xlv.
Io. Scurio, Legato Hiſpanienſi à Secretis lxxiv.
Ioanni VVouerio ſuo xliv, xlvij, lxxxvij.
Iſaaco Caſaubono lxix.
Iulio Salinerio xcvj.

L

Leuino Torrentio, Epiſcopo vij.
Leonardo Leſſio, Theol. Soc. Ieſu xix.
Lucæ VVyngardo V.N. lxxix.

M

Matthæo Radero, Soc. Ieſu xxx.
Matthæo VVachero, Cancellario Sueſiæ ix.

N

Nicolao de VVeerdt, ICto & Cognato lxxij, lxxxiij.
Nicolao Hacquenillio lxj.
Nicolao Oudarto V.R. lvj.
Nicolao Serario, Soc. Ieſu v.

O

Othoni Hartio ICto xij, xxix.

P

Petro Laſaillio, Caroli F. xliij.
Petro Orano ICto iv, xxj, lxxxv.
Petro Pantino Decano lxiv, lxvj.

R

Remaclo Roberti lxvij.

S

Stephano Turnebo, Senatori xxxv.

T

Theodoro Cantero lxxv.

V

Vibrando Anskema lx.

IVSTI

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM SELECTARVM .CENTVRIA III. MISCELLANEA.

EPISTOLA I.

I. Lipsivs Ioanni Moreto, *Typographo* S. D.

SERIÒ & vno verbo, mi Morete, ſemel hoc crede. quidquid à vobis ad me venit, gratum eſt, iucundũ eſt: & meritò iſtæ tuæ litteræ, ſinceriſſimi affectus in me plenæ. Nolo eum teſtêris: ſcio. nec pariter vllus vmquam Plantinianus ramus erit, quem ego non amem, & cui non benefactum velim ex imo iſto fonte. Oſtendam hoc ſemper, quamdiu melior ille ſpiritus diriget hoc corpus. Sed hæc non neceſſaria. precibus tuis reſpondebo, quas velut publico nomine ad me defers. Thraſeam tuum, inquis, flagitant omnes. De multis, mi Morete, credo: multos etiam aliter eſſe cenſeo, & quibus hæc noſtra nec grata valdè nec magna. Quæ iudicia vt nec magni ipſe facio, nec planè tamen ſperno: ita hoc facilè apud me impetrant, vt differam opus, ſi non vt omittam. Philoſopha iſta non pro omnium guſtu: & calumniam vitare fortaſſe melius, quàm deprecari. Munus aumarij, in quo chartæ & epiſtolæ noſtræ recondantur, an non gratum ſit te mittente? gratiſſimum: ſed & re atque vſu opportunum, & hactenus deſiderabam. In oculis aut manibus cottidie erit: & quod ſequitur, eius auctor. Ergo gratia tibi eſto & dicta, & repoſita: tu aut tui apud me inuenite, & amandi ſemper amate. Lug. Batau. v. Id. Decemb. ∞. IↃ. LXXXIIX.

EPISTOLA II.

Iacobo Carondeleto, *Cancellario & Canonico*, S. D.

HAVD iniuriâ mihi gratularis, de felici aduentu ad Spadanas aquas. Certè per multa diſcrimina, & moleſtias, huc venimus: è quibus illa Deus depulit, & has mitigauit. ſine illius præſenti numine & auxilio, per tot ambages viarum, in hac afflictâ valetudine, numquam veniſſemus ad propoſitam metam. Sed illi gratia eſto, iam hîc ſumus: atque eo animo ſumus, vt non vltrà reuiſamus ambiguos, & bonis parùm gratos, locos. Quæ ipſa cauſſa deſerendi. Statuimus in vicino tractu menſes aliquot (fortaſſe & vltrà) agere, & in quiete ac ſolitudine abdere nos in vetera illa Muſarum caſtra. Rogo eumdem illum Deum, vt eum publico bono. Quòd autem amorem tuum præfers, & teſtaris: ille verò mihi notus: occaſio mihi ſit, pariter teſtificandi & declarandi mei. Dionyſium Villerium iampridem ego noui, & amo hominem verè elegantis ingenij, niuei pectoris, & prorſus de meliore luto. Imò hoc te magis amo, quòd tu illum. Mihi valdè in votis, eiuſmodi viros amplecti, & alloqui; magis, quàm omnes Principes & Dynaſtas. De nummis priſcis, coràm videbimus: capior, atque etiam aliquid capio. De fluctibus qui imminere nobis, ex præſagio illius Calchantis, videntur, non abnuo:

* —— Ἡμῖν γὰρ μέγα πῆμα κυλίνδεται: ** nam nobis magna calamitas volvitur. Pind.*

ſed tamẽ de exitu haud valdè angor. Quem Deus diligit, per ęqua per iniqua, per fluxus & refluxus perueniet ad ſuum portum. Vtinam ego ad illum ſalutis! ſalutis inquam duplicis: nam & hæc corporis, videtur per fontes veſtros etiam affulgere. Sed adhuc incertò: momentum tamen & * *ῥοπὴ* ad meliora. Vale R. & Nobiliſſime Vir, & nos ſub metãm ſeptimanæ proximæ exſpecta. Nam rumor hîc de Aulâ, ad quod nomen fugio. VII. Kal. Iulij, ∞. IↃ.XCI. ** inclinatio*

EPIST. III. *Moguntiacum.*

Iacobo Campio, *Archidiacono & Canonico*, S. D.

PRAESENTIS tui vultus, & in vultu ipſo conſpicua probitas, me delectarunt: nunc litteræ, hanc ipſam præferentes, & in me amorem. Gaudeo, & redamo, atque vt litteraria hæc colloquia frequentemus, te rogo. Nummos accepi, atque aliquot Inſcriptiones, ſuo nomine gratas, tum & illius, à quo

quo profecta. Quis ſtudium hoc elegantiæ in viro nobili, & Germano non amet? quæ gens, neſcio quomodo, parùm adhuc eò inclinauit: ſed cùm eiuſmodi proceres viam facient & præibunt, facilè iſtas Lunas ſequentur minora illa aſtra. Deus faxit, & vt huc potiùs ſe dent, quàm ad inutiles & noxias illas ſuper Religione diſputationes. Vno verbo. ego Cancellarium veſtrũ amo, & beniuolentiam pariter eius in me pro beneficio amplector. Cur non vidi eum, cùm eſſem in veſtrâ vrbe? Nam ad hoc quidem temporis largiter fuit: ſed credo abfuiſſe; aut de tali viro, & virtute neminem indicium mihi feciſſe. ſi adfuit, & ſiluiſti, tu mi Campi peccaſti. Ego ſalutẽ, & obſequioſum animum illi deſero; & tibi mi Campi ſignifico, me in Eburonibus & nunc eſſe, & videri futurum hanc hiemem. Amici ſunt, qui detinent, tum & locus & vrbs amœna, & caput, quòd res in patriâ noſtrâ eo loco, vt nemo ad eam adſpirare poſſit, cui grata & amica quies. Sed nec ſecuritas in pleriſque oppidis, Batauo inualeſcente, & noſtris per ſecordiam, aut peſſimam diſciplinam infirmis. Me otium capit, non illud ſolutum, & languidum, ſed quod libri, & lucubrationes alant, ac vegetent, & quod aliquid egiſſe nos, etiam cùm nihil egimus, apud poſteros teſtetur. Paro igitur plura: promptiùs, ſi diploma nobis, & interdictum à Cęſare eſſet, ne quis noſtra ſtatim (vulgò iam fit) recuderet, & imitaretur. Fit cum Typographi damno, fit cum meâ fraude, cui via adimitur addendi, immutandi, caſtigandi. Spero me in ipsâ Imperatoris aulâ amicos reperturũ, ſed per quos id confici, aut impetrari maximè debeat, ignoro. Tu ſi ſcis, me quoque ſcitiorem facito, & magis magiſque tibi deuinctum deuinci. In Eburonum dominâ vrbe. XI. Kal. Sextilis. ∞. IↃ. XCI.

EPIST. IV. *Leodicum.*

PETRO ORANO I[ᵗᵒ].

HEVS tu, ſuauiter herè vnâ fuimus: & quid dicam niſi me à conſortio veſtro mores ducere, & paullatim hilareſcere? Deus faxit, remittat ille ater humor, quid niſi pater curarum & atræ mortis? De floribus meis dicebam, & inuitabam, & neſcio quid promittebam. O benignitatem in inopiâ! Leidæ aliqua nobis copia,

Huc vna è multis capſula me ſequitur.

Tamen veni, vide, cape. Incito te? Carmine etiam facio: ſed quod à proſâ iſtâ vix abit, & quale ſub manu ſolet naſci.

PETRE, iuris & elegantioris
Muſæ candide cultor, & ſacerdos;
Quem ni ſic amo, vt hos meos ocellos,
Atque vt tu geminos tuos puellos,
Iupiter mihi perdat hos ocellos:
Quando ad me venies, meoſque flores?
Namque & geſtio ego ipſe te videri,
Atque illi mage geſtiunt videre.
En Sol purior hic, & aura Veris,
Pinxit, vt Babylonicum tapete,
Noſtras areolas. veni, videbis,
Gaudebis quoque. namque pars eorum,
Herculi vt decimæ, tibi ſacrata eſt.
Ecquid te traho? ſed veni, peribunt
Illi, ni properas tuumque donum.

EPIST. V. *Herbipolim.*

NIC. SERARIO, *Soc. Ieſu* S. D.

CVM vſurâ ſalutem tribui, quę epiſtolam bonam & vberem ad me traxit. Ita liberalis es? tamen, non mentiar, illo pænè fine miſi. Quid diſſimulem? amare te cœpi, cùm ob tua bona quæ ille ab alto tribuit, tum quia audiebam quòd me amares. Non debuit diutiùs quaſi ſub cineribus deliteſcere hic ignis: quin, quia honeſtus eſt, exſerat ſe, & chartarum iſto adminiculo det flammam. Ergo apertè iam mi Serari, amo te, & cupio à te amari. Spem facis, aut potiùs fidem, ita eſſe: atque ego non deſinam, & donec oculi iſti claudentur, non claudet hic affectus. Mittamus blanda. Lecmputium meum (ita appello. amo virum, & longi moleſtique itineris mei comitem fidum) honore apud vos & titulo publicè auctum, gaudeo: & ſcio metuiſſe. In patriam iuit, vtinam labaſcenti, illi fulcrum! quod vix ſpero, ita omnia non ad inclinationem ſpectare videntur, ſed ad ruinam. Pax quàm proteruiter reiecta nuper, & illa Pindari * ἡσυχίη φιλόφρων, δίκης θύγατηρ? O miſera, exſulat ab Europâ: quia nec diu ſedem habitura videtur in Germaniâ veſtrâ. Illi Martiales iterùm ad ſuum Martem: vellem ob aliam cauſſam, quàm iſtã. Sed hæc infelicitas noſtri æui eſt, innouare, turbare, pugnare: & id ſpecie Pietatis. In ea ipsâ, hortaris vt in meis refingam vbi opus, aut certè illuſtrem. Iamdiu ſtatui; impediunt aut tardant partim typographi, partim quòd circumagimur, nec fiximus adhuc ſtabilem ſedem. Scis quietæ mentis, imò & temporis, eſſe

* *tranquillitas benigna, iuſtitiæ filia?*

eſſ[illegible] ergas. Atqui conabor. & ſi mors præuenit, teſtor me alienum ab omnino eâ opinione aut errore, firmum in veterum ſcitis. Vale. Leodici, XVI Kal. Maijas. ∞. IↃ. XCII

EPIST VI. *Leodicum.*

DANIELI SVSIO IACOBI F. N. S. D.

VT audiui de morte optimi patris tui, etſi ipſe doleam, tamen excitor ad te ſolandum. Scio quàm afflicteris; & inter alias virtutes, noui tuam pietatem. Sed mi Suſi, debuiſſe illum mori non ignoras: & ſi tempora, & ea quæ circumſtant, aſpicis; fatebere, non potuiſſe opportuniùs mori. Æuum peſſimum, & vix in ſpe correctionis: vt felices meritò cenſeamus, & verè μακαρίτας, qui educti. Ipſe in ætate quoque iam peſſimâ, & non ſenex ſed ſenior, cum illud Lucretij locum habere incipit:

Claudicat ingenium, delirat linguaque, menſque.

Itaque ſi vmquam etymon illud Græcorum habere fidem debet, in his talibus poteſt: * τὸ γῆρας, παρὰ τὸ γῆς ὁρᾶν, dictum eſſe. Ipſi, inquam, qui in eâ ætate, abire deſiderant, extra miſerias ſuas, & ludibria aliena. Iam quicquid optandum homini, & quæ vitæ longioris cauſſa eſſe & votum ſolet, ipſe adeptus. optimam famam, liberos propaginem ſtirpis, atque eos in fortunatis coniugijs, iterùm ad propagandum. Alia quæ in te vidit, apud te non dicam. Optare debuit mori, in hoc ſereno Fortunæ, & priuſquam nubes aliqua offuſcaret. Addo, quod caput eſt, mortuum piè, & in ſano de religione & Deo ſenſu. Itaque ne mortuus quidem, ſed terra hîc relicta & terræ reddita, ipſe immortalis in cælũ migrauit, ad immortalem illum patrem. Hæc te ſolentur. nec abſentiam eius cogita, quin vnà vbi ſit cogites: & ſi pius es, in æterno eius gaudio gaude. Facturum te confido, & habes qui quod ego breuiter & aridè, copiosè & vbertim tibi inſtillent: inter eos, Delrium noſtrum. Animum tibi meum vides, quem ſcito in amore tui eſſe & fore firmum. Louanij, VI. Id. Decemb. ∞. IↃ. XCII.

* Senium ab eo, quod terram ſpectat.

EPIST VII. *Antuerpiam.*

LÆVINIO TORRENTIO *Epiſcopo.*

ADOLESCENTES eos vidi, quos per epiſtolam mihi commendas: nec fruſtrà. Quid enim tu à me fruſtrà? quin ita promptè volo, & debeo, quidquid voles, vt admoneri modò debeam, non rogari. Et ſanè in iſtâ re litterariâ, libens et [illegible] omnium conſero; quia cenſeo in publicum me impendere, quicquid ad cultum facit noſtratium ingeniorum. Paucos per hæc bella, omnino paucos, ad artes noſtras adſpirare non ignoras: & eò magis prouehendi ſunt, ſi qui adſpirant. Quæ enim reſpub. tandem futura, ſi veteres, vt ſic dicam, arbores excidantur aut concidant, nouellæ ſtirpes non depangantur in earum locum? Vaſtitas profectò, & tenebræ, & boni honeſtique inſcitia, &, quod ſequitur, contemptus. O vir magne, ſi plerique, qui ad rempub. ſedent, hæc tecum iuxtà intelligant! maior certè honos aut cura eſſet eorum, qui has artes profitentur aut ornant; nec ſic iaceret hæc ipſa (Louanium dico) earum ſedes. In quâ, præter veterem nominis dignitatem, quid pænè reliquum? nec publicis opibus, ſed famâ ſuâ dixeris eam ſtare. Et tamen ſtabit, niſi vniuerſa ruina patriam hanc inuoluit: à quâ nonnullus mihi interdum metus eſt, euentus iſtos improſperos, & magis cauſſas eorum intuenti. Sed benignus ille Deus, ſemper noſtri tutor, auxiliabitur: qui te quoque R^me in C.P. ſeruabit Eccleſiæ ſuæ & Reipub. fulcrum. Louanij, III. Idus Sept. ∞. IↃ. XCIII.

EPIST. VIII. *Dolam.*

CLAVDIO FROSSARDO A BROISSIA S. D.

AMOREM ego, non audaciã interpretor, mi Claudi, quòd ad me ſcribis. Etſi enim varij interpellant, & verè dicã, melior diei pars ſcriptiunculis perit: tamen numquam mihi graue, capere aut reddere litteras ijs, qui tui ſimiles, in virtutis & doctrinæ viâ recto curſu pergunt. Eſt etiam naturâ inſitum, vt amemus faueamuſque ijs, quos putamus operâ noſtrâ meliores, aut inſtructiores. quo in numero cenſere te non deſinam, qui aliquamdiu cum affectu & induſtriâ nos audiſti. Et nunc patria tua te habet, magis loco alio quàm animo, vti confido; & pergis haud dubiè in ijs, quæ benè cœpiſti, & exſtrues ædificium, cuius iacta iamdiu fundamenta. Deus faciat. & (ne aliò te mittam) pater tuus, vir magnus, tibi ſit in oculis, quem ad culmen hoc honorum eaipſa ſtudia arteſque duxerunt, ad quas te vocamus. Vixi ipſe olim in eâ vrbe veſtrâ,

ſed

ſed non longùm : & ſpecimen etiam tunc aliquod publicè dedimus in enij, aut facundiæ, ſiquid in nobis erat. velim [illegible], ecquid ſchola nunc floreat ? vereor vt minimè, cùm motus, ſi non veſtros, vicinos tamen video, & Martem ac Bellonam vbique in pretio magis, quàm Phœbum aut Muſas. Iſtæ vices rerum ſunt, & magnus ille [illegible]ator, modò temporum lenem aliquam nitentemque æſtatem inducit; modò aſperam turbantemque hiemem. Ferenda omnia, & exſpectanda ac votis expetenda meliora. ſed vitia in primis : quæ ſi emēdata, profectò hæc quoque breuî emendentur. Vale mi Claudi, & Ampliſſimo parenti tuo officium & ſalutem meam defer. Louanij, VII. Kal. Febr. ∞. Iↄ. XCIV.

EPIST. IX. *Vratiſlauiam.*

MATTHAEO WACHERO *Cancellario Sileſiæ* S. D.

SI a frequentiâ ſcribendi animum meum [illegible] nas & amorem; malè audiam neceſſe eſt, & deſeruiſſe videbor militiæ huius ſigna. Quod non ita eſt, ſpondeo: ſed laxat me, & velut commeatum aliq[illegible] liberiorem dat, valetudo. Pares non ſumus, quod apud te profiteor, reponere tot epiſtolis, quas vndique & aſſiduè miſſas [illegible]us. Tamen vos mihi pauci illic eximij; & ipſa ceſſatio etiā habuit cauſam, vt in occaſione te affaret. Ecce data eſt, ſcribo, & vnà libellos de CRVCE mitto. Titulus magnum aliquid ſpondet: tractatui autem ſtilus noſter fortaſsè non reſpondet. ſed vos legite, & quod amicorum eſt, iudicate, atque etiam indicate. Amo admoneri. De filio, quod poſtremis litteris conſi[illegible] me[illegible]m quæſietas, nunc dabo: etſi ex ipſo ſilentio videre potuiſti, quid ſentiam. Nam ſi mittendum huc iudic[illegible]m, cer[illegible] reſpondiſſem & [illegible]ſcripſi[illegible]em. non placu[illegible], ne nunc quidem. quid ita? non quin iucundū eſſet, tuum aliquem, imò teipſum quodammodo, hîc habere; ſed quia omnia bello etiam iacent, nec eſt vetus illa ſchola quæ fuit. Exte[illegible] non conu[illegible]niunt, ob vi[illegible]um diſcrimina, & quia in vicino hoſtis. Qui Louanij [illegible] mus, nihil mentiemur, [illegible] in liberâ quâdam [illegible]ſtodiâ n[illegible] a[illegible] dicemus. Veſtigium extra vrbem tuto non ponimus, & illa prata, campi, ſ[illegible]læ, calcantur aut adeuntur raro pede. Cur i[illegible]tur nos ipſi hîc agimus? quia alia noſtra ratio à iuuentute.

Quieſcere nobis propoſ[illegible] diſ[illegible] tutò agere & [illegible]cund[illegible]. den[illegible] hæc patria mea eſt, & incommoda e[illegible] merito fero. Vt parentis aſpera aliqua verba, filius patienter audeat, extraneus aſpernetur: ſimile [illegible] dicam. Mol[illegible]t etiam, quod Rex & Ordines honeſte me & benignè habent. Sic agimus mi Wachere, vt apud te omnia bene & voti[illegible]è, idque in longum, Deum equidem rogo. Louanij, Non. Feb. ∞. Iↄ. X[illegible]V.

EPIST. X. *Bruxellam.*

IOANNI DRENCKWAIRTO *Theſaurario ſupremo* [illegible].

HARTIVM d[illegible]mittere ſine litteris nolui, ill[illegible] Hart[illegible]n in amore vtriuſque noſtru[illegible]. Et quod me in tuo eſſe voluiſti, gratias habe[illegible], & in animo agnoſco. Non fallunt me aut verba tam benigna, aut ipſe vultus, affectus tui index. Habeo, inquam, gra[illegible]am, & debeo: [illegible] vnnam in me ſit, quo foueam hon[illegible]ſtum iſtum [illegible]nem: Quod quidem petebas à me nuper, de adoleſcente al[illegible]quo, quem ad manum & hone[illegible]iora munera haberes, qui eſſet ex meâ inſtitutione: hoc ipſo quid de me ſentias video, & ſtatim dedi operam, vt effectum darem. Scripſi ad que[illegible], qui nunc Mechliniæ; ſed fruſtrà, quia fides eius alteri iam obligata. Putabam tamen ill[illegible] aptum futurum, ingenio, doctrinâ, moribus. Sed de alio cogitabo & diſpiciam, ſi eruere alicunde poſſim: Nam bona fide, eiuſmodi adoleſcentum copia rara eſt qui cum litteris Modeſtiam ſocient & Virtutem. Sunt qui in illis aliquid poſſunt; ſed fere iidem vani, elati, & mores demutant. Scio te vtrumque velle, & à litteraturâ mod[illegible]e inſtructum, & à moribus vel maxim[illegible] ornatum. Sicut arborum illæ optimæ, quæ non florem ſolùm, ſed fructum ferunt: [illegible]ic hominum, quibus præter ornamenta doctrinæ, vita etiam eſt ad [illegible]gem. Sed cùm de fructibus [illegible] tibi quoque agendæ gratiæ, qu[illegible] altiles opimos carduos ex horto [illegible]. Quid [illegible]itto? animum ſeriò ſemper tuum. Louan. XVII. Kalend. Sextil. ∞. Iↄ. XCIV.

EPIST. XI. *Antuerpiam.*

ABRAHAMO ORT[illegible]LIO S. D.

DISSEREBAMVS nuper, vt f[illegible] in [illegible]enſâ [illegible]pud Antiſtitem noſtru[illegible] de Geſtatione: & erat qui fortiter negaret in eſſedo

eam fuiſſe. Contrà tendebam, & ſciebam: ſed non pertendebam, vt meus mos eſt, & vincar in talibus citius quàm pugnem. Itaque altercationem deſij; abeunti tibi & requirenti obruli, ſcripto me conſignarutum, quod eius rei eſſet. Feci largiter, & totum hunc ritum explicatum. & in oculis ecce habes. Videbis, iudicabis, me amabis. GESTATIO veteribus Romanis crebro, vel aſſiduo potiùs in vſu, exercitij & valetudinis gratiâ. idque ferè ſub balnei aut cænæ tempus. Quia, inquam, exercitij: ideò Gloſſæ veteres explicant *Geſtationem*, γυμνασίαν: itemque, *Geſtatorem*, γυμναστήν. Sed laxum eſt, & finem rei, non rem dicunt. Preſſiùs meliuſque eædem alibi: Αἰώρα, *Geſtatio*. & Αἰωρίζεται, *Geſtatur*. Id verum eſt. & latio omnis aut vectatio in naui, lecticâ, curru, venit in hoc nomen. Celſus per partes explicat libro II. in Capite proprio, *De Geſtatione. Genera*, inquit, *geſtationum plura. ſed tamen leuiſſima eſt naui, vel in portu vel in flumine: vehementior in alto mari, vel lecticâ aut ſcamno: acrior vehiculo*. Omitto illas in aquis, in terrâ igitur triplex eſt: Lecticâ, Scamno, Vehiculo. De Lecticâ, notum eſt, & * alibi explicaui: Scamnum quid eſt? dico idem eſſe, quod Sellam. Nam in Lecticâ iacentes ferè vehebantur; in Sellâ ſedentes, ideoque & Scamnum dixêre. Haud ſæpè legas. ſed in Iuuenalis Scholiaſte veteri, huic ſententiæ firmamentum repperi. qui vbi Iuuenalis dixerat,

** In I. Elector.*

— *ſtratâ poſitus longáque cathedrâ:*

interpretatus eſt, *Ceruicalibus ſtratis, Scamnum dicit*. Ergo eo auctore, idem Scamnum quod Cathedra ſiue Sella. Hæc eſt quæ *Sella geſtatoria* Suetonio dicitur Neronis cap. X. Vitellij XVI. De duplici iſto genere, iunctim ita Seneca De breuitate vitæ: *Ne illos quidem inter otioſos numeraueris, qui Sellâ ſe & Lecticâ huc illuc ferunt, & ad Geſtationum ſuarum, quaſi deſerere eas non liceat, horas occurrunt*. De ſcamno idem, Epiſtolâ LV. *A Geſtatione cum maximè venio, non minùs fatigatus, quam ſi tantum ambulaſſem, quantum ſedi. labor eſt enim diu ferri*. Poſſet quidem hoc & ad Vehiculum aptari; ſed de Scamno verius, quia dixit, *Ferri*. At tertia eſt in Vehiculo ſiue Eſſedo. & communiter valdè ſic vtebantur, & hunc maximè intellegebant. Suetonius Veſpaſiano: *Poſt deciſa, quæcumque obueniebant, negotia Geſtationi, & inde Quieti vacabat*. Eadem enim illa quaſi interpretans Aurelius Victor: *Pòſt autem negotijs, quæcumque obueniſſent, auditis, exercere Vectatione, deinde requieſcere*. Idem Suetonius Galbâ: *Nec ad geſtandum quidem vmquam aliter egreſſus* (ita hæc legerim) *quàm vt proximo vehiculo ſecum decies* HS. *in auro efferres*. Significat, ſic timidum an cautum fuiſſe Galbam, vt numquam vel leuiter domo egrederetur, etiam ad Geſtandum; quin ſecum altero & ſequente vehiculo, decies illud HS. quaſi ſubſidium fugæ (ſi interueniſſet) efferret. Nec ſane quidquam in eâ lectione mutandum eſt. Seneca de peruerſo illo Spanio, epiſt. CXXIII. *Quæro circa horam noctis octauam, quis ſit ille rotarum ſonus? dicitur velle Geſtari*. Manifeſtè dat rotas: ergo eſſedum fuit. Sic Martialis:

Illic Flaminiæ Salariæque
Geſtator patet eſſedo tacente,
Ne blando rota ſit moleſta ſomno.

Suetonius de Claudio: *Solitus etiam in Geſtatione ludere, ita eſſedo alueoque adaptatis, ne confunderetur ludus*. In eſſedo igitur, ſubiunctis equis, aut mulis: & quis vltrà neget? Sanè mulos Iuuenalis adſignat, verſibus mox dandis; equos Martialis, in iſtis:

Geſtatus biiugis Regulus eſſet equis.

Quia autem crebra, imò aſſidua hæc Geſtatio; curæ fuit, vt locus eſſet in vrbe aut villis duplex, Apertus & Tectus. Ille in æſtate vſui; hic hieme. Et apertæ quidem Geſtationes non niſi * arboribus claudebantur ad latera, plerumque infructuoſis, & quæ ſpeciem modò haberent. Vlpianus de Vſufructu: *Et ſi fortè voluptare ſuit prædium, viridaria vel Geſtationes, vel deambulationes, arboribus infructuoſis opacas atque amœnas, non debebit deijcere*. Plinius lib. II. epiſtolar. *Geſtatio buxo aut rore marino ambitur*. Attectæ, porticibus claudebantur, opere & manu factis. Vtrumque genus Iuuenalis tetigit, Sat. IV.

** Vt Xyſti. & ſunt ipſi.*

Quid refert igitur, quantis iumenta fatiget
Porticibus? quanta nemorum vectetur in
vmbrâ?

Nam priora palàm ad porticum Geſtatoriam, in quâ eſſedo curſus. Et poſteriora explicat Scholiaſtes, *Viridaria, vbi ſolent Geſtari*. Iterùm de Tectis, idem Sat. VII.

Balnea ſexcentis, & pluris Porticus, in quâ
Geſtetur dominus, quoties pluit. ánne ſerenum
Exſpectet, ſpargatque luto iumenta recenti?

Atque eæ Porticus, fortaſse & Viridaria, plerumq; rotundæ, & in orbem ibant. Quare? quia in exiguo ſpatio ſcilicet, amplior ita vectatio, continens & recurrens. Plinius in-

dicauit, cùm dixit: *Rore marino ambitur.* Ergo Ambitus fuit: & clariùs inſcriptio hæc marmoris, vbi & magnitudo Porticus expreſſa:

GESTATIO
CIRCINI. EXTERIOR
A DIAETA. APOLLINIS
AD. DIAETA. EANDEM
IN. CIRCVITV. P. ∞. CC.
LXXVII.

Has tales, ditiores etiam in ipsâ vrbe habebãt, ſuiſque domibus. nec Martialem aliter exaudio, lib. XII. ad Sparſum quemdam:

Et rus in vrbe eſt, vinitorque Romanus,
Intraque limen clauſus eſſedo curſus.

Non aliud quàm Geſtatio clauſa tectaque eſt: eoque non placeat reſcribi, *latus eſſedo curſus.* Noto denique, ſolum ipſum in his arte factum & duratum fuiſſe leuiter: vt & concuſſio leuior eſſet, nec rotæ inæqualiter imprimerentur. Plinius in laudibus ſuburbani Comenſis, lib. I. Epiſt. *Quid Euripus viridis & gemmeus? quid illa mollis, & tamen ſolida Geſtatio?* Nam pro ipſo loco accipit, vt ſuperiora aliquot exempla item eunt. Hæc veteres, & pro bono valetudinis, quod res ipſa dicit. Plinius item, lib. XXVIII. *Inprimis verò prodeſt* (valetudini) *Ambulatio, Geſtatio, & ea pluribus modis.* Seneca commendat, epiſt. XV. *Geſtatio & corpus concutit, & ſtudio non officit. poſsis legere, poßis dictare, poßis loqui, poßis audire.* Et de concuſſione illâ diſtinctiùs, epiſt. LVI. *Mihi tamen opus erat concutere corpus, vt ſiue bilis inſederat faucibus, diſcuteretur; ſiue ipſe ex aliquâ cauſſâ ſpiritus denſior erat, extenuaret illum iactatio.* Sanè litteratorum, & qui menti operantur, exercitium illud ſit: doleo periiſſe, aut certè per mores ſiue opes à nobis non vſurpari. Tu vale mi Orteli. In Muſæo noſtro, prid. Kal. Iul. ∞.IↃ.XCIV.

EPIST. XII. *Bruxellam.*

OTHONI HARTIO I^{mo} S. D.

EN, mi Otho, ad noſtrũ Theſaurarium, (quidni noſtrum? ego hercules corde veneror & amo) en inquam, de te quam commiſit. Iuuenis de quo dixeram, & qui initio excuſauerat, nunc paratus videtur, & rumpet vinculum quod ligabat. Scripſi igitur, & exſpecto quid videatur. Si arceſſi eum placet, & coràm conſpici atque audiri; hoc approbem, ne vnius mei ſuffragio admittatur. Confido equidem fore, qualem volumus, & eſſe in eo quæ volumus; ſed vos quoque diiudicare, quid nocet? imò id opus eſt, & decet. Reſcribe verbo, non longos logos, auocor, & fabri mei ſtrepunt. Adfirmo tibi, per læuam hanc occupatiunculam iacere ſtudia, & interiores litterulas noſtras. Sed non diu me tenebit, abi ædificatio, meam imminuis, res tuas tibi habe. Vale. Louanij, VII. Kalend. Sept. ∞.IↃ.XCIV.

EPIST. XIII. *Bruxellam.*

IOANNI DRENCKWAIRTO,
ſupremo Regio Theſaurario.

QVOD agere cœperam cum adoleſcente illo Batauo, vt operam daret tibi in ſcriptione, & alio miniſterio honeſto, etſi initio remora aut impedimentum fuit, tamen videor peregiſſe. Peregiſſe inquam, quod ad ipſum attinet: qui iam inclinat, & exſpecto voluntatis tuæ nutum. Si ita ſedet, mittam ipſum ad te vt videas, explores; & tranſigas etiam, ſi approbabis. Equidem falli poſſum, ſed moribus, induſtriâ, & mediocri doctrinâ, ſpero ſuſtinere meam & tuam exſpectationem poſſe. Honeſtus inter ſuos eſt, & natus è Perſinis: ſed pietas & religionis ſtudium (ama cauſſam) amouit eum è patriâ, vbi parentes quoque ſunt inter planè probos. Cetera, Vir Ampl^{me} tuo iudicio relinquo, quod certum mihi eſt acre eſſe & tectum. Verbo ſi reſcribis, mittam eum ad te, & Mechliniâ euocabo, vbi nunc agit. Ampliſſi^{me} & Nobiliſſi^{me} Domine, diu Reip. Regi, & nobis, ſalue. Louanij, VII. Kal. Sextil. ∞.IↃ.XCIV.

EPIST. XIV. *Antuerpiam.*

CORNELIO PRVNIO V. C. S. D.

EVGE, euge benignitatem tuam! qui munera ad me mittis, non plenâ manu aut ſinu, quod dicitur, ſed toto curru. Fatebor tibi, veluti ictu lætitiæ percuſſus ſum, cùm vidi: & horto perpetuum emblema & ornamentum inſeruiſti, quo maximè egebat. Nam florum aliquid, fruticum iſtorum nihil habebam: vt munus tuũ non magnitudine ſolùm (verè tale eſt) ſed opportunitate mihi ſit gratum. Feciſti quod ſcripſeras, & Ditem patrem ab inferis excitaſti, qui non florilegam Proſerpinam, ſed Floram ipſam raperet & Pomonam. Amo amo te, etiam cognatum tuum *Dilſium*, qui

tam

ta... ptè, tam benignè, hoc curauit. Quid autem vltrà dicam? etiam illud, pœnitentiam iam agere impudentiæ meæ incipiebam, qui ſic confidenter poſtulaſſem, quod ipſe non haberes. Sed næ ego pœnitentiæ illius magnam nunc pœnitentiā ago, cùm ſucceſſum video, & ius mihi hoc fuiſſe in candidiſſimo tuo amore. Enimuerò, mi Pruni, ferrea hæc ſunt tempora, liceat etiam vti interdum ferreā fronte. Etſi mollis ea mihi per naturam eſt, ſed ſic deſiderium & cupido indurat: qui auidè iſta hortenſia appeto, auocamenta non à ſtudijs ſolùm, ſed à curis. quas tempora hæc aſſiduè & vbertim gignunt. Quibus etſi non tollitur lumen illud, vt ſic dicam, mentis: tamen interdum offuſcatur, & velut nubeculā ſerenitatem eius ſubducunt. Tu verò accumulas etiam beneficium, & de feneſtris in nouā domo iterùm offers. Accepi & accipio, feneſtras inquam: & duas nomini tuo inſcribam. Te autem ipſum V.C. in hoc pectore, è quo nulla dies euellat. Louanij, III. Kal. Oct. ∞. Iↄ.xciv.

EPIST. XV. *Ingolſtadium.*

HVBERTO GIFFANIO I^{to} S. D.

CVM Francofurti te vidi, & magis cùm audiui, decretum mihi certò amicitiam tecum colere, quàm etiam colo. Nihil in animo remiſi, etſi in ſcriptione fortaſſe aliquid fuit, variā vel culpā vel cauſsā. Culpa quidem in ijs, ſiqui meas (bis enim ſcripſi) aut non reddiderunt per neglegentiam, aut per malitiam ſuppreſſerunt: cauſſa etiam in me, quem occupatiunculæ, & valetudinis infirmitas recidere cogunt & imminuere totum hoc genus ſcriptionis. Sumus Louanij, docemus, ædificamus etiam: an non bono magnoque animo, inter medias res aduerſas? Litteris quidem quid hîc fiat, per te intellegis, nec pueros Muſarum nunc in pretio, ſed Martis. Apud vos aliter, & video Germaniam totam excoli, & fugitiuas è Galliā artes ſedem figere illîc. Longùm ita ſit, nec magnus ille hoſtis quietem iſtam turbet, qui in limite, vt audimus, aſſultat. Ego ab Italis variè vocor, Piſas, Patauium, Mediolanum: tenet patria, à quā tamen vel inuitus auellat, ſi poſſidet & mancipio habet eam Mauors. De Ic^{to} quod tequiris, nihil mihi nunc in promptu: ſed nec otium noſtra diſpiciendi. Militia me exercet, ſed vetus illa Romana: & cœpta iam eſt cudi. Tu quid agas, quî agas, & ſatin' ex voto tuo illîc & merito, velim ſcire: & te ætatem valere. Vale V. Cl. Louanij, Idibus Nouemb. ∞. Iↄ.xciv.

EPISTOLA XVI.

CAROLO CLVSIO S. D.

ARGVMENTVM te ſcribendi non habere, & tamen ſcribere, certè amoris eſt argumentum mi Cluſi. De quo inter nos ambigere quî poſſumus? inueterauit iamdiu, & vt annoſa arbor,

——— quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.

Sed mirro blandiri. Germanum nobilem, te myſtagogo, in amicitiæ noſtræ ædem recepi: & vt tua elogia ſunt, non eam maculabit. Valetudinem tibi in hac ætate ſatis validam eſſe, gaudeo, & diu talem precor: de meā quod quæris, ambigua eſt, & vt cum noſtro Comico, magis varia quàm panthera. Totā quidem hac æſtate aduerſa fuit: ſpectaſſem meliorem, ſi Aquis Spadanis vti mihi per terrores veſtros licuiſſet. Videbo quid in proximā erit, ſi tamen Deus & hanc dabit. Tu mi Cluſi ſalue, & hunc ineuntem annum atque alios felix vide. Louanij, III. Kalend. Ianuar. ∞. Iↄ. xcv.

EPIST. XVII. *Leodicum.*

GVILIELMO BEECKMANNO I^{to} S. D.

NVPER admodum litteras tuas accepi, & hauebam iamnunc reſpondere, ſed muliercula elapſa mihi celeriùs opinione fuit. In morā nihil interrimenti: animus in te eſt qui fuit, imò addo qui erit: id eſt, iudicio & affectu tui amans. Iudicium meum meruerunt cùm alia in te, tum modeſtia: quæ numquam me fefellit tadix eſſe & altrix virturis & veræ famæ. Oculi & animus mihi ſæpè dolent. cùm aliam iuuentutem iſtam video, proteruam, lubricā, vanam; & id in laudabilium omnium rerum inopiā, aut raritate. At firma & bona mens, vt ager poſt quietem, fructus promittit vberes, & non fallaces. In eā te vtinam contulerit, aut conferat aliquid, conſuetudo vel auditio mea. Scio optare, & non minùs tibi fauerem, quàm tuos eſſe. Tu autem non ſperas tantùm, ſed iactas, & inuidioſum exemplum adfers Alexandri & Ariſtotelis: quod non agnoſco, & ſcio eſſe ſuper ſortem noſtram. Affectum tamen tuum agno-

agnoſco & amplector, nec nolo ſic errare leuiter, qui doctorem me habuerunt, aut habent: hoc fine, vt ardentiùs amplectantur aut perſeuerent, quæ præſcripſi. Duxiſſe enim & præiuiſſe ad bona me ſpero, & porrò volo mi Beeckmanne, vbi occaſio aut facultas erit. De Orano iam olim meo, ſpondere auſim, quòd te amabit, iuuabit, pro copiâ ſuâ & Genio temporum: nec vltrà te ſcio velle. Ego hoc vnum à te, vt i me ames, & fratri tuo Canonico affectum hunc à me nuncies cum ſalute. Louanij, poſtr. Non. anni noui ∞. Iↄ. XCV.

EPIST. XVIII. *Ariam.*

FRANCISCO MODIO S. D.

GRATVLOR redijſſe mi Modi, gratulor, & animi mei voto tibi adſum. Quando ad nos? inuiſe veteres tuas ſedes, veteres etiam amicos: tepenies & affectus veteres, nec temporum aut locorum interuallo mutaſſe. Ille quem amare me inuito ſolebas (liberè dicam) abijt

Illuc, vnde negant redire quemquam.

Sed abijt & noſter ille Victor, ingenio diſſimilis, & totus puritas, candor, fides. Rogas de meis ſtudijs. quid ſi iacere ea dicam, per tempora parùm ijs amica? nec mirum, nec iniquum dicam, tamen, vt poſſum, erigo, & pars altera Militiæ me habebat. Machinas & inſtrumenta eius tractabam. O me vel in turbis beatum, quòd animum abduco, & his oblectatiunculis paſco!

—— nihil ampliùs oro

Maiâ nate, niſi vt propria hæc mihi munera faxis.

Eódem te, mi Modi, voco. nec ad elegantiæ illa ſolùm, ſed ſapientiæ ſtudia: quæ & æuo huic, & ætati tuæ maturiori, ſint apta. *Satis multum temporis ſparſimus*, ait ille, *incipiamus in ſenectute vaſa colligere.* In freto viximus, moriamur in portu. Fac, facô ad alta natum ingenium! & ſemper ſic ſenſi de te, & magnum ſpopondi. Quod autem in extremo me rogas, ſiquid in Cæſareos ſcriptores habeam, communicem: parare te eorum editionem: ecce ſubiunxi. & amplius dico, ſiquid in aliâ te iuuare te, etiam re meâ poſſim, pete, & puta factum. Louanij, VIII. Kal Febr. ∞. Iↄ. XCV.

In Vulcatij Caſſio ſcribitur:

Enumerauit deinde omnes Principes, qui eſſent occiſi. dicens meruiſſe Neronem, debuiſſe Caligulam, Othonem & Vitellium nec imperare voluiſſe. Nam de Pertinace & Galbâ paria ſentiebat, cùm diceret, In imperatore auaritiam eſſe acerbiſſimum malum.

Mirum de *Pertinace* hîc dici, & illum *Galbæ* etiam (quanto poſt Galbam?) præponi. Sed magis mirum, hæc ab Antonino Imp. dici, qui Pertinacem anteceſſit. An ille de morte eius ſi fortè diuinauit? Putarem, *de pertinaciâ Galbæ.* & propriè ſignificat vel tenacem nimis fuiſſe; vel & peruicacem in propoſito non largiendi. Spartianus videatur eâ voce ſic vſus in Seuero: *Cognomen Pertinacis, non tam ex ſuâ voluntate, quàm ex morū parcimoniâ videtur habuiſſe.* Nam Pertinacem & Parcum æquiparat. Sed videndum ne ibi veriùs (ex ſententiâ) *morum acrimoniâ.* Sic Capitolinus, in Albino: *Cum ſuis numquam cœnauit, vel propter vinolentiam, vel propter morum acrimoniam.* Lampridius in Alexandro:

Aulicum miniſterium contraxit. ita vt annonas non dignitatem acciperent, fullones, veſtitores, pistores, & pincernæ, omnes caſtrēſes miniſtri.

Itáne *Caſtrenſes miniſtri* cum Aulicis hîc miſcentur? atque adeò *pincernis* & id genus iunguntur. Vide num, gaſtrenſes: οἱ τῆς γαστρὸς. qui, inquam, ventris miniſtri ſunt. Ita Ammianus libro XXV. *Hyperochum antehac rectè gaſtrenſis miniſtrū, id eſt ventris & gutturis.* An placet *ſellæ gaſtrenſis*? ſed vox comparet. In Feſto eſt: *Mugger dicitur à caſtrēſium hominibus, quaſi muccoſus, qui talis malè ludit.* Suſpicabar & hîc, *gaſtrenſium.* quid enim talis, cum caſtris? qui illinc, vulgò certè, exſulabant. Atqui vulgi hoc verbum. Si tamen retines; tum placeat *telis* legi: & ſic dictum ioco militari, qui in cottidianis proludijs ſiue exercitijs tela ignauè & languidè mitteret. In Lampridij Heligabalo:

Vt ex totâ penitus vrbe atque ex nauticis monobelos quærerent. ſic eos appellabant, qui viriliores videbantur.

Cauſſam eius nominis haud aſſequor ſatis, nec nimis ſcrutor: ſed mihi clarius eſſet, *onobelos*: quaſi aſinino telo inſignes. Ita Commodus hominem habuit magnâ prominentiâ, quem *Onon* appellabat. In Capitolini M. Antonino:

Cùm ægrotare cœpiſſet, filiū aduocauit, atque ab eo primū petijt, vt belli reliquias non contemneret, ne videretur Remp. prodere. & cùm filius ei reſpondiſſet, cupere ſe primum ſanitatem, vt vellet, permiſit, petens tamē vt exſpectaret paucos dies, aut ſimul proficiſceretur.

A ſententiâ corrigere admoneor, *cupere ſe primùm cuitatem.* Pater quidem filiū Commodum

modum hortabatur belli reliqua conficere; ſed ille ad vrbem adſpirabat, quaſi illîc imperium firmandum, & ſedes eius occupanda. Sed reuerà deliciæ & luxus eum trahebant: quod ex Herodiano diſces, quem hîc vide. In ſequentibus etiam lego: *vt vnà proficiſcerentur.* Cùm vidit pater decretum ei ire; permiſit, inquit, rogans tamen moram aliquam poſt ſuam mortem, vt nempe funere facto, vrnam paternam & reliquias ſecum ferret: atque ita *vnà proficiſcerentur.* In Vulcatij Caſſio:

Scis enim ipſe, quòd Maieſtatis hæc natura eſt, vt videantur vim pati, etiam quibus probatur.

Sunt verba ex ipsâ epiſtolâ Marci ad Verũ, ſed emendanda, *etiam quibus parabatur*: vel, *& à quibus.* Diſſuadet Marcus puniri Caſſium, etſi affectati regni & (vt loquebantur) Maieſtatis ſuſpectum. Cauſſam dat, quia ægrè perſuadetur alijs, quemquam hoc tentaſſe: & vim, inquit, atque iniuriam paſſi videntur, qui ipſi eam parabant. Hoc eſt, quod ſubijcit: *Non credi Principibus de affectatâ tyrannide, niſi interfectis.* In Capitolini Maximo & Balbino:

Maximum igitur atque Balbinum, quorum vnus in re militari tantus eſt, vt nobilitatem generis ſplendore virtutis allexerit; alter ita clarus nobilitate eſt, vt & morum lenitate reip. ſit neceſſarius.

Conſtat Maximum iſtum è nobilitate non fuiſſe: atque ipſe Capitolinus mox addidit: *Maximo pater fuit è plebe.* Itaque legendum: *vt ignobilitatem generis ſplendore virtutis texerit*: aut ſiquis manult, *alluxerit*. In Spartiani Hadriano:

Omnibus Hiſpanis Tarraconem vocatis, dilectumque iculariter (vt verba ipſa ponit Marius Maximus) detrectantibus.

Imò tota hæc res iocularis non fuit: ſeriò actum, & puniti mox detractantes. Scribam ego: *populariter detractantibus.* In Lampridij Alexandro:

Hiſtoricos eius temporis legant, & maximè Acholium, qui & itinera huius Principis ſcripſit.

Conuenire magis cenſebam, *qui & intima.* Iterùm in Lampridij Alexandro:

Antonini nomen ſuſcipi mereatur, Senatus Antonini mereatur.

Veriùs: *ſuſcipe. Mereatur Senatus, Antonini mereantur.* Ohe, ſatis hæc ſunto. [illegible], ait Pindarus. Vale.

EPIST. XIX. *Leodicum.*

P. LEONARDO LΕSSIO, *Theol. Soc. Ieſu* S. D.

FONTES & ego te exſpectamus. Quid veniſti vt ſic abires, conſors diſcriminis tantùm, & vix fructus? Redi cum bono Deo, ille aderit & ſecuritatem dabit, fortaſſe & ſanitatem. Turba quidem hîc nunc exigua, ſed creſcet: & illi ipſi qui Limburgi ſunt, & vibices vinculorum adhuc geſtant, illi, inquam, redeunt, & ſperant meliora. Poſt latrocinium recens, viæ tutiores ſunt, poſt tempeſtatem ferè ſerenitas: nobis, poſt periculum & fugam, quies & ſecuritas adſint. Principi Electori qui à conſilijs ſunt, polliciti mihi tutelam, & noſtri curam: nihil tamen adhuc factum cuius fructus appareat, & in oculos incurrat. Salue mi Pater, & tecum Smithus. Quandocumque venietis, cænulam vobis paratam apud me ſcitote, ex legibus Spadanis, tenuem, frugalem, cum fame dimiſſuram. Spadæ, IV. Idus Iulij. ∞. IↃ. XCV.

EPIST. XX. *Antuerpiam.*

IOH. BRANTIO, *Graphiario* S. D.

IN ipsâ triſtitiâ tuâ & luctu ſuper paternâ morte, gaudium aliquod mihi fuiſſe, non poſſum mi Branti negare. Non quin dolori mihi dolor tuus fuerit, & ſeriò fuerit: ſed quòd memoria mei in illo ipſo adhuc actu apud te fuerit, & binis tuis litteris me compellaris. Benè factum, in tali ſorte exprimit ſe animus, & clare oſtendit quos habeat incluſos. Itaque hoc ipſo video valdè me à te amari, quòd cogitationem & ſcripta etiam ad me mittas, & tacitè ſolatium aliquod petas. Vtinam dare poſſim, vt volo, mi Branti! ſi non pulſus dolor tuus, certè fractus eſſet, & talis à quo periculum non eſſet viro forti. Etſi cur ego dem? te ita cùm video, nihil opus: qui & legiſti hæc omnia, quæ dici poſſunt & ſolent, & excerpta eorum quædã in epiſtolâ tuâ vtiliter ſparſa cerno. Duo quidem ſunt, quæ ſolari te maximè debent. & communis illa lex, quàm fatuus eſt qui non cogitat, DEBVISSE MORI: & quòd indulgentiâ quâdam & benignitate diuinâ diutiſſimè eo fruitus es, & præter communem morem. Ad extremam ætatem parens ille tuus venerat, vidit in pleroſque liberorum, quæ voluit:

 te

re coniugio, prole, officio florentem: quid vltrà ei gaudij accedere potuit, imò quid non doloris? Ætas illa peſſima ſubiecta tot incommodis, ætas hæc publica tot vitijs aut cladibus: vt nihil niſi miſerias propagari illi voluerit, qui vitam. Votis, votis proſequendus eſt cùm abiuit mi Branti, vt feliciter & ad ſupera illa ierit; non querelæ interponendæ, nec reuocandus ad humum & miſerias humanas. Quas qui recto oculo intuetur & diiudicat, proh Deus quid in vitâ eum teneat aut iuuet? Sed fatui ita plerique & terreni ſenſus ſumus, vt viuere tantùm vt viuamus iuuet, & quia innatus aliquis metus eſt à ſolutione & morte. Tolle hunc, vitæ ſuauitatem ſuſtuleris; & vereor vt plerique faciant, quod ille qui Platonis Phædone lecto properauit ad ſpontaneam mortem. Hæc & talia meditanda mi Branti: non dilato, quia & ſcire te ſcio, & ſpero vſurpare. Nos Louanij iterùm ſumus Spadâ reduces, & penè in Batauiam reduces, vt vis fuit & inſidiæ hoſtiles. At Deus tutatus eſt, & velut nube me velatum ab ijs texit. Vbi dixi, v. Idus Sextil. ∞. IↃ. XCV.

EPIST. XXI. *Leodicum.*

PETRO ORANO I^ae^

BEKEMANNVS ad vos venit, quem litteræ meæ non tam conciliant, quàm oſtendunt. Vidiſſe eum & nouiſſe, amare eſt: ita ſunt mores & ingenium adoleſcentis, addo & doctrinam ſuper hanc ætatem. Doctrina autem ipſa melior poliriorque eſt: in Iure veſtro ſine ſordibus aut ſcabritie, denique & à Græcis fontibus hauſta. Siue erit apud te in contubernio, ſiue crebrò veniet, benignus ei meâ cauſsâ eſto; & tua audacter aperi, non priuati conſilij ſolùm, ſed & publici. De fide, & arcani patientiâ, ſponſorem me cape. Filium tuum hîc erudiuit in Iuris rudimentis diligenter & libenter: qui filius adhuc benè valet, & ſe gerit, ſpero & ſemper. Vale mi Orane. Louanij, prid. Kal. xbres, ∞. IↃ. XCV.

EPISTOLA XXII.

IOANNI DRENCKWAIRTO, *Theſaurario ſupremo Regio.*

CVM ipſa liberalitas Fontani Comitis mihi grata eſt, tum gratior te nuntiante. Quid poteſt benignius, à tali viro? & affectû profectò in me oſtendis, quem animo æſtimare magis & pendere poſſum, quàm ſermone promere aut linguâ. Quid autem gratias tibi agam? nec veteres quidem exſolui, & iamnunc tacitus mihi morſus eſt, quòd pro nupero beneficio pecuniæ annumeratæ, nihil feci aut dixi, quo intemam hanc gratitudinem teſtarer. Certè enim ea in animo eſt, crede Vir Ampliſſime; & inter omnes Belgarum proceres, tibi fatemur nos obſtrictos. Age, quæ benignitas tua eſt, amare imò & curare (ita enim facis) me perge: non quò magis tuus fiam, quod vix poteſt, ſed quia generoſis animis ita inſitum eſt, beneficia ſua amare. Amp. & N. D. Regi & Reip. vale. Louanij, prid. Kal. Decemb. ∞. IↃ. XCV.

EPISTOLA XXIII.

IOANNI DRENCKWAIRTO, *Theſaurario ſupremo Regio.*

QVOD iamdiu inſueui, id facio; & cùm auxilij aut opis egeo, ad te recurro. Fiducia benignitatis tuæ, in me tories declaratæ, impellit; tum etiam, quia iſta res eſt, quæ propriè te & tribunal tuum ſpectat. Nam cum Ærario regio mihi res eſt: quæ? vt id exhauriam (iocanti dabis veniam) & ego quoque inter publicas neceſſitates, vnà cum multis, veniam petitor. Cum multis, ſed in cauſsâ remotâ & propriâ, & vt ſtipendij ſemeſtris ſolutionem impetrem, quod Rex titulo Hiſtoriographi ſui voluit me ferre acceptum. Libellum communiter ad Senatum veſtrum (ita moris eſſe audio) concepi: ſed tuâ auctoritate & gratiâ inprimis niti me fateor: ac rogo, vt pro affectu tuo veteri, Amp. & N. D. mihi conſulas, & rem hanc ex tardâ aut turbidâ expeditam reddas & tranquillam. Louanij, XII. Kal. Sept. ∞. IↃ. XCVI.

EPISTOLA XXIV.

IACOBO MARCHANTIO S.D.

LIBRVM tuum & litteras vnà accepi, etſi eumdem librum aliquot iam ſeptimanis antè à Moreto, ſed ita vt ipſe popoſcerim: nam tenebat me (vt verum dicam) auiditas videndi. Vidi, legi, & vel publicè tibi velim dare teſtimonium, induſtriæ, prudentiæ, ſed & eloquentię, pro hiſtorico quidem modo. Illud vellem (vt omnia dicam) diffuſiorem te alibi fuiſſe: non mihi, cui abundè hæc ſatis ſunt, & neruoſa placere

ſolent,

ſolent, ſed alijs, qui aut non capiunt hæc breuia, aut ad ea non excitantur. Cetera, in re accurata & inquiſita ſunt; nec moueat te, ſiquid * ἐξετασταὶ mutarunt, aut detraxerunt. Solet olim & nunc fieri, & ſapientis eſt publicis his iudicijs ſuũ dare. Illud doleo, nihil benignè adhuc in te factum ab ijs, qui poſſunt & deberent, ſi mens & indoles illa vetus eſſet. Heu ſæculum, non pro noſtris artibus! & ego, quem tu in copiâ amicorũ, circumfluere aliâ copiâ cenſes, in me ſentio: qui nihil magnoperè è ſtudijs meis rettuli, præter nomen & famam, & ea quoque à multis calcata. Quid facimus? quod fecimus. ſi rectum honeſtumque eſt iſta colere, perſeueremus: & præmium in illis ipſis, ac fructu noſtro interno, ponamus. Mihi crede, aurifer ille Tagus non nobis fluit: quidquid coueťur, & ſpem faciat amica ibi tua proles. Quam animo complector & ſaluto, factu & meis verbis, cùm ſcribes. Vale Vir Cl^me^. Louanij, poſtr. Idus Ianuar. ∞.IↃ.XCVII.

* Cenſores

EPIST. XXV. *Leodicum.*

HERMANNO MALLEANO S.D.

BINAS à te accepi, fateor, ſed vnis tantùm poſtremiſque reſpondere mihi fas ſit: tum quia occupatiunculæ ita ſuadent, tum quia in prioribus tuis nihil præter affectum in me erat, quem notum habeo, & item carum. Reponi eum pro meâ parte, ſemel ſcito. Rogas & angi te ſignificas de valetudine meâ, præſertim in hac aëris intemperie, quæ multos in valetudinarium, multos in Charonium, apud nos quoque miſit. Audi quod gaudeas, ſatis valeo, meliuſculè etiam quàm ſoleo: adeò in hac quoque re morbus meus ſingularis eſt, & extra leges communes abit. At horti quoque noſtri rident & florent, ſed ſubdolum, vt vereor: & proxima æſtas funera nobis aut dabit, aut oſtendet. Nam iamnunc eſſe arbitror, ſed terra tegit & occultat. De otio tuo ſic honeſto & induſtrioſo, gaudeo & gratulor. Perge in iſtis, nec Electa illa (ſic appellare ſoles) omitte, ſegetem veram doctrinæ. Qui è variâ illâ lectione nihil colligit, ſeponit, diſponit, nugas agit, & in acceptum pauca refert. Ordo cuique ſuus ſolet eſſe, nec in eâ re temerè præſcribam: tuum illum ſerua, & minora quæ occurrent, in Alphabeti ſeriem diſtingue. Sed heus, te dubitare etiam de fato Bogardi, olim hoſpitis tui? ille verò vixit, & dum Bruxellæ eſſem, ante quatuor circiter ſeptimanas, ſubito morbo exſtinctus eſt. Quid nouum? homo erat, & omnia in vnâ voce dicta. Te valere & viuere opto, mi Malleane. Louanij, XIII. Kal. Febr. ∞.IↃ.XCVII.

EPIST. XXVI. *Brugas.*

GVILIELMO MICHIELSIO I^to^ S.D.

SCRIPTIO tua, quâ beniuolentiam in me abundè teſtaris, pergrata ſanè fuit: neque tarda, vt dicis. Nam ſcio multa interuenire in peregrinatione & itinere, ac priuſquam ſtabilis aliqua ſedes ſit, quæ mentem à tali cogitatione auocent: tam mihi excuſanda, quàm illud dolendum, morbum etiam inter cauſſas fuiſſe. Sed benè, quòd fuiſſe: & meliorem firmioremq; te nunc eſſe, eædem litteræ nunciabant. Vtinam de matre tuâ eadem ſpes ſit! quam ego vereor, vti hoc genus morbi eſt, ad lentam & certam mortem ire. Sed præcipe tale iamnunc animo, & illum firma atque erige in omnem euentum. Vitæ hoc ſalum, vt ſic dicam, iam ingredi ſeriò incipis: pueritia & adoleſcentia tua luſit adhuc circa litus. Propone tibi & ſcito, multa ſalſa & amara euentura; ſed quæ tamen voluptate aut amœnitate aliquâ ſummus ille Deus ſolet temperare. Vtraque modicè habenda ſunt ſapienti: hæc cum metu aliquo, illa cum ſpe, quia vtraque incerta, & vicibus ſuis mutantur. Idem in Republicâ tibi euenier, cuius partem (& gratulor) nunc attigiſti. Habeas, quæſo, illam vt publicã, & valdè nunc afflictam pro viribus erige aut ſolare. In ea quoque vices videbis, & Deum nunc vindicem, nunc fautorem: vt vel merita noſtra ſunt, aut conſilia eius occulta. Itaque nec in propinquo quidem naufragio eius deſpera. ita homini videbitur, ſed ille vno nutu attollet, qui omnia nutu ſuo regit. De Lemutio meo, grata quæ nuntias. amo veteri & fido affectu illum virum: & tempora ſi alia ſint (ſpero breui) ita viuam, vt ipſe me, aut ego illum videbo. Vale mi Michielſi. Louanij, poſtrid. Kal. Febr. ∞.IↃ.XCVII.

EPIST. XXVII. *Coloniam.*

CAROLO VTENHOVIO.

EPISTOLAS crebras ad me mittis, & nouo planè genere ſcriptas. Nam ſolutis verbis cùm legere me cenſeo, & ſcriptura præ-

præfetat, mox verſum & vincula agnoſco: nec tamen vel primâ ſcriptione me fefelliſti. Ita me Muſæ, Muſicum & lepidum hoc genus eſt, & quod pauci imitentur, nec niſi quibus pectus imbutum poëticâ eâ copiâ, & ſtilus factus ad promendum. Mitte, mitte ſæpiùs, & nos oblecta. Scribis de Pannonico bello, quod feruet, & quid mihi videatur. Mihi? quod Principes faciunt, benè factum, nec in conſilia illa inquiro. Videtur & neceſſitas fuiſſe bellandi, cùm gens illa effera ſic inſtaret, & identidem inducias ac pacta violaret. Sempéme contemni & calcari? Et tamen bellum magnum, anceps præuideo, & cum poëtâ,

Eheu quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor?

imò & ſanguis: nec vno alteroque prœlio tes ibi decernenda. De exitu tamen benè ſperem, quia cauſſa bona eſt: & confidam etiam, ſi Germani, qui fuerunt, ſient. Cum bonâ veniâ gentis dixerim, ab annis centum quæ mutatio, id eſt inclinatio facta? in robore, in opibus, in animis: nec dixeris eſſe vltrà Martis illos pullos, & Homeri verbo, * θυμολέοντας. Profectò fuerunt. nec olim & Romano ſolùm æuo; ſed Caroli Magni, atque infra, perſeuerarunt. Ecce, in Fridericorum, Othonum, Henricorum rebus, quàm multa egregiæ fortitudinis opera? Vnum in Friderici primi occurrit mirabile. Obſidebatur Tuſculi Antiſtes Colonienſis à triginta millibus Romanorum, qui tunc Imperatori hoſtes. Ad opem ferendam, ceteris cunctantibus, Moguntinus progreditur, & *quingentos ſuos milites, cum Cæſarianis octingentis* educit. Inſtruuntur acies, ſine aſtu aut fraude palàm certatur: fuſi fugatique Itali, & *ad quindecim millia ex ijs cæſa.* Res fide pænè maior: ſed eius æui ſcriptoribus adfirmata. Neque alibi ſimilia, ſi non paria, exempla deſunt. vt iure iactare & dicere Rudolfus Auſtriacus primus potuerit: * *Se in qualibet mundi parte, cum electis quattuor galeatorum, & quadraginta peditum armatorum de Alemanniâ millibus, ſtare inuictum: æſtimans hos omnem multitudinem aggreſſuros.* En robora illius gentis: quid potentia & opes? paucis indicijs colligendæ. Rudolfus Auſtriacus electus Imperator, cùm Aquaſgrani venit, coronæ cauſsâ: *occurrerunt ei Dux Bauariæ, Saxoniæ, & alij cum viginti millibus equitum. Multitudinem aliam hominum ſtrata publica, vſque ad tria milliaria, vix commodè recipiebat.* Poſteà deinde, in Adolphi electione: *equos phaleratos habuerunt Moguntinus mille quingentos, Treuirenſis mille trecentos, Albertus dux mille quingentos:* & vbi reliqua omnis Nobilitas vtriuſque claſſis? Vnus Fuldenſis Abbas *ſexaginta millia bellatorum Imperatori præbebat in hoſtem.* Nec in hominibus tantùm, ſed in auro & argento exuberabant. *Ciues Friburgenſes comiti* (Rudolfo) *domino ſuo, pro modicâ * emendâ, viginti millia marcarum tradiderunt.* Item: *Ciues Columbarienſes regi Rudolfo, vno anno, librarum triginta millia tranſmiſerunt.* Paullò pòſt: *Thuricenſes mille quingentas, Conſtantienſes mille ducentas, Columbarienſes, quingẽtas marcas regi Rudolfo dederunt. Columbarienſes, præter hæc, mille octingentas libras expenderant pro cibarijs & ſeruitijs dominorum.* Sed & quidam Imperatorũ in pompâ & inſtrumento inſignes. De Carolo Boëmo Imperatore, Annales: *Erant omnia paramenta menſæ ſuæ ad comedendum & bibendum, & * nauicula continens eleemoſynam illius menſæ, omnia de auro puro, nec quidquam inibi apparebat argenti: omnia autem inferiorũ menſarum paramenta, etiam pro garcionibus, & currus ducens nauem continentem eleemoſynam, de argento fuerunt.* Ecce, in illius æui ſimplicitate, etiam ſplendorem, imò luxum. Omnia tamen ſuperabant Eccleſiarum opes, quæ pænè immodicæ tunc fuerunt. Vno exemplo oſtendam. Exſtat pars *Chronici veteris rerum Maguntiacarum, per Conradum Epiſcopum*: in quo recenſentur templi eius vaſa, veſtes, ornamenta, Deus bone, cui ſine ſtupore legenda? *Purpuræ, tapetia, dorſalia, pallæ, caſulæ, tunicæ, infulæ, tiaræ, anuli, thuribula, grues, pelues, vrcei, calices, gemmæ:* tantâ copiâ, pondere, pretio, varietate, vt recenſere deterrear: duo tantùm ex omni cumulo excerpam. *Erant calices tres aurei* (auratos omitto:) *qui omnes habebant ſuas ampullas: & pyxidem ad hoſtias ex auro puriſſimo, & margaritis. Vno calice aureo ſolus Pontifex, vel prælatus Eccleſiæ in ſummis feſtiuitatibus vtebatur. Alij duo, tantæ erant quantitatis, quòd eum ipſis diuina myſteria nequàquam poterant celebrari. Erat enim vnus maior altero. minor habebat cum patenâ marcas auri electiſſimi octodecim: in cuius pede per circuitum erant pretioſi lapides valdè, & in patenæ circuitu limbus, qui & ipſe gemmis non carebat. Calix maior quot marcas auri habuerit, neſcio: certum autem eſt, quòd ſpiſſitudo eius erat digiti, & per totum, tam in pede quàm ſuprà, gemmis erat pretioſiſſimis adornatus. Habebat etiam idem calix duas anſas, quæ manus poterant implere*

* animo leonino.

* Verba ipſa in M.Alberto, eius æui.

* Amendâ, ſiue mulctâ.

* Arca magna & receptaculum vaſorum.

plere leuantis. Huius patena talis erat latitudinis & ſpiſsitudinis, quod ipſi congruebat, & ipſa gemmis per circuitū decorata. Hic calix habebat altitudinem vnius vlnæ, & capere poterat dimidium ſextarium vini: nec ab omni homine poterat leuari à terrâ. Alterum quod eligo. inter varias Cruces, vna fuit *lignea, auro optimo veſtita. in quâ imago erat aurea Domini crucifixi, quæ imago cuiuſlibet hominis communis magnitudinem excedebat: concaua, ſed multum ſpiſsa: cuius venter plenus erat reliquijs, & gemmis pretioſiſsimis. Dicebatur autem nec Romanum Imperium meliores habere. In huius imaginis capite, loco oculorum, erant duæ gemmæ quas carbunculos vocant, tantæ magnitudinis, vt duo vitelli ouorum, qui in tenebris coruſcabant. Huic cruci inſcriptus erat verſus iſte:*

Auri ſexcentas habet hæc crux aurea libras.

Et nota, quòd vna libra habet duas marcas. ſic ergo erant mille & ducentæ marcæ auri probatiſsimi. Pro ſpeciali huius auri examinatiſsimo valore, crux ipſa proprio nomine cenſebatur, vocabatur autem BENNA. Ex his mi Vtenhoui, robur, potentiā, opes, velut per tranſennam vides: & quàm ab ijs ætas hęc defecerit, quæ non niſi in vitia & luxum ſurgit. Quæ cauſſa mutationis? plures, nec lubet dicere. vnam præcipuam à factionibus ſcio, quæ diuellunt iunctas olim vires: & Imperatori quid niſi precarium pænè ius & imperium manet? Sed produco ſcriptionem, voto non querelâ claudendam.

—— ſtet Capitolium
Fulgens, triumphatiſque poſsit
Roma ferox dare iura Medis.

Vale. Louanij, Kal. Iunijs. ∞. IↃ. XCVII.

EPIST. XXVIII. *Mechliniam.*

IANO BERNARTIO *I^{to}* S. D.

MELIVSCVLE mihi eſſe, aut potiùs minùs malè quàm fuit, hoc tibi nuntio: etſi vires aut alacritatem, quæ in ipſo iſto perpeti languore aliqua fuit, nondum recepi. Cùm Deo videbitur, fiet; aut eò me recipiam, quò noſter Berchemius. quem virum vnicè probum & litteratum nos amiſiſſe, fideli teſtimonio meo ſcito. Heu, quid iſtud eſt, virtutem & prudentiam omnem à nobis ſic abire: vitia, arma, barbariam manere, vel augeri! Iampridem vidimus, quidquid illud eſt, mutationem in Europâ & nobis Deum parare, & velut refingere velle hunc orbem. Sed hæc exſpectanda nobis ſcilicet, & ferenda mente, quæ fortes & pe-

ritos cæleſtium decet. Queri, mollitia eſt; reluctari, inſania. Sed ad te, laudo quòd pedem figas in genere vitæ, quod Deū & fata quoque ſcire debes tibi impoſuiſſe. Aliud aliquod animo magis allubeſcit fortaſſe: ſed quod tibi, hoc illis quoque euenire ſcito, qui compotes ſunt eius, quod tu petis. Ij ſibi diſplicent, tædia & moleſtias ſuas habent, & fortaſſe ad tuum illud acriter anhelant. Miſeria aut inſipientia noſtra! numquam deſiderijs aut iudicijs quieſcere, abſentia petere, præſentia contemnere; & vitam ſemper inter vota ſuſpenſam habere. Intereà illa venit, quæ ad Berchemium vênit, & bonâ fide quietos ſemel ſilentesque reddit. At tu, mi Bernarti, viue & vale tuis. nam & augendum te breui aliâ prole ex famâ, an ex tuis litteris accepi? Louanij, IIII. Idus Iun. ∞. IↃ. XCVII.

EPIST. XXIX. *Bruxellam.*

OTHONI HARTIO *I^{to}*.

INTELLEXI iamnunc ex litteris Marchantij de obitu Caroli filioli tui, neque neſcio, ex communi parentum ſenſu, & tacitâ quâdam naturæ lege, te & matrem dolere. eoque manum ſtilo admoui, vt breuiter, ſed fortiter te ſolarer. Quem? virum vſu & doctrinâ, rerum humanarum peritum & gnarum. Quid igitur tam obuium, tam aſſiduum in ijs, quàm iſte caſus? Perambula cogitatione vrbis tuæ domos: rara eſt excepta, quæ familiam quidem & proles habet. Comparatione illâ inuenies, benignè etiam tecum agi, qui non plures amiſeris: & plures ſanè habes, atque vt diu in ſolatium & fulcrum inſtantis ſenij habeas, Deum rogo. Sed enim iſte eminere genio & ingenio videbatur. Credo equidem, & hoc ipſum eſt cur hîc non perennârit: quia Deus ille optimus, optima ferè ad ſe trahit. Ad ſe, inquam mi Harti: & hoc caput alloquij, in ſuperis beatiſque locis filius tuus agit. Dubitare non potes: dolere igitur non debes, gaudere potiùs, ſi ipſum & bona eius amas. Atqui citò perijt. Quid hoc eſt? aut quantulum iſtud ipſum, quod longum nobis videtur? Triginta, ſexaginta, centum anni, ſi cum volumine illo æui & cæli comparentur, quid ſunt? punctiſtirium, & vix merentur hoc nomen. Nihil hîc diuturnum: & verâ imagine tibi exprimam noſtram vitam? Vidiſti fabulas haud dubiè actitari ſæpè, atque etiam à iuuentute in ſcholis.

Pro-

Prodeunt reges, ſatrapæ, alia officia, & quidam ſatellites, ac perſonæ in ſpeciem, & mutæ. Ecce alij diutiùs ex ijs hærent in ſcænâ, & loquuntur; alij oſtendunt ſe tantùm, & nec vocem edunt: ſimile nobis eſt, vario munere aut dignitate in theatrum hoc Vniuerſi mittimur; alij ſilentio tranſimus, aut oſtendimur tantùm. Nihilo tamen deterior ille, qui in vili veſte, qui non diu hæſit, quàm ille qui regem aut longum carmen egit. Apud Deum vita longa non optima, ſed innocentiſſima: & eam filius tuus in purâ illâ ætate habuit, & nunc gaudium & triumphum. Adſpicit te, & tuos, proq́ue ijs orat & vota concipit: tu pone luctum, & patrem exue, indue Chriſtianum, & virum. Cui rei quoniam & conſuetudo & alloquia amicorum aliquid faciunt, ego & vxor vocamus amanter te & tuá ad noſtros iſtos feſtiuos dies, & rogamus vt non negetis. Domus vobis mea patet, & totus hic animus: venite, poſſidete, valete. Louanij, IV. Nonas Sept. ∞. IↃ. XCVII.

EPIST. XXX. *Auguſtam.*

MATTHAEO RADERO, *Soc. Ieſu*, S. D.

Et amicitiã libens tecum iungo mi Radere; & illi firmandæ, quod petis de Martiale, in parte effeci. Amicum me toti Societati veſtræ eſſe, quidni profitear? quæ prima litteris his alijſq́ue me imbuit, quæ ſalutaria in omnem vitam præcepta dedit & præiuit. Amo hoc corpus, amo & membra: te inter iſthæc, qui vel affectu tuo, vel iudicio de me, hunc affectum merebare. Etſi de iudicio, noli attollere nimis mi Radere. ego me non vectari inter ſummos ſcio, ſed inter medios incedere, paullò altiorem fortaſſe ijs qui ſerpũt. Sed de Martiale quod tetigi, rem ecce habes. quid rem? pauca verba & notulas, atque eas alibi fortaſſe notandas. Tu facito, & Cenſor eſto: tum etiam ſiquid vlterà ſcire me putas, pete, non grauabor reſpondere, & certè te amare. Vnà etiam Pontanum, eruditum & diſertum virum, collegam tuum, quem ſaluto. Louanij, III. Kal. xbres. ∞. IↃ. XCVII.

EPIST. XXXI. *Antuerpiam.*

FRANCISCO SCHOTTO, *Senatori* S. D.

Bonae fidei creditum eſt negotium, vt video, quod tam ſedulò & maturè redditum eſt effectum. Tibi, & fratri tuo, hoc nomine debeo: & magis etiam pro affectu, quem in me oſtendiſtis. Antuerpiam non temerè ſemper amaui, in quâ tam multi qui me amant. Coràm hoc nuper didici, atque abundè & largiter me vobis dedi. At tu & alij, inquis, queruntur de celeri diſceſſu? Itáne? amicè magis, quàm iuſtè profectò: & quæ vrbs me tamdiu tenuiſſet? non ipſa Bruxella, quæ patria mea eſſe vult, nec eſt tamen niſi incolatu. Alibi natus, ibi educatus ſum. Sed confidite. ſi proxima æſtas viuum & valentem me habet, menſem totum etiam vobis dabo, & conuiuam: ſed eâ lege, vt ſemel in die epulemur, reliquum fabulis & ſermunculis, aut etiam occupatiunculis, detur. Vtinam frater tuus intereà ex Hiſpanis adſit! quem virum iam olim noui, & quia noui, amo. eſt inter eos, qui rem non ſpeciem in doctrinâ habent. Vale. Louanij, Non. Nouemb. ∞. IↃ. XCVII.

EPISTOLA XXXII.

EVERARDO POLLIONI, *I^{to}*.

Laetvm me epiſtola tua reddiderat mi Pollio: ecce alteram ab amico aperio & lego, atque ibi triſte illud de obitu parentis tui fulmen. Scio, & in animo iſto ſentio, ac quaſi video dolorem tuum & comploratiomem: eò ſcilicet maiorem, quò melior ille tibi parens, & tu filius ei fuiſti. Non ſenſibus ſolùm & animis, ſed domo & contubernio hærebatis: vt ſi amorem natura & ſanguis non indere, poſſet dediſſe conſuetudo. O triſte diſcidium! ſed ſolerit te mi Pollio, breue diſcidium: & quamdiu ſcilicet hæc terra & alienum domicilium nos habebit? Viue diu, & ita voueo: ſed vt viuas diutiſſimè, quid niſi ſeptuaginta, aut vt improbè, centum annos? Leue & breue eſt, ſi Æuum reſpicis, quod fluxit ab æterno & fluet. O miſeras, ô vanas cogitationes noſtras & curas! congerimus, ædificamus, libros ſcribimus, & æternitatem nobis quacumque viâ ſpondemus aut optamus. Quid tamen aut quantula iſta ſunt? quamdiu etiam ſunt? non loquar de opibus aut ædificijs, quæ ſtatim æuo aut caſu pereunt: ipſa illa Fama, bonorum ingeniorum morbus, quouſque ſe producit? Aliquid de Cicerone hodie aut Senecâ: idipſum variè, inter culpas & laudes: ſed quot anni ſunt? Vix mille quingenti, aut paullò vltrà. Caput ipſum ingeniorum Homerus, nomen vindicat & poſſidet à bis mille quingentis

&

& paullò amplius annis. Enimuerò quid hoc eſt? trigeſimâ aut quadrageſimâ ſtirpe potui cum attingere, & vide quid longum aut diuturnum vocemus. Cogitatio iſta ſæpè me & ſolata eſt, & erexit ad contemptum aut calcationem potiùs rerum fugacium, id eſt humanarum. Conſolatio altera, à communi omnibus lege. Rideamus, ſiquis cùm tributa populariter danda ſunt, lamentetur, & ſortem ſuam accuſet. quid ita? quia omnes cum dant, non ſuperbè ſolùm ſed ſtultè facit, qui ſe vult eximium aut exſortem. In hoc humani generis tributo cur non ſic affecti ſumus? cur fatuâ mollitie querelam & planctum miſcemus? Hoc ipſo quòd homo natus es, mori natus es: & ſiquid vltra punctum, horam, diem, annum viuis, donum eſt non debitũ, & in gratiâ ac lucro ponas. At nos obliuiſcimur, aut non attendimus, & in tot mortibus quæ cottidie occurrunt aut ingeruntur, vna aut altera nos mouet & deijcit, quæ nos tangit. Alij ſi pereant, nihil noui aut mali eſt: ſi noſtri, o nos miſeros, ô infelices! Verba aut inuentiunculæ non deſunt, cur iniuria ſit facta, cur Parca maligna fuerit: & vides ſæpè ac rides, credo, in hac re ſcenam vulgi. Stulti, bis ſtulti, quod ſumus cogitemus, & non magis miremur hominem ſubitò, quàm florem mori. At tertiò, diuina cogitemus. Ad meliora eundum eſt, ad puriora, lætiora, prauis, turbidis, triſtibus his relictis. Si ad ea te aptaſti, & viaticum (vt ſic dicam) corrogaſti virtutum & pietatis, quid malè te habet abire, aut alium abiiſſe? Gratare, ſi ſapis ô homo, plauſu & cantu proſequere, qui non diu in ſalo iactatus peruenit ad beatum portum. Plura ſunt, quæ tu tibi mi Pollio dices. Ego ex animo in dolore tuo doleo, quem aliquem eſſe & cupio, & par eſt (neque enim hominem exuimus) ſed temperatum nec longum eſſe, hoc ſuadeo & opto. Tu inquam tibi dices. quidni hoc ſperem, qui mihi ſic lubenti prædicas ſtudium tuum ſapientiæ & quietis? Exoſculatus ſum eam vocem. tu re effice, & noſtri miſerere qui volentes & adſpirantes ægrè huc venîmus. Scripta noſtra vides multum (ingenuè fateor) à vano trahentia: ô ſi meo iudicio & voto illa ſint, quàm alia & diuerſa ſint? Verbum aut calami ductum non perdam in illis, quæ ad ſolam fortaſſe ſcientiam faciunt: occupet in iſtis, quę ducunt ad duo dicta. Sapientia, inquam, me ſibi mancipet, Quies interna & externa (ſi poſſit) habeat: ſibi alij famam, honores, opes, cetera humana. Vt claudam, amo te mi Pollio in intimo iſto pectore, & opus te meum eſſe (ita profiteris) non admitto ſolùm, ſed gaudens ſubſigno. Perge, perge in viâ quâ pauci calcant, ſed Deo & pietate ducibus, & per intemerata veſtigia maiorum. Louanij, Nonis xbris. ∞. IↃ.XCVII. Nam tuas litteras ſatis ſerò accepi, & heri demum.

EPIST. XXXIII. *Lutetiam.*

GVILIELMO BARCLAYO S. D.

AT tu ſiles. vbi promiſſa de Iliade aut Chiliade ad vnam lineam noſtram? Expoſtulo. eò magis, quia materies illîc ſcribendi & ſeges, quam delectam referas in horrea noſtra. Ab alijs de te cur audio, quæ non à te audio? Morſus & verſiculos in doctores aduenas vidi, nec ſine ſtricturâ nominis mei. Parùm eſt. tu modò rectus perge, nec deijcere, ſed nec deflecte aut ſiſte ad repugnandum. Monui anteà, & itero: modeſtia eſt, quæ te gratioſum exteris, quę magnum etiam faciat & ſeruet. Ad contentiones ſi venitur, clades erunt, & Thebana aliqua pugna, in quâ victi victoreſq; plorent. Miſeri homines, cur eò inclinamus? malitia eſt: vince, & quam dixi modeſtiam & frigus, ac me, ama. Louanij, ∞. IↃ.XCVIII.

EPIST. XXXIV. *Auguſtam.*

IACOBO PONTANO, *Soc. Ieſu.*

IN ſummo hoc frigore, cuius ego quidem impatientiſſimus ſum, calfecit me tamen amica tua ſcriptio mi Pontane: & excitauit non ad ſcribendum ſolùm, ſed ad redamandum. An non talem virum? inclino iamdiu, & ipſe quod tu voluiſti volui, ex quo ſcripta tua prima vidi: quod fuit Auguſtæ Treuirorum, ex dono & beneficio Principum Bauariæ, quos tranſiens ante ſeptennium illîc ſalutaui. Ab eo tempore, credes mihi hoc Pontane, & memoria tui inhæſit & probatio: atque ideò facilè accendere hanc materiam, igni ſic paratam. Quæ tu porro in me nimis benigno corde & ore laudas, ſcito pauciora omnia eſſe: dare tamen operam vt ſint, inprimis Modeſtia & Probitas, quas ego ęſtimo & tollo ſuper nomen omne litterarum. O inſtitutionem veſtram olim mihi vtilem! inhæret ea & inhæſit, atque illa Pallas fuit, quæ inter tempeſtates, imò naufragia, ſeruauit hunc Vlyſſem.

Eadem iudicium & ſenſum iſtum ad virtutes formauit, quas vtinam ſic indipiſci, vt ſequi, detur! ſed conandum eſt, & Deus manum dabit. Is te mi Pontane ſeruet, & inter nos mutuum hunc amorem. Louanij, x. Kal Febr. ∞. Iↄ. XCVIII.

EPIST. XXXV. *Lutetiam.*

STEPHANO TVRNEBO *Senatori* S. D.

TRISTE mihi auditu fuit, de Hadriani fratris tui morte, triſte: & pænè ſic, quaſi alterum illum, tuum & Muſarum parentem, iterùm amiſiſſimus: Nam & amicitia iam inter nos vetus ſatis, & certè fida, coaluerat: & raritas ibi nunc talium, à clade iſtâ funeſti belli. Solatur tamen, quòd & malis temporibus optimus ille ſubductus ſit, & ne in virtutum & artium bonarum iſto naufragio diutiùs iactaretur: ſolatur, quòd & tu in locum & vicem eius ſic vltrò venis, germanus Turnebi ſanguis. Veni, patent animi huius fores, & affectui tuo velut brachia pando & occurro. Sicut agricola in locum amiſſæ arboris aliam ſubſerit: ſic nos in amicis oportet. Equidem & corporis huius oculis vſurpare te, atque alios inſignes ibi viros, aueam: & ſpéſne eſt, vt vel obiter fiat? Aliqua, cùm pacem hanc video: maior, ſi valetudinem non videam, inclinantem & de omnâ (cur diſſimulem?) minantem. Sed ſiue viuo aut morior, veſtri amans viuam moriarque: vt tu mei, per parentis, & nunc fratris, magnos manes precor. Louanij, poſtrid. Kal. Sextil. ∞. Iↄ. XCVIII.

EPIST. XXXVI. *Antuerpiam.*

IOANNI MORETO, *Typographo celeberrimo.*

BRVXELLAE fuimus, ADMIRANDA obtulimus, grati fuimus: quid vltrà? inquies. Hoc ſatis: & cultû hunc atque alium Principibus debemus; & iamdiu imbibi bonum, quia bonum, amare. Externa ab his internis expetere aut exſpectare, inſcitia ſit: & cum alio æuo hæc fuerunt. Qui nunc, inquam, hæc quærit, audacter ei edico abijcere

Hæc ſtudia, atque omnes delicias animi.

Recuderete autem ADMIRANDA noſtra, mihi gratum ſit, priuſquã alibi alij. Factum in quibuſdam meis in Italiâ aut Galliâ: & indignor, aut ſi non licet, doleo. quia & perperàm multa; & mihiipſi præripiunt caſtigare quædam, aut recenſere. Quid? polita omnia, & ſub aſciâ, vt ſic dicam, à nobis dedicata? Non hercules. neque ita me *ludit amabilis inſania:* neque ſum ille vbique

Candidus, & talos à vertice pulcher ad imos.

Næui alibi, nodi, laxa quædam aut manca: & præoptem eluere, diſſoluere, adſtringere, adimplere. Neſcio enim quomodò faciliùs hæc diiudico & arbitror, nitidè excuſa à vobis, quàm confusè à me ſcripta. non enim exſcripta: & primam ferè manum noſtram ſemper habes. At iſti properi impediunt: calumniæ aut petitioni me exponunt. Noſti hodiernum * τὸ φιλεπίληπτον. & quàm multi, qui legunt hoc tantùm, vt carpant? ſcire abnuunt, & ſumunt iudicare. *cupidum reprehendere.

— hic nigræ ſuccus lolliginis, hæc eſt
Ærugo mera.

Iamnunc expertus in quodam altioris ordinis, qui luminibus meis ædificio ſuo ſublimi obſtruxit ſcilicet, & titulũ mihi ereptum inſcripſit. Faciat ipſe, aut alij: quid lædunt? non me quidem. ſed vt Sarpedon ille apud Homerum, haſtâ petens Patroclum, equum eius iugalem interfecit: ſic iſti non me tangunt, fortaſſe impetum & velut ardorem illum animi proſternunt, quo ad honeſta vehebamur. Etſi nec iſtum, & melior mentis ignis ſuſcitat, ſiquid ſoporis infuderunt. Sed abeant hæc, & valeant: ego vt iſtud, ad vos adſpiro. Quando? quàm maturrimè potero. nam etſi domi etiamnunc vincula, nec aperti carceres;

—— tamen iſtuc mens animuſque
Fert, & amat ſpatijs obſtantia rumpere clauſtra.

Semper ego non apud vos ſolùm hilarior, ſed à vobis melior redeo: gratia amicis & tibi, qui ſic comiter habetis. Tibi, cuius domo, cuius menſâ vtor, paſcor: an non hereditarium tibi onus? Nam cum Plantino, heu illo noſtro, teſſera hæc mihi ſancti hoſpitij: cum vxore poſt illum: & te liberem, vtriuſque heredem? Amice, ego tamquam polypus hæreo: per anticum emitte, per poſticum inſinuabo. Rides. & veni ſecurus ab hoc metu, inquies. Scio, veniam: & fors ſit ſcriptorum aliquid mecum. Vale, cum tuâ carâ & caris, quos ſaluto. Louan. VIII. Kal. Octob. ∞. Iↄ. XCVIII.

EPIST. XXXVII. *Antuerpiam.*

IOANNI BRANTIO, *Graphiario* S. D.

SOCERVM tuum libens vidi, mi Branti, virum prudentem, probum, patriæ amantem. Cuiuſmodi paucos hodie habemus:

mus: & multi res ſuas agunt & angent, communium prætextu. Enimuerò, ſpes ſub nouo hoc Principe & ſtatu noua ac melior nos reſpicit: ſi tamen & pax ab Angliâ affulget. Si non illa, & Bataui idem pertendunt: quam Salutis arcem vides? At ſunt qui etiam de Regis noſtri fato, ſanè importuno (ſi ita eſt) narrant. Id verò fuerit omnibus conſilijs noſtris, ſi non turbandis, certè tardandis. Deus adiuua, & miſeros Belgas tandem ſolarij aliquâ aurâ adſpira. De Orteliano Epitaphio, tecum volo: ſed languor meus mentem aut ſtilum vix erigit: & occupor, ſi vmquam. omnino tempore mihi opus, vt ſemel & opportunè fiat. Vale mi Branti. Louanij, VII. Idus Septemb. ∞. IↃ. XCVIII.

EPISTOLA XXXVIII.

IOANNI DRENCKWAIRTO, *Theſaurario.*

VENIT ad me Balduinus tuus, planè meus futurus, quia tuus. Nec aliâ commendatione eſt opus. In ſtudijs eius dirigendis prima nunc cura erit: & placuit valdè iudicium tuum de Græcis. Profectò, vt hodie iudicia ſunt & exacta eruditio, nemo in aliquâ claſſe, qui linguâ eâ non ſit ſaltem tinctus. Et vſum etiam ſuum, immò dixerim neceſſitatem, in omni ferè ſcientiarum genere habet. Itaque diſcet: ſed non apud alium, quàm me præceptorem. nam domi exercitia, & quaſi gymnaſium eius linguæ habemus. De Philoſophicis, mihi ſatis videbatur eum ad diſputationes ſæpè ire, quæ publicè in Collegijs habentur: atque ea optima ratio eſt & repetendi, & examinandi. Supereſt Iuris ſtudium, quò credo eum deſtinari. & putem ſatis eſſe primo hoc anno, ſi Inſtitutiones audiat, nec longiùs in illud pelagus ſe mittat. Nam ſtilus, & eloquentia etiam aliqua aſſumenda ſunt, atque vtiliſſimæ huic in omnem vitam parti dandæ ſuæ partes. Hæc ita faciemus, niſi ipſe aliquid mutas: & paullatim ac per gradus optimam indolem (ita mihi videtur) ducemus ad optima, & ſcientiarum laudatum illud culmen. Deum precor, vt adſpiret: eundem vt te, Ampliſſ^me^ & Nob^me^ Domine, Principibus, & rebus noſtris diutiſſimè incolumem ſeruet. Louanij, VIII. Kal. Feb. ∞. IↃ. XCIX.

EPISTOLA XXXIX.

HVBERTO AVDEIANTIO.

IN domum meam cùm venturus ſis (ita vterque volumus:) quid præcipui muneris tui futurum, non ignoras. Prædixi à manu, lectione, & ſtudijs mihi eris: alius functionis, quæ ab ingenio aut inſtituto tuo diſcordet, immunis. In excipiendo autem aut deſcribendo, dixi Orthographiam aliquam noſtram ſequi & ſcire te debere: ſed & vſum diſtinctionum, qui nobis frequentatur. De iſtis hauebas diſcere: & quamquam ad quædam in publico Dictata te remitterem, tamen ecce ipſe operam hanc tibi iterùm ſubij, & ſcripto complexus ſum quidquid huius rei, pro meo ſenſu, eſſet. Lege, ſequere & vſurpa. *Diſtinctio* duplex, *Sermonis* & *Scripti.* Illa, *quam in pronunciando adhibemus, & per interualla ſuſtinemus, ſuſpendimus, aut deponimus ſermonem.* Comma ſuſtinet, Colon ſuſpendit, Periodus deponit. *Hæc virtus Diſtinguendi* (ait Fabius) *fortaßè ſit parua, ſine quâ tamen eſſe alia nulla in agendo poteſt.* En momentum, quod in Sermone habet: quid ſi maius etiam in Scripto dicam? Nam hercules confuſa tota lectio & intellectio, niſi notæ ſuæ diuidant & quaſi manuducant. Quid igitur ea eſt? *Notandi certa ratio, quâ ſecamus & partimur ſcriptionem.* Ea quæ veteribus fuerit, quærunt: ego ampliùs, an fuerit, quæro. Nam priſca omnia monumenta, lapides, tabulæ, æra legum aut orationum: in quibus omnimoda adhiberi ea potuit: nullam præferunt aut habent. Niſi hanc tamen, quâ ſingula verba punctis ſuis diſparant & ſecernunt: ſed punctis vniuſmodi ſemper & pari formâ. Quæ res, vt verum fatear, turbet magis & ſiſtat lectorem, quàm transferat & adiuuet. Quod de lapidibus dico, ad libros etiam priſcos traho: nec in ijs Diſtinctionum illæ variantes notæ. Vt alios omittam, exſtant nobiles illæ Pandectæ Etruſcæ, à Iuſtiniani æuo: quære, non dabunt. Quid ergo? ante Iuſtiniani æuum non fuerunt? mox videbo: ſed tamen antiquitùs omnino, haud puto. Atqui Cicero & alij videntur agnouiſſe. vt Craſſus apud eum loquens inducitur: *Non librariorum notis,* III De Orat.
ſed verborum & ſententiarum modo, interpunctas clauſulas in orationibus veteres eſſe voluerunt. En *notas à librarijs*, & quidem in *clauſulis*, & gratiâ interpungendi. Idem pro

Murænâ, in Iuriſconſultos illudens: *eos in ſingulis litteris, & interpunctionibus verborum occupari.* Significat ſenſum mutari, & cautionem vel cauillum eſſe, ex interpunctis. Quid Seneca, nónne clarè? *Nos*, inquit, *etiam cùm ſcribimus, interpungere ſolemus.* Ecce *interpuncta*, & quidem *ſollennia in ſcribendo.* Hæc ſiſtant, aut viâ illâ ſententiæ eijciant: ſed neſcio an prouidum & ſagacem. Nam prior Tullij locus poſſit planiſſimè altrouorſum duci, quaſi dicat Veteres ideò non vſurpaſſe in clauſulis interpuncta, ne ea potiùs, quàm modum & modulum, in verbis, conſiderarent. Locus alter, dicat Iuris interpretes in minutis occupari, ſcrutari in contractibus apices litterarũ, & puncta verborum: quia nempe ambigua ſæpè hæc iſta, & ad interiora aut ſequentia ducenda. Id enim eueniebat in illis ſolitarijs punctis, quę verba, vt dixi, ſingula, non membra aut ſenſus ſecernebant. In Senecâ hæreo. & an dicit, ſpiritum ſtilumque hominis naturaliter etiam pauſare in ſcribendo, & interquieſcere cum ſententiâ: non rapidè ſemper, & torrentis vicem, ferri? Profectò dicit: vide. Nam tota eius diſſertatio eſt, contra præcipites illos & effuſos in loquendo, & curſu verba conuoluentes. Quando igitur origo? nam res tam vtilis, &, quod caput, tam obuia, ad quam Natura ipſa ducit, non debuit, non potuit diu quæri. Dicat aliquis ſub Hadriano cœpiſſe. quia in Suidâ lego

In Νικάνορ. de Nicanore quodam Grammatico eius æui, ſcripſiſſe Περὶ στιγμῆς τῆς καθόλου βιβλία ἕξ: *De interpunctione in genere libros ſex*: itemque partitè, Περὶ στιγμῆς τῆς παρ' Ὁμήρῳ, καὶ τῆς παρὰ Καλλιμάχῳ: *De interpunctione apud Homerum, & apud Callimachum*: neque aliud egit aut ſcripſit, ita vt per iocũ Στιγματίας, *Interpunctus* aut *compunctus* (ſeruile conuicium eſt) vocaretur. Potuit igitur tunc agitari de inducendâ, etſi nondum vulgò inductâ. Cer-

Lib 11. c. De Pronunciat. tiſſima quam reperio, mentio eſt in Diomede Grammatico: qui *appoſitionem puncti* (ita

Lib. 1. Inſtit. Diuin. Lect. loquitur) in triplici differentiâ agnoſcit. Differentia eſt, quæ elatiùs apud Caſſiodorum ſic expreſſa: *Sed vt his omnibus addere videaris ornatum, Poſituras, quas Græci* θέσεις *vocant, id eſt puncta breuiſſima pariter & rotunda, & planiſſima, ſingulis quibuſque pone Capitibus, præter tranſlationem ſancti Hieronymi, quæ colis & commatibus ornata conſiſtit. quoniam illuſtrem faciunt orationem, quando ſuis locis aptata reſplendent. Nam ſi corpus noſtrum indiget per membra cognoſci, cur lectio, cùm ſuis partibus videatur eſſe diſtincta, confuſa relinquitur? Iſtæ quidem Poſituræ ſeu Puncta, quaſi quædam viæ ſunt ſenſuum, & lumina dictionum, quæ ſic lectores dociles faciunt, tamquam ſi clariſſimis expoſitoribus imbuãtur. Prima eſt, Media; ſecunda, Subdiſtinctio; tertia, Plena. Quas à maioribus noſtris ideò conſtat inuentas, vt ſpiritus longâ dictione fatigatus, vires ſuas, per ſpatia decreta* (ſiue *diſcreta*) *reſumeret. Quas ſi manis cupidus lector agnoſcere, Donatum lege, qui te poſſit de hac re, breui compendio inſtruere.* Pleraque omnia hîc habes: Nomen, Vſum, Diſcrimen. Nam veteres *Poſituras* vocarunt:

atque ita Iſidorus. *Poſitura*, inquit, *eſt figura ad diſtinguendos ſenſus per Cola, & Commata, & Periodos. dicta, vel quia punctis poſitis annotantur; vel quia ibi vox, pro interuallo diſtinctionis, deponitur.* Ex nomine nouitio (hoc quidem ſenſu) vides rem non eſſe perantiquam. Addit Vſum, qui liquet. Diſcrimen deinde, triplicem eam eſſe, *Mediam, Subdiſtinctionem, Plenam.* Iſidorus autem ita: *Sunt tres Poſituræ. Prima Subdiſtinctio dicitur: eadem & Comma. Media diſtinctio ſequens eſt: ipſa & Colon. Vltima diſtinctio, quæ totam ſententiam claudit: ipſa eſt Periodus.* Talia Diomedes: & conſentiunt etiam in Notis, quæ, Iſidori verbis, ſunt iſtæ. *Vbi in initio pronunciationis necdum plena pars ſenſus eſt, fit Comma: Punctuſque ad imam litteram ponitur. & vocatur Subdiſtinctio, ab eo quòd Punctum ſubtus, id eſt ad imam litteram accipit. Vbi autem in ſequentibus iam ſententia ſenſum præſtat, ſed adhuc aliquid ſupereſt, fit Colon, mediamque litteram puncto notamus: & Mediam diſtinctionem vocamus, quia Punctum ad mediam litteram ponimus. Vbi verò iam per gradus plenam ſententiæ clauſulam facimus, fit Periodus: Punctumque ad caput litteræ ponimus, & vocatur diſtinctio.* Vbi vides aliâ à noſtrâ diſtinctionem fuiſſe, quod ad notandi poſituram aut ſignum. Nam idem punctum manebat, ſed locis variabat. In fine Caſſiodorus remittit ad Donatum: & ſunt eadem iſta etiã hodie in illo mutilo & fracto. quid opus verba reddere? Nos variaſſe iſto æuo, non ignoras. & viros doctos pleniùs paullò diſtinxiſſe, in *Comma, Semicolon, Colon, Periodum. Comma*, vbi minima reſpiratio eſt, & ſemicirculo notamus,. *Semicolon*, vbi paullò maior, nec ad Colon tamẽ accedit, notamuſque;. quod locum ſæpè habet in *Contrarijs*, aut *Diſiunctis*, aut variâ *Partitione. Colon* autem, ſententiâ in parte perfectâ, ſed etiam creſcente, & ſignamus duo pũcta:. At *Periodi* nota eſt

pun-

Lib. 1. cap. xx.

punctum, longæ ſiue breuis. Nam & breues Periodi ſunt (in epiſtolis creberrimè) quaſi membra: & hæc ipſa punctus ſignet: ſed cum diſcrimine, vt grandiore capitali litterâ non excipiantur. Iſta de Diſtinctione veteri, & noſtrâ, ſed in vnâ Periodo aut ſenſu. Eſt alia, quæ veterum fuit, nunc deſijt, meo voto reuocanda. Per verſus libros diuidebant, & curiosè librarij ſubnotabant: quod vetus eſſe, & ab Aſconij, id eſt Claudij æuo, apparet. Nam is in Commentarijs, verba Ciceronis cùm citat & aduocat: *Verſu*, inquit, *à primo* DCCCL. Item: *Verſu circiter* ∞.XI. iterumque: *Circa verſum à primo* LXXX. Verſus appellat. vt & Græci στίχους. Nam ita Diogenes de Ariſtotele: *Libros eius omnes* continere μυριάδας στίχων τέτταρας καὶ τετταράκοντα, πρὸς τοῖς τούτοις δισχιλίοις καὶ διακοσίοις ἑβδομήκοντα: *quadringenta quadraginta quinque millia verſuum, itemque ducentos ſeptuaginta*. Item de Chryſippo, qui πολυγραφώτατος fuit, *in diem ſcripſiſſe verſus quingentos*. Plinius de Zoroaſtre: *vicies centum ab eo millia verſuum condita*. Galenus, *Lyci cuiuſdam commentarium ſe legiſſe, adeò prolixum, vt quinque millia verſuum contineret*. In Diuo Hieronymo, epiſtolâ ad Magnum, oratorem Rom. *Scripſerunt contra nos Celſus atque Porphyrius: priori Origenes, alteri Methodius reſponderunt. Quorum Origenes octo ſcripſit libros, Methodius vſque ad decem millia procedit verſuum*. Iterùm ad Damaſum, Epiſcopum Rom. *Quos mihi iampridem dederas Lactantij libros, ideò non libenter lego, quia & plurimæ epiſtolæ in eis vſque ad mille ſpatia verſuum tenduntur*. Denique Iuſtinianus in Pandectis ſuis *quindecim myriades verſuum eſſe*. Ex quibus omnibus liqueat, certam & perpetuam diſtinctionem in Verſus fuiſſe, in omni volumine & deſcriptione reperiendam. Sed fuerúntne igitur veri Verſus, ſiue lineæ? Hæremus. ſi fuiſſent; quomodo in membranâ aliâ atque aliâ ſic caderent? quomodo in litterâ maiore aut minore, vt ſolet? Niſi quis putat aut variaſſe per libros: aut certos modulos cuique volumini tributos, quos velut lege ſeruarent. Tale Lib. VI. aliquid Iſidorus: *Quædam nomina librorum apud antiquos certis modulis conficiebantur. breuiore formâ Carmina atque Epiſtolæ, at verò Hiſtoriæ maiore modulo ſcribebantur*. An ſatis huc faciat aut firmet, neſcio: poſſit tamen aliquis & Verſus explicare membra minuta, & ſectiones ſic inſtitutas. Hieronymum Præfat. in Iſa. auctorem habeat. qui alibi *Prophetas verſibus deſcriptos* à ſe fatetur: & communiter de libris Sacris, *Siluam nominum, ſenſuumque* Prolog. in Paralip. *barbariem per cola verſuum digeſſiſſe*. Neque aliud ſanè vult, quàm quod Caſſiodorus: *Primum D. Hieronymum, propter ſimplicita-* Lib. I. Inſtit. Diu. Lect. *tem fratrum, colis & commatibus ordinaſſe tranſlationem ſuam*. Et idem alibi: *Tranſlatio ſancti Hieronymi colis & commatibus ornata conſiſtit*. Ergo idem iſti *Verſus* (Hieronymo quidem) quod *Cola* & *Commata*: & quid autem iſta? nil niſi *Membra*, & *Sectiones*. Nam ſic hodieque *Biblia* illa *Sacra* vtiliter legimus diſtincta, & ipſi *Verſus* appellamus. Notat autem idem ſanctus ſcriptor, exemplo priſco ſe hoc feciſſe: *quia idem*, inquit, *in Demo-* In Iſa. *ſthene & Tullio fieri ſolet, vt per cola ſcribantur & commata*. Caue acceperis de Interpunctis, eo nomine: fallêris. quod dixi intelligunt: & ita Demetrius definit, *Colon, aut ſimplicem periodum, aut compoſitæ periodi partem*. Ita Cicero *Commata* ſententias acciſas In Orat. ad Brutum. & breuiores, ſed plenas: ita & Hermogenes genus tale ſermonis, κομματικὸν καὶ διαλελυμένον appellat. Hæc igitur fuiſſe videntur. ſi non; vt nunc ſint, & exemplum illud Hieronymianum vſurpetur, conſilium meum ſit & votum. Valdè ex vſu lectorum, & eorum qui excerptum aut ſubnotatum aliquid volunt, hoc eſſet. cùm ecce Liuium, Ciceronem, tales, non niſi per libros aut orationes diuiſos habemus: & longum nec promptum in totis ijs aliquid quærere; facile & obuium, ſi Verſus deſignarent. Induſtrius aliquis vir facere debeat, & Typographi imitari. Vale, & ad nos quàm maturrimè veni.

EPIST. XL. *Vltraiectum.*

HADRIANO VANDER-BVRCHIO S. D.

OSCVLA tua & OCVLOS accepi, & FVNERA mox & TRISTIA, quæ decorè ſubiunxiſti. Æterna ita lex eſt, vt hæc in vitâ & vſu temperentur: benè ergo & in Carmine, quod imaginem illius habet. Grata fuerunt, vnâ re minùs, quòd miſſioné eam excuſandam putaſti. Apud méne? qui ſemper talibus delector, vel paſcor veriùs: & certè non ſæpènunc, vt æuum eſt, ingeruntur hæc mella. Ferox ille Mars, qui regnum poſſidet, animis ferociam & duritiam inſerit, & abducit ab omni cùm humanitate, tum humaniorum artium cultu. Patiamur, quæ non mutamus. At de EPISTOLIS meis, etiámne illîc vobis viſæ? & tibi placuiſſe ſignificas: non alijs fortaſſe, ſiqui alieni ſunt à nobis. Vnâ religionis illa cauſſa,

id eſt res capitalis, vos non diuidat! cetera diſſimulari poſſint,etſi non probari.Quando autem emendari? leuis & frigida ſpes, ſi homines video; ſi Deum,magna. Vtinam nos modò emendemur, &

Per noſtrum liceat ſcelus
Iracunda Iouem ponere fulmina!

Sed de EPISTOLIS, alias paramus: neque temerè tamen vos amicos immiſcemus, ne beniuolentiæ ſpecie noceamus. Vale V.Cl. & fratrem tuum V.R. Decanum ſaluta. Louanij, VIII. Kal.Maijas, ſtatim vt tuas accepi.

EPIST. XLI. *Bruxellam.*

IO. CAROLO ÆNOBARBO, V.N.S.D.

SERIVS omnino epiſtolam tuam accepi, non amoris ſolùm, ſed curæ de me plenam.Cùm enim Antuerpiæ fuiſſem,itemq; dies aliquot Bruxellæ veſtræ; ecce reuerſo demum epiſtola ea mihi reddita, cui alioquin animus & ratio erat vel ſtatim reſpondere. Hoc igitur excuſo,& ad rem nunc ipſam pergo. Ais te audiſſe de itinere meo in Italiam,& parùm probare ſignificas,imò libero & aperto ore(hoc quoq; amici)diſſuades. Vt tibi totum ſenſum meum aperiam, diffundā me paullùm, & in hoc chartaceo æquore exſpatiabor,te,vt ſpero,fauente aut certè non ſiſtente. Igitur de migratione aut mutatione aliquā conſilij aut ſtatus,hoc inprimis cogitare te deprecor: neque eſt tale aut fuit, & in iſtâ præſenti meâ conditione & patriâ acquieſco. Quid enim alibi quæram aut ſpectem?opes? modicę obuenerūt, ſed quas animus iſte(audacter dicā)magnas facit,in minoribus etiam magnus.Fines mihi habendi iamdiu poſui, & quod naturæ ſatis eſt,etiam cupiditati.Sed mihi vltrà obuênit, & ad morem etiam viuere poſſum, non ſolùm ad naturam. Ergo ab eâ parte nulla cauſſa migrandi aut innouandi. An ambitio fortaſſe impellit?& famam nouam apud nouas gentes quæro? Liberè dixerim,adeſſe eam ſuper vota,non ſolùm ſuper merita: & vnum illud mihi curæ eſſe, non vt augeam, ſed vt coërceam,ne in vana aut ventoſa effundar. Itaque ab vtrouis iſto telo an ſtimulo non impellor:quæ autem vera cauſſa conſilij mei,candidè & ſimpliciter audi. Annus Sęcularis ille facer inſtat,qui ex omni terrarum orbe Chriſto ſacratos homines ad ſe euocat:ecce inter illos ego ſum: cur non fas obire & frui hunc Pietatis fructum? Ego verò fecero, eò iuſtiùs prōptiuſque,quòd onera domi non ſint, quæ remorentur aut ſiſtāt. Nulla iuuencula vxor,quæ humentibus oculis abeuntem detineat;nulli parui liberi,qui collo ſe innectant & ingeminent parentem. Pietatis hoc ſtudium liberum eſt: & propior aut iuſtior nulla ratio,quæ ſiſtat. At cauſſa etiā altera, Valetudo. Tredecim amplius annos in triſti eâ ſum & aduerſâ;vitam nec vitalem,vt ſic dicam, viuo; & traho magis ſpiritum,quàm duco. Quis ille baro mihi inuideat aut obijciat, ſi refouere eam vel instaurare peregrinatiunculâ tentem? At enim tenue aut infirmū mihi corpus,nec par moleſtijs. Agnoſco, ſed hoc quoque vſu didici, illud ipſum aſſurgere & excitari per viam & motū. Meliùs notabiliter habere ſoleo, cùm ambulo: & ideò iure hanc veniam peto, vt ij qui viuere me volunt,patiantur transferri & moueri. Denique cauſſa tertia, viri Principes qui inuitant. Humanitatis eſt ijs ſe dare,& animum flectere ad deſideria aut imperia illorum. At,inquies,illi ipſi te illigabunt & ſiſtent,& hoc amicos tuos angit. Audio, fateor,ab alijs metus ſimiles:& timere me aliquid inducat communis hic timor.Cùm tamen oculos ad me & hoc animi decretum reflexi, ridere magis ſubit, quàm vereri. Egóne vt in hac ætate, & quod caput eſt in hoc languore, ad ſedes me dem & ſpes nouas?Iamdiu in ipsâ patriâ meâ rudem cogito,& mereri me antumo: tranſibo,& includi me patiar,in nouū ludum? Non faciam, mi Ænobarbe: apud me, apud meos maneo: & niſi Fatum aut Vis intercipiunt, intra paucos menſes Belgis me reponam. Deum rogo, vt ita ſit: te autem,vt hanc eſſe mentem meam credas, quam ipſam tibi aperui, remoto omni ſimulationum velo. Vale Vir Nobilis & Clariſſ. Louanij, VIII.Kal.Iul. ∞.IϽ.XCIX.

EPISTOLA XLII.

IOANNI DRENCKWAIRTO, *Theſaurario.*

SICVT inter primos conſilij mei de peregrinatione Italicâ certiorem te feci: ita nunc debeo de impeditâ eâ, aut ſuſpenſâ. Litteras ex Italiâ nudiuſtertius accepi, quibus ſignificant & peſtem in aditu atque ore Italiæ ſæuire incipere, & metum eſſe ne in reliquum corpus peruadat. Imò iam in Ferrarienſi tractu initia etiam eſſe. Itaque addunt deliberari Romæ,an ſacer annus in

alte-

alterum ſequentemque non ſit prorogandus. Hæc cauſſa iuſtiſſimè facit, vt tardem in hoc itinere, & in Veris ſaltem tempus protollam, aut & totum omittam. Nam cur apud te diſſimulem? Animus auet & impellit peregrinari, ſed corpuſculi huius imbecillitas & pertinax inualetudo, cùm ad iudicium redij, diſſuadent. Ergo de cognato tuo nihil vltrà, nunc quidem, cogitandum. maneat, ſtudeat, ad metam ſuam eat. Quod cum bono Deo facturum eum ſpero: vtinam nos publicè ad optatam illam metam Pacis! nec deſpero in Principum aduentu. Ampl. & Nob^me^ Domine, Deus te Reip. & Principibus, ſed & nobis, ætatem ſeruet. Louanij, VIII. Kal. Sextil. ∞. IↃ.XCIX.

EPIST. XLIII. *Antuerpiam.*

PETRO LAFALLIO, CAROLI F.

EPISTOLAM perbenignam à te accepi, inopinatam, & ideò magis gratam, quia iuuat tales habere qui ament, cupiant, iuuent. Nam nec hoc poſtremum abnuerim, vbi opus ſit aut opportunitas: ac fuiſſet ſanè in Italico noſtro itinere, ſi id pertendiſſemus. Sed quæ interuenerint, audiſti. Omitto meam inualetudinem ſic affectam, vt medici pro ſano me non facturum putent, ſi ſuſcepiſſem: omitto inquam, & animus potuiſſet corpori imperare & vincere: ſed publicæ illîc cauſſæ ſunt, quæ me quidem iuſtè videntur vel tardare vel arcere. Quidni, cùm illi ipſi deliberent & cunctentur, qui me vocant? In hac ætate aliquid calidè aut temerè à me fieri indecorum ſit, nec veniam habeat quam in iuuentute. Itaque differo aut ſuperſedeo; haud libens, ſed ſatis, id eſt, Deo didici parêre. Tibi autem gratias debeo, & ſemper in animo habebo, pro hac beniuolâ oblatione hoſpitij in domo tuâ Veronæ: quam vrbem certum mihi erat videre, & ſuâ elegantiâ celebrem, & memoriâ antiquâ. Quod reponam, nunc non habeo, præter animum: quem ſcito & tibi addictum promptumque eſſe, atque etiam tuis. Inter eos Petro Scholerio, cognato tuo · factum volo, & faciam vbi occaſio erit. Re hoc malo oſtenſum, quàm verbis dictum. Vale Vir ornatiſſime, & cum tuâ tuiſque ſalue. Louanij, IX. Kal. Sextil. ∞. IↃ.XCIX.

EPIST. XLIV. *Antuerpiam.*

IO. WOVERIO *ſuo* S. D.

HABES heſternas meas, quid iſtis opus erat? in vnâ modò re, quam memoria tunc mihi ſubduxit. Buyteweehianæ epiſtolæ exemplar Micaultianæ inijciendum erat: quia ſcis quàm res eum tangat. Itaque neglectum à me, fieri per te rogo. Ampliùs, ferre te hanc mutationem conſilij, & in eâ philoſophari circa ſpes aut cupidines coërcendas. Numquã indulgendum nimis eſſe. ſed vt ij qui in procliui ſunt, ſeſe & equos ſiſtunt: ſic in optabilibus & lætis faciendum, ad quæ animus ſponte fertur. Vis cogitare Deum aliquem moderatorem vitę & actionum eſſe? illum amantem & curantem noſtri? Impediuit, diſturbauit: ergo noluit: ergo neque ex vſu fuit, etſi animus aliter vellet. Illum igitur ad diuinum apto, & non renuenti paſſu fati curſum ſequor. Fac, mi Woueri, & ſimul quid parenti & tibi viſum (in tuis rebus dico) fac ſciam. Vale. Louanij, VII. Kal. Sextil. ∞. IↃ.XCIX.

EPIST. XLV. *Leodicum.*

P. IOANNI ORANO, *Sacerd. Soc. Ieſu.*

IAM denique ſedet tuum & amicorũ conſilium (nam omnes amici in eâ parte:) manemus, nec Italiam hoc tempore adimus. Præter valetudinem meam nimis tenuem & infirmam, mouet & publica in Italiâ lues, quæ ipſa limina iam inſedit. Ab Vrbe litteras habeo, & moneor ab ijs qui calidiſſimè inuitarunt, vt deliberem & cunctęr, quò lues ſe iſta dabit. Imò ſeriò agitari de Anno ſacro prorogando, ſi paullùm ſe diffundit. Scis autem quas moleſtias Italia peregrinantibus dare ſoleat, vbi vel ſuſpicio eius morbi eſt; nedum vbi ipſe. Itaque iam ſcripſi dilaturum me iter in Ver proximum, & tunc fortaſſe omnia ſerena magis, & certa quidem fore. Quid ipſos aut me iuuet, periculis & moleſtijs fruſtrà exponi? Ea dilatio conſilium etiam magis dabit, etſi propendeo in patriâ & meâ iſtâ Spartâ manêre. Apud te hoc promo. & quid me inuitet? pietatem tamen ſepono: an pecunia? nec exſpecto, nec peto: an ambitio? fortaſsè minuam aliquid de famâ aſpectus, nihil ad eam addam. Quicquid ſit, ætas mea & iudicium iam maturiora, à vanitate abhorrent: & fortaſſe in pompam ac ſpeciem mul-

multa illîc dicēda, aut gerenda. Præcogitaſſes hoc, inquies, nec addixiſſes. Melius erat. ſed tamen vel ſic præſtat ante viam ſiſtere, & temerè aut calidè aliquid dixiſſe, quàm feciſſe. Calorem tamen meũ religio & pietas excuſabit, quã Deo teſte affirmo in oculis præcipuè mihi fuiſſe. Vale Reu[de] Domine, & hæc cum fratre tuo V.C. Petro Orano, id eſt, cum me altero patricipato. Lampſonium communem viam inijſſe audimus: Deus manibus eius propitius eſto. Louanij, VI. Kal. Sextil. ∞. Iↄ.XCIX.

EPIST. XLVI. *Antuerpiam.*

HENRICO VWENO *I[to]*.

BENE eſt mi VWENE, benè eſt (nam familiariter & abruptè apud te ordiar) quòd in eandem ſententiæ partem mecum venis. Improbari tibi ſignificas iter Italicum, idque magis quàm magis cogitas: tibi autem? imò addo verè & ſeriò, amicis pleriſque meis omnibus, cum quibus ſcripto vel ſermone de eo egi. Quid autem alios nominem? ego ille paullò antè calidus valdè & deſtinatus, cùm iuſtâ iudicij lance rem pondero, remitto affectum, & in rationis partem incipio propendēte. Duo me maximè mouent. prius, quod & tu tangis, metum ſubeſſe ne veniam faciliùs, quàm me recipiam: & ne remora mihi illîc, aut & manus iniectio, per beniuolentiam fiat. Quod ſi eſſet; iuro tibi ſanctè, vitalis non ſim, & nullo modo mores, ingenium, vitam ad illud cælum & homines nunc aptem. En ſeneſco, & cani ſpargunt meas genas: mutabo familiarem aërem, locum, victum, amicos? omnia noua ſenſibus oculiſque iſtis obijciam, & in metâ pænè vitæ, noua vitæ ſpatia ingrediar & decurram? Mihi crede, hæream aut deficiam iuxta ipſos carceres: neque nunc ad ſenile & compoſitum ingenium faciant, quæ voluptati erant olim. Pompam dico, & ſplendorem, & ſpecioſa omnia: præ quibus maturus & iam frigens hic animus otium, ſeceſſum, tranquillitatem amat. Duæ peſtes humani generis Ambitio & Auaritia, altera nec olim me cepit; altera iam à pluſculis annis dimiſit, & nec laciniâ me tenet. Quid cogitem, aut cupiam? niſi paucos hos & extremos annos, id eſt, pauxillum vini mei reliquũ, Deo libare & melioribus vtilioribuſque Muſis, quatenus eidem Deo viſum? Huic fini quies mihi conuenit, nec concutere corpuſculum hoc caducum, fragile, & velut putre ædificiũ, ruinæ iam propinquum. Enimuerò cogitaui & anteà, fateor; ſed Spes illa blanda & inſidioſa mortalibus diua, ſuggerebat ipſo motu & mutatione valetudinem poſſe corrigi, fortaſſe & erigi in tectum & veterem ſuum ſtatum. Suggerebat: ſed cùm rei vicinus & viæ, me examino (ſecundum hoc quod me mouet, eſto:) Deum teſtor, tam imparem me longo huic itineri, quàm nauigationi ad extremos Indos eſſe. Suſcipere poſſum, patrare non poſſum, & in viæ quadrante deficiã aut ſubſiſtam. Hæc ita ſunt: ſed quare addixiſti? inquies. Nollem factum, vt liberè dicam: ſed me & illorum, qui vocabant, benignitas induxit; & mea item cupiditas (cui pietas mixta) prouexit. Suaue erat in cogitatione & animo, reuiſere viſa olim loca, tot vrbes, tot homines nobiles, & multos ex ijs nobis amicos. Sit venia honeſto deſiderio: ſit venia etiam impotentiæ, quæ exſortem me effectus facit. Quid autem quòd ab ipſis mihi ſuggeſta excuſatio? imò diſertè iam bis ſcriptum, ne quid adproperem; & metum ibi luis eſſe, ac iam fines & limina Italiæ inſediſſe. Vt nihil aliud ſit, honeſtiùs aut certè prouidentiùs maneo, & iter totum ſi non tollo, iuſtè protollo. Quòd autem tu mantellum etiam & velũ aliquod ab Aulâ quæris, nihil eſt, nec eò indigeo: & tranſluceat hęc purgatio, & callidi illi demant à verâ facie hanc perſonam Itaque in te maneamus, ſecuri iudiciorum, ſiqua præter rem dabuntur. Extremum quod vel inimici dixerint, ſit leuitas & temeritas: eſto: malim dixiſſe aliquid temerè aut ſcripſiſſe, quàm feciſſe. Ibi pudor dumtaxat, hîc pœnitentia ſit adiuncta. Vale mi amice, & feriò te ſcio mihi, & me tibi eſſe. Louanij, Kal. ipſis Sextilibus. ∞. Iↄ.XCIX.

EPIST. XLVII. *Eódem.*

IO. WOVERIO *ſuo* S. D.

EGÓNE vt de Galliâ tibi diſſuadeam? tum planè à me abeam, imò mentis meæ exſors ſim, & cum Homero, * τὰς φρένας ἐκπεπαταγμένος. Galliam, Galliam in pectore amo, in ore circumfero: & quidni? bonarum artium amãtem, & ideò mei quoque (vtinam meruerim!) diligentem. Illa verò tellus ingenia ſemper habet, plurimùm format: & ſiquid nunc incultum aut ferox, à triſti & * πολυφθόρῳ iſto Marte eſt, qui nimis diu eos preſſit. Ipſa gens facta ad virtutem, alacritatem,

* mente captus.
* humano

tem, humanitatem: quâ poſtremâ ceteras orbis terræ gentes vincunt, certè vicerunt. Sed fuerint hæc *ἐπαχθέστερα καὶ ὀλέθρια: beata Pax tranquilla omnia referat, & veterem ijs indolem ac mores reddat. Eſt, aut erit: tu intereà me auctore viſe, oblectare, diſce. hoc poſtremũ feriò, nec ludus aut aberratio tibi ſit, peregrinari. Plato iuuenes in ſuâ Rep. ab eo arcebat, quia vix apti eligere, & nouiſſe quæ proſint: at ſenes non ire ſolùm, ſed mitti volebat, relaturos ſiquid boni moris aut exempli vſquã eſſet. Hunc finem, hunc animum, etſi non annos, habe: & velut ſpeculatorem miſſum te cenſe, cum Diogene aliquo, ad res humanas explorandas. Splendet aliquid aut placet? accede, tenta, an verâ luce: & ſi illâ, mirare, aut adſume. Sordet aut iacet? calca, non ſolùm tranſi, & animoſâ fiduciâ ad meliora abi. Vt rem tibi dicam, vbique vtrumque reperies: alibi crebriùs, rariùs, bona, mala, mixta. Iuuet te, quòd iudicium iam (aut fallor) in bonam partem formaueris, & firmus ſtare poſſis contra vanitatem, non ſolùm prauitatem. O fac, & contubernio meo honorem hunc concilia, prudentiæ aliquid ab eo, non ſolùm ſcientiæ hauſiſſe. Si hanc ſolam; abdico, vt olim ſeueri illi parentes. Ceterùm de Italiâ, nolim vltra te aut me titillet. mihi extinctus ille ardor (ita enim fuit) â ſedatæ rationis quodam imbre; velim & te reſidere, nec meditari fortaſſe vana rerum. Res ipſas quæramus: vmbras, pompas, breues ſtricturas, recto oculo videamus, noſcamus, ſpernamus. Teſtimonium, quale volebas, hîc habebis: de litteris fac nunc gratiam; occupor, quâ in re? extremâ (ne percellere) & teſtamentum cum vxore meâ iunctim condo. Hoc vera ſapientia iam olim fieri ſuaſit; nunc etiam plebeia, poſtquã ſuperus ille Apollo *Νοῦσον ἀνὰ πόλιν ὦρσε κακήν. Itaque funera in oculis habemus, etſi per hos dies rariora, & miteſcere malum videatur. Deus donet, & te quò tendis ſanum ire, redire, & manere meum ſemper. Louanij, IV. Idus Sextil. ∞.IↃ.IC.

* Aſpera & periculoſa.

* Vrbi immiſit morbum triſtem.

TESTIMONIVM.

Ego, ſi quidquam bonâ fide, tamnunc teſtificor, hunc Io. WOVERIVM *è contubernio & domo meâ adoleſcentem, mihi carum, Modeſtiæ, & Muſis fuiſſe: quas ſemper coluit, & vitam ad optima præcepta, ingenium ad artes conformauit. Commendo ſeriò, bis ſeriò, quicumque illa amant: addam & verecundè, ſi quis me amat, vt factum huic velit. Fuco verborum nemini imponam, nec ipſe morum: candidus eſt, bonis benè natus eſt, & ſiquid ad rem, in re bonâ. Fauete, qui hæc legitis, & breue ſed fidum elogium cenſete: quod à vobis ampliùs auferet, ſi noſcetis. Louanij, IV. Idus Sextil.* ∞.IↃ.XCIX.

IVSTVS LIPSIVS.

EPIST. XLVIII. *Bruxellam.*

IOANNI DRENCKWAIRTO, *Theſaurario Belgij.*

VALETVDO mea adegit, vt domum properarem: idq; breuiore viâ illâ Mechlinienſi. Ita vos non vidi, niſi affectu & animo: quem quomodo non ſæpè iſtuc mittam, magis magiſque beneficijs veſtris deuinctus? Ingratiſſimus hominum ſim, & dignus cui vel frons, exemplo Macedonici illius militis, inuratur. Balduinus tuus ad nos ſanus ſaluuſque redijt: hoc momordit, quòd non te talem reliquiſſet. Si vota noſtra locum habeant, non illud modò ſis, ſed pænè dicam immortalis. Balduinum tuum ſcandere ad tituli illius apicem curabimus: atque vtinam breuî ad ipſum illud culmen, quò adſpirat! Ipſe adnititur, nos alleuabimus: ſed nihil properè, ne non aſcenſum ſed ruinam ſibi ſtruat. Sicut aues matres non patiuntur pullos ſuos longiùs auolare, ſed comitantur & ſiſtũt, & docent: nos item hæc talia in noſtrâ iuuentute. At te, Ampl^me^ & Nobil^me^ Domine, ſanum & firmum ſeriò vouemus, publicâ & noſtrâ cauſsâ. Louanij, III. Idus Sextil. ∞.IↃC.

EPIST. XLIX. *Bruxellam.*

BALDVINO IVNIO *ſuo* S. D.

NIHIL timidè ad me aut cunctanter ſcriptione debes accedere. cur facias? amo affectum, qui impellit: ſed & ipſum illud ſcribere amo, quod te exerceat, me delectet. In alto otio es, etſi in negotioſâ & turbidâ vrbe: ſed in quâ vana & ambitioſa multa rerum videas, nec pro mente ſtudijs melioribus operatâ. Sicut terrâ interiectâ, Luna lumen à ſole amittit: ſic animus obnubilatur, interuentu iſto viliorum rerum. Itaque meritò eas fugis, & ad nos adſpiras. etſi es tamen in contubernio Ampliſſimi viri, tui auunculi: a quo haurias præcepta, & exempla item videas, ad Virtutem. Sed vt nunc tua ætas, Louanium & hæc Miner-

uæ dicata loca, magis tibi faciunt: tedibis igitur, cùm illi viſum, quia lues fit rarior & mitior, imò pennas quatere videtur, & à nobis abire (fiat, fiat) mala illa Diua. Cenſeo tamen Principum aduentum exſpectes, qui appropinquare dicũtur, vt ſollennia illa videas, nec viſa tibi nec fortean videnda. Hoc ſuadeo. etiam illud, vt mentem & oculos ad libellos flectas, manum ſubinde ad ſtilum, ne otioſum tuum illud otium ſit: id eſt, vt noſter Seneca appellat, *hominis viui ſepultura*. Vale. Louanij, XVII. Kal. Sept. ∞.Iↄ.XCIX.

EPIST. L. *Eódem.*

GVIL. SCARBERGERO *ſuo* S. D.

BRVXELLA te etiam habet haud dubiè, & dies fortaſſe aliquot habebit, in hac publicâ lætitiâ & pompâ, quâ veſtra ætas, quid veſtra? ſerior etiam aliqua meritò delectetur. Sed vt te deinde Louanium noſtrum, & domus etiam mea, habeat, id cupio: & hæc cauſſa ſcribendi. Reuiſe nos, non quia diu abfueris, ſed quia fortaſſe abfuturus: & in anteceſſum, vt aiunt, conſuetudinis hunc fructum capiamus. Coràm de itinere tuo & meo conſilio. De Italico quidem ne vltrà cogita, tam perijt quàm extrema faba, vt Comicus ille iocatur. Cauſſæ nimis iuſtæ ſunt. & vel ſola tenuitas mea, & hic homo, vt ſic dicam, monagrammus, pro mille. Par non ſum, quidquid coner, quidquid cupiam: & non Italia, ſed via mihi ſit ſepulchrum. Vale mi Scarbergere, & quod dixi, & (ſi voles etiam) iuſſi, veni. Louanij, III. Non. Sept. ∞.Iↄ.XCIX.

EPISTOLA LI.

AD CONTVBERNALES SVOS,

Franciſcum Oranum.
Io. Baptiſtam Pereſium Baronium.
Guilielmum Richardotum.
Antonium Richardotum.
Guilielmum Scarbergerum.
Cornelium Anchemantum.
Ioannem VVouerium.
Balduinum Iunium.
Philippum Rubenium.
Hubertum Audeiantium.

ITANE de *Potoribus* & *Edonibus* ſcite auetis? & decore hoc poſcitis? Ita. quia in Scholâ etiã diſſerüi in occaſione, vt dicitis: & velletis rariora iſta exempla in promptu habere, non ad imitandum, ſed narrandum. Addam ego, & deteſtandum. nam ſic oportet. monſtra hominũ fuêre, qui huc ſe dedere; etſi in theatris & regijs etiã ſpectati, cum fauore ſuo & plauſu. Sed videamus igitur primò *Potores*, & iſtos, cum poëtâ priſco,

* Συμποτικοὺς παῖκτας, καὶ κυλίκων ἐρέτας.

* *Conuiuij nautas, & calicum remiges ſiue trahentes.*

Proludo autem leuiter & vniuersè de toto genere: quos vbi & quando non eſt inuenire? In veteri & noſtro æuo, in noto & nouo orbe videas: & Plinij dicto, *nullâ in parte mundi ceſſare ebrietatem*. Nec vina ſolùm huic rei experti, ſed aquam adſumi: ô ſagacitatem ingenij! quâ repertum, vt hæc quoque inebriaret. Frugibus corrumpi variè eam ſcis, & herbis, & melle: quid quòd & fumis atque odoribus alibi (de Peruanâ Indiâ ſcribunt) inducitur alienatio hæc mentis? Quacumque viâ, madeſcere tamen volunt & deſipere: ac pro plurium mente ille apud Comicum ſentit: —— Τὸ δὲ ζῆν

Antiphanes apud Athen. libro I.

Εἰπέ μοι τί δ' ἐστί; τὸ πίνειν, φημ' ἐγώ.
Ὁρᾷς παρὰ ῥείθροισι χειμάρροις, ὅσα
Δένδρεα ἀεὶ τὴν νύκτα καὶ τὴν ἡμέραν
Βρέχεται, μέγεθος καὶ κάλλος οἷα γίνεται.
Τὰ δ' ἀντιτείνοντ', οἱονεὶ δίψαν τινὰ
Ἢ ξηρασίαν ἔχοντ', αὐτόπρεμν' ἀπόλλυται:
—— *ſed viuere*
Quid tibi videtur? mihine? bibere, ego inquio.
Videſne vt, ad fluenta conſita arbores,
Et quæ diebus perpetim atque noctibus
Rigantur, alto ſtipite & læta comâ
Cælo immineant? contrà, quæ velut ſitim
Patiuntur, has perire cernas ſtirpitus.

Plures, inquam, conſentiunt: imò velut ad palmam currunt in Dionyſiaco hoc agone. Qui olim eam populariter tulerunt, Platonis iudicio ſunt *Scythæ, Thraces, Celtæ, Iberi*: nec vel hodie id culpes, niſi fortè in Iberis, qui demutarunt. Sed bellum, quod de ijs etiam addit: Σκύθαι καὶ Θρᾷκες ἀκράτῳ παντάπασι χρώμενοι, γυναῖκές τε καὶ αὐτοί, καὶ κατὰ τῶν ἱματίων καταχεόμενοι, καλὸν καὶ εὔδαιμον ἐπιτήδευμα ἐπιτηδεύειν νενομίκασι: *Scythæ & Thraces meraco vino paßim vtentes, viri atque etiam fœminæ, & in veſtes ſibi defundentes, bellam & beatam vitam viuere ſe cenſent.* Quid ais? agnoſciſne hæc & in noſtris moribus? non etiam illud de effuſione? quâ bibuli iſti vtuntur, ſiue cùm recuſanti alteri poculum in ſinum veſtis proijciunt; ſiue cùm ipſi auidè bibentes, ſuum ſtillatim perfundunt. Sed Græcos tuos Plato quid ita omittis? ſcimus & eos in hac claſſe, & prouerbio innotuiſſe. Etiam Diui Baſilij reprehenſione acri, quâ

quâ mores ſui æui ita corrigit, vt tamen reuelet. *Bibunt*, inquit, *auidè & comeſſantur, & propinant*: ſed bellum acroama, προϊόντος ἤδη τοῦ πότου, εἰσέρχεταί τις αὐτοῖς νεανίας, ῥωμαλέος τοὺς ὤμους, οὔπω μεθύων, φιάλην φέρων μεγάλην ὅσον κατεψυγμένου. Ὅς δὲ οἰνοχόον αὐτὸν παρωσάμενος, χωρεῖ εἰς τὸ μέσον, διὰ σκολιῶν σωλήνων ἴσην τοῖς συμπόταις διανέμει τὴν μέθην. δεδεγμένοι γὰρ τοὺς ὑδρορρόας, καὶ τὴν πρὸς ἑαυτὸν ἕκαστος τεταγμένην ὑποδεξάμενος, ὥσπερ ἀπό τινος δεξαμενῆς ἀπαντλεῖ πίνουσιν, ὡς οἱ βόες, τοσοῦτον ὑφέλκουσιν ἐπισπώμενοι τοῖς λαιμοῖς, ὅσον αὐτοῖς ἄνωθεν ὁ φιάλην διὰ τῶν ἀργυρῶν ὀχετῶν ἐπαφίησι: *potione iam longiùs progreſſâ, intrat adoleſcens aliquis, validis humeris, & nondum ebrius, vas magnum ferens & ſuſtinens vini refrigerati. Atque is propulſo ordinario pincernâ, in medio adſtans, per obliquos canales quoſdam, æqualem omnibus diſtribuit ebrietatem. Partiti enim tubos illos, & ad ſe verſum quiſque accipiens & excipiens, tamquam è ciſternâ vno ſpiritu bibunt, prorſus vt boues: adacti tantum in guttur adtrahere & demittere, quantum supernè vas illud per argenteos ſilanos ſiue canales infundit.* O bellum morem! ô Græcis illis elegantibus dignum! tam herculè quàm alter iſte (iuuat commemorare, vterque nouitius nobis eſt:) alter inquam Philoni expreſſus, & apud ſtirpem illam Græcorum Alexandrinos vſurpatus. *Certant vino*, inquit, *bibunt confertim & vix ſpiritum recipientes, cùm identidem pueros à poculis iubent infundere. & ſi vel leuiter tardent, acriter increpant, quòd calidum ijs (ſic loquuntur) frigefaciant.* De nique in pulchro hoc certamine μεγάλα δὲ καλὰ ἀλλήλοις ἀντιδρῶσιν, ὦτα, ῥῖνας, καὶ χειρῶν ἄκρους δακτύλους, καὶ ὁποῖον δ' ἂν τύχῃ μέρος τοῦ σώματος ἀποδάκνοντες: *magna & pulchra inuicem patiuntur & faciũt, aures, nares, manuum extremos digitos, & ſi quam aliam corporis partem fors tulit, ſibi mutuò prærodentes.* O non amentiã, ſed inſaniam! & fidem mihi aliquis habeat, niſi ipſa verba fidi auctoris adnumerem? Vide autem blanditias. nam ſic ego interpreter: & ſuaues iſti compotorculi, vino madidi, ſenſuum inopes, ita ſe comprimunt, diſſuauiantur, allambunt. Dij deæque, quid irati aut hoſtes aliud faciant? Sed populos omitto, ne meos fortaſſe opus habeam tangere: viros videamus (is enim præcipuus noſter tunc ſermo) & qui ſinguli fortiter certarunt hoc certamen. Ecce Alexander Macedo olim, ipſe quoque vini auidus & capiens, & addam, ſuo & alieno malo captus quoque, is dico præmium aliquando publicè propoſuit ἀκρατοποσίας, ſiue *meri potionis*. Ludos rege illo dignos, qui per Liberi veſtigia ibat ſcilicet, & huncquoque honorem ei habebat. Ipſe igitur editor & arbiter: certant plures. ſed qui *plurimum hauſit* (ait Plutarchus) *Promachus quidam fuit, qui ad* *congios quattuor peruenit.* Congius cepit olim *libras decem* circiter, ſiue *ſextarios ſex*: eſſent nobis *tria vini pocula*, largè. quod autem præmium? talentum. quod etiam? mors. quæ homini poſt triduum aduênit: itemque alijs quadraginta & vni, qui miſelli ſuper vires certarant. Felicior alter apud eumdem regem, in eodem iſto vini modo, *Proteus Macedo.* qui, vt Ephippus ſcribit apud Athenæum, *valido & ſano ſemper corpore egit, etſi vino adſiduè immerſus. Fuit aliquando*, inquit, *vt Alexander in conuiuio grande poculum poſceret duorũ congiorum, atque id Proteo offerret. Ille gratanter accipiens, & regem comitatis laudans, cum plauſu omnium ebibit. Ac ſubinde idem poculum repetens, iterùm eduxit, & obtulit impletum Alexandro. Quod hic quoque ſuſcipiens ebibit, ſed impar viribus non ſuſtinuit, & in puluinar reclinato poculum è manibus eſt elapſum.* Vides & hunc *Quadricongium* potorem: & vix eſt vt ſupra donem. Nam Plinianus ille *Nouellius Torquatus Mediolanenſis* (Gallus fuit, vindicemus hominem cum hac gloriâ) *tres* dumtaxat *congios bibit*: ſed quod miremur, *vno impetu*, (Plinij verba) *ſpectante miraculi gratiâ Tiberio Principe.* Hem, vno impetu, id eſt ἀπνευστί? Et quod ampliùs miremur, *in eo* (iterùm Plinij verba) *rara hæc gloria, non labaſſe ſermone, nec leuatum vomitione, non alterâ corporis parte, dum biberet: matutinas obiſſe vigilias: plurimum hauſiſſe vno potu, plurimum prætereà alijs minoribus addidiſſe: optimâ fide non reſpiraſſe in hauriendo, neque exſpuiſſe, neque ad elidendum in pauimento ſonum ex vino reliquiſſe.* O potorem omnibus numeris perfectum! quis contendet? non tu Cicero fili, qui *duos congios* ſimul haurire ſolitus: ſed quid ad hunc aut priores? Abi proles à patre degener, & nec in vitio ſatis fortis. *Firmus* nominetur potiùs, qui Aureliani temporibus in Ægypto imperium vſurpauit. Is *vini non multum bibit, aquæ plurimum; mente firmiſſimus, neruis robuſtiſſimus.* & tamen cùm ad bibendum à notiſſimo quodam potatore, *Barburo*, prouocatus eſſet, *ſitulas duas plenas mero duxit: & toto poſteà conuiuio ſobrius fuit.* Cui non diſſimilis *Bonoſus*, item inter minutos tyrannos. qui, vt Spartiani verba ſunt, *bibit quantum hominum nemo. De quo Aurelianus ſæpe dicebat, Non vt viuat natus*

De Plantat. Noë.

* Duodecim pocula.

Lib. x.

Lib. xiv. Nat. Hiſt.

Spartian.

natus eſt, ſed vt bibat. Quem tamen diu in honore habuit, cauſſâ militiæ. Nam ſiquando legati barbarorum, vndecumque gentium, veniſſent, ipſis propinabat vt eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognoſceret. Ipſe quantumlibet bibiſſet, ſemper ſecurus & ſobrius, & vt Oneſimus dicit ſcriptor vitæ Probi, adhuc in vino prudentior. Habuit præterea rem mirabilem, vt quantū bibiſſet, tantum mingeret, neque vmquam aut eius pectus, aut venter, aut veſica grauaretur. Is ipſe cùm, victus à Probo, laqueo vitam finiſſet, ioco locum dedit, *Amphoram pendère, non hominem.* Infelix quidem in Martis militiâ, fateor; ſed hac Bacchi mirificus, & iuxta vel ſupra *Torquatum Tricongium* illum ponendus. Quid autem de *Camatero Logothetâ* pronunciabo, qui Manuelis Byzantini Imp. æuo & rebus interfuit? nam & is palmam ſibi poſcit. Nicetas Choniates de eo: *Ingenio præſtanti fuiſſe, eloquentiæ extemporalis ſtudioſum & felicem: ſed eumdem omnium mortalium edonem & bibonem maximum. Et quamuis vinum auidiſſimè & largiſſimè ſumeret, & ſpongiarum inſtar madeſceret, tamen mentem non mergebat ea copia; ſed pedibus, capite, linguâ conſtabat, vt ſobrij, imò creſcebat in eo ratio & oratio velut igne illo humoris accenſa ſimul & irrigata. Hoc genere vitæ non ſolùm Imperatori acceptus erat, ſed & gentium dynaſtis. ad quos Legatus miſſus, alios in ſoporem collocabat, alios æquabat potionū veteres, quique amphoras, vt calices, digitis verſare ſoliti eſſent. Sponſionem verò aliquando cum ipſo Imperatore iniit, exhauſturum ſe vas Porphyreticum aquâ repletum: quod olim in aulâ ſubdiali Nicephori Phocæ fuit, nunc viſitur in huius Michaëlis conclaui aurato, quod ſtruxit. Demiratus Imperator, Euge, inquit, ô Logotheta. veſtes floridas, & minas aliquot auri accipies, ſi ſaxis; ſin autem, ipſe dabis. Ille nihil moratus, vas illud, quod ad duos chôas ſiue congios capiebat, corpore & capite inclinato, inſtar bouis, totum ſimul exhauſit: & accepit ſtatim ex pacto promiſſa.* Quid dicitis? non hic palmam, vt aiebam, iure ſuo poſcit, & quidem duplicem: non vini ſolùm, ſed aquę ſingularis potor? Et ecce iam huic aut prioribus dabam: ſed è Germaniâ ſuperuenit qui reuocet, & quidem nouus nouitius athleta. Nuptias ante pauculos annos in Norico fuiſſe audio viri nobilis. ibi ad conuiuas hilarandos, certamen potionis propoſitum editumque, inter eorum miniſtros. Magno numero conuenerant: ſed vnus forticulus paullò minus * *ſex congijs*, haud longâ morâ, fertur ebibiſſe,

Lib. III.

* Octodecim pocula.

& ſimul præmiū meruiſſe. A me quoque, ô homo an orca, accipe: & fateor nihil ſimile vidiſſe, audiſſe, legiſſe. In vno quidem iſto potionis genere. nam Edones magnos, & ſimul potores, repperi fortaſſe, & ſuper iſtum. Videamus. Mulier Alexandriæ olim fuit, quam Athenæus prodit, *Libras carnis duodecim ediſſe, panis quattuor chœnicas, id eſt totidem & ampliùs librarum; vini autem congium adbibiſſe.* O mea Venus, ô delicium, bella es & digna marito, ſed Vulcano. Super hanc longè (quid in viro mirum?) Imperator Maximinus. quem Capitolinus auctor, *bibiſſe ſæpè in die vini Capitolinam amphoram: comediſſe & quadraginta libras carnis; vt autem Cordus dicit, etiam ſexaginta.* Scitis, quid illa *amphora? quadragintaocto* ſextarios capit: id eſt, ipſos *Congios octo*. Trepidarem hæc dicere: ſed bonus & priſcæ fidei auctor adſerit, quam ego non ſugillem. Sed audi & crede etiam maiora. Vopiſcus in Aureliano principe: *Vehementiſſimè*, inquit, *delectatus eſt Phagone. qui vſqueò multum comedit, vt vno die, ante menſam eius, Aprum integrum, centum Panes, Vernetem & Porcellum comederet.* Clamas, & reſilis? ſuſtine etiam: *biberet autem, infundibulo appoſito, plus Orcâ.* Cetera liquent: de *Orcâ*, ſcio vas vinarium fuiſſe, & amphorâ ſanè maius, ſed quantum, mihi latet. Quid Clodius Albinus Imperator? is, Capitolino ſcribente, *tantum pomorum hauſit, quantum* RATIO HVMANA *non patitur. Nam & quingentas ficus paſſarias, quas Græci Calliſtruthias vocant,* IEIVNVM *comediſſe, Cordus dicit: & centum Perſica Campana, & Melones Oſtienſes decem, & vuarum Lauicanarum pondo viginti, & Ficedulas centum, & Oſtrea quadringenta.* Hem, hem!

—— *dij talem terris auertite peſtem:*

certè à noſtris hortis, quos ille cum toto foro olitorio depaſcatur & vaſtet. Scio vos etiamnunc vacillaturos, & * ἐποχῇ quâdam vſuros in aſſentiendo: & dedi tamen teſtes, dignos credi. Vultis & exemplum à ſuperiore paullùm æuo? nam vetera nunc ferè hoc fatum habent, vt etſi vera, vix videantur: an ſui magnitudine, an noſtrâ declinatione. Sed addamus non tale aut tantum; quod tamen venire in numerum poſſit. *Vguccio Fagiolanus* inter Italiæ tyrannos fuit, & ſedes ei plerumque Lucæ, donec pelleretur. Exſul igitur & iam ſenex, apud Canem Scaligerum, Veronæ gloriabatur in menſâ: *ſe iuuenem quaternos capos altiles, & totidem perdices, item hædi clunes aſſos, & vituli*

* inhibitione

infar-

infarctum pectus, præter ſalſamenta, vná in cœná eſitaſſe. Atque hic homo non in præmium, ſed in vſum & pellendæ fami faciebat: quid ſi exercuiſſet ſe, & neruos intendiſſet? Satis talium. ite prodigia, & iſtos gurgites, pænè dicam, maris aliquis gurges mergat. Louanij, in noſtrâ domo: quam quo fine incolitis, vt hunc tangatis, Deum precor.

EPIST. LII. *Bruxellam.*

BALDVINO IVNIO *ſuo* S. D.

ECCE ad ipſum auunculũ ſcripſi, & metum ademi, qui te à nobis amouit. Quid ſupereſt, niſi vt iterùm te admoueas, & Deas reuiſas, quarum amore cales? O gratus ille mihi, ô tibi vtilis affectus! & quid in hac ætate melius potes, aptius potes? Cole, cole nunc iſtum adoleſcentiæ agrum, bonâ fruge ſcientiarum conſere: & maturior, accipies ſuaues illos Prudentiæ, imò & Sapientiæ, fructus. Miſeros, qui aut nolunt, aut neglegunt: miſerandos, qui cùm velint, non poſſunt! At tibi facultas inprimis adeſt, & alter ille tuus parens (ſcis me Theſaurarium dicere:) vbertim ſuppeditat, quidquid ſtudijs, & eorum inſtrumentis, eſt opus. Voluntas à te eſt, atque etiam in te eſt, quod gaudeo: vt ſerues, vel vt augeas potiùs, hortor. Mihi hoc crede. perueniet ad optatam calcem, quiſquis ſeriò volet & nitetur: & talibus vtroque oculo Iupiter annuit, Mercurius dirigit, ipſa Minerua manum & mentem ijs, & cum ijs, mouet. Abripior, & Scatbergerus abit. Louanij, pridie Idus Septembr. ∞. IↃ. XCIX.

EPISTOLA LIII.

IOANNI DRENCKWAIRTO *Theſaurario.*

SCRIPTIONI huic nullum argumentum eſt, niſi affectus meus & mos maiorum. Vterque ſuadet, vt vóta, quæ pro ſalute tuâ corde facimus, ſtilo conſignem & ad te perferam: ſed priùs ad illum calidè miſſa, qui compotes (ita ſpero) faciet votorum. Deum igitur rogo, quantum animo poſſum, vt hùnc Sæcularem nouum annum felicem tibi tuiſque decurrere, te valere per eum & vigere, Principibus & Reip. ſine offenſâ vacare, me amare donet, qui ſum perpetuus & deuotus tuus cultor ac cliens. Louanij, poſtridie Kal. anni IↃC. ſupra ∞. Balduinus tuus apud me valet, quod facere eum vis facit.

EPIST. LIV. *Mechliniam.*

IOANNI BERNARTIO *ſuo* S. D.

ECQVID agis, mi Bernarti? Ratò, inquies, intertogas. Fateor, & ignauum me cum annis fieri, hoc quoque fateor: ſed non in amore & interiore affectu remiſſum. *Omnia fert ætas*, ait ille, *animum quoque.* Sentire incipio, & ingenio tam diu, tam aſſiduè exercito, torpor aliquis adgnaſcitur, & quod libenter facit, imprompte facit, aut nec facit. Ignoſce. ita tu & tui ad æui hanc lineam veniatis, aut potiùs ſuperetis, beati & felices. Quod precor tibi religioſo & priſco voto, in auſpicijs huius anni: quo me Italia ſibi ſpondebat, & ego me illi: ſed, ô numen quod nos temperat, quàm irritâ deſtinatione! In patriâ hæreo, neque res tantùm abijt, ſed deſiderium, vt verum apud te liberè loquar. Etſi aſſiduè litteras etiamnunc recipio inuitantes, & nimiâ benignitate prouocantes. Sed quid verbis opus? Fatalem vim magis & magis indies agnoſco, in publicis, in priuatis, in meipſo. Ratio omnis vellet fortaſſe non peregrinari me, ſed adire: tamen maneo & video diuinitùs decretum, LIPSIVM IN BELGIS MORI. Fiat. apud multos incurioſos mei, paucos contemptores, fortaſſe & nonnullos æmulos: ſed & amicos volenteſque alios, inter quos *te* Mechlinia & *Oudartum* meum cum *Hartio*, ſacra mihi nomina, habet. Eamdem vrbem veſtram & iſte inſidere parat *Vibrandus Anskema*, Iuriſconſulti nunc titulo donatus, iam olim inter Muſarum cultores, imò etiam myſtas. Vtrâque oratione valet ſolutâ & vinctâ: quod magis ex illo noto, noſces, atque vt velis te rogo. Louanij, poſtridie Idus anni Sæcularis ∞. IↃC. Vxori tuæ ſuauiſſimæ ſalutem per te nuncio, & liberis tuis.

EPIST. LV. *Gandauum.*

GEDEONI TSERHENDRIXIO, V. R. & N.

FVNGOR munere ſalutationis per litteras, quoniam coràm id non datur, vt ſolet, & quod mihi dolet. Suauis ſæpè confabulatio noſtra, & præſertim in re hortenſi: quâ vterque delectabamur. Tu magis, quia ſolutior eras, & pænè ſine alijs curis vacabas huic curę. At mihi temporis iniuria omnem pænè hanc voluptatem deterſit. dico temporis, non adſpectu ad iſta publica &

triſtia

triſtia (quæ mitigo potiùs hac occupatiunculâ:) ſed hiemis iniuriam & acrimoniam intellego, quæ mihi hoc biennio funera continuata dedit, & florem omnem, vt ſic dicam, florum meorum interfecit. Quidquid ſingulare erat, præſertim in Tulipis, habuiſſe me recordor, cum deſiderio triſti & pungente. Miſeraris me? nolim, adiuua potiùs, & quoniam diuitem atque vberem te audio, inſtar vel Phæacum regis, participa veteri amico, & qui in beneficij magni loco hæc, etſi fugacia, munuſcula ponet. Confido te facturum. Certè ſi in cauſsâ ſimili tu à me, vtrâque manu largiter ego donem. Nunc ſalutem, & hunc animum ſemper deuinctum. Louanij, poſtrid. Kal. Mart. ∞.IↃCI.

EPIST. LVI. *Mechliniam.*

NICOLAO OVDARTO V.R.S.D.

SOLEO volente animo, labente manu & pennâ ad te ſcribere, nunc ille contrahitur, & hæc reſiſtunt. De republicâ me conſulis: & quid ſcribam aut effabor? Iſtud mallem, & in tuum ſinum interiores omnes cogitationes effunderem: à ſcribendo abſterreor, & nimis iuſtas habeo cauſſas. At Princeps vult, inquit amicus ille noſter. Credo equidem, & eius certè intereſt fida & recta conſilia dari: ſed ego me in eâ claſſe non cenſeo, qui hoc ſtatu rerum debeant aut poſſint. Adde quòd à republicâ remotus ſim, auditione aliquid accipio, interiora rerum non noui: & quid ergo firmiter aut ex vſu ſuadeam? haud magis quàm medicus, qui ægri ſui temperiem & conſtitutionem ignoret. Vota tantùm poſſim addere, quid ſi & querelas? Hîc quidem cottidiana materies, cùm miſeri ruſtici præter ora noſtra vincti abducuntur, haud aliâ ſpecie quàm ſi hoſtes irruiſſent. O patria, ô ipſi Principes! nam vt illius ſalus agitur, ſic dignitas iſtorum. At enim mox remedia à publico Ordinum conuentu ....

....

.... Ecce quæ poſſum aut volo hoc tempore. intereà Deus illi Epiſcopo benè faciat, & noſtro N. quorum vtrumque candidè & liberè, quæ ex vſu ſunt, aut certè videntur. Nam quid aſſectam? omnia iſta mihi tenebræ ſunt, nec finem aut fructum video eiuſmodi actionum: niſi ſiqua conſilia ſpecie triſtia, exitu læta, vt ſæpè in humanis ſolet. *Occultat enim*, vt Plinius ait, *vtrorumque ſemina Deus, & plerumque bonorum malorumque cauſſæ ſub diuerſâ ſpecie latent.* Plinij illius Panegyricum librum breuî à me videbis: & vetera illa monita ac conſilia potiùs, quàm mea noua. Atquis vſus? inquies. alibi fortaſſe, & vbi nolim. Quid faciam? nos, vt in theatris olim, ſpargimus: ille aut alius ſinum aut manum implet. Vale mi optime Oudarte, & vide an malè illi (ſi ſic pergitur) qui me nuper. ſed tu iterùm vale. Louanij, Idibus April. ∞.IↃC.

EPIST. LVII. *Bruxellam.*

FRANCISCO BILLIODO S.D.

NIHIL minus quàm à te beneficium, aut potiùs beneficia, exſpectabam: quę largiter, vltrò, & aperto animi ſinu, mihi defers aut offers. Nam & nummos ad me mittis, adtextum aut ſupplementum Rokoxianis: & florum etiam lectiſſimos ex paterno tuo horto polliceris. quem ille inſtructum, vt audio, & ſupra omnes Alcinoos pænè habet. Negem vtrumque mihi gratum eſſe? mentiar. gratiſſimum eſt, & pro veteri atque inſito animi mei deſiderio & ſenſu. Veteres omnes elegantias, & has Antiquitatum reliquias à me amari, notum eſt omnibus, qui leuiter me norunt: ſed & flores & horti ornamenta in delicijs haberi, non puduit ſcriptis etiam publicè profiteri. Itaque vide libertatem & candorem, quo iamnũc apud te vtor in ipſo hoc aditu amicitiæ. grata, quæ miſiſti; grata, quæ mittes: atque vt mittas in Vere proximo (vix enim antè euellendi copia) non rogo te ſed appello. Quid enim rogem, iam debitorem? Sed extra iocum. ſcriptio tua mihi in animo placuit, qui eam amicitiæ conciliandæ eſſe voluiſti: quam purè & ſine fraude equidem offero, amans honeſti animi tui, & ad honeſta ſic propenſi. Eum vt in illa & in me talem ſerues, Deum & te rogo. Vale. Louanij, poſtr. Idus Nouemb. ∞.IↃC.

EPIST. LVIII. *Mechliniam.*

HADRIANO VANDER-BVRCHIO, *Filio, Senatori.*

BENIVOLE à te factũ & pro amico, quòd me & dignitatis tuæ & diſceſſionis gnarum feciſti. Ego enim ſeriò tibi recipio, & fauorem me eſſe incrementis tuis, quæ virtus & ingenium conciliarunt: & vota interpono, vt plura adſtruantur, quod in Principum

pum [illegible]loriam & publicum bonum cedet. [illegible] & huic conuenit, tales euehi & educi. Hortor autem te vel ex ſuperu[illegible]cuo (nam ſponte factutum confido) vt in iſto munere di[illegible] num te & parentibus, & ipſo te præbeas; denique iuſtitiâ ill[illegible], cuius ſacerdotium nunc profiteris. Ecce in iſtis meis, quæ in ſimili occaſione & argumento iam ſcripſi, ſi quid erit huic rei aut ſenſui, videbis, eliges: & hoc fine miſi. Vale Vir Cl[ire], & animo à nobis non abi. Louanij, XI. Kal. Nouemb. ∞.IↃC.

EPISTOLA LIX.

VIBRANDO ANSKEMA S. D.

Tv verò ia[illegible] êre mihi videris, aliter à ſtudijs tuis exſpectatum. Tædet ſtatus huius præſentis, & auidè mutes. quid? itáne peſſimus ille & abijciendus eſt? mihi non videtur: niſi ei qui lucem, honorem, alta, id eſt mala quærit. At ego te in noſtrâ hac quietorum claſſe cenſ[illegible]bam, vt

—— fæcunda placerent
Otia, naſcenteſque irent in ſæcula libri.

Transfuga es[illegible] & ad ſplendidas illas partes abis? Splendidas, ſed miſeras, & iu experimento d[illegible] mũ ſcias. Non volo, inquies: ſed à tiſcis imo forenſibus iſtis liberati, & bonâ fide Muſis operati. Velim mi Vibrande: & ſi tu ſic ſc[illegible]io, etiã illîc potes. Patet quod ad vſum, & tolerandæ honeſtè vitæ ſit, affatim ſuppeditat. Si te excurias (libere loquar) aliu in hoc vlcere vnguem reperies, & mixtum aliquid à cupidine fortaſsè non bonâ. At tem[illegible]ora etiã accuſas. Facile eſt, & quis non tecum? pretium non eſt artibu[illegible] bonis, non ipſis bonis, & hæc omnia præ feruidis & am[illegible]itioſis c[illegible]lcãtur aut iacent. Vera ſunt. ſed in terra tu purum illum ætherem, & ſerenos ſemper animos, exſpectas? non inuenies[illegible] n[illegible]bos magis, procellas, calumnias: & mihi crede, nos quoque [illegible] qu[illegible]bus aliquis in[illegible]ideat[illegible] largiter & crebrò ſumus his iactati. Iactati, ſed non afflicti: ſtetimus, & illud Pindaricum obmurmurauimus:

*—— Ὁ μέγας δὲ κίνδυνος ἄναλκιν φῶτα οὐ λαμβάνει.

* magnum periculum virum ignauum non capit.

Ignaui & viles magis tuti ferè & ſancti ſunt: ali[illegible] prouoca[illegible]tur. ſed nimirũ vt aranearum caſſes an[illegible] fortiora perrumpunt, ſic iſtos a Fortu[illegible] la[illegible]ueos mens robuſta. Ali[illegible]q[illegible]a triſtia, & quæ no[illegible]is, incidunt:

*—— τ[illegible] δ᾽ ἄλλων θεῶν,
Ἅπτετ᾽ ἀπήμων τ[illegible] αἰῶνος [illegible]ἔργοις

* quæ, præter Deum, ſuper mortales cadunt, etiam capit

I. LIPSI [illegible]perum [illegible]om. II.

Sicut ſtellæ in tenebris etiam fulgent; ſic liquidus & libens viri ſapientis animus etiam in iſtâ temporum caligine aut nube. Hęc ſolatia: nec auxilia tamen abnuo, quæ in meâ quidem ſint manu. Quæ tu quòd tam prompta cenſes, nimis falleris: nec fores vbique, non dicam commẽdationi noſtræ, ſed mihiipſi apertæ. Occaſio exſpectanda eſt: & præuertere aut facere eam, vereor vt ſuccedat. obſecro te, nobis hoc crede,

Qui periti ſumus in vitâ, atque vſu callemus magis.

Vale autem, & animo ne ſic fluctuare: certus, quòd millies milleni in hac ipsâ Belgicâ ſint, qui optẽt & reges ſibi videantur in tuâ ſorte. Louanij, V. Idus Ianuar. ∞.IↃCI. Vxorem ſaluto.

EPIST. LX. *Vltraiectum.*

HADRIANO VANDER-BVRCHIO, *patri.*

Gratvm accidit mihi & munus tuũ, & ſcriptio, vtrumque veteris in me animi teſtis. Eſt ſanè hoc in fido amore, & qui in virtutis, vt ſic dicam, ſolo radices egit, vt non magis quàm illa deſinat, & æuo ipſo creſcat & vires ſumat. In tuo experior: ſed & fratris Decani, quem viuere & vigere, etiam in ſilentio aliquo, mihi liquet. At munus tuum parte aliâ etiam gratum, quod oſtendit te nec in occupationibus, quas adſiduas habes, nec temporum hoc tædio aut caligine, deſerere noſtras illas Deas: quas pauci hodie æſtimant aut amant. Gaudeo: & ſcio, pręter honeſtam voluptatem, etiam lucem, & robur aliquod animo ab ijs inſeri aut præferri, ô quàm neceſſarium in hoc æuo! Fruere, vt feciſti, & facis; ſed & nos earum atque honeſti omnis am[illegible]ntes ama priſcâ fide. Louanij, VI. Kal Decemb. ∞.IↃC. R. V. fratrem tuum ſaluto, & Canterum veterem noſtrum.

EPISTOLA LXI.

NICOLAO HACQVEVILLIO S. D.

Ad Hiſtoriam cùm dare te cœpiſti, fateris hærere in primâ viâ, & confuſione rerum aut temporum, ignorantiâ eorum quæ & quando legenda aut eligenda ſint, pedem figere, imò tædio aut deſperatione pæne referre. Nõ fiat mi Hacqueuilli. opem imploras, pro copiâ meâ dabo: & ſi non plenè ductor[illegible] occupatio & valetudo nunc abnuunt: tamen director ero, & digitum intendam, quò & quà contendas. Hiſtoria

nobis propoſita: quæ, & cuiuſmodi? nam variat: & ſumma eius diuiſio eſt, *Mithyſtoria* & *Hiſtoria*. Illa, quæ fabulas vero mixtas; iſta, quæ purum & merum verum habet. In illâ poëtę ſunt, & id genus: qui oblectamenta auribus animiſque quærunt, & floridâ iſtâ veſte ornant & augent corpus hoc veritatis. Veteres poëtæ, & rex eorum Homerus, pulchrè & ſæpè vtiliter fecerunt: cùm arcanos ſenſus aut altiora dogmata hoc quaſi velo obnubunt & tegunt. Sed hanc partem mittamus, non nunc adeundam: altera eſt vera *Hiſtoria*: quam licet bifariàm partiare. Eſt *Naturalis*, eſt *Narratiua*: ſit venia ſic loquenti, planè, ſi non purè. Illa eſt, quæ naturæ faciem & facta reuelat, id eſt, rerum, ſtirpium, animalium ingenia, proprietates, vires tradit. Ariſtoteles, Theophraſtus, Ælianus, Plinius fęcére: & plures, quos æuum nobis ſubduxit. *Narratiuam* dico, quæ geſtas actioneſque prodit, ſacras ſiue profanas. Ideoque à duplici hac materie iterùm duplex, *Diuina* & *Humana*. Illa, quæ religionem, aut quod adhæret, tangit: hæc, quæ res plurimùm actioneſque humanas. Iterumque ea duplex, *Priuata* & *Publica*. Nam aut ſingulorum res, vitam, virtutes, vitia recenſet: & Priuata eſt. aut quæ publicè, plurium vſui aut noxæ, ſunt geſta: & Publicam appello. Omnes vtiles. propriè tamen & diſtinctè, Naturalis ſcientiam, Diuina religionem, Humana prudentiam, omnes delectationem habent. Ad quas autem te voco? velim ad omnes ire, ſed in tempore. *Naturalem* nunc ſeponamus: *Narratiuam* ingero, quam vulgò & peculiariter Hiſtoriam etiā appellamus. Ad hanc priuſquam venias, duo præmittenda ſunt, *Geographia* & *Chronologia*. Illa, vt locorum, regionum, vrbium notitiam aliquam concilies; hæc, vt temporum, quibus quæque res geſtæ. Sed communem dumtaxat, & non illam exactam notitiam exigo: ſatis ſit mundi partes ſituſque diſtinguere; prouincias, & in ijs flumina, montes, opida clariora nouiſſe. In temporibus etiam, ſeriem eorum & ordinem tenere, & velut terminis quibuſdam finire imperia, bella, euentus. Velim equidem, & tacitus ſæpè opto, imò ipſe meditor, eſſe qui breuiter & compendio, & quod caput eſt, iudicio, ab orbe condito velut Faſtos concinnet: nec aliud quàm annos, & præcipua rerum, notet ac libet. Qui hactenus fecêre, aut confundunt nimis, aut diffundunt: & nec notabilia aut laudabilia tamen maximè excerpunt. Sed hoc dum fiat, potes Euſebio vti, & nouellis quibuſdam, qui herè & nuper prodierūt. Atque iſta cùm parauimus, age ad ipſam iam Hiſtoriam: & quam præmittimus? pietas velit *Diuinam*. Facilis ea eſt, nec diu tenebit. *Iudaica* vetus eſt, è libris ſacris. Ioſepho, & eius interprete Hegeſippo petenda: noſtra hæc noua, id eſt *Chriſtiana*, olim ex Euſebio, Sozomeno, pluribus, nunc ex vno Cæſare Baronio adfatim haurietur: & quid in diligentiâ viri tantâ deeſt? Imò vt ſuperſit, vereor: ijs vtique, qui ex profeſſô Theologos non agunt, & ſufficit vniuersè initia, progreſſum, diſſidia, capita & antiſtites religionis noſtræ ſcire. Non abnuo. compendium bonum exactiſſimi illius laboris ſit, non ſit fortaſſe bono auctoris. Eſt & *Miſcella* religionis hiſtoria. vt Mahumetanæ, quę magnam orbis partem, à multis iam ſæculis, obtinet; vt Sinenſium, Indorum, & qui alij vanam & ſimulacris ſeruam eam habent. Hæc quoque carptim quis neget viro Politico & experienti libanda eſſe? ſed vt dixi, carptim. *Humana* ſupereſt: illa præcipua quò te voco. Præter prudentiam & rerum peritiam,

Hæc tibi virtutum ſtimulos, hæc ſemina laudū,
Hæc exempla dabit:

alibi vberiùs laudata & laudanda, nunc præëunda. Duplicem eam feci, *Priuatam* & *Publicam*. Ab vtrâ ordiemur? A *Publicâ* ego cenſco: & hæc, ordinis doctrinæque cauſsâ, quadruplex iterùm eſto. Valdè, inquies, diuidis. Fateor. nec animi vel argutiarum cauſsâ: ſed quia vſu didici, nihil ad methodum, id eſt viam rationemque docendi vel diſcendi, aptius & efficacius eſſe. Itaque Socratem ſequor, Diuiſioni amicum: & cum illo, *diuinum virum habeo, qui commodè & opportune vtetur*. Sed ad rem, quadruplex hæc Hiſtoria: *Orientalis*, *Græca*, *Romana*, *Barbara*. Prima, quæ primi aut priſci orbis res habet: cùm noſtra hæc omnia inculta, aut infrequentia, & certè obſcura & ignota. Itaque in Iudæis, Ægyptijs, Æthiopibus, Syris, Perſis, reliquâ Aſiâ, res [illegible] & nobiliores euentus tunc ſiſtunt: aut ſiquid admixtum, leue eſt, nec ſcriptione aut lectione diuellendum. Hanc primò noſci ſuadeam: & peti à *Iuſtino* breuiter: vberiùs deinde ab *Herodoto*, *Diodoro Siculo*, & ſiqui Græcorum eam ſuis miſcent. Quædā enim *Polybius*, *Plutarchus*, *Zonaras*, alij ſu[illegible]tent, huc apponenda. Sed Diodorum [illegible] laudo & approbo: vtinam plenum &, vt ſcripſit, abſo-

abſolutum. Altera eſt, *Græca*. in quâ Spartanorum, Athenienſium, Thebanorum, & præcipuè Macedonum res ſunt: quos huc traho, & includo. Præter iam dictos, dabunt *Thucydides, Plutarchus, Arrianus*, & *Q.Curtius* è Latinis. Per partes colligenda eſt. nam qui totam & ordine ſcripſerit, totus ad nos non venit. Tertia *Romana* eſt: in quâ vbertim rerum & euentuum, eorumque inſignium: & quæ plures ſcriptores illuſtrarunt. O magnum, ô pulchrum imperium! & addo, diuturnum. ideoque non mirum ſi viris factiſque breuia illa & fugacia Græcorum ſuperauit. *Græci præceptis valent* (ait quiſpiam) *Romani exemplis*. Et hercules ita eſt. non fuit gens, puto non erit, quæ plura vel in militiâ vel in pace, laudis & virtutis ſuppeditabit. Itaque ad hanc, mi adoleſcens, ad hanc ſegetem veni, manipulos frugum collige, & in vſum tuum reconde. Sed vt ordine fiat, eaipſa diuidatur trifariam. in *Veterem, Mediam, Nouam*. Prima mihi eſt, à Regibus & vrbe conditâ ad Auguſtum: *Media*, cùm immutato ſtatu ad Principes ventum: *Noua*, cùm iterum mutato, ſedes ipſa Principatus Byzantium eſt tranſlata. In *Veteri* ſcriptores Græci Latiniq; ſunt, ſed præcipui iſti: *Dionyſius Halicarnaſſeus, T. Liuius, Polybius, Plutarchus, Appianus*: quibus compendia adiungere liceat, *Velleij, Flori, Eutropij, Oroſij*. Velleianum laudabile fuit; ſed potior pars perijt. iudicio & ordine tamen ſcriptum, & quod exemplar pleniori Chronologiæ ſit ad imitandū. Faciant huic parti *Faſti Romani à Carolo Sigonio* editi, & producti ad Auguſtum. At in *Mediâ*, noſter *Tacitus, Suetonius, Ammianus, Spartianus*, & adiuncti Cæſarei Scriptores: è Græcis autē, *Dio Caſſius, Io. Zonaras, Herodianus*, legendi. tum & compendium *P. Victoris*, itemque *Eutropij*. Adde ad ſeriem temporum, imò & rerum lucem, *Onufrij Panuinij Faſtos*, ab Auguſto ad Iuſtinianū diligenter & induſtriè conſignatos. *Noua* ſupereſt. & in eâ ferè Græci iſti, *Zonaras, Zoſimus, Procopius, Agathias, Nicetas Choniates, Nicephorus Gregoras, Michaël Glycas, Georgius Cedrenus*: etſi hic vltimus quidem, anilium ſæpè fabellarum ſcriptor, & veri incurioſus vel ignarus. Iudicio legatur tamen, dabit quod iuuet. De *Romanâ* habes: quarta iam *Barbarica*: quid vlli lacinia & ſpolium ab illâ veſte? Nam hanc appello & intellego, cùm ſciſſo fractoq́; imperio, maior pars ad Gallos, Germanos, Turcas iuit, & alternatim hucuſque manſit. Nec enim Gothos, Hunnos, Vandalos, Scythas, aut illam fæcem huc includo: quæ maneat in *Mediâ* aut *Nouâ* Romanâ, & ijs inſerta nempe legetur. Faciunt huc propriè tamen *Iornandes, Procopius, Agathias*, & ſiqui tales. Sed meam hanc Barbaricam varij ſcripſere, atque ipſi ferè barbari, & addam barbarè. exſtantque *Germanici, Gallici, Britannici* ſcriptores, in vnum corpus nuper decorè & vtiliter conducti ac vulgari. Sunt & *Annales à P. Pythæo* editi: & cotidie huiuſce argumēti prodeunt, iudicio eligendi. Scripſit & *Carolus Sigonius* de Regno Italiæ, quod huc facit: & *Io. Leonclauius* Turcica, vterque mihi bonus & laudatus. Quid omitto? *Laonicus Chalcondylas* ſe ſuggerit, in Turcicis Græciſque legendus, item *Guilielmus Tyrius*, & alij in tranſmarinis ſacriſque bellis. Hem, inquies, quanta materia, & quæ ſilua? quis ingredietur ſine errore, & egredietur? qui Ordine inſiſtet, qui induſtriam & Curam adferet, iam dicenda. Ordine, inquam, inprimis opus. & ne confuſa & vaga lectio ſit, aut deſultoria & interrupta. Hoc pleriſque euenit. & velut ex equo in equū ſe trāſiciunt, ab hoc ſcriptore in alium, ab iſto argumento in illud: quo fructu? momentaneæ voluptatis, & vt tempus ſuum, imò & ſe, fallant. Apage tales iſtos, & ad *Amadæum* ſuum, aut ſi altiùs aſſurgere velint, *Heliodorum* eant. Tu Ordine leges. quem ex ipſis à me dictis etſi potes inſtituere: tamen in exemplo dabo. Ecce Romanam *Veterem* legere decreui. ordiar ab vniuerſali aliquâ notitiâ, & Compendium *Flori*, aut *Eutropij* præmittam. Tum à capite, & ab ipſo *Liuio*: cui *Dionyſium* adiungam, & *Polybium, Plutarchum*, aut *Appianum*: ſed quemque in conſimili argumento. Cum peregero, ad *Mediam Nouamque* veniā, & conſtantiā eādem peragrabo. Et de *Ordine* facile eſt, atque animi tantùm decreto opus: *Cura* plus habet operæ, & in eâ omnis eſt legentium fructus. Duo in hac ſpecto, ſiue exigo: *Attentionem*, & *Electionem*. Cùm legis, non ſuſpenſum aut attonitum te habeat tantùm nouitas aut magnitudo euentuum: inſiſte, inquire, cui rei hoc facere poſſit, & eequem vſum tui præbere. Mora hîc aliqua inter legendum & tarditas, fateor: ſed nimirum, dicto veteri, *Nulla res poteſt eſſe eadem, feſtinata ſimul & examinata: nec eſſe quidquam omnium, quod habeat laudem diligentiæ, ſimul & gratiam celeritatis*. Tarda igitur, & quære. cùm reppeiſti, tum ſit *Electio*: id eſt, vt ſtilum capias &

& excerpas, & velut annonam in horrea quædam reponas. Ea diſtincta etiam ſint, & iam antè libri parati, meo iudicio, quattuor: in quos, quidquid eligis, conferas & tutò deponas. Nam memoriæ ſuę qui credit tantùm: quid agit? non dicam nihil; ſed in breue, proficit: nec vlla ea tam vaſta, capax, tenax eſt, quæ varia iſta cum fide aſſeruet & reddat. Trade libris. in quo labor aliquis, & iterùm in legendo remora: ſed, mihi crede, vtilis, ſi quidquam in omni ratione ſtudiorum. Libri iſti quattuor, totidem *titulos* habeant rerum, quas præcipuè in Hiſtorijs notes: *Memorabilium, Ritualium, Ciuilium, Moralium*. Quid *Memorabilia*? res deſigno magnas, & cum admiratione aut motu legendas, ſiue audiendas. vt eſt notabilis *Potentia* alicuius regis aut populi, *Opera* vel *Opes*, *Prodigia*, & noui aut inſoliti *Euentus*. vno verbo quidquid non obuium, & magnitudine vel raritate ſe commendat. *Ritualia* autem, quæ pertinent ad inſtituta rituſque veteres, ſiue quos in publico, ſiue in priuato vſurpabant. Alios enim iſtos Orientales, Græci, Romanique habuerunt: & ab eâ notitiâ, ſeria omnis intelligentia dependet veterum ſcriptorum. At *Ciuilia* appello, quæ ad vitam & regimen commune faciunt, & hanc hominum iure & legibus deuinctam ſocietatem. *Moralia* denique, ea quæ priuatim ad nos & vitam formandam, virtutibus amicam, vitijs alienam. Ecce, quattuor hi ſunt *Tituli*: quid ſupereſt? referre in eos, quidquid ad ſingulos illos facit, ſiue *Sententiarum*, ſiue *Exemplorum*: idque cum hac *Attentionis* curâ, & *Iudicij* item normâ. Dic clariùs, inquies. Nempe quiſque liber alios & minores ſuos titulos habeat: quia Natura & Memoria ordine & partitione iſtâ gaudent. Vt, ille *Memorabilium*, in ea quæ attigi: nec nimis ſanè argumentum hoc patet. Latiſſimè *Ritualium*: ac diuidamus in *Sacra* & *Profana*. Sacra omnia publica: continentque *Deos*, & eorum *Nomina*, item *Cognomina*: tum *Inſignia, Munia, Cultum*, & *Templa*. Ampliùs, *Sacerdotes*, alioſque miniſtros: tum *Sacrificia* ipſa, *Hoſtias, Cerimonias*, & ritus: denique *Verba ſollennia* & formulas precationum, & quidquid illos aut iſta ſpectat. Nimis partiri, tenue eſt, & hîc inutile: ſpernes. Iam *Profana* ſequuntur: at[illegible]e ea duplicia, *Publica*, & *Priuata*. Illa, quæ communiter omnes aut plures tangunt, & publicis legibus aut inſtitutis continentur. vt *Magiſtratus*, & ſingulorum *Munia*, aut *Ornamenta*: vt *Senatus, Militia, Prouincia: Præfectura, Officia*, & quidquid iſtis adhęret. tum *Leges, Iudicia*, & eorum ratio, *Supplicia, Tormenta, Pœnæ*: lætiora denique, *Ludi* & *Spectacula, Triumphi* & *Feſti* dies. Ad *Priuata* venio, & ijs ſubiungo, *Nuptias, Funera, Balnea, Conuiuia, Veſtes, Nummos*, & quæ longum ſit complecti. Minuta enim etiam intercurrunt: ſed in ſermone oſtendenda potiùs, quàm ſcripto ad[illegible]mbranda. Imò [illegible]ò minuta, vt nec Titulos ſuos grandio[illegible]ædam habeant: ſed verbis ſignentur, & ordine iſto litterarum. Ac ſi me audis, in pleriſque eo vtêris: quia non ad famam aut pompam iſta diſponuntur, ſed tui vſum. Sequuntur & excipiunt *Ciuilia*: vtiliſſima pars ijs, quos genus aut deſtinatio ad rempublicam vocant. Is liber tres partes habeat, antiquâ & veriſſimâ diuiſione: ſtatus *Regum, Optimatum, Populi*. In quaque parte notes, & eò referas, quæ *Firmandæ* ſint, aut *Vertendæ*: & hæc ipſa ſubtiliùs diuidas, vt à me in *Politicis* factum. Vtar hoc exemplo cum fiduciâ: & conueniant vel qui noua adferunt, aut vetera referunt, non dabunt in ordine & methodo, quod fortaſſe antepònas. Sed vnum etiam addi poteſt, & debet. vel vt *Sententiæ* plures vni rei congerantur; vel vt *Exempla*. Hanc poſtremam partem non neglexi equidem, & habeo ſepoſitam imò paratam in ſcrinijs, & auidam exire. Sed tu aut alius, non ideò remitte: & quiſque ſibi, vel firmius, vel iucundius certè, tale aliquid ſtruit. Poſtr[illegible] ſunt *Moralia*. quorum duæ partes, *V[illegible]tum* & *Vitiorum*. Velim & hæc diſponi ordine litterarum: ſed ita, vt *Virtute* præeunte, cuique bina ſua *Vitia* ſint ſubiuncta. Traho eódem etiam non Vitia propriè, ſed *Affectus*: & *Cupidinum* ſtirpes, *Spem, Metum, Gaudium, Dolorem* adnecto: tum etiam de *Beatâ Vitâ*, & quidquid in Ethicis ſedem ſuam habet. Sed ſatis hæc communia in ſcripto præiui: in ſermone alia. illud in fine te ſedulò moneo, vt ne mole hac, quæ videtur, abſterreare. Quid enim? tam varia, tam multa? inquies. Nihil eſt: imò incredibile, quàm citò hæc ſuſcipiantur, & fiant, ſi tenor & conſtantia ſit, & quiſque dies opus ſuum probet. Triennij res, non diu te differo: mihi ſi olim talis monitor, vel citiùs abſoluiſſem. Cogita te in ipſo flore æui, & corpus labori, animum intentioni ferendæ eſſe: quid ceſſamus,

Dum res, & ætas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra?

Nón

Non fac, mi adoleſcens: cui ego factum conſultumque tuâ cauſsâ volo, tum & Cl^mi V. Legati Regij: qui etſi connubio tantùm tibi parens, tamen vel naturalem affectu & curâ præſtat. Tu agnoſce, illum cole, me & bona ama. Louanij, III. Non. Decemb. ∞.IϽC.

EPISTOLA LXII.

IOANNI DRENCKWAIRTO, *Theſaurario Belgicæ.*

DIVINA planè virgulâ (quomodo enim aliter interpreter?) factum videtur, vt ipsâ hora ac pænè momento, quo tuas accepi, hic ad me veniret, quem vides. Eſt mihi cognatione aliquâ iunctus, orbus vtroque parente, in ſtirpe honeſtâ exiguis & vix dicendis opibus: tamen auxilio amicorum ad Magiſterij gradum peruênit. A quibus ipſis litteræ mihi commendaticiæ pro ſubſidio, vt Theologiæ ſtudia, ad quæ adſpirat, ordiri & finire feliciter poſſit. Equidem cùm humaniſſimam, & cui obligor, oblationem tuam viderem, & vnà iſtum: putaui, vt dixi, diuinitus fuiſſe hunc concurſum: & eumdem ſtatui, eo fine, ſedulò commendare. Non vt cognatum tamen, nec hos adſpectus in iſtâ te habeo: ſed vt boni ingenij & induſtriæ, vt notæ modeſtiæ iuuenem, & qui toto animo ad Pietatem & ſacra ſtudia, imò & ſacram vitam, id eſt Sacerdotium, contendit. Iuua eum in laudabili hoc curſu: nos quoque ſecundas faciemus, & in libris aliiſque neceſſarijs iuuabimus, pro parte. Ego ſpondere audeo vtilem Eccleſiæ futurum, & beneficij tui non ipſum ſolùm, ſed & nos memores: qui aſſiduè nouis à te, nec inuiti, obligamur. Non enim hîc, vt in pecuniâ, redditione aut re opus, vt ſoluaris: ſed agnitione & grato animo. quæ in nobis largiter eſſe & fore aſſero, quamdiu Deus ille dabit hîc eſſe. Ille te Ampl^me & Nobil^me Domine, longæuum reip. noſtræ & Principibus præſtet. Louanij, prid. Nonas Decemb. ∞.IϽC.

EPIST. LXIII. *Mediolanum.*

ERYCIO PVTEANO *ſuo* S. D.

EGO verò honeſtiſſimum munus, à Senatu Mediolanenſi in te collatum, & iudicio meo approbaui, & gratulatione etiam proſecutus ſum: quam ſcripto con-

ſignatam per Velſerum noſtrum miſi. An aliter poſſem? placet, placet hæc tui productio: ſuſtine perſonam, quam ſumpſiſti, & merere non vnam palmam. Sola gloria multis

> —— *quemuis perferre laborem*
> *Suadet, & inducit noctes vigilare ſerenas:*

te & hæc, & merces quæ etiam functioni tuæ eſt adiuncta. Orationem, de quâ ſcribis, auſpicalem tuæ operæ, libens videbo: libentiùs *Promulſidem Epiſtolarum.* quidni? mihi inſcriptam. Ambigis an amplectar? vtrâque manu: veniat & ad libentem, & addam etiam merentem. Non negabis mi Puteane, ſi non ſeuimus hanc arborem, tamen rigauimus, putauimus: & in parte fecimus, qualem alij mirantur, & ipſa eſſe gaudet. An iniurium, ſi fructus aliquos ex eâ mihi aſſeram? imò veniant & veſcar iſtos primotinos, & hæc libamenta audacter nobis pone. Nos quoque iam edimus EPISTOLARVM CENTVRIAM III. ad ſolos Italos aut Hiſpanos (cauſſa diſcernendi ſic fuit) ſiue qui in ijs oris. In ijs & tuum nomen interlucet, & Sacci noſtri, & plurium ibi amicorum. Septalium eſſe in te, qui eſt, gaudeo, & beneficia hæc mihi etiam inſcribo. Quid ſi ad eumipſum hoc ſcribam? puto, niſi abſtrahor: tu vale, ille ſalueat. Louanij, XV. Kal. Ianuar. anni ∞.IϽCI.

Hub. Audeiantius meus Carmen parabat Promulſidi tuæ præponendum. Eſt is qui nuper ad te ſcripſit. ama amore dignum.

EPIST. LXIV. *Bruxellam.*

PETRO PANTINO *Decano.*

EN CENTVRIAM noſtram, de quâ antè ſcripſi. Dic ſeriò quid videtur? damus & ſubſcimus alias? an ſatis eſt vnius huius erroris? iudicium à te peto, quod pauci mihi donent (ô miſeriam!) inter meos Belgas. Nam doctrinæ aut litterarum ſtudia quò eant, vides. in terras certè alias: aut fortaſſis eò denique, quò olim Aſtræa. Nimbus à Galliâ diſſipatus videtur, iterumque ibi * νήνεμος αἰθήρ, ſi tamen regiâ & bonâ fide hæ res geruntur. Nam ſunt qui verentur ne fallax ſerenitas, & in nos incumbat ac detonet nubes illa belli. Abominor, & Deum patriæ tutorem precor, & tibi Vir R^de & Clariſſ^me. Louanij, X. Kal. Mart. ∞.IϽCI.

* ſerenus aer

EPIST. LXV. *Mechliniam.*

HADRIANO VANDER-BVRCHIO I^to^ & *Conſiliario in Senatu Geldriæ* S. D.

EN ad te quoque CENTVRIAM iſtam. quidni autem? qui & me amas, & mea æſtimas; atque adeò iſtis quoque leuioribus pretium aliquod donas. Vtinam tecum alij! ſed vereor vt tuum punctum amor mihi donet, alij reſtagentur, quibus iudicium in iudicio hoc adhibetur. Sed vtcumque, vel error tuus gratus eſt ab eâ cauſsâ: & Numen precor, etiamſi ille deſinit, iſta perſeueret ſemper. Vale Vir Cl^me^. Louanij, x. Kal. Mart. ∞. IↃCI.

EPIST. LXVI. *Bruxellam.*

PETRO PANTINO *Decano.*

TV verò non ambiens & cunctanter, ſed liberè & apertâ fronte petere debebas iſtud, quod tribui à me vides ambitioni etiam vulgarium ingeniorum: quid non Pantino meo, vndique ſic merenti? Feci igitur, & hîc habes: vtinam pro tui pretio, pro meo affectu! Meletæas chartas æquatem, ſi hoc eſſet: nunc vires conantem deſerunt, nec ad alta aſſurgimus vel ſtudijs fatigati, vel languoribus fracti. Agnoſce, & animum certè amicum ama. Louanij, v. Idus Mart. ∞. IↃCI.

IVSTI LIPSI SVPER SS. PATRVM SYNTAGMATE nouiter à PETRO PANTINO V. R. & Cl^mo^ vulgato, & eruditè verſo, PHALEVCI.

QVIS nouus liber hic? liber ſacratus,
Sacra nomina, res habet ſacratas.
Quis auctor? varij, vetuſto ab æuo:
Cùm mos & pietas vetus vigebant.
Quis produxit? & ipſe moris, atque
Virtutis veteris: vetuſtiorum
Gnarus artium, & vtriuſque linguæ,
PANTINVS *meus. ille, comparatæ*
Cui niues videantur eſſe nigræ:
Quem ſuum veteres velint Athenæ,
Quem ſuum vetus ipſe Roma dici:
Quem meum cupio, & meum eſſe iacto:
Cui, dum corpore mens mea illigatur,
Fido & firmo adamante colligabor.
Quod SANCVS *pater audiat,* FIDESque.

EPIST. LXVII. *Bruxellam.*

REMACLO ROBERTI S. D.

DE Tranſſyluaniâ mitiora nos hîc audiebamus, & conatum magis turbandi pellendique, quàm effectum fuiſſe. Opto ita ſit. quia hercules eâ prouinciâ, poſt Caniſiam, nunc amiſſâ: quid ſpei ſuper de Hungariâ maneat? Quæ & nunc tenuis, niſi alia conſilia & fœdera Principes ineant ac iungant. qui ferè (veteri Europæ morbo) ſuis diſſidijs & bellis atteruntur, publici diſcriminis ſecuri aut neglegentes. In Belgicâ noſtrâ re, ego plagam aut plagas hac æſtate metuo: nec video equidem valdè comparatos ad arcendû. De Buſcoducis (quanti momenti opido?) occultus rumor eſt ciues languidiores fieri, & vt verbo dicam, nauſeare. Si vis adhibetur, vereor vt, quod ferre poſſunt, ferant. Sed vobis hæc notiora. Quod nuper ſcribebas de libris apud te, quoſdam vidi, quoſdam nunc non lubet nec vacat. NN. ego habeo, & obiter legi: neque nimis me cepit. Legatus Regius recenter de te amicè & benignè ſcripſit, ſenſitque. Ita enim de candore eius mihi polliceor, & dicta in rem collaturum, vbi occaſio erit. Tu in eâ officium & ſalutem à me defer, & hanc ipſe voto meo habe. Louanij, III. Idus Mart. ∞. IↃCI.

EPISTOLA LXVIII.

IOANNI DRENCKWAIRTO, *Theſaurario ſupremo.*

DVO voueo. & lætum tibi hoc ſollenne, & plura, quæ valens lætuſque addas: tum & in me eiuſmodi culpas, quæ tali pœnitentiâ luantur. Tu me ſilentio offendetis? non potes in tuis occupationibus quas noui, & quæ rempublicam noſtram ſummam tangunt: nec, abſque ijs, cauſſa erat aut materies litteris reſpondendi, quæ nihil niſi affectus mei auram ad te mittebant. At tu benignè quaſi offenſam agnoſcis, & optimo vino (guſtaui enim heri) luis: quid niſi gaudente me in hoc affectu, & pro eo gratias agente, & perſeuerantiam optante? imò & ſperante. quia à me, pro viribus quidem, ſemper alimentum ei erit in officijs & cultu, quem tibi debemus. De tuo Balduino, non poſſum niſi bona dicere, & meliora prædicere: ita & mores eius

[illegible] & ingenium omnia ea præſtant, aut ſpondent. Modeſtia & probitas adſunt, quæ à ſtirpe & gente traxit: adeſt induſtria, & acrimonia ingenij, quæ à Deo dona habet. Iudicium adhuc formandum in multis, vt hæc eius ætas eſt: ſed & ſupra ætatem in multis rectum & maturum habet. Confidentia, & ſecuritas, & illa diſpoſitio ſermonum paullatim accedent: & nos elaborabimus polire, & reddere te dignum. In ſtudijs, iam diu eſt cùm me auctore ius ciuile etiam adiunxit; titulum Baccalaurei meruit; & diſputationes publicas ac priuatas (in quibus plurimum momenti eſt) adit. Itaque ſperarem, & auſim promittere eum aptum futurum, qui proximâ hieme Licentiæ titulo inſigniatur. Præmaturum eſt, inquies. Ita, ſi ætatem vides: non eſt, ſi progreſſum, & communem nunc etiam morem. Mouet me & cauſſa, quòd velim tempeſtiuè eum ad res admoueri, & tuæ auctoritatis velut manu educi & attolli. Nam ſpes certè omnis dignitatis eius in te eſt (poſt Deum quidem:) & te tamen mortalem eſſe, cogitare cogimur, etſi multos annos vouemus etiam & deſtinamus. Sed hoc totum iudicij tui & prudentiæ facimus: & tempus ſupereſt deliberandi. Ampl^me & Nobil^me Domine, vale. Louanij, VIII. Kal. Maijas. ∞. IↃCI.

EPIST. LXIX. *Lutetiam.*

ISAACO CASAVBONO S. D.

BARONIVS meus nondum venit, tuas tamen, quaſi metatores præmiſit hoſpitio indicendo, ſauè gratas. Placuiſſe ipſum vobis, gaudeo: vtinam diutiùs in illo ſole velut colorem potuiſſet ducere! ſed negauit ille, cui ipſum nihil negare ratio iubet. De te quod addis, exuere paullatim ſcribendi edendiq́ue animum: malè narras, nolim. Tu in illo ætatis ingenijq́ue flore? & addam etiam, famâ ac fauore ſic adſpirante? Nam habes ea certè à doctis: ab omnibus ſi expectas, tum licet alias res agas, & has paucorum hominum facias miſſas. Iuſtiùs mihi ea mens ſit, annorum, laborum, morborum vereri: & cui omnis lex & mos det miſſionem. Tamen perſeuero, etſi vereor vt vel inuitum ſoluat illa * ἀνίατος ἀῤῥωστία, graue onus, & quam nullâ medicinâ aut curâ excutimus, vix leuamus. Itaque SENECA meus diu iacuit, neſcio an attollendus. EPISTOLAS nuper dedi; ſed ad Italos & Hiſpanos tantùm: quia nihil ad vos, & logi aliquot aut inaniæ ſunt, puditum eſt mittere. Sed heus, loci ſunt in Senecâ, in quibus hætenus aut pendemus, & poſſis mihi ſubſiſtere. vt in illo Conſolationis Heluianæ cap. X. *Ingens Capitolij vectigal*, de Apicij luxu. Quid hoc ad eum? an comparatio eſt? an & mutatio placeat? Conſolationis Polybianæ, cap. XXXV. *In quas per templa aditur*: De Palatio accipimus, vbi templa, ſcio, ſed an ſic in aditu? & per ipſa intratum? De Irâ III. cap. XXII. *Huius nepos fuit Alexander, qui lanceam.* Mirum, ſi Antigoni illius nepos, qui ipſi inter ſucceſſores fuit: & nec in nomine quidem error, quia nemo talis inter Macedonas reges proauos. Atqui mox etiam addit: *Non habuit hoc auitum ille vitium.* Plura talia alibi in iſto aut noto, aut corrigo: ſed hoc noto tantùm. In *Militiâ* etiam noſtrâ, quid tibi videtur de *tripedali parmæ diametro: de Pili, palmari?* aliud à me ſentis aut habes? doce volentem & imputaturum, & ſalue. Illud autem de frigore tuo in ſcribendo, iterùm ſeriò ingero: * ὁ νοῦς ὁ δ᾽ αὐτὸς νῦν ἔχων οὐ τυγχάνει. Incaleſce. Louanij, IX. Kal. Maijas. ∞. IↃCI.

* incurabilis morbus.

* Hæc ipſa mens, mihi crede, mentem non habet.

EPIST. LXX. *Antuerpiam.*

IO. BAPTISTAE BARONIO S. D.

GAVDEO te rediiſſe, etſi præter opinionem meam factum. Cauſſas parenti tuo fuiſſe non dubito, & vel illa cauſſa ſufficit, quòd voluit parens. Quî Gallia placuerit, quî ibi homines, atque alia, ſeruabimus in ſermonem, auidè tecum miſcendum, atque etiam amplexum. Veni, veni. ſed quando? de die ſcire velim. nam ego peregrinatiunculam paro in Neruios, & amici iamdiu eò inuitant. Nolim te me abſentem requirere, & doleam ſi fiat. Tamen, vt tuæ litteræ erant, intra paucos dies, atque adeò hac ſeptimanâ, te exſpectamus. Domum è quâ egreſſus es noſtris caue aliam ingredi, quamdiu ego viuo. Vides non rogare me hoc, ſed iubere. Neque enim omni vindictâ te manumiſi, & attineo vinculo aliquo obſequij, quod bono iure non laxes. Vale, & auum, parentem, fratres ſaluta. Louanij, VIII. Kal. Maijas, ∞. IↃCI.

EPIST. LXXI. *Dolam.*

Io. Bezancenotto S.D.

An & Iᵗⁱ titulum addam? certè donatum eo iam cum fratre eſſe, ex litteris colligo, quas ad me dediſti. Amo & ſcriptionem tuam, mi Bezancenotte, & iamdiu ipſum te: idque ob ingenij melioris dotes, quas Deus dedit. Excolere eas cœpiſti, & proferre: ſed cum ætate magis & magis: & nunc denique è ſcholis & vmbrâ ad fori & rerum lucem actionemque venitis. in quâ verſari vos cum laude, id eſt cum fide & probitate, velim atque optem. Doctrinam certè adfertis (nam & fratrem tuum includo:) ſed per Deum immortalem, Themidi veſtræ Mineruam etiam miſcete, & Sapientiæ illa decreta adſumite, ſine quibus in hac rerum caligine non eſt, mihi credite, pergere viam rectam. Vt in familiâ opus eſt herâ ac dominâ, quæ coërceat: ſic in hac interiore œconomiâ, Sapientiæ illo imperio, quod affectus regat ac dirigat exſultantes. Facite, ita Deus vobis faueat, & honore ſimul ac virtute mactet. Louanij, prid. Kal. Maijas. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXII. *Bruxellam.*

Nicolao de Weerdt Iᵗᵒ *& Cognato.*

Bene eſt, benè eſt, pecuniam adnumeratam eſſe: nequid vltrà tergiuerſetur vel muret noſter ille Proteus. liceat ſic appellare meum Fabrum, virum bonum quidem, ſed parùm in verbis aut pactis (ſenſi aliquoties) ſtabilem, & qui aliquid trahat à leuitate ſui ignis. Nunc tenetur, & vel anguis fiat, non elabetur. Hoc igitur lætum; illud mordet, quòd de aduentu tuo diſtuli. An mecum igitur in reditu vis, & iamnunc ſpondes? At ecce quia meliorem Bacchum, & è femore Iouis natum, guſtare apud me noluiſti: ego velut in pœnam, triſtiorem iſtum & Semele natum (Becani arguriolas agnoſcis) bibendum ad te mitto. Rogo, extra iocum, munuſculum volens accipias, quod à volente ſcis mitti: & ſpero in ſuo genere non inter viliſſima futurum. Guſtus tui, tuam etiam addo, res erit: & ſi ſedebit, ecce fontem è quo quotannis petas. Flores mei cladem, vt ſcripſi, magnam paſſi erant: reparauit in parte & ſupplementa acciſis copijs miſit Gaſpar Taius, Goïckenſis toparcha, ſanè quàm opportunè & benignè. Gaude hoc mecum: nam & tibi in meo horto ſeritur & metitur, atque illo creſcente creſcet etiam tuus. Vale. Louanij, prid. Kal. Maijas. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXIII. *Brugas.*

Corn. Anchemanto *ſuo* S. D.

Valere te, & apud tuos etiam eſſe, mihi quidem placet. At non mihi, inquies, in hoc otio & deſidiâ. Credo. ſed patriæ & tuis aliquod etiam tempus dandum eſt, à quibus diuturnè abfuiſti. Prouidè item & lentè agendum de Peregrinatione. quam ego in Galliam nunc non diſſuadeam, cui res quietæ & firmæ videntur, per Allobrogicam hanc pactionem. Anteà hercules hærebam, & ne nos traheremur in partes, id eſt in vetera mala & bellum. Itaque ſi amicis tuis idem videtur, & ſedet te aliquò ablegare: age, cum bono Deo, fiat in Galliam, doctrinæ & elegantiæ iam olim ſedem. De Italiâ, poſt illam deliberabimus. Tu tantùm cogita iamnunc & imbibe, vt immunem te ſerues à noxis & vitijs, quæ in eâ regione, per bella ciuica maximè, pullularunt. Luxus, libidò, ἀσέλγεια, regnum in multis locis habent: coërce te & abſtine, & Honeſti illum ſplendorem & Numen ante oculos pone, quæ fumos aut nebulas iſtas diſſipabunt. Didiciſſe te oſtende, non vt ſcias quid deceat, ſed vſurpes.

Et grauibus curis, animum ſortita virilem,
Ignea longæuo frænetur corde iuuentus.

Quibus curis? ſcientiæ & prudentiæ, quæ ſcopum peregrinationi tuæ habes. Addo Virtutem: quæ ſuprema cura, & finium, vt ita dicam, finis: quam ſic ſtringe, vt ab hac vitâ citiùs, quàm ab eâ auellaris. Ita abi, & redi, ſemper meus, ſi illius. Louanij, VIII. Kal. Iun. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXIV. *In caſtra.*

Ioanni Sevrio, *Legato Hiſpanienſi à Secretis.*

Benivolentiam, quam ſermo tuus nuper ſpirabat, nunc & litteræ. quid debeo? quid, niſi eamdem beniuolentiam? quam animo huic firmo charactere impreſſam, audeo dicere, & non niſi mecum delendam. Tu foue, mutuum à me fiet. Conquereris de diſceſſu meo inopinato: ſed ita res tulit,

tulit, & diutiùs domo & ſcholis abfueram, quàm meus aut publicus etiam vſus eſſet. Ea cauſa mihi ſubductionis. alioqui, Genium teſtor, ſuaue eſſet apud veſtri ſimiles agere; vt frontem atque animum exporrigerem, vel ſtudiorum ſeueritate, vel temporum hac mœſtitiâ contractum. Non licet, & in animi etiam libertate ſeruitus aliqua externa adiuncta, quam nullæ vindiciæ hîc quidem reſoluant. Publica per te didici, in ſpe magis quàm in re læta. Sed tamen aut ego nihil in Principum rebus video, aut aliud aliquid agitur & arcanè apparatur, quam vulgares iſti oculi aut mentes vident. Eâ cogitatione ſæpè me firmo. & niſi ſit; fateor liberè, vt nunc res eunt aut potiùs fluunt, nihil me pro votis bonorum, aut dignitate imperantium exſpectare. O dij deæque (liceat ſic indignantem loqui) in tantis opibus, & vbi omnia ad magnitudinem ſic parata & ad manum ſunt, tamdiu nos: ſed deſino. Numen videbit: quod gaudet inuertere iſta humana, ſæpè præter humanam ſpem aut mentem. Noſtrum eſt, quæ non in nobis, ferre, & alto animo excipere omnem caſum. De pace, ſiquid cum Turcis conueniet, mirabor, & gaudebo. Neque negem; hoc ſtatu Chriſtianæ rei, quamcumque illam optabilem & vtilem fore. Mihi tua amicitia: quam delatam amplector, & tenebo: & tu me in ſinu illo mentis. Louanij, III. Kal. Iul. ∞.IↃXCI.

EPISTOLA LXXV.

THEODORO CANTERO S. D.

LAETIS oculis atque animo litteras tuas vidi, legi: & pænè dicam,

—— Amyclæus velut exſultauit arenis
Paſtor, ad Idæas Helenâ veniente carinas.

Vetus inter nos amor, & ab honeſtiſſimâ ſtudiorum ſocietate eſt; quem temporum hæc iniquitas interpellare, non abrumpere potuit: & in me quidem viuit vixitque cum affectu & fide, qualem tu litteris his præfers, & volenti credentique teſtaris. Ita ſit vtrimque, & maneat: nec externa iſta diſſidia animos tangant aut polluant, ab eâ labe iure ſuo exſortes. Finem illorum ſi exſpectamus, quando erit? cùm nos non erimus fortaſſe adeò pertinax Fortuna Belgis incumbit,

—— quæ procudit enſes
Et ſocias inimicas vrbes.

Heu, quot iam illa

—— * Ἐφθίμους κεφαλὰς ἄϊδι προΐαψε; * hominum validos Orco proiecit?

& adhuc * προΐαψει, vt rerum hæc facies minatur. * proijcit

Tu ſapiens intereà & felix, qui quantum potes reductus à fluctibus terram legis, & tibi ſtudijſque aſſeris, vnico in his turbis ſolatio & leuamento. In me quidem ſic experior,

—— quem mea tellus
Lare ſecreto tutoque tegit:

libris & ſcriptis inuolutum. Ergo eumdem animum iure tibi gratulor; & ſiquid adiutum aut alleuatum hîc ire poſſim, habes volentem & audientem. Significas de *Eleuſinijs ſacris* ſyntagma te parare: ſed in quæ etiam illa *Cybeles & Iſidis* includas. Probo, & pergere adhortor: quia pars ea ſacrorum multas ἀρχαιολογίας habet, & ad lucem etiam ſcriptorum noſtrorum, qui primitùs profana illa & ſuperſtitioſa abiecerunt. Equidem non deero, vbi diſtinctè rogabis, ſuppetiari: atque adeò etiam nunc vltrò aliquid de Cybeleijs ſacris adiungo. In Suetonij Othone eſt, *Expeditionem impigrè incohaſſe, die quo cultores matris Deûm lamentari & plangere incipiunt*: atque id inter triſtia omina recenſet. Cap VIII. Interpretes referunt ad diem VI. Kal. Aprilium: quia in Ammiano ita legerunt, lib. XXVI. *Ad diem* VI. *Kal.* (Apriles) *quo Romæ matri Deûm pompæ celebrantur annales, & carpentum, quo vehitur ſimulacrum, Almonis vndis ablui perhibetur.* Errant. imò ad IX. Kal. Aprilis referendum eſt, qui dies *Sanguinis* dicebatur. Is enim triſtis, & planctus tunc ſuos Galli ordiebantur, atque adeò corporum ſectiones. Trebellius Pollio in Claudio: *Cùm eſſet nunciatum* IX. *Kal. Apriles, ipſo in ſacrario Matris, Sanguinis die, Claudium Imp. factum, neque cogi Senatus, ſacrorum cauſſa, poſſet.* Vides diem ſollenni veneratione, & illo nomine fuiſſe: quod Tertullianus in Carmine ad Senatorem adſignat. de Gallis:

Mente fremunt, lacerant corpus, ſunduntque cruorem.
Quale ſacrum eſt, vero quod fertur nomine SANGVIS?

Cauſſam etiã ibi nominis habes, quia tunc ſanguinem incipiunt fundere, ac perſeuerant vſque ad diem illum (Ammiano notatum) VI. Kalendarum, quo *Lauatio* inſtituitur, & luctus ſuos ponunt. Statius:

Eſt locus ante vrbem, quà primũ naſcitur ingẽs V. Silu.
Appia, quàq; Italo GEMITVS *Almone Cybelle*
Ponit, & Idæos iam non reminiſcitur amnes.

Itaque

Itaque dies ille tantũ abeſt vt funeſti ominis, læti potiùs fuit: & vulgo *Hilaria* dicebatur. Leges in Lampridij Alexandro, *Hilaria matris Deûm.* De Lauatione porrò, cùm alij, tum Prudentius περὶ στεφ. hymno x. & Auguſtinus II. de Ciuit. cap. IV. Herodian. l. I. Vides propenſionem meam in te & tua ſtudia, magis declarandam ſi ſermonis alterni copia eſſet. Pollioni noſtro dignitatem gratulor, Deum precatus vt bono publico exercendam. Liberi tui quid & quî agunt? iam & alter vxorem habet? In honeſto quidem otio, tuo exemplo, eſſe arbitror: facient, te venerentur, nos ament. Louanij, prid. Idus Sextil. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXVI. *Brugas.*

IANO LERNVTIO S. D.

QVID ait meus Audeiantius? iraſceris, & tuum

Feruens difficili bile tumet iecur?

Ego rideo, & adeò ſatisfactionē non offero, vt à te eam poſcam. O mens pura, & innocentiæ ſibi conſcia! At aliquid in Carminibus tuis me fugit, nec liberè monui aut notaui. Prius poteſt, alterũ abnuo: & quæ vidi, certè monui & ſcripſi. Fac me aliquid conniuere oculo, aut parùm præſenti mente, legiſſe. Id quoque poteſt, & vt diſtractiones meas omittam, quis, quem non in ſuis & alienis aliquid fugit & elabitur? Si quis eſt,

—— *immolet æquis Hic porcum laribus:*

ego fateor me inter Homericos ſæpè eſſe, & oculis non ſemper acutis, imò non apertis. Sed hoc mittamus. ego tibi, mi Lernuti, & fui ſeriò & ero amicus,

Dum pecori lupus, & nautis infeſtus Orion.

Sed de Audeiantio meo iterùm. adoleſcens ad probi ingenij eſt, & in Prudentium aliquid vellet, à te iniectum. Giſelini noſtri illius quædam habes: per eum poſſent edi, & honore non ſolùm ſaluo illius amici, ſed aucto. Cogita, & ſcribe, aut ſi probas, mitte. Oſtenda vos etiam exercet, ſed ſpe tamen nunc certiore, vt audimus, eius potiundæ. Deus faciat: vtinam ego te aliquando! In Neruijs nuper fui, anno proximo (ſi vita mihi & vires) Morinos fortaſſe veſtros & te, te videbo, quòd

Mens deſiderijs icta fidelibus

nimiùm auet. Ita ſim ſaluus, vt ſentio & propono: ille modò

Gentis humanæ pater atque cuſtos

te meque in id tempus ſeruet. Louanij, prid. Idus Sextil. ∞. IↃCI.

EPISTOLA LXXVII.

IOANNI DRENCKWAIRTO, *ſupremo Theſaurario.*

EXCVSARE me tibi debeo, etſi immunem à culpâ, ſed ne ſilendo faciã me illi adfinem. Nam fui Antuerpiæ nuper, & Bruxellâ reuerti ac te adfari mos meus ac tui cultus volebant: ſed mutaui, & compendio Mechlinienſi viâ redij, quia monitus eram Præſidis filium cum Rubenio reuocari, & ſubitò abeundum eis eſſe. Feſtinaui, vt Vale caperem & dicerem: in eâ tamen ipsâ re deceptus, & tutum non putarunt exſpectare. Eant cum bono Deo: quid autem, ſi in tam bellâ occaſione Balduinus tuus cum ipſis? Fateor de titulo capiendo hîc, decretum nuper à te eſſe: ſed & in Italiâ poſſet: nec tales certè itineris comites ſemper ei erit nanciſci. Pro tuâ prudentiâ, Ampliſſime Domine, ſtatues quod è re videbitur: nam mihi indicare conueniebat, tibi iudicare. quem Deus ille publico & nobis incolumem diutiſſimè ſeruet, perpetuo noſtro voto. Louanij, XVII. Kal. Octob. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXVIII. *Antuerpiam.*

BALTHASARI ROBIANO *Senatori.*

AMICVM amicis me fateor: & ſum hercules opido veſtro, & illi V. C. de quo in ſermone nuper egi. Eò grauiùs fero inter ſe diſſidere, & ad litem venire, meo voto, & tuo auxilio (ita cupio) finiendam. Annue hanc operam mi amice. quid honeſtiùs tibi, & fortaſſe vtiliùs vtrique parti potes? Opidum, ſi non nunc, fortaſſe poſteà detrimentum, & quidem cum fœnore ſentiet: at iſte pondus grauiſſimæ litis excipiet, & in eius humeros, qui conſortes ſunt, maximè inclinabunt. Adiuuemus, & vocem monitumque Rudolphi primi Auſtriaci audiamus. cui cùm plures lites cum pluribus eſſent, vna atque altera grauis cum Abbate ſancti Galli, tunc potente: acceſſit vltrò & inuocatus ad eius conuiuium. mirante illo atque alijs (nam & inimicitiæ, vt ſolet, ex lite ortæ erant) ipſe conſtanter perſedit, & fine conuiuij cum Abbate ſeorſim locutus tranſegit, & pacem cum eo pepigit; ita fidam, vt Abbas poſteà auxilio etiam ei in bellis fuerit, quæ minuta (nam Comes adhuc erat) cum vicinis habebat. Sed vox eius abeuntis excepta à familiaribus eſt, totidem

his

his verbis: *Quicumque tres lites habet, duas, ſi poterit, componat: hoc eſt meum conſilium.* Et hercules meum, ô Rudolphe: ſed hoc amplius, etiam tertiam, vt nullum caput huic Cerbero ſuperſit. Age mi Robiane, non ternæ, ſed ter denæ aliquæ vobis lites ſunt: recidite iſtas maximè grandes, & quæ in monſtra aut hydras ſuccreſcunt. Quid magis ſolenne, noſtris moribus & iuridicinâ? Lis litem gignit, iterumque hæc aliam, & catena fit quæ heredes etiam ligat. Bonâ Vweni noſtri veniâ hoc dicam, dubitare me an bono conſilio in vitam & vſum Ius Iuſtinianæum à Lothario Imperatore reuocatum ſit. ſic dico, totum & plenum. Non quin bona in eo, arguta, & à ſæculo veteri: ſed nimis fortaſſe bona, arguta, vetera: & ideò ſeminarium ingenijs, ad calumnias fraudeſque pangendas. Dic ſodes, quàm multa in eo, quę vſum hodie non habent? quàm multa implicata, & variantibus ſententijs enodanda? quid ſi pugnantia quædam dicam? ſed vix auſim, & iuncti vmbonibus me inuadant. Et de iure ipſo priſco, parum etiam ſit: ſed Commentarij quàm multi & pænè infiniti acceſſerunt? atqui & ij ſi concordant, vim legis in tribunalibus noſtris poſcunt. Amelij vetus querela an ſcomma fuit, *Iuriſprudentiam multorum camelorũ onus eſſe*: quid nunc dicam? elephantos ab Indiâ adde, vix ferent. Atqui Platonis oraculum (recens à lectione ſum) auribus meis inſonat: Ὅτι παρ᾽ οἷς νόμοι πολλοὶ, καὶ δικαστήρια τούτοις, καὶ βίοι μοχθηροί: *Quòd vbi leges multæ, ibi & lites multæ, & vita moreſque praui.* Audi, & ſcrutare: verè oraculum eſt, & de *multitudine litium*, noſtra Belgica, vicina Gallia, & Italia dicent. Quomodo autem non & *mores praui*? nam primùm concordia tollitur, odia aperta aut occulta in animis gignuntur; adde fraudes, inſidias, & ſtudium vincendi quouis nexu, ac ſupplantãdi. *Non enim, vt Celſus veriſſimè ſcripſit, bona conſcientia, ſed victoria litigantis eſt præmium.* De multis hoc dico; abſit de omnibus, & animus me meus refellat. Sed proborũ cauſsâ indignor equidem, cùm Iaſones iſtos video, qui palàm ad Colchos & aureum vellus eunt. Et quidem non improbi ſolùm, ſed ſtolidi aut fronte ferreâ, qui & artem hanc protollendæ ſiue tollendæ Iuſtitiæ iactant. Memini olim fuiſſe inter Byzantinos Oratores, qui interrogatus, *Qualis Byzantijs lex eſſet? Qualem ego volo*, reſpondit: o dignum, qui pateretur quod ego vellem! Sed an non hodie tales, qui leges, vt cerã habent? pro animo aut lucello ſuo huc illuc ducunt & flectunt? Mentiri optem: ſed hoc vnicè, vt Rex ſit aut Princeps qui medeatur, & paucas, faciles, concordes leges donet. Sed hæc *Montis Politicis* ſeruentur, epiſtolæ modulo grandiora. Illud de re, quam inſtitui, te rogo: pergas nauare operã, & vt pax coëat inter volentes. Noſter certè cupit, & quoſcumque interpretes eius aut pararios non recuſat. Vtinam tam in procliui Batava noſtra pax ſit! quæ ante annos aliquot prompta, magis magiſque ſubducitur: & adeò non rem, vix nomen eius admittunt. Quid autem fiet, ſi Oſtendam non capimus? quos illi animos? Sed capiemus, ita ominor: & vtinam illos noſque ſatietas peſſimi & omnia atterentis belli. Vale V. C. & ſalueat noſter communis Vwenus: an & hæc legat? legat, homo diſpariſſimus ijs, quos noto. Talium tacita vota, ſi non voces, ſunt mecum. Louanij, XIII. Kal. Octobr. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXIX. *Brugas.*

LVCAE WYNGARDO V. N. S. D.

EN meas litteras, quas tuæ non elicuerũt: ſed ipſis tuis factis iure debebam. Quid enim minus poſſim pro donis ſic vltrò & vbertim miſſis, quã gratias ſtilo dicere, animo habere? Et donis herclè meo animo lepidis, & quæ verè ſunt illi recreando aut vegetando. Nam flores & hæc hortenſis oblectatio ipſam vitã pænè dicam mihi ſeruat: cùm à libris & ſtudijs, ſiue etiã turbis aut interpellatoribus, illuc confugio, & adſpectu ac receſſu me paſco. Quid ſit in hac re arcani adfectus, neſcio: niſi quòd & poſt vitam veteres, hortos, & campos Elyſios imaginati ſunt; & ipſe Deus primo homini ſedem beatæ vitæ dedit παράδεισον. Deſine, inquies:

* Μηδ᾽ ἐξεράσῃς μωρίαν τὴν σὴν ἐμοί:

Non faciam, deſino: & publicæ occupationes aliò te ducunt. Quod propoſui tamen, gratias ago: hoc ipſo maiores, quò magis munus tu commendo. De Theocriti verſu quæſitum, βολβός τις κοχλίας ἐξῃρέθη: —— non alium ſenſum arbitror, quàm *Bulbum* (edulem ſcilicet) *& cochleã electam*, & propoſitam ad comeſſandum. Ita ſolent etiam Latini. In Martiale aliquoties mentio, & iunctim lib. IV.

Et ficus Libycã gelata teſtã,
Cum bulbis cochleiſque caſeoque.

Etiam Romæ hodie cochleas ſolent apponere,

ponere, illi vſui aut fini. Sed hoc ſenſu, vide an non copulâ inſertâ meliùs ſcribi: κοχλίαςι τ᾽ ἐξηρίφθη. Valere te cupio, Vir nobilis, & * φιλοῦντα ἀντιφιλεῖν. Louanij, III. Idus Octob. ∞.IↃCI.

* amantem redamare.

Iacobo Damhouderio ſalutem & gratias, rogo, à me dicito, qui & ſe floribus procurandis benignè impendit. Debeo.

EPIST. LXXX. *Tornacum.*

DIONYSIO VILLERIO V.R. & Cl.

BINIS me tuis affatus es, à triſti noſtro (mihi certè) diſceſſu: at ego ſilui. quid cauſſæ? diſtractiunculæ, quæ præter morem mihi me eripuerunt, nec niſi cogitationem & affectum paſſæ ad te mitti. Audi, ſodes, & miſerere. Nuptiæ vno tempore in domo meâ, hoſpites, interuenrores. De nuptijs, vt ſagax es, credo audiſſe. ancillam mihi ab annis XXVI. tæſam nocturnæ ſolitudinis (quid enim aliud ipſa aut ego dicam?) viro ſe iunxiſſe, & conuiuia illa, choreas, nugas in meâ domo fuiſſe. Ecce ſub eaſipſas Bernartius mihi hoſpes, gratus ſanè: ſed cui me & tempus tamen impendi. Quid de exteris aduentoribus dicam? qui anno inclinante velut per agmina adfluxerunt, & ſalus capienda ab ijs & danda, humanitatis quâdam lege, fuit. Atqui vix credas, quot horas & iſti eripiant, etſi in breuibus fabellis. Iam ſollennes & adſiduas occupatiunculas meas omitto, in dies docere, ſcribere, & quidquid muneri meo adhæret. Scio ipſum te ingemiſcere in ſplendidâ hac meâ miſeriâ, & quam fama aliqua melior nobis donat. Quid etiam omitto? quid? vel præcipuum turbamentum, quod tamen famam video ad te tuliſſe. N. N. triennium ferè in meo contubernio & curâ, præter omnem omnium opinionem, tantis opibus & ſpe relictâ, in diui Franciſci cœtum ſe dedit, & diuino cultui mancipauit. Quàm me percuſſit cenſes hoc * ἀδόκητον? & eò magis, quia auunculo & parentibus (nam & ij viuunt) magnam hanc in animo plagam futuram videbam. Itaque ſtatim vxor illius & ſoror huc ad me, & mecū ad illum: conamur refrigerare aut abducere: at ille, veluti rupes, ſermunculos noſtros aſſilientes fregit aut repulit, & Deo duce vitam electā dixit, quæ niſi cum vitâ non eriperetur. Ita vltimus ille meorum me deſeruit, & in ſolitudine iam reliquit. Quam tu damnas & diſſuades, & atræ meæ bilis fomentum aut alimentum habes. Falli te puto: ego certè amo, & corpore atque animo eâ paſcor. Quàm liberæ mihi nunc cogitationes ſunt quam curis iſtis alienis aut externis non diſtrictę? quàm vagor itaque & diffundor? in cælum, terras, maria, in noſtrum & alium orbem. Apage à me, illum, qui

* inopinatum

Non horam ſecum eſſe poteſt, non otia rectè
Ponere, ſeque ipſum vitat fugitiuus & erro.

Ego ſapientiæ non dicam indicium, ſed initium tamen eſſe puto, ſecum conſiſtere, & ſibi vacare. O ſi rure hoc etiam liceat!

*Propter aquæ riuum, * ſub ramis arboris altæ.*

Sed bella hoc vetant, nec Oſtenda illa etiam PACEM OSTENDIT. Claſſem in Hiberniam ſex millium Iberorum appuliſſe autumant: illam magnam, Africæ inuadendæ paratam, tempeſtate diſiectam, & re nullâ nec tentatâ quidem reuerſam. Hæc in publicis ſunt: etiam illud, Reginam Hiſpaniæ peperiſſe, ſed prolem fœminam. In priuatis tuis quid? bibliothecam pergis inſtruere? Index hic Francofurtenſis quædam dabit. Io. Macarius, cum gratâ tui memoriâ, ante biduū mihi adfuit, vnà cum Wingij noſtri fratre. Vterque gratus, & in menſulâ meâ miſcuimus fabellas. Quando tecum iterùm? diſpeream niſi aueo: & fiet, ita tu atque ego valeamus. Louanij, III. Idus Octob. ∞.IↃCI.

De Neruijs tuis, ſeriò aliquoties à te quæſitum, quæ mihi viſa hîc habes. Cæſaris & Strabonis tempore has ſedes coluiſſe. Treuirorum finibus, ab Oriente; ad Occaſum à tergo, Ambianis & Atrebatibus iunctos; Veromanduos, in Meridiem, Atuaticos in Septemtrionem deſpexiſſe. Porrectos in longum magis, quàm latum: ab Oriente in Occaſum. Hodiemâ nomenclaturâ fines eorum ſi vis deſignem; arbitror ſupra *Namurum* (vulgò *Namurcum*) & ab Arduenntiæ finibus cœpiſſe: iuiſſe in Meridiem *Formacum* verſus, tum *Chimacū, Auennas, Bauacum, Valentianā*; & flexu deinde in Occaſum & Septemtriones, *Orchiacum, Tornacum, Aldenardam*; iterumque flexu in Orientem & Meridiem, *Geertsbergam, Angium, Bramum, Gemblacum*, denique redi[illegible]e *Namurum*. Coniectura hæc noſtra eſt: & quis aliud in his adferat? ſed veterum profectò verbis ſenſibuſ[illegible]ue [illegible]ixa. Nam magnos fines habuiſſe, Cæſ[illegible]r apertè indicat: qui *ab Ambianis triduum iter [illegible]eciſſe per Neruios* ait, *priuſquam ad [illegible]bin veniret* (hodie *Sambram*) vbi copiæ eorum & caſtra. A Treuiris autem cœpiſſe

quod

quod dixi, non id quidem Cæſar, ſed apertiſſimè bis Strabo ſcribit, libro quarto: & à Germanis vtroſque ortos, ipſe ibi, & Tacitus in Germaniâ ſuâ, ſcribunt. Iungit & Panegyricus ſcriptor, *Nerniorum & Treuirorum arua.* At Tacitus *Bethaſijs* finitimos facit IV. Hiſtor. *Ciuilis Bethaſios quoque ac Nerniios in fidem acceptos copijs ſuis iungit.* Et anteà: *Claudius Labeo quoſdam Nerniorum Bethaſiorumque in arma traxit.* Atqui iſti *Bethaſij* Brabanti noſtri videntur, quâ parte Hannones tangunt: & hodieque iuxta *Hallas* vicus eſt *Beeths* nomine, qui vetus illud refert. Itaque fines eorum ab hac quoque parte ſatis ſtabiles videantur. Plura quæ dicam non habeo: niſi *Tornacum* veſtrum (ſic ibi ſcriptum) à Reginone nominari, in anno Chriſtiano CCCC. XCVIII. *Hilpericus*, inquit, *fugiens cum vxore & liberis Tornacum eſt ingreſſus.* At in Antonini itinerario eſt *Turnacum.*

EPIST. LXXXI. *Audomaropolim.*

ÆGIDIO SCONDONCHO *Sacerd. Soc. Ieſu.*

ABIISTI ſanè à nobis, nec vel ſollenne illud Vale dixiſti aut ſcripſiſti. Accuſem? abſit: ſcio veſtrorum imperia, quibus ſtatim & * ὁμαρτίως ſit parendum. Doluiſſe tamen me non nego, cui plures iam amici ſic abiuncti aut erepti: inter eos Delrius ille, ad Europæ fines, ſed ſuâ ſponte, relegatus. Hemclatij noſtri litteras legi, & ex ijs diſco etiam nunc * ταπεινοφρονεῖν. Habet à naturâ modeſtum illud, & pænè immodicè: erigendus eſt, quod ſermone & litteris ſcio me factitaſſe. Et profectò nec Aula illa ei placet, vbi fumi & fuci multum; & Batauus ille candor non delectetur, non delectet. Noſti mollem frontem, parùm aptam inter duros illos, & cum Homero, * οὐδ' αἰδοῦς μοῖραν ἔχοντας. Itaque de manſione vix ſuadeam: cur non ad nos redeat, vitæ genus eligat, in quo & ſalutem & quietem ſuam curet? Mihi videatur: nec Batauia moueat, videnda obiter non inſidenda. De me, in ſtudijs ſcriptiſque ſumus, ſed languidè, vt in languore. Non ille me deſerit: neque ego tamen illa,

> * Πρίν γ' ἔτι δὴ θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφικαλύψῃ.

Tu vale mi Pater, tuo & plurium bono. Louanij, IV. Kal. Nouemb. ∞. IↃCI.

* ſimul vt adhuc.
* animo abjici.
* nec pariſ ſermones neque pudoris.
* Antè mihi quam mortis nubes lumina tegat.

EPISTOLA LXXXII.

GERARDO BVYTEWECHIO.

ET addam MEO? an alia iam te habet? Habeat, ſed non totum: & in te ius meum teneo, nec vllum vinclum nouum ab illo veteri reſoluat. Sed faueo & gratulor toto animo huic incepto, & Deum rogo id non proſperare ſolùm, ſed properare. Satis diu ſuſpendiſti noſtra & parentum vota:

> *Eia age, iunge toros, atque otia deme iuuentæ.*

Omnia eò vocant. natura ipſa, quæ hanc legem iugandi & gignendi dedit, & ſæcula per ſationem propagandi.

> *Sic rerum ſeries, mundique renaſcitur ætas.*

Vocant & tui, quibus vnicus es, & (niſi fallor) ſtirpis tuæ extremus. Patiare extingui? non debes. & quamquam tempora triſtia vel turbida cunctari ſuadeant; ætas tua recuſat, & nunc fieri, quod aliquando poſſit, impellit. Habet etiam hæc vita ſuas voluptates & lenocinia, præſertim tali compare, qualem deſcribis, à ſtirpe, à parentibus, à ſe honeſtam, bonam, mitem. Euripidis effatum eſt:

> * Γάμοι δ' ὅσοις μὲν εὖ καθεστᾶσι βροτῶν,
> Μακάριος αἰών· οἷς δὲ μὴ πίπτουσιν εὖ,
> Τά τ' ἔνδον εἰσὶ, τά τε θύραζε δυστυχεῖς.

Adſit illud, abſit hoc à tuis nuptijs:

> —— *det Iuno verenda*
> *Vincula, & inſigni geminet Concordia tædâ.*

Mihi in eo vno voto omnia ineſſe videantur, & vbi pax & concordia inter conſortes obtinent, felicitatem illam & alia bona comitari. FIAT, FIAT: & ampliùs, huic felicitati fæcunditas comitetur; vt verè illa ſit γυνὴ, quam pulchrè * ἀπὸ τῆς γονῆς veteres magiſtri deriuarunt. Sed heus, ſcis & in domo meâ nuptias, & quidem duplices, fuiſſe? Verè in domo meâ priores. è quâ ancilla mea *Anna* illa, quam noſti, ante paucas ſeptimanas enupſit: alteras è domo, ſi non in ipsâ. Tenes memoriâ N.N. gente veſtrum, Theſaurarij ex ſorore nepotem apud me triennium circiter egiſſe? & modeſtè quidem ac laudabiliter egiſſe. Sed exitus fuit, opinioni noſtræ diſpar, & relictâ magnâ ſpe opum (nam auunculo, non ſolùm patri, heres deſtinabatur)

* Mortalibus quibus ſecunda nuptiæ Cedunt, beata vita: ſed quibus alitèr, tùs domi infeliciter agunt, & foris.
* à genitura.

in

in Diui Franciſci familiam nomen dedit. Hoc ipſo die manè publicè induit cœtus eius ſacram veſtem. Deus robur adſpiret, & athletam ad metam ſiſtat: etſi curſum hunc currere cœpit nobis omnibus inſcijs, neque enim dicam (de me quidem) inuitis. Reliqui etiam mei contubernales ordine abierunt, in Italiam, in Galliam, Hiſpaniam, quò ſua quemque ſors duxit: & in ſolitudine ſum, diu mihi optatâ, & in omni æuo dilectâ. O ſi commeatus ad vos ſit, qui ſolet! teſtor Numen, oculis imò & oſculis tuam nunc libem! vetamur. tu vicem meam facito, atque ita vt iterùm nos lætifices, te patre, parentibus tuis auis. quos ſaluto, & gaudium illorum gaudeo, quod animi his luminibus cerno. Vale, & rem gere mi Buytewechi, verè ἀνὴρ * περὶ τὸ ἀναφέρειν, ait vir ſanctus: ne vt laſciuiuſculum hoc culpes. Louanij, v. Kal. Nouemb. ∞.IↃCI.

* à ferendo, Iſidorus Peluſiota, in Epiſt.

EPIST. LXXXIII. *Bruxellam.*

NICOLAO DE WEERDT *I^ae & Cognato.*

DOLEO & gaudeo in vnâ tuâ, & vnius argumenti ſcriptione. Doleo iterùm præteritum me in officio, quod ſic libens lætuſque obtuli, & vſurpem: gaudeo tamen peperiſſe tuam, & vinculis illis exſolutam, quæ etſi optabile periculum, periculum tamen oſtendunt & minantur. Deus & ipſam det valeſcere, & prolem natam creſcere, ſuæ gloriæ, gaudio longo atque vſui veſtro. Differs me in filium. age igitur ne tu Fabius aliquis, magis Annibal eſto, & feliciùs te ad Romæ portas ſiſte. Ne cunctare, & cognatum mihi da, cui ſanctiore parentis etiam nomine iungar. Fiet, ominor: & decem tibi menſes ſuprema dies ſunto. De ſeminibus quæ miſi, vix opus gratiam dicere: ſi ſcias quàm animo liberalis & benignus in te ſim, plura poſcas, & addam, feras. Modeſtiam tamen non exue, & ſic ſi non promptiùs, tamen libentiùs ſcito me daturum. Vides artem? incito te & reprimo: ſexus etiam ille ſolet, de quo initio egi. valeat, & tu vale optime Cognate. Louanij, prid. Kal. Nou. ∞.IↃCI.

Salutem & officia defero Cognato ſocero, & Cognatæ.

EPIST. LXXXIV. *Romam.*

IOANNI HEMELARIO.

AGE, cum Deo, fiat. Veni, inquam ad nos, imò & ad tuos: ſed vt videas, non adhæreas aut ibi ſiſtas. Commeatum ego quidem tibi do. Nam cur diſſimulem? nimiu mihi ægre eſt, non eſſe te Romæ ex deſtinatione aut ſpe meâ, nec eo loco quem aliud æuum adſignaſſet. O Europa, quàm in omnibus membris labaſcis! Nam ſiibi etiam, vbi alta & immota pax eſt, in exiguo pretio & vix aſſis ſunt iſtæ pacis artes; quid alibi arbitremur, aut ſperemus? Mundi lex videtur:

—— ego vtrùm
Naue ferar magnâ an paruâ, ferar vnus & idem.

Tibi ſit iſtæc conſtantia. & aut ratio profectò aut vſus dabit. Diogenem aut veteres ſophos tibi non ingero, qui Alexandros & Philippos omnes prouocabant in ſuâ vberi inopiâ: vide Chriſtiana noſtra olim & nunc (venia verbo ſit) mendicabula: reges omnes non æquant ſecuritate & tranquillitate, ſed vincunt. Iacis ſemina aliqua melioris mentis in tuis litteris: Deum precor vt foueat, attollat, maturet. Tantùm hortor & ingero, non ſic * ταπεινοφρονεῖν: tolle caput, quod Deus ad ſidera erexit, & melior tua mens eò ducit. Hanc audi: fumos & ſucos illos non vide, non audi, qui obnubilant & ſpecie ingenuum ad minuta impellunt. Impedimenta eſſe & fore, non neſcio: ſed altus & Deo fiſus animus

—— per obſtantes cateruas
Explicuit ſua victor arma.

Tu eo faciente facies, mi Hemelari: atque ita mihi ſalue. Louanij, prid. Kal. Nouemb. ∞.IↃCI.

* humilis & abiectâ mente eſſe.

EPIST. LXXXV. *Leodicum.*

PETRO ORANO *I^ae.*

APVD te nec excuſo quidem, quòd ſileam. Non mihi ſemel liceat, quod tibi frequens, & pænè in morem vertit? Feci apud Catonem deletum: & tu quoque è luſtralibus illis aquis ſume. Filium valere, gaudeo; & magis, quem volumus & deſtinamus, eſſe. Angit de lite, quam imminere ſignificat in domo à Patruo relictâ: & ſi mei arbi-

[illegible] ad [illegible]cor[illegible] [illegible] Cum Principe viuo res est [illegible] [illegible],

[illegible] σὺ Πηλείδη [illegible] [illegible] βασιλῆϊ ἀντιβίην.

Fiat tamen, quod tu iudicabis, harum rerum vetus & gnarus. [illegible], gaudeo: idem breui de Principe vouemus, & in circumſtantibus turbis aut periculis ex vſu veſtro fore putamus. Te quoque valere, mei voti eſt, & ſemper me amatur[illegible] amare. Louanij, poſtrid. Kal. Nouemb. [illegible] IↃCI.

EPIST. LXXXVI. *Romam.*

FRANCISCO ORANO *ſuo* S. D.

RESPONSVM debeo binis iam tuis litteris: imo non debeo, nec patia tecum facere in hoc genere aut ind[illegible]xi an[illegible]m, aut copia mea ferat. Otij vos beatos! nos obru[illegible], & quod p[illegible]b[illegible]ice minus aut tardiùs aliquid præſtamus, [illegible] pr[illegible] [illegible] ſcriptiunculis, quæ a mane ad veſperam ſæpè habent. Quid quæ[illegible] apud [illegible] gnatum? ideò [illegible]noſces & animum ſemper in te agnoſces, qui e[illegible] & fuit. Litem tibi eſſe nolim: od[illegible] ſum nomen & v[illegible]e noncum illo e Dynaſtis rae[illegible] me audis ad patrem e[illegible]m ſc[illegible]ſi [illegible]igas & compon[illegible]. Plumarum potiùs al[illegible]id amitte, quàm vt de cute aut carne periclitēris.

Contr[illegible] melius parua Cupidine
Ve[illegible]igalia porri[illegible]

& vi[illegible] genus quod elegiſti, in arcta te non detrude[illegible] h[illegible] & vbe[illegible]tas, [illegible] pr[illegible]gio, te manent. N[illegible] Richardotus ecquid apud t[illegible] n frige e amicitiam, [illegible] in d[illegible]o m[illegible], & [illegible]re contu[illegible]be[illegible]n[illegible], [illegible]cepit. Alter etiam mox frater, Guilhel[illegible]s, [illegible] & a[illegible] [illegible]prim[illegible]nas à me di[illegible] illuc iturientem. Rubenium vn[illegible] [illegible]gnem iuuen[illegible]m, & optimis litteris a[illegible] [illegible] [illegible]ct[illegible], [illegible] [illegible]tum. A[illegible] a[illegible] aliud, cum tuo [illegible]raculo. N.N [illegible] qu[illegible]am [illegible]icer[illegible] deſtinab[illegible], [illegible] D. [illegible] dedit, a[illegible]s [illegible]naris, multis, ir[illegible]is. Qu[illegible] ma[illegible] v[illegible] a[illegible] [illegible] vox, [illegible] a f[illegible] quæ[illegible]ere, & fortaſſis e[illegible] b[illegible]a, ti[illegible] b[illegible]læ[illegible] v[illegible] [illegible] de claud[illegible] a[illegible] erat, benè ſi [illegible]. S[illegible] v[illegible] vt [illegible] vi aut vià a[illegible] [illegible] [illegible]rum Rom. [illegible]

quid fiat nisi Deus palàm iuuat, qui nobis [illegible] [illegible]is conſtantiam, tibi ſalutem mi Orane ſeruet. Louanij, poſtrid. Kal. Nou[illegible]b. ∞.IↃCI.

Audeiantius te ſalutat.

EPIST. LXXXVII. *Hiſpalim.*

IOANNI WOVERIO S. D.

EST NE? amantes ad ineptias etiam [illegible]. [illegible] ex[illegible] [illegible]nol[illegible] mi Woueri: qui ſe m[illegible] [illegible] pe[illegible], & nunc litteris ite[illegible]as, vt aliquid pan[illegible]am de vitâ meâ & ſcriptis. Cui rei a[illegible] al[illegible] ineptum a[illegible] ſuperuacuum eſt: & nihil in illâ, quod noſſe a[illegible]m interſit. Tib[illegible]? atqui in contubernio meo fui[illegible], & hoc pænè [illegible], vitam meam totam noſti. Quid enim in eâ niſi æquale illud & vniforme, quod vidiſti? legere, docere, [illegible]ber[illegible] & [illegible] tranq[illegible]llû, & ab actione remotum eſſe. Quid ergo narrem? non [illegible] [illegible]ſta, non meas po[illegible]m: & ten[illegible] nob[illegible] pleraque aut minuta. Tamen quia valdè cupis, & ego natura obſequ[illegible] accipe ea [illegible], & qu[illegible] à cateeribus, id eſt, cùm miſſus ſum in hanc vita. Id fuit, Dei benignita[illegible], Ann[illegible] ∞.IↃ.XLVII. die qui D. Lucæ ſacer eſt, XV. Kal. Nouembris. Nox media me edidit: cùm mater (ita narrantem ſæpè audiui) ſuperiori proximâ nocte, vidiſſet vigilans & exſomnis, duos puellos mire candidos, per cubiculum inambulantes, [illegible] ſe compl[illegible]os. Interpretatio ſi tamen vlla, ipſi nobilque incerta. In Iſcano autem ſum genitus, municipio [illegible] aqu[illegible], ſitu peta[illegible]œno: quod tertio milliari à Bruxellâ, itemque à Louanio abeſt. V[illegible] me due[illegible]: quid deſcribam? & locum adeo domu[illegible] nunc ſemirutam, in quâ ſum natus. N[illegible]nim a[illegible]tâ illâ noſtra & paternâ, quæ [illegible]ndio perierat, paullo pòſt inſtauranda. Parentes mihi, *Ægidius Lipſius* & *Iſabella Petiriuia*: ille vi[illegible] par[illegible]ribus, hæc vi[illegible]opibus & genere vterque perhoneſtis. Auus *Nicolaus Lipſius*, [illegible] & [illegible] op[illegible] pr[illegible]us *Martinus Lipſius*, vir ob doct[illegible]inam Eraſmo familiaris & à ſuis [illegible]que ſcriptis notus. Vxor a[illegible] *Ma[illegible]a Eecboutia*, ſtirpe nobili: & maiores p[illegible] fratres e[illegible]s, in Principum noſtrorum aulis. P[illegible] *Iu[illegible]us* [illegible] *pon[illegible]* [illegible] *nna* [illegible] [illegible] [illegible]enere nobiliſſimo: ſed in vir[illegible] ſtirpe [illegible] ex[illegible]. Ea in d[illegible] villam, a[illegible] domum con

[illegible]t, quæ in [illegible] atque [illegible] mei il-
[illegible]e nati. Nam pater & maiores, domo om-
nes [illegible]xell[illegible]nſes [illegible]nt: [illegible], atq; in vi-
cinia, opes. Ag[illegible]tum in ſacro fonte & die
meo luſtrico, de Lucę nomine imponendo,
[illegible] a me dictâ: ſed pat[illegible] abnuit; & a[illegible]
p[illegible]ni, materniq́ue nomen in me renoua-
uit. Parentes Iſcanum aliquot annos tenuit,
quia & [illegible] pro[illegible]pin[illegible] villam & agros
vberes habebat, ſupra Wavriā: & pater item
in Iſcano dicta bona. Ergo & ibi educatus
ſum: non ſine d[illegible] periculo, quod præ-
ſens vitæ meæ fuit. Puer quadriennis, egreſ-
ſus domo ad vehicul[illegible] l[illegible]andam, vi[illegible]
niues (media hiems erat) in colliculum
vtrimque, vt via media eſſet, ſcopis aggeſtas.
Con[illegible]nd[illegible], in faci[illegible] ca[illegible]o, [illegible]ndi im-
pos & iam ſuffocandus: ni ancilla, quæ ſu-
pe[illegible]t [illegible]at, bono fato me reſpexiſſet, &
erectum ſeruaſſet. Alt[illegible], cùm domus vt
dixi, repararetur per tabulata & machinas
[illegible] ſito: de[illegible]do quindecim pe-
dum altitudine, cum ſodali m[illegible]o: qui crus
ſibi [illegible]t, ego caput & ſiniſtram aurem
[illegible]uiter lædo. Tutela mea, Genius fuit: &,
quod cingulo ſerico ſuſpenſus in perticâ
[illegible] donec eo ſol[illegible]o caderem, ſed ictu
molliore. Annos iam ſex natus, Bruxellam
cum parentibus migro. ibi ſtudijs littera-
rum initior: faci prom[illegible]ptoq́; ingenio adeo,
vt præceptor me paruulum memoriā te-
n[illegible] [illegible]ibus impoſitum, & ſic recitantem,
alijs oſtenderet in [illegible]ionem aut exem-
plum. Inter condiſcipulos *Dionyſius* [illegible]-
rius tunc fuit: ô carum mihi exinde nomen.
Grammaticalia ſtatim hauſi, & ſponte ad
[illegible]m Gallicam etiam me dedi; quam
è libris ſine doctore ita didici, vt ſcribere
poſſem, etſi loqui & legitime pron[illegible] te
non poſſe[illegible]. Sed hic mihi etiam diſcri-
men, nonniſi à Deo pal[illegible] d[illegible]. Cum
æqualibus currere & luſitare feriatis die-
bus, extra [illegible] ſol[illegible] & euenit, vt cir-
ca Sennam flumen. Ib[illegible] cymbula ripæ ap-
[illegible], & [illegible] ad arborem reli[illegible]ata, haud
longe ſupra f[illegible]menti[illegible] molam. Nos in
[illegible] ſ[illegible]lumus, & agitamus: videt mo-
lit[illegible]r, [illegible] & voce minatur. Mei deſe-
r[illegible]t, exeunt: p[illegible]s [illegible] ideo co[illegible],
[illegible] repulſa cy[illegible], & à
ripa diiunctio, [illegible]
t[illegible] præcep[illegible] in flumen [illegible]
p[illegible] [illegible]
[illegible]
[illegible] moluor ad[illegible]enit [illegible]

mo[illegible], atque ſarun[illegible] & [illegible]
noſtrum fuit. Vtrique [illegible]
ba p[illegible] abſque [illegible] erat ad[illegible]
ibat, et vorticibus inuoluenda & m[illegible]
da. Sed ad vitæ meæ ſpatia redeo. An[illegible]
d[illegible]no At[illegible] Hannoniæ ablegor, bonæ
famæ ſcholam: atque iterùm [illegible]
ticalia, prauo æui noſtri more. Biennium
in ijs de[illegible], mox car[illegible]
& anno tertio Coloniam Vbiorum porrò,
a[illegible] *Patres Societatis* mittor. I[illegible] me Rectori-
[illegible] ij[illegible] hilo[illegible] hic [illegible]uerunt ca[illegible]
ne[illegible]ronum, atque ibi & alibi antea [illegible] non
pe[illegible] iactantium dico) ſemper ductorem &
principem meæ claſſis. Sub id tempus pie-
tas pectus meum tangere, & Patribus ipſis
velle accen[illegible] p[illegible]nt[illegible] ſenſerunt, abduxe-
runt, & annos iam ſedecim natum Loua-
nium amandarunt. Ibi litterarum & anti-
quitatis hæc ſtudia ad ſe traxerunt: quorum
tamen cultum amoremq́ue Coloniæ inſu- Anno [illegible]
derat *Gerardus* [illegible]*enpenſis*, præceptor no[illegible]
in Græcis, acerbi homo fati. Sed Louanij
compares mihi comiteſque in ijſdem ſtu-
dijs *Ludouicus Carrio*, *Franciſcus Mar*[illegible]*us*,
Arnoldus Deinius, ductore omniū noſtrium
Cornelio [illegible] & quaſi chorago. Nam is
Petro Nannio, q[illegible]mus honeſtu[illegible] ibi [illegible]
nem accenderat, ſucceſſor datus: ſtudio non
impar, in[illegible]io in[illegible]or. Acc[illegible] ox
Martinus Delrius, *V*[illegible]*tor* [illegible], *Ianus*
Lernutius, *Andreas Schottus* interiores
i[illegible], & ex a[illegible] & vterque ille pri-
mus, aucti affectus, liberi otij. Dum autem
in h[illegible] ſ[illegible]n, & [illegible]bo, pater
mihi fato functus eſt: vir acer, manu prom-
ptus, ſodalium ac conuiuiorum appetens,
& qui [illegible]ac co[illegible] a[illegible] patrimonium
valde attriuit. Mater curam eius reliqui,
& noſtrum [illegible]ei & ſororis dico ſuſcepit
m[illegible]na [illegible] modo [illegible]
& conſili[illegible] & cui ex illo ſexu, æuo, popu-
l[illegible] non al[illegible] pr[illegible]pon[illegible]. Hæc mea
c[illegible] ſedem tr[illegible]ſtu-
[illegible]que ibi ex hy[illegible]pe non diu poſt [illegible].
[illegible] a-
[illegible]m, & [illegible]ul hic [illegible] ſpecimen aliquod
[illegible] ded[illegible]ram declamando in S[illegible]is, a[illegible]
[illegible]ndo. [illegible] Muſa v[illegible]
tus me capere: & [illegible] amore Italiam c[illegible]
tare. Feci. [illegible] antea VAR[illegible]ARVM
LECTIONVM [illegible] e
editis, [illegible] *Anton*[illegible] [illegible] A
li Gra[illegible]no [illegible]
[illegible]
[illegible]

noſtri domum fuit: in quam Romæ admiſſus, biennium circiter egi: cum omni benignitate ab eo habitus, & ad ſtudia tractanda non incitatus ſolùm, ſed adiutus. Eram à Latinis ei epiſtolis: ſed otium & omne liberum tempus dabat inſpectioni lapidum, locorum veterum, & ſi quid viſendum noſcendumque in vrbe aut circa eſſet. Bibliotheca etiam Vaticana mihi per eum & *Guilielmum Zirletum* Cardinalem (aureo æuo dignum) patuit: & in iis ſtudijs curiſq; tempus illud ſumpſi. Innotui *Paullo Manutio, Fuluio Vrſino, Latino Latinio, Hieronymo Mercuriali, Antonio Mureto*: familiariſſimus *Plauto Bencio*, qui *Franciſci* poſteà nomen ſanctius eum ſanctiore vitâ aſſumpſit. *Petrum Victorium* etiam, & *Carolum Sigonium*, per viam vidi: atque ego venerationem illis, ipſi affectum mihi exhibuerunt. Louanium deinde redij, annum vnum egi, in *ἀκμῇ ipsâ adoleſcentiæ, * vigore

Iucundum cùm ætas florida ver ageret:

& egi (ſimpliciter apud te dicam) haud vſquequaque ad priſci Catonis normam. Liber eram, parentum & tutorum expers: atque ita choreis, ſodalitijs, nugis, ludum & libentiam aliquam ætati dedi. Sed non diu dedi. natura melior me reduxit, atque ego adeò me ſubduxi peregrinatiunculâ: quam Viennam Auſtriæ, & in Cæſaris Aulam, decreui, ſuſcepi, perfeci. priùs tamen & obiter Dolâ Sequanorum luſtratâ. Ibi acerrima febris me pæniſſimè ſuſtulit: quam contraxeram Oratiunculâ in honore & titulo *Giſelini* mei dictâ à meridie, & conuiuio mox inſecuto. Euaſi, Viennam perrexi. atque ibi *Augerio Busbequio, Ioanni Sambuco, Ioanni Cratoni, Stephano Pighio* innotui, & placui: atque ij retinere me & illigare in ijs locis, non vnâ conditione conati. Fruſtrà. nam patriam reſpectabam: & animo redeundi, per Bohemiam, Miſniam, Thuringiâ, & ea loca iter inſtitui: cùm acerbi nun-
Anno ∞. Iↄ LXXII. cij de afflictâ nouis bellis noſtrâ Belgicâ, patrimonio vi militum attrito, me pedem figere in ijs locis adegerũt. Ienæ paullò plus annum manſi, docui, & illa primordia mihi ad Profeſſorium hoc munus fuêre. Sed rebus paullùm modò tranquillatis, oculos iterùm ad meos & mea flexi, Coloniã Vbiorum veni, vxorem duxi; mei magis animi, quàm amicorum, impulſu. Sed, vt ille ait, *— Τὸ μὲν ἄρ πω ἐπέκλωσαν θεοὶ αὐτοί: & concorditer ſanè viximus, fructus tamen matrimonij, id eſt liberorum, exſortes. Coloniæ no-

* A dijs fataliter hoc decretum.

uem menſes ſubſtiti: TACITVM primò correctum, & NOTAS ad eum dedi: ibidem ANTIQVAS LECTIONES conſcripſi. Inde in Iſcanum meũ migraui, animo deſtinato ruri agere, & tabernaculum vitæ in quiete illâ collocare. Bella vetuerunt, Louanium compulerunt: atque ibi (hoc tamen ex amicorum conſilio) iuris ſtudijs paullò magis ſeriò me dedi, & titulum etiam I^{ti} publicâ Anno LXXVI.
inauguratione ſumpſi. EPISTOLICAE meæ lucem tunc viderunt; & ſub tempus LEGES REGIAE & DECEMVIRALES concinnatæ, non famæ tamen ſed auditorum gratiâ; quibus publicè interpretatus ſum, itemque *Liuij* quædam. Tum acriores procellæ iterùm & venti, quibus nihil propius factum, quàm vt mergeretur Belgicæ hæc nauis. Fluctu, cum pluribus, eiecti ſumus in Batauiam terram: inſedimus, ſed mente, vt ſtationem eam haberemus, non portum. Turbæ tamen è turbis mutare vetuerunt, & tredecim ipſos annos tenuerunt. Cur autem negem? homines benignos & beneficos reperi: ſed relinquere eos Religio & Fama (acre vtrumque telum) adegerunt. Dum inibi ſum ſcripſi,

ELECTORVM LIBROS II.
SATYRAM MENIPPAEAM.
SATVRNALIVM LIBRR. II.
COMMENTARIOS PLENOS IN CORN. TACITVM.
DE CONSTANTIA LIBRR. II.
DE AMPHITHEATRO LIBRR. II.
AD VALERIVM MAXIMVM NOTAS.
EPISTOLARVM CENTVRR. II.
EPISTOLICAM INSTITVTIONEM.
DE RECTA PRONVNCIATIONE LINGVAE LATINAE.
ANIMADVERSIONES IN SENECAE TRAGOEDIAS.
ANIMADVERSIONES IN VELLEIVM PATERCVLVM.
POLITICORVM LIBRR. VI.
DE VNA RELIGIONE LIBRVM.

Pluſcula, vt vides, & (vt in meis) optima ferè: quid mirum? in flore æui & ingenij, in alto otio: nec valetudo, niſi ſub extremos annos, titubauit. Tum hepatarius iſte morbus, & tabes an languor, inuaſit: & quamquam remiſit, bonâ fide numquam dimiſit. Illinc digreſſi, Leodici aut Spadæ bien- Anno ∞. Iↄ XCI.
nium propemodùm egimus, valetudini per Acidulas illas refouendæ: tum Louanium regreſſi, vltimam, niſi fallor, & fatalem meam ſedem. A quâ tamen variè auo-

auocati fuimus, à Pontifice, Rege Galliæ, Venetis, Duce Etruriæ, Bononienſibus: ſed placuit manſio, vt in æuo meo labente, & valetudine iam lapsâ. Stipendium mihi modicum: ſed rex Philippus, faciente *Petro Enriquez* Comite Fontano, auxit, & Hiſtoriographi etiam ſui titulo donauit. Scripſimus autem Louanij,

De Crvce librr. iii.
De Militia Romana librr. v.
Poliorceticωn, v.
De Magnitvdine Romana, iv.
Dissertativncvlam, et Commentarivm in Plinii Panegyricvm.

Hæc octennio circiter, ad iſtum annum ∞.Iↄc. qui nunc currit. Et pluria ac varia affecta nobis aut profligata eſſe, non negamus: ſed temporum adſpectu quędam premi, & iudicio differri. En, mi Woueri, noſtram vitam & ſcripta: dic ſeriò, non ſubpœnitet impertaſſe? de meipſo tamen aut indole meâ, tria etiam verba. Corpus & facies non indecora, vtique ante morbum: os probum, animus verecundus: ingenium docile & capax omnium, excipio Muſicam: iudicatio collineans & recta: memoria non ſine præceptorum miraculo, etiam in puero: quæ nunc, etſi elanguit, non defecit. Eloquentia nobis prompta, nec ſine Venere, in publico: priuatim, reſtricti magis, & minùs amœni. Stili & inuentionum faciles: labori & aſſiduitate impares; & naturæ, quàm illis, in omni ætate obſtrictiores. In cultu, geſtu, ſermone modici: & exterorum qui *Lipſium* videbant, ſæpè requirebant. Quod ſupereſt, bona & bonos amaui, amatus ſum: ſcientiam, & magis ſapientiam, colui: lites fugi, honores fugi: domi foriſque benignus, comis, & quem vereri poſſes, non timere. Sed quò eo? tuus quoque me calor abripit: reprimo, & cum Euripide,

Συσσωφρονεῖν σοι βούλομ', ἀλλ' οὐ συννοσεῖν:
Conſipere, non deſipere tecum debeo.

Louanij, Kal. Octobr. ∞. Iↄc.

E P I S T. LXXXIIX. *Duacum.*

Francisco Montmorencio
Berſeij Toparchæ.

Adolescentem nobilem *Gommicourtium*, cognatum tuum, mihi commendas: & eſt certè, quia tuus, & quia te & ſtirpe ſuâ (ita vultus & ſermones mihi dicunt) dignus. Ego, quidquid in meâ copiâ erit, faciam libens, & promptiùs laxiuſque, quàm dicam. Significas etiã te, animi cauſsâ, Diſſertationem in publico habiturum ſuper Peregrinatione. Quin laudabis eam, non ambigo: inſtrumentum profectò vſui rerum & prudentiæ. vt ingenuam voluptatem omittam, quæ in ipsâ eſt, & poſt ipſam. Nam & cogitatione, quis non eadem illa viſa, reuiſit ſuauiter & guſtat? colloquia, viros, vrbes, agros, ſiluas, montes, flumina: quæ mihi imagines ſæpè ambulanti aut dormiturienti ingerunt, & cum delectatione in ijs acquieſco. Platonem cauſſæ ſuę duxerint, vt è compoſitâ republicâ eam tolleret, aut parcè & tardè indulgeret: manum aut ſuffragium ego non dederim, & alijs ſuadeam, ipſe vſurpem, hoc luſtrare & vagari. Quid? Deus ipſe, nónne hominem condidit, vt Philoſophus optimi ſenſus ait, * *θεατὴν αὐτοῦ τε, καὶ τῶν ἔργων τῶν αὐτοῦ*? Non iuuet & deceat me, cùm mundanus ſim, noſſe & videre, quantum datur, hanc meam patriam? * *Spectatorem ſui & ſuorum operum?* Epictet.

Si Ladas ego, pennipéſve Perſeus,
Aut ſi Pegaſeo ferar volatu;

ô quantum maris terræque obeam? quàm nota & noua regionum luſtrem? Sed ligamur ætate, coniugio, languore, bellis: itaque intra affectum manemus, leuiter tamen inuidentes quibus licet, ſed & indignantes quibus non libet. Vides quò eam, & quàm ipſa iniectio tua animum mihi mouerit & ſoluerit in has voces. Coërceo, eumdem ad te mitto non peregrinatum, ſed habitatum. Vale Nobil[me] Domine. Louanij, poſtrid. Idus Nouembr. ∞. Iↄci.

E P I S T. LXXXIX. *Antuerpiam.*

Balthasari Moreto *ſuo* S. D.

Bene factum de Corollario. merebantur & hanc laudem ſiue elogium noſtri canes. Die ſeriò, non riſiſti cùm legiſti? At ego & Equos laudatum ita iui, & Centuria ſequens dabit. Libros Lutetiâ accepi, ſanè gratos & in meum vſum. De Chronicis ſcriptoribus, poſteà videbimus: Vvveno nunc gratia & ſalus eſto. nam ego intereà, vt ſpero, Antuerpiam & vos videbo. Tum de ſubſidijs operis, ad quod ædificandum inclino. Etſi Fax mea eſt', quam velim item abſolutam: & auſim dicere, nihil vtilius conceptum in rem litterarum. O ſubitam

tam mortem illius amici! cui bono nunc illa, quæ falsò appellantur bona? quid poſſidenti dederunt? vmbram, non fructum: & vereor vt nec hic ſuperſtes impendat, & heredibus modò ſeruet. Ludibria humana! & fortunam meritò cæcam, quæ ad me aut alios non venit, aliter vſuros, imò & fruituros. Res noſtrę publicæ me interim angunt, id eſt ſolicitum habent quò ſint euaſuræ. Partes noſtræ creſcunt, animos & ordinem & diſciplinam habent aut ſumunt: nos in confuſione, & nec monita ſequi lubet aut exempla. Fati vis eſt, agnoſco: cui parère & ſine murmure obſequi vetus ſapientum dogma eſt. Ego audio, teamo mi Morete. Louanij, XV. Kal. Decemb. ∞.IↃCI. Parentes, & fratrem tuum ſaluto, ac reditum ei gratulor corde.

EPISTOLA XC.

IACOBO ANGIANO, *Equiti, Toparchæ Keſtergatij.*

ANTE dies pluſculos vidi epiſtolam ad cognatum tuum Berlegemium, in quo & ſalus mihi per te miſſa, & amica mentio veteris conſuetudinis noſtrę, iam à pueritiâ contractæ, erat. Gauiſus ſum, fateor. nam quî obliuiſcar primos illos amores ac delicias, quas ſimplex & malarum artium rudis ætas gignit? Atque ea mihi inhærent, & ſuaui recordatione etiamnunc ſenſus titillant. Rogo igitur te, vt in legitimam & maturam, id eſt virilem amicitiam excreſcere iacta iamtunc illa ſemina velis: quod fiet, ſi recondita ea in hoc animo, velut aruo, affectu beniuolentiæ tuæ velut Zephyri flatu, & alloquio interdum vt imbre, educes ac rigabis. Quod autem petieras, in memoriam tuorum maiorum aliquid breue, & monumenti loco, pangi: ecce feci. duo hîc habes, vtêris alterutro, vt tibi viſum: & ſiquid addi, demi, mutari cenſebis; ſignificabis, & factum putabis. Nam ego Nobil^me Domine, cultum & obſequia virtuti ac dignitati tuæ debeo, & hac ſcriptione defero ac ſubſigno. Louanij, XI. Kalend. Decembr. ∞.IↃCI.

Hiſtoriam gentilis tui obiter vidi. totam adhuc non licuit; vſui fore video in ijs quæ paro. Remittetur, cùm voles.

EPIST. XCI. *Mechliniam.*

IANO BERNARTIO *ſuo.*

ZYPENVS, inſignis iuuenis, & communis noſter litteras à te tulit, adſpectu magis quàm lectu gratas. Nam de inualetudine tuâ habebant, mihi triſte: niſi quòd ſpero tentatiunculam modò eſſe, non firmum aut eum * diſcrimine morbum. Quidquid erit, porrò ſignifica, & Deum rogo vt læta. Te autem, vt in omni ſorte toleres, & conſtes præceptis illis tuis, quæ Conſolationi Boëtianæ miſcuiſti. Non eſt tibi integrum, mollem aut pro vulgi more & ſenſu eſſe, qui altas illas voces emiſiſti, & regnum omne fortunæ calcantes. Reminiſcere, & vt alij velint, tu exemplo præi, & præſume. Alioquin, quid niſi citharæ ſimiles ſumus, quæ ſuaues ſonos edit, nec ipſa eos audit: ſic nos egregia monita & doctrinas, ipſi ab ijs expertes? Si in ſcribendo delectare nobis propoſitum, aut etiam alijs non nobis prodeſſe: deſinamus hanc operam licet, faciliùs & promptiùs aliâ arte aſſecuturi. Clauſula eſt, patienda humana eſſe. quare? quia *Deum ſequi*, vetus & commune ſapientum dogma eſt:

—— cuncta autem hæc ſuperûm demiſſa ſupremâ
Mente fluunt.

quod altiloquus ille poëta tuus dixit. Sed de Boëtio, non breuî fruemur? addixit ita Moretus in ſuis ad me litteris: & puto ad te idem. Milites à Buſcoducenſi liberatione redeunt, & agminatim hac tranſeunt: o liberationem nobis optatâ! Etſi ea Deo potiùs adſcribenda, qui hiemem, niues, gelu induxit, & aërem commilitare nobis, omneſque in eo Genios, fecit. Sed periculo quàm propinqui fuimus? magnæ, miræ, non credendæ in breui illo tempore Batauorum munitiones. Dixi tibi, & verum eſt, Romana opera & militiam imitantur: & ad illud Corbulonis, *Dolabrâ*, non gladio ſolùm, *victoriam quærunt.* Sed quomodocumque, vicimus, aut obtinuimus: etſi cum tremore aliquo hæc ſecuritas,

Magnaque poſt lacrimas etiamnum gaudia pallent.

Actum de hac vrbe & Academiâ erat, ſi ea in partes aduerſas ceſſiſſet. Ad Oſtendam quid fiet, in dies exſpectamus, ſpei iam propiores, quia & illîc hiems iſta præprope-

* *Fallus ſui. ex hoc ipſo morbo poſt paucos dies obiit, paullum triceſimo anno maior. Dolor mihi, & ſuis, & Muſis, quas & inter leges colebat.*

ra nobis opportuna. Deus victoriam illîc, tibi valetudinem mi Bernarti donet, ac tuæ ſeruet: quam ſaluto. Louanij, VII. Idus Decemb. ∞.IↃCI.

EPIST. XCII. *Romam.*

ANTONIO RICHARDOTO *ſuo.*

NVLLAE mihi litteræ tuæ ſuauiores (eo verbo vtendum eſt) his poſtremis, quæ de reditu tuo non ſpem ſed fiduciam faciebant. O res breui ſitiôte meum, & tu me, amplectare! Non annos, ſed luſtra videris abfuiſſe: quos ego quidem magis numero, quia pauci mihi ſuperſunt, ſeneſcenti, & cuius, cum poëtâ,

Lenit albeſcens animos capillus.

De te igitur lætum, de fratre Guilielmo pendemus animi: & quid ſuſpicabimur? Ne vos quidem aliquid audiſſe? nam nos certè (parentem etiam tuum includo) ab eius diſceſſu nihil. Niſi ſi litteræ perierint, aut in viâ alibi hæſerint, triſte nobis omen ab hoc ſilentio detur. Sed Deus auertat, qui illum & te ſeruet, & vtrumque nobis, ſed te ſtatim reddat. Titulo Præfecti equitum donatum te à Principe, puto audiſti: & ampliora te manent, cùm adueneris, quæ magis magiſque, cum ætate, mereri te cupio: & creſcere vnà virtutis & prudentiæ ſtudium atque amorem. O patriam noſtram adflictam, & conſilij vel auxilij egentem! Etſi conſilium; ſint qui dare poſſunt, inter eos conſilij caput tuus parens: ſed Deus inclinare & flectere ad ea corda Principum poteſt, itemque ea ipſa proſperare. Sæpè enim, aut non rarò, optimè conſulta ſucceſſus deſtituit, qui à cælo pendet. Tu vale, & veni optatiſſime nobis, & D. Legato fratri tuo me & mea ſeriò defer. Louanij, XVI. Kal. Ian. anni ∞.IↃCII.

EPIST. XCIII. *Antuerpiam.*

IO. BAPTISTAE PEREZIO BARONIO S.D.

TRISTE mihi fuiſſe, & velut plagam in animo, hoc inopinatum de diſceſſu C.V. Ludouici Perezij aui tui, per te potes ſcire. Noſti amicitiam quæ inter nos vetus & fida fuit: quidni talis, ab annis iam triginta ampliùs contracta, & ſine offensâ, imò querelâ, habita ac culta? Scio & te tuoſque, mi Baroni, indoluiſſe in hoc caſu: qui alterum tamquam parentem amiſiſtis, in omni ſorte, conſilijs factiſque adiutorem aut directorem. Itaque alterâ iam anchorâ nauis hæc veſtra ſpoliata eſt: Deus ſeruet illam ſacram, & parentem tuum diu velit ſupereſſe. Quid tamen eſt? dolere vos & ego debemus, & cauſſa eſt: ſed cum modo, nec quò affectus ſolùm aut natura, ſed ratio trahit, audire & ſequi. Non enim vt puluis aut paleæ ab omni vento, ſic nos rapi à perturbatione debemus: ſed hanc coërcere, & animum pondere illo rationis & ſapientiæ ſtabilire. Quid autem ea dicit? nihil inſolens eueniſſe, mortalem mortuum eſſe, nec diuulſum à nobis, ſed prægreſſum. In eâdem viâ omnes ſumus, ad eamdem Fati metam tendimus, & pertingemus,

—— ſiue reges,
Siue inopes erimus coloni.

Quod ergo omnibus, quod ſemper euênit & eueniet: cur vt proprium dolorem aut cladem interpretemur? Qui periti cæleſtium ſunt, in Solis aut Lunæ deliquio non ſtupent aut timent: ſciunt enim mox redituram vtrique ſideri ſuam claritatem: ſimile nobis Chriſtianis ſit. qui gnari diuinarum promiſſionum, non mortem hanc habemus, ſed tranſitum ad vitam. Prò breui iſtâ, turbidâ & impacatâ, æterna uos manet, curarum turbarumque expers. Iactamur hîc inter vndas, & noui ſemper aliqui alicunde fluctus: ô quando erimus vbi purum illud certumque ſerenum eſt? quo tempeſtas, imò nec metus eius, adſpirat? Sicut fumus, quamuis craſſus, cùm altum petit, diſſipatur & perit: ſic neceſſe doloris omnem nubem, ſi cogitatione alta illa adeamus. Faciamus mi Baroni, nec illa plebeia cogitemus aut loquamur, Heu cur ille mortuus? cur me deſeruit & reliquit? O ſtulte, debuit:

Certa etenim vitæ finis mortalibus inſtat,
Nec deuitare letum pote, quin obeamus.

Ab Epicteti potiùs ſapientiâ illa mutuemur: *Non ſum æternitas, ſed homo: id eſt, particula Vniuerſi, vt hora diei. Venire igitur me oportet, vt horam; & præterire, vt horam.* Videſne in agris vt fruges ſatæ in herbam, in culmum, in ariſtam ſurgunt, maturefcunt, & metuntur? ſic in nobis. venimus in vitam, quidam in herbâ, alij in culmo pereunt, plerique in maturitate aliquâ metuntur: & quæ cauſſa querelæ eſt? Ante oculos ſortis humanæ conditio ponatur: ita fati & nati ſumus. Enimuerò in noſtro iſto, ſi examinas,

[illegible] Vt a[illegible] aut mihi dolet, [illegible] hore [illegible] vno [illegible] es [illegible] pæne arbores dedit [illegible] non tamen vt nihil, ſed vt mod[illegible] [illegible]cauimus. [illegible] locus beatus inter beatos agit, vt[illegible]: & [illegible] nos tamen memoria vir[illegible] eius viuit & v[illegible] quod apud n[illegible] & populum etiam hunc veſtrum: [illegible] probitate illa & beni[illegible] ſuum fecerat, iuuando, conſ[illegible], conſ[illegible] communis omnium patens. Hæc talia co[illegible] [illegible] & [illegible] aut tribu[illegible]los, etſi a[illegible] aut amplectentes, di[illegible] mouemus; ad poma aut vuas v[illegible]tro manus po[illegible] ſic in iſto caſu, quod iuuare aut alleuare poteſt, apprehendam[illegible], pun[illegible]ia illa & noxia, etſi offerunt ſe, depel[illegible]lamus. Fa[illegible] te q[illegible] dabo operam: & communia hæc ver[illegible] ſ[illegible]la[illegible]tia [illegible] nam & ipſe [illegible] me ſcripta. Louanij, v[illegible] Kalend. [illegible] inſt[illegible]tis ∞. IↃCII quem voueo patenti tuo & [illegible]bi [illegible] [illegible].

EPIST. XCIV. *Pra[illegible].*

IOANNI HOLLANDIO.

GAVDE[illegible] ſolummem, aut e[illegible] [illegible] incol[illegible], v[illegible] tua m[illegible] N[illegible] [illegible] v[illegible] [illegible]nem te ſallum [illegible], & dol[illegible] [illegible] [illegible] ſolo. Sed & [illegible] [illegible] ple[illegible] & [illegible] vno verbo, Bouæ [illegible]entis. [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible] m[illegible]us in[illegible]

tem [illegible] manus v[illegible], [illegible] opes [illegible] ab iſto no[illegible] m[illegible]orum erunt, non remedia, [illegible] P[illegible] & [illegible].

[illegible] *quid vana can[illegible] quid fixos arceo [illegible]?* in ſ[illegible] [illegible] de[illegible], quid n[illegible] v[illegible]que, & quo[illegible]odo fiat [illegible] vi[illegible]dere [illegible] occul[illegible] fatorum vias, & [illegible]. Quæ cauſa eſt [illegible], in qua ſiſtimus:

——— *nu[illegible] pietas, non genti[illegible] æquum [illegible] aut [illegible].*

Sed [illegible]eu, inopinata eu[illegible] de vobis: tabellas [illegible] ſpectabam[illegible] [illegible] aduenerunt. Triſte me[illegible] funeſtum, d[illegible] C[illegible]: vtique [illegible] c[illegible] & v[illegible] non it vti. S[illegible]nus aliquis [illegible], Germania vbi eſſet? At Deus hæc [illegible]od tatu[illegible], & ſiſt[illegible] vt ſpero impe[illegible]tu[illegible] barbarici hoſtis, & n[illegible] v[illegible] ipſe fortunam [illegible] mendabit. Louanij, v[illegible] Idus Ian[illegible] ∞ IↃCI[illegible].

EPISTOLA XCV

IOANNI DR[illegible], *ſuprem[illegible].*

COGNATVM hic meum vides, & benefi[illegible]cio deum [illegible] clientem. Sed ben[illegible]ficio, quod plenum [illegible]que nunc effi[illegible]ci, eſt in tua manu. Na[illegible] Quæſturæ mun[illegible] aut bien[illegible] am[illegible]us, te vno [illegible]curante, acc[illegible] [illegible] honoratium certum [illegible] qui ab ærario Br[illegible] ſunt videntur adſignaſſe. Sed cu[illegible] ea re[illegible] firm[illegible] aut vix habere [illegible] poſſit [illegible] vel[illegible] & ap[illegible]robatio accedat: [illegible] benigne eam i[illegible]pertiri digneris, & [illegible] ab[illegible]ſ[illegible]ere atque exorn[illegible]te. Iure equidem pro illo laboro, quia neptem meam ex ſorore v[illegible] habet: & eius liberi [illegible] heredes me[illegible] erunt. Plus [illegible] famæ, qu[illegible] opum relinquere ijs poſſu[illegible] nec has valdè am[illegible] b[illegible] & b[illegible] gratiam quam Deus ad[illegible] mihi dedit, & rogo ſeruet. Idem te A[illegible] & Nobil[illegible] Domine incolumem, ex noſtro voto, id[illegible] vel tria [illegible]. Louanij [illegible] Idus Ianuar ∞ IↃCI[illegible]

EPIST.

EPIST. XCVI. *Sauonam.*

IVLIO SALINERO S. D.

BENE de moribus meis iudicas. tales ſunt, nec faciles & in[illegible] ſolùm, vt ſcribis; ſed mites, placidi, oleo tranquilliores. Im-p[illegible]entia t[illegible]m a me abeſt, quantum po-tentia. Quid er[illegible]o a[illegible]bi[illegible]is in Tacitum ed[illegible]e, quæ concinnaſti, etſi à me meiſque, vt ais, diuerſa? Tu ve[illegible]de, non offenſæ meæ, ſed certus gratiæ: ſi digna illo ſcript[illegible] & doctor[illegible]m [illegible]ribus dabis. Equi-dem & ego iam olim aliquid in illâ materiâ pinxi aut ſculpſi: ſed nihil eſt Protogenis aut Apel[illegible]: alius quicunque manum ad-dat, imo & cu[illegible] reſſum appingat. Teſtor ſu-premum Numen, gratum & venerabilem mihi fore, per quem

Reſpicere ignoto di[illegible]cam pendentia tergo.

E[illegible]o enim vt omnia viderim? non ſi Miner-uæ aurea lucerna, vt veris verbum eſt, [illegible]-ſtraſſet. Euripidæum illud rotundum & verum:

* Ἀλλ' ἐ γὸ αὐτὸς πάντ' ἐπίςαθ̓ βροτῶν
Πέφυκεν· ἄλλῳ δ' ἄλλο πρόσκειται γέρας.

Audis, mi Salineri? tibi quoque præmium paratum, & labori ſua merces [illegible] profer. Qui putat ſe in his antiquis, & æuo ob[illegible]-ris, aginæ ſemper æqui[illegible]rio ferri, errat, & non Varro ipſe fecit in alienis ſcriptis (teſtimonia ſunt) doctior tamen i[illegible] ſipſis qui ſcripſerunt. Multum eſt legiſſe, inquiſi-uiſſe; plus rectam [illegible]die[illegible] nor[illegible]ſſe; ſed totum, attig[illegible]ſſe. quod [illegible]rtunæ aliquan-do eſt, non doctrinæ. [illegible]mucro longiùs ibo, & philoſophari [illegible] libet, & decet. quid hæc ſunt, aut quanti pretij, diuinaſſe & correx[illegible]? In præſenti, [illegible]; in præſenti, gloriola: poſt [illegible]inquaginta, aut pro magno centum annos, nemo te aut me auct[illegible]em inſcribet. Non p[illegible]os Troiam cepiſſe [illegible]ùm depoſitum alteri lo-cum ſanauimus. quid? vnum a[illegible]rumque verbum. O ſi animum, ô [illegible]ores! o ſi illam Sapientiæ officinam ingrediamur, ἰατρεῖον ψυχῆς, atque ibi Æſcu[illegible]pi & Hygeiæ faciamus ac [illegible]remu[illegible]! Non me diffundo. illud ex animo & interiore pe[illegible]ore, per me tibi liberum ſen[illegible], d[illegible] ſ[illegible]m ille Alexandro ſublimior, qui n[illegible]as putem oppugnari. Faci[illegible] ſ[illegible] ſi [illegible]e, non [illegible] cauſsâ, audis, mod[illegible]ſte & modicè, & veri-tas, non ambitio, [illegible]cat. Conui-tiari, [illegible]are, [illegible] eſt [illegible] à do[illegible] ſolùm mente, ſed [illegible]. Nonne & ti[illegible] fieri poteſt, nec v[illegible] in his quidem Criti[illegible] vi[illegible] à me vt ſis ſecu-rus; alius pro me, aut poſt me, opinionem & ſuccedaneum ſe[illegible]ibit. Mi[illegible] quid[illegible]in his & maioribus frigus iam adhæret, ſiue ab ætate, ſiue a Sapientiæ conſul[illegible] nec in [illegible]no habeo, quod [illegible]lim in [illegible]. Menedemi dictum aureum, & ſublimio-ri, id eſt tuæ menti, imprimendum. *Qui Athenas nauigarent, primo Sapientes [illegible], tum Philoſophos, tum Rhetores, denique rudes & idiotas.* Adſi[illegible]o tibi, nemo propr[illegible] r[illegible]m tetigit, vn[illegible]ùs aperuit, & ſolida, non in ve[illegible]m doct[illegible], quo di[illegible]s d[illegible]t, in re pl[illegible]ra, in opinione pauciora nouit. Mi Salineri

* —— Ταῦτα σοι
Τῷ τε [illegible] μοίως κ' ἔπη τῇ γλώσσῃ, λέγω.

Vale. Louanij, v. Kal. Febr. ∞. IↃCII.

* Non vnus aliquis ſolo natus omnia eſt: ſed aliud alij præmium poſuit Deus.

* . hæc tibi Et mente pariter ac qu[illegible] edi[illegible]

EPIST. XCVII. *Francofurtum.*

IANO GRVTERO.

QVERELAM tuam in litteris ad Swe[illegible]r-ti[illegible] vi[illegible]i, patum [illegible]o animo iuſtam, & tamen gratam à cauſsâ primâ & origine: quam c[illegible]do amorem & deſiderium eſſe. Quidni ſic afficiaris erga amicum vete-[illegible], & quod caput eſt, doctorem? Forma-uimus [illegible]e te mi Grutere, & in optimâ ſtudiorum via præiuimus, quam felici de-hinc pede calc[illegible]ſti, & vt porrò facias vo-ueo & hortor. Scis etiam præcipuam ali-quam curam & affectum noſtri in te fuiſſe, nec vt in t[illegible]a[illegible]o aliq[illegible]o miſſilia hæc tan-tum in vulgus ſparſiſſe. Te iunximus pro-piùs, & in ſinum t[illegible]um, vt ſic dicam, con-tul[illegible]us [illegible] Deo & i[illegible]enio f[illegible]ciente de-inde auxi[illegible]. Hæc non v[illegible] exprobrem dico, vix vt i[illegible] ſed [illegible]dam q[illegible]s fuerim, & e[illegible] co[illegible]is ſim etiam diſcas. Qu[illegible] te aut e[illegible]-ca te eſt, q[illegible]od [illegible]ptem ali[illegible]r: reliqua con-ſtant, & te in[illegible] firmant. Atqui ſi[illegible]. Quid[illegible] non [illegible]cod[illegible]dic[illegible]ſi? In pu[illegible] bis mox epiſtolam, ſi non ante acceptam. Vt[illegible]um ego a[illegible], haud com[illegible]: hoc ta[illegible], [illegible] ad Ortelium d[illegible]e ſæpe fu[illegible]ſſe. Abeant iſta, amem[illegible]us, q[illegible]od [illegible] uemus. Seneca communis il[illegible] præcepta l[illegible] rei donat. q[illegible]

ris

ris ad alta, à vanis ad ſolida, à turbidis ad quieta ducit? Sequamur, & ita in illo emendando ſimus, vt ab eo quoque emendemur. Vale mi Grutere, & amare hactenus & amande. Louanij, poſtrid. Idus Febr. ∞.IↃCII.

EPISTOLA XCVIII.

HENRICO SCHVLTETO.

LITTERAE tuę, quibus amicitiam meam appetis, tuam defers, gratæ fuerunt, mi Schultete. Amor, humani generis nectar, ſuauior gratiorque eſt, cùm à ſuperiore illo Amore venit, id eſt Honeſti & Boni: ex quo velut traducem eſſe tuum iſtum ſcio: Amas illa, & ob illa me, quia & à me amari (nec falsò) cenſes. Vtinam & compotire detur! ſtudeo quidem, & omnibus ingenij machinis hoc conor. O triumphum, qui peruincit! quamquam nec ſuperari hîc turpe eſt, dummodò arma non proijcias, & victus quoque velis vincere. Progrediamur, ſi non peruenimus. Nam laudes, quas tu plenâ manu in me cumulas, non niſi oculis libo, in animum non admitto, nec aſſenſus mei ſuffragium dono. Imò eſſe qualem deſcribis, vix opto, certè non ſpero. Odi iſtam nunc crebram * δοκησισοφίαν; cùm illud Ariſtarchi locum vindicat, *Olim vix ſeptem ſapientes repertos, hodie vix totidem rudes.* Maneamus in modeſtiâ, in bonorum ſtudio, nec vela ad blandientium ſermonum auras explicemus. Quod me rogas de *Numeris Platonicis*, libelli res non epiſtolæ ſit: noſti implexum illud à ſe, & interpretantium variâ tractatione diſtrictum. Da aduocationem: at amori tuo vel ſtatim reſpondeo, & meum fideliter reddo. Louanij, prid. Kal. Febr. ∞.IↃCI.

* *præſumptam ſapientiam.*

EPISTOLA XCIX.

HVGONI GROTIO.

ADAMVM tuum vidi, partem legi, & ex eâ omnia probaui. Nam ſimilem te tui eſſe, facilè præcipio. Dicerem miratum me, niſi priora tua hoc verbi & affectus iam exemiſſent. Ita iamante te dedisti, & hoc ingenij ſpecimen, vt bona & alta à te exigere debeamus, non ſolùm expectare. At placuit mihi etiam vnicè argumentum, & quòd ad ſeria, id eſt Sapientiæ illa ſtudia te dones. Leuia ingeniorum, qui tantùm animi delicias conſectantur, verborum elegantias, & cum Euripide, * λόγων εὐμορφίας. Nos verò ad rem gradum addamus, & nihil penſius tractemus ijs qui ad verum animi cultum, id eſt ad Salutem ducunt. Intellectualis philoſophia magna ſtudij huius pars eſt, quam feliciter in *Adamo* tuo libaſti. Perge, hanc ama, & ſine vento ſcientiam, & ſine nouitate doctrinam. Publicâ viâ qui excidit, & ſemitas quærit, errores & flexus quærit. Sperne, ita Deus re hîc honeſtum, alibi beatum velit. Louanij, III. Nonas Febr. ∞.IↃCII.

* *ſermonū concinnitates.*

Patrem & Patruum ex animo ſaluto.

EPIST. C. *Mediolanum.*

ERYCIO PVTEANO *ſuo.*

PROMVLSIDEM tuam vidimus, id eſt vina & mella. Planè pro ſuo nomine liber eſt: & acumen ſine acrimoniam in ſenſibus habet, & in verbis puritatem, atque etiam ſuauitatem. Quid amplius dicam, niſi illud,

I bone, quò tua te virtus vocat, i pede fauſto.

Ad alia, longiùs longiuſque mi Puteane: ſed pede ſemper recto, id eſt per viam quam veteres calcarunt, & ego monendo aut docendo præiui. Nouitios iſtos ſi audias, ſtolidos aliquos Hermas; deflectas, & ad languida quędam aut frigida te dones, quæ ipſi Tulliana vocant. O quàm indignetur & colorem non teneat, ſi reſurgat ille Tullius, & hæc cernat! Ille altus, ille excitatus, & alacer, plenus ſpirituum & ſanguinis, probet hos tabidos, iacentes, & verè * χαμαιπετεῖς λόγους? Arqui phraſin eius & verba h[illegible]t. Neſcio. dicunt: ſed hoc ſcio, non verba, ſed pectus & vim mentis eſſe, quæ diſertos facit. Scitè nuper à Politiano dictum, meliorem honeſtioremque leonis faciem eſſe, quàm ſimiæ; etſi iſta ad hominem propiùs accedit. Nihil eſt hoc imitari, ſi à te nihil inſpiras; imò ſi omnia tua non facis, & velut è proprio fonte emittis.

—— qui ſibi fidit
Dux, regit examen.

Alij ſeruiant, mendicent: fama aut vita non reſpiciet, quidquid hoc eſt ſcriptorum. Stupotem! ad vnius illam imitationem nunc nos vocant: quod nemo veterum aut priorum ſomniauit! Scilicet plus cordis noſtri magiſtri habent, quàm Fabius & ipſe Cicero,

* *humi ſerpentes ſermones?*

cero, qui ad omnes non oratores ſolùm, ſed hiſtoricos, poëtas etiam ducunt. Sed omitto has lacunas, quæ non niſi ab imbre implentur, à ſe arentes: tu inter viuos, vt dixi, fontes eſto, &, quod ſequi ſolet, perennes. Sed heus, quod vltimò ſcribebas, te meâ cauſsâ Romam, quale eſt? impetrandi ciuilis illius tituli? Si ita, quo titulo te afficiam neſcio, beniuolentis nimiùm, an parùm ſapientis. Et quid tibi aut mihi vis? conciliare magnum hunc honorem? Non recuſem ſi detur equidem, vel ob nomen illud priſcæ vrbis: ſed ſi vltrò. te autem, id eſt me (quis enim aliter interpretabitur?) hoc agere? Abſtine, ita liuor aut calumnia ab vtroque noſtrûm abſtineat: nec in iſtis elogijs poſuetis fundamentum famæ. Magis fortaſſe, ſi rara eſſent. ſciſne Alexandrum olim, cùm ciuitate donaretur à neſcio quo populo, contempſiſſe & irriſiſſe: ſed cùm legati addidiſſent, *Nemini hunc honorem delatum, niſi Herculi atque ipſi:* tum denique amplexum, & à ſocio illo pretium dediſſe? Non idem hîc erit: & cum bonâ veniâ dicam, magna illa ciuitas ſe impertiuit non nimis magnis. Finio, tu ambire vltrà caue vel ſenſu, non dicam vultu aut voce: & me tantùm ama. Louanij, poſtrid. Kal. Nouemb. ∞.IↃCI.

APPROBATIO.

Miſcellanea hæc Epiſtolarum Centuria I. LIPSI *Profeſſoris ac Hiſtoriographi Regij, vtiliter admodum imprimetur.*

Gulielmus Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus ac Archiducalis librorum Cenſor.

IVSTI

IVSTI LIPSI

EPISTOLARVM SELECTARVM

CENTVRIA QVARTA

MISCELLANEA

POSTVMA.

ILL^MO ET REV^MO
D. IOANNI ANDREÆ
PROCHNICIO
EPISCOPO CAMENECENSI, &c.
MAGNI-ANIMI ET VIRTVTIS VIRO,
CENTVRIAM HANCCE LIPSIANAM,
IVSSVS DEDICAT CONSECRATQVE
IOANNES WOVERIVS ANTVERPIENSIS.

Si amicitiam, quæ inter te, ILLME DOMINE, & immortalis memoriæ IVSTVM LIPSIVM fuit, eiuſque principium, progreſſum, inſuper & fructus mecum examino; illud ſanè occurrit, mutuam vtriuſque pectoris caritatem, in anguſtum nimis humanæ vitæ momentum incidiſſe. Imò poſt periculum credidimus, quàm vicinæ ingratitudinis neceſſitati, imminentis fati properantia LIPSIVM incluſerat; cùm non aliter viuus cum beneficijs tuis paria facere potuerit, niſi vt mortuus præſtaret. Sanè ego proximus, & quem quaſi initiatum amoris veſtri ſacra non excluderent, ſcio; cùm anteà vitæ & cunctis hiſce mortalibus repudium conſtanter dixiſſet LIPSIVS, prætimuiſſe tantùm, ne cum BENEFICENTIA PROCHNICIANA ſibi viuendi ſpatium deeſſet. Talis enim iſta fuit, tantoque impetu iam ſecurum vicinâ libertate ſenem inundauerat; vt, ſi callidè mentem tuam producere nobis liceat, iudicemus, te cum abeunte tunc LIPSIO feſtinaſſe. Verùm, non aliter quàm vehi ſuetos vel minimum grauare pondus ſolet, ire ſi cogantur; ita ſarcinæ quoque huius inſolentia, omnes ſolitum adficere benefactis, onerabat. Vindicare ſe igitur conſtituit, & Sapientiæ ſuæ memor, ne inteſtatus vno die viueret, ſic cum gratitudine tranſegit:

Iamnunc parata eſt Centuria Epiſtolarum ſelecta; quam, ſi quid mihi continget, in arca meâ reperies, à te edendam, & ILL^MO PROCHNICIO *ex meâ deſtinatione inſcribendam. O virum ab aureo æuo! In Præfatione* DIC, *quæ ego deberem.*

Dicam, nec verbis tuis, VIR SVMME OMNISQVE NVNC PARTICEPS ÆTERNITATIS, ſed exemplo; te ingratitudinis vel

vel ſupremum ſuperaſſe ingenium, dum nec mortem beneficijs opponis, nec vulgi iudicio vteris, deſinentium vota quod maximis meritis æquiparare ſolet. Meritò ſpreuit, ILLME, magnus ille animus omne erga benefacta artificium; ne vel ſic quidem, obſtrictum ſibi humani generis nomen, vnius priuati debiti compenſatione laxaret. Itaque hac conſcientia quoque lætus deceſſit; &, augurari vti licet, inter ingenij ſcientiæque bona numerauit, neminem hiſce inſtructum mori ingratum. Nam temporibus moribuſque noſtris ignotam liberalitatis tuæ induſtriam, quà denique defunctum ſuperaſti, qui proſpicere potuit? Reliquias, (ô pietatem!) & iam ſepulti amici oſſa, marmoreo condere cippo fruſtrà conatus, in cælum, vt ſic dicam, excurris; & iacenti proximam, DIVÆQVE MATRI ſacratam aram, ſumptibus tuis decorari iubes, vt, quod mortuo impendere non potuiſti, diuina reciperent. Stabit cum ſæculis monumentum; & ab ipsâ Sarmatiâ auro imbutum PROCHNICI nomen, vt viuentis LIPSI amoribus permixtum, ita ſepulti quaſi cum cineribus conditum, futura tempora venerabuntur; omniſque ætas teſtabitur, dignum te fuiſſe, quicum immortalis ingenij ſtudia deſinerent. Sed & dignus tu eras, cui mens tam inclyta abſque fortunâ contigiſſet: nunc dum regale decus maiores tuos illuſtrat, altaque ab origine per Duces de Bybel deriuatus in te ſanguis natales inſtruit; quod neſcienti collatum, etiam virtutibus præſcribitur. Ecce benignitatem ſortis tuæ accuſare malo, quàm exclamare, ô virum fortunâ ſuâ dignum! Sæculi me indignitas impellit; contra quam teſtari numquã deſinam, quantum ſupra fortunæ corporiſque bona, animi virtutes emineant. Nam pænè ceterorum mortalium dum prima tibi vota vltrò obueniſſe conqueror, ſimul adfirmo, propriâ ſic luce te exſplendeſcere, vt talem fortunam facere potuiſſes, niſi accepiſſes. Olim inter Principes fuit, qui par imperio videbatur, niſi imperaſſet. Nos inuidiæ fatorum obijcimus, ideò ſceptrum maioribus tuis perfidiâ ereptum, ne tu digniſſimus regnares. illis enim te imputare malo, quàm ipſorum facta pro virtutibus tuis narrare: quod ijs ſufficit, quibus nobilitatis ſatis magnum præſidium, languens vita atque ignobile eſt otium. Contrà, te ad verum decus nitentem, ingenij cultus, illaque ſtudia exceperunt, à quibus facilis in omnes dignitates decurſus eſt. Denique vt nihil niſi ſummum eligeres, ſacra placuere; ſanctiſque altaribus purum admouiſti ſacerdotem. Qui cùm infra dignationem titulus non eſſet, tamen ita totius Poloniæ ſuffragijs certatum eſt, vt paſſim ſpes ſuas ambitione donarent, nec fauentium aliter vota declinare poſſes, niſi peregrinatione te eriperes. Sed numquam Virtus ſe deſerit; & huius corporis quaſi opacitatem, boni nominis fama, tamquam vmbra, ſemper conſe-

conſequitur. Italiam elegeras, & in eà Romam, Reginam orbis. Sed & ibi popularium tuorum te cura ſequitur, Sereniſſimique Regis fauor inuenit; vt quem Cracouienſis Eccleſiæ clero præpoſuerat, Regni Neapolis legatione ornaret. Quo in munere, an fidem, induſtriam, proſpicientiam; an magis cum ſummis æquabilitatem, cum paribus humanitatem, erga inferiores munificentiam, hîc perſtringam? Iniuria virtutum ſit, coarctare famam; & dignam annalibus memoriam, vnius paginæ anguſtijs ſtrangulare. Te vel ideò, quia vitare ſoles, ſequentur præconia: neque æternitas magis deerit virtuti tuæ, quàm nunc dignitas. Cui grande augmentum vti CAMENECENSES Infulæ nuper attulere; ita tamen ad maiora adhuc gradum gratiamque ſupereſſe, nos cum beneuolentiâ amici tui contemplamur. Me enim ſeriò, inter illos ſerios numero, *quos nec ambitio impotens, nec ſpes ſollicitat lucri*, & qui gratis vti amari poſſunt, ita colere viciſſim. Te modò (cum voto deſinam) PRÆSVL ILLME, magna & potens patria recipiat; SIGISMVNDVS Rex inuictiſſimus, VLADISLAVS maximi Patris ſpes, columenque regni, reducem aſpiciant: neque anteà tecum pariare fortuna deſinat, quàm purpuram reddat; ſi non cum ſceptro olim genti tuæ illatam, ſacram ſaltem, ſacratis tuis meritis debitam.

INDEX EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIÆ IV. MISCELLANEÆ.

ABRAHAMO *Bibrano Equiti Sileſio* xciij.
Ægidio Martinio Syndico ciuitatis Bruxellenſis lxxxiij.
Andreæ Chiocco V.C.& Doctori Medico lxvi, xcj.
Andreæ Schonæo I.V. & S.Th.Doctori vij.
Andreæ Schotto Soc.Ieſu iv.
Antonio Richardoto ſuo xliij.

B.

Balthaſari de Zuniga, Legato Regio iij.
Balthaſari Moreto ſuo xxx.
Bartholomæo Leonardo Argenſolæ lxv.
Bartholomæo Petro Lintrenſi, Doctori Theologo xv.

C.

Carolo Billéo Conſiliario lxxj.
Carolo Cluſio xxxvi.
Carolo Duci Croyo & Arſchotano lviij, lxiij.
Cornelio Vandalio lvij.
Curtio Pichenæ lxxxvij.

D.

Dionyſio Villerio x.
Dominico Baudio lxvij.

E.

Ericio Puteano ſuo liv.
Euſtathio VVolouiczio V.R. & N. Lithuano xcvij.

F.

Ferdinando de Salinas, Conſiliario lxxiij.
Franciſco Polæ ICto lxxxviij.
Franciſco Raphelengio ſuo xxxix.
Franciſco Sweertio F. xij, lxx.
Franciſco Tregiano, Britanno V.N. lxxv.

G.

Georgio Vweno lv.
Gerardo Buytewechio xj, xlvj.
Godefrido Hertelio liij.
Gomeſio de Ameſcua ICto lxiv.
Gulielmo Grenio Nepoti ſuo xl.
Gulielmo Richardoto ſuo v, xxxiv.

H.

Hadriano Saiſſeuallio xxxv.
Henrico Laurentij Spiegelio xviij.
Henrico d'Oultremanno, Senatori xiv, xx, xxxij, lxxxix.
Henrico van Etten, Præſidi Ærarij Brabãtici lj.
Henrico Vweno ICto xxiv, lxix.
Heriberto Roſweydo Soc. Ieſu xlij.

I.

Jacobo Auguſto Thuano, Præſidi xxv.
Iacobo Carondeleto lxj.
Iacobo Reſtæ V.N. ix.
Iano Bernartio ij.
Iano Lernutio lxxxj.
Irmiæ Pierſſenæo ICto lxviij.
Ioanni Andreæ Prochnicio Legato Regis Poloniæ xcvj.
Ioanni Baptiſtæ Baronio ſuo xxxvij, xlix, lxxiv.
Ioanni Buchério Doctori Theologo xiij.
Ioanni Buiſſonio Conſiliario l.
Ioanni Hemelario ſuo lxxvij.
Ioanni Moreto xxix.
Joanni Seurio lx, lxxij, xcv.
Ioanni Vergerio Aurano lxij, xcij.
Ioanni VVouerio ſuo xlv, lix, lxxxij, lxxxiv, c.
Iulio Cæſari Caroccıolo lxxix.

L.

Ludouico Septalio V.C. lvj.
Lupercio Leonardo Argenſolæ xxvj.

M.

M. Antonio Bonciario lxxviij, xc.
Marco Antonio Perezio V.N. xlviij.
Marco Velſero lij, xcviij.
Marquardo Frehero ICto xlj.
Martino Ant. Delrio Soc. Ieſu xxij.
Maxæmiliano Vignacurtio V.N. xxxiij.
Maxæmiliano Vriendtio j, xvj, lxxv,
Maximiliano Plouuierio lxxxv.

N.

Nicolao Montmorencio, Toparchæ Vendeſio xvij.
Nicolao Oudarto xliv, xcix.
Nunno Mendozæ V.N. & Principi à cubiculis xxvij.

P.

Petro Brachio xciv.
Petro La torrio Quintanadueñas xxiij.
Petro Pantino V.R. viij, xix, lxxx.
Petro Peckio Conſiliario xxviij.
Philippo Arenbergio Baroni Seuenbergæ xxxj.
Philippo Boskhiero, Ordinis D. Franciſci xxj.
Philippo Rubenio ſuo vj, xxxviij.

R.

Remaclo Roberti xlvij.

S.

Sebaſtiano Rolliardo ICto lxxxvj.

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA IV. MISCELLANEA POSTVMA.

EPISTOLA I.

I. LIPSIVS MAXAEM. VRIENDTIO S.D.

CARMEN iam alterum à te habeo mi Vriendti, priùs de me (in ijs de Cruce) alterum ad me, quod recenter nunc & amanter mittis. Vtrumq; mihi à ſe gratum. quidni à te ſcriptum, homine elegantiæ & doctrinę veteris, & qui, cum Lucretio

—— *Muſæo contingvis cuncta lepore?*

ſed & ab argumento ea grata, quia aut æſtimationem mei habent, aut amorem. Hoc poſtremum eximiè, & initiis etiam velut pararium amicitiæ inter nos conciliandæ. Ah mihi Vriendti, quàm ſerò, & quàm pænè fruſtrà! Nam nolo erres, ego te à primo illo guſtu amaui, & certus ſum idem mihi à te factum. Conſpiratio quædam intèr nos eſt (palàm video) non ſtudiorum tantùm, ſed animorum & iudiciorum. Itaque amicitia ipſa iam fuit, ſed tectior: reſeranda eſt & in claram lucem mittenda, te nunc inuitante. Fiat cum bono Deo, & Fidium illum inuoco (ſiue Sancum à ſanciendo vocari placet) me ſanctæ & veræ Amicitiæ leges tecum culturum, quamdiu in terris his colam. O multa in ijs triſtia! ô hoc recens acerbum, de fato noſtri Gubernatoris! ſed cùm ſapientiâ iſta mitigantur, tum nonnihil & melle hoc amicitiæ. quod guſtatū reguſtare mihi ſæpè animus, ſi te quoq; habeo promptum & volentem. Confido, imò ſcio: & aut neminem in Belgicâ hac noui, aut te ex ſcriptione tuâ (imago ea animi eſt) mi Vriendti. Alligemur: en dextrā, cedò tuam. Louanij, XII. Kal. Mart. ∞.Iↄ.XCV.

EPIST. II. *Mechliniam.*

IANO BERNARTIO S. D.

DEBEO vltimis tuis reſponſum, fateor, ſi morem communem ſpectem: non debeo, ſi aut valetudinem, aut decretum iam meum. Paria vltrà facere in hoc genere, neque lubet, neque licet. Valetudinem prætexui, & verè: quid ſi occupationes, & interpellationes etiam addam? Iuro tibi amice, mirari ipſum me, cùm dies lapſus eſt, vires aut mentem mihi ad tam varia conſtitiſſe. Sum in hac ſcænâ, & Fama produxit: ſed ego illam deſero, & hanc ſperno, quam tueri per iſta non eſt tanti.

—— *Semita certè*
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ:

at virtus in ſecreto etiam eſt, imò contagia iſta vulgi fugit. In Statio te pergere, benè eſt. de loco iſto, in Siluis:

Omnia nam lætas pila attollentia frondes, Lib. v.
Multaque fumosâ ſignatur lancea pennâ:

ſeorſum à te ſentio. Nā tu ad ſagittas refers, de quibus Plinius: *Volucre fecimus ferrum, vt citiùs mors ad hominē perueniret*. Non opinor: ne illud quidem, in armamentarijs ſignatas ab Abaſcantio, id eſt ſeruatas lanceas veteres, & fumosâ pennâ inſignes. Quæ mea mens? Critica. errorem ſcripti arguam, & *Laurea* legam: quod vitij & in Senecæ Conſolatione ad Heluiam olim notabā. Hæret nempe cum priori verſu, imò verſibus, ſententia: & Domitiano blandiens, de more, Statius; Vndique laurus & victoriæ, inquit, ab Euphrate, à Rheno, ab Iſtro: & faſces & pila laureata, lictorum ſiue ſpeculatorum (qui litteras tunc victoriales adferebant) & *multa laurea ſignata nigrâ pennâ, ſiue atramento*. Neque enim aliò, quàm ad epiſtolas victoriæ indices hæc retulerim, è prouincijs ſolitas mitti. Hoc placet. tamen in libro meo ſcripto cùm reperiam, *Nullaque fumosâ*: ſuſpicari etiam incidit, an non mos fuerit, Speculatorum lanceas in clade aliquâ & re triſti, pennâ atrâ inſigniri, celeritatis ſimul & funeris notam. Enimuerò tale Scholiaſtes vetus ad Iuuenalis verſum:

—— *tamquam & diuerſis partibus orbis* Sat. IV.
Anxia præcipiti veniſſet epiſtola pennâ.

vbi commentatur: *Anteà ſiquid nuntiabant Cōſules in vrbe* (lege *vrbem*) *per epiſtolas nūtiabant. Si victoriæ nuntiabantur, laurus in epiſtolâ fiebatur* (puto, *figebatur:*) *ſi autem aliquid aduerſi, pinna figebatur*. Dixi: iudicabis, & valebis. Louanij, III. Kal. Mart. ∞.Iↄ.XCVIII.

EPISTOLA III.

BALTHASARI DE ZVNIGA, *Legato Regio.*

BENEFICIVM eſt meminiſſe te Lipſij, quid appellare & ſcripto alloqui? præſertim in ijs occupationibus, quæ militares & moleſtæ circumſtant, atque vtinam felici mox euentu! Multa ſperare nos hoc iubent, Deus, cauſſa, Principes, Fatum Auſtriacum: ſed tamen ſic produci obſidionem, nec ex voto, nec opinione noſtrâ fuit. Dicam, quod videtur? Vt Teucer ille, apud Homerum, ſub Aiacis clypeo latens Troianos inuadit & interficit: ſic occultos iſti tutores & auxiliares habent, quorum viribus opibuſque ſubleuentur. Non neſcitis: ſed tantùm remedium eſt, ſcire non videri: vt nunc quidem eſt ſtatus rerum. Si miles tamen noſter perſeuerat, nec aliquid turbat; cõfido equidem de vrbe illâ, & ab eâ alijs obtinendis. Sed cura hæc veſtra ſit, quos ad Remp. Deus ille admouit. nos vt nautæ vndis agitati, non illas reſpiciunt, ſed in cælum & aſtra oculos tollunt: ſic inter turbas medias, ab ijs animũ abducimus, & ad altiora, certè quietiora, applicamus. Libri & ſcriptiunculæ nos habent. inter iſtas Philoſophia vetus, ordine & breuiter à me explicanda: idque in Senecæ noſtri gratiam, nec tamen ſolius eius vſum. Alij quoque ſcriptores lucem mutuabuntur. Epiſtolæ etiam noſtræ pluſculæ breuî diuulgandæ, & videbis, & (quæ tua harum quoque rerum peritia eſt) cenſebis. Ill^me^ Domine ſaluum te breuî, & publica vota in tuto exſpectamus, & cum ſuſpirio optamus. Louanij, v. Kal. anni noui ∞. IↃCI. quem feliciter ordire & decurre.

Ciceronis locus, de quo quæris, ſententiam habet, Duillium non contentum vnius diei triumpho, imaginem aliquam & inſtar eius vſurpaſſe in vitam reliquam: idque in publico, cùm à cœnâ rediret, *cereo funali* (ſic in Cicerone lego) *& tibicine præeunte.* Idem Valerius lib. III. cap. VI. Flor. II. cap. II. & Silius, in his verſibus:

Cui nocturnus honos, funalia clara, ſacerque
Poſt epulas tibicen adeſt, caſtoſque penates
Inſignis læti repetebat murmure cantus.

Hæc autem ideò triumphum referebant, quia *Faces* & *Funalia* in eo vſurpata, itemque *Tibicines* ad ſacra in Capitolio peragenda, & qui cum alijs eius generis præibant. Vulgò non hæc nota.

EPIST. IV. *Antuerpiam.*

ANDREAE SCHOTTO V. R. *Presbytero Soc. Ieſu.*

TRISTIS legi de fato, quod oculis tuis eueniſſet: etſi nolim hercules te eâ re triſtem. Quàm ab honeſtâ cauſsâ contraxiſti? ſtudia & perpetua diſcendi docendique cupiditas vitium & tabem hanc attulerunt: vt nec meminiſſe eius poſſis, niſi vnà optimi in remp. litterariam animi operæque. Lacæna illa ad filium, ex vulnere claudicantem, *Macte, gradum non pones ſine memoriâ virtutis*: idem in te. oculi cùm negabunt, merita ſuccurrent orbitatis eius cauſſa. Illud te ſeriò hortor, imò & rogo, vti dum Sol nondum plenè occidit, ea quæ in ſcrinijs tuis affecta habes, perficias, & emittas in publicam lucem. Scio pluſcula tibi eſſe. certè de SENECA patre cur omittas aut tardes? Vtile illud ad eloquentiam ſcriptum eſt & quod in vno velut corpore præfert tot membra veterum Oratorum: tuus autem in eo labor vetus, & mihi notus iam olim, & laudatus.. Quin multa etiam addideris, nec ambigo. quando enim tu ceſſas? Itaque noſtrâ & iuuentutis cauſsâ hæc edetum & tuâ, quia gloria te manet, audacter me ſpondente. Etſi vitæ & votorum tuorum modeſtia non eò adſpirat: ſed tamen ſi hanc neglegis, nos vide. Vide & Belgicam, in quâ cum vno iam aut altero hoc agis; & abit à nobis, mi Pater, melior illa omnis mitiorque Muſa. Clauſula eſt, ne claude hæc tua:

Parcentes ego dexteras
Odi, ſparge roſas:

quæ ſuauiter nos & poſteros recreent ac delectent. Vale. Louanij, VII. Kal. Mart. ∞. IↃCII.

EPIST. V. *Patauium.*

GVILIELMO RICHARDOTO *ſuo* S. D.

IRATVM me fuiſſe, atque etiamnunc eſſe, debeo fateri. Quid? tres totos menſes vos abfuiſſe, & nullum verbum? Imò quartus iam menſis præcipitabat, & tunc denique de aduentu veſtro Dolam. Gaudeo incolumes; doleo & iterũ iraſcor, ſic incurioſos noſtri, aut neglegentes. Simile in Italico itinere. veniſſe in Italiam, Mediolani fuiſſe, Puteanum noſtrum vidiſſe priuatim, & in publico audiſſe, ex eius litteris dudũ didici,

requiro etiamnunc veſtras. Vnas diu pòſt ſanè accepi, quæ hoc ſignificarent tantùm, Parauij vos eſſe: cetera prioribus & vberioribus litteris notificáda. Eas nõ vidi, quibus creditæ ſint, vos videte. Ecce, habes cauſſas iræ, & vel ipſo te iudice non iniuſtæ: nec tamen Achillæam illam putes, *στερροτέρην ἀδάμαντος ἐνὶ φρεσί:—— non erit; indoles mea alia, & ad Horatium me ſcito,

**firmiorem in pectore, quam adamas.*

Iraſci facilem, tamen vt placabilis eſſem:

maximè erga tales, quos corde amo, & nec offendant cùm offendunt. Vnum hoc tantùm, Emendare. Gratum porrò, Patauium allubeſcere, ipſam (vt commemiui) gratam amœnamq́ue ſedem, ſed ſtudioſorum ingenia ſiue mores exaſperant: nec ea licentia pro boni cuiuſquam guſtu, non pro eorum item vſu. Sed eò ventum eſt, artes & ſtudia titulus fiunt, & ſatis eſt hunc inſcribi. Noſtræ hîc res languidæ, lentæ, cum tædio bonorum & pænè deſperatione. Quando enim, aut quis exitus? Ordo & compoſitio apud partes noſtras ſunt, aut creſcunt: nos qui fuimus, aut deteriores ſumus. Abijcio publica; in priuatis, ſolitudo & ſtudia me habent, illa quidem etiam inopinata. Nam Balduinus noſter mihi & rebus nuntium remiſit, & condidit ſe in cœtum D. Franciſci, Deo conſecrandus. *Θαῦμα, ἀλλ' οὐ ψεῦδος: res ita geſta, & quidem ſubitò, pridie nuptiarum quas ancilla parabat, & patrauit. Nobis moleſtiæ, diſcurſus, ſcripta, reſcripta, & quæ non ignoras. Nam inuitiſſimo auunculo hæc geſta. De ſtudijs porrò, EPISTOLAE meæ iam lucem videbunt, tributæ in *Centurias quinque*. Plures non libuit addere, & vel ſic ſatis expoſui me ad ictum. Veſtra in ijs nomina: ego vt in animis veſtris, quia commeruiſſe videor, rogo vel poſco. Vale mi Richardore; & vel hoc interim ſcribe, te valere. Louanij, VII. Kal. Mart. ∞. IↃCII.

**Mirum, ſed verum.*

EPIST. VI. *Patauium.*

PHILIPPO RVBENIO *ſemper ſuo* S. D.

MEDICVS à me abit, ego ſcribo: nónne hoc lætum? Sanè triſtior mihi hæc hiems fuit, & aſſiduus per eam

*—— Διὸς ὄμβρος ὑπὲρ χθονὸς εὐρυεΐδοιο.

**Iouis pluuia ſuper latam terram.*

Sed nec publicè aliquid, quod gaudeatis audiſſe. Quid de vobis? increpabo etiam, & hercules tardi in ſcribendo fuiſtis, aut, quod malim, infelices in mittendo. Tres menſes totos nihil à vobis auditum: denique incipiente quarto, Dolam veniſſe, tum diutulè pòſt, Patauium. Binas in vniuerſum veſtras vidimus: neque illas quidem vberes, quas initio aduentus in Italiam ſcribitis dediſſe. Veſtri hîc neglectui eas, aut nos (vt liberè dicam) habent: & alioqui illigantur, & animis diſtringuntur ad Oſtendam. Inauſpicatum inceptum! cui nec nunc finis, niſi in ſpe, atque eâ languenti. Italiam autem placere tibi gaudeo mi Rubeni; & magis placebit, opinor, magis intrata. Nam limitem adhuc eius inſediſtis, imò nec eius propriè, ſed Galliæ; ſi cum antiquis terminare lubet & loqui. Velim autem, vbi tempeſtiuum erit, de ipſo te mihi ſcribas, quem ſedulò curo atque amo, ecquid deſtinaueris, manere, redire, quam vitę viam inire. Apud nos, ſi ſic pergitur, Scythica barbaries breuî, & quod non dico. Deum meum teſtor, faſtidire me & patriam (venia dicto ſit) & vitam pænè addcrem, ſed CONSTANTIA vetat, & in extremo hoc ſpatio greſſum firmat. Edidi CENTVRIAM vnam ad *Germ. & Gallos*; tres ad *Belgas*, vnamq́ue *Miſcellaneam*: his quattuor vltimis nomina etiam veſtra, vt anteà animo, inſeruntur. Videbitis, ſi tamen hæc ad vos perferentur. De *Senecâ* aut alijs, nihil addo: *—— οὐ γὰρ καλὸν (ait diuinus vir) ὑπέρβιον εὐχετάασθαι. Valetudo me ligat: & pænè illud iam placet ſederq́ue

**non bonũ ſupra vires iactare.*

*—— Μεγάλη παίδευσις ἐν ἀνθρώποισι σιωπή.

**magna in hominibus doctrina, ſilentium.*

Deum precor, mi Rubeni, te longæuum, & in melius æuum, quale ingenium tuum merebatur. Louanij, VI. Kalend. Mart. ∞. IↃCII.

Balduinum noſtrũ, ſtatim à diſceſſu veſtro, *ἀπεζεῦχθαι τοῦ κόσμου, καὶ πάσαις ταῖς βιωτικαῖς ἡδοναῖς ἢ μερίμναις, credo te audiſſe. Agit etiamnunc in cœtu Diui Franciſci, hac vrbe.

**abiũctum à mundo, & omnibus vitæ voluptatibus aut curis.*

EPIST. VII. *Cracouiam.*

ANDREAE SCHONAEO I. V. *& S.Th.Doctori.*

LANGVOR me habebat, nec ab eo promptus eram ad ſcribendum: tamen me fecit tuus amor, mi Schonæe, quem in litteris ita palàm, quàm ſi in ore atque oculis, oſtendis. Itáne procul, & in illis quoque regionibus ego, id eſt litteræ amantur. Nam quia libaſſe eas cẽſeor, vos in me inclinatis: gaudentem, & libentiùs quò eundum eſt euntem, quòd ſpem relinquam doctrinæ in Europâ hæſuræ, quæ vos etiam in vltimo eius limite adſpexit, imò arctiori

am-

amplexu ſibi iunxit. Deus bone, quis bono & veteri æuo de vobis hoc ſperaſſet? cum horror illìc & ſquallor, nec niſi Martis ſedes, & incolis cordi * —— Πόλεμός τε κακός τε φύλοπις αἰνή. Quàm mutaſtis? & humanitate, eleganriâ, omni cultu animi, prouocare auderis lætiſſimam quamque gentem. Mirus Prouidentiæ ordo! & cæleſtis ille agricola has illaſque partes excolit, & velut nouales quoſdam agros, alternis ſerit. Quid Græci, quid placent ſibi Itali? Græcia & Italia nuper in Galliâ, & nunc in Germaniâ aut Sarmatiâ reperiantur. Macti eſtote, applaudimus: & tibi priuatim mi Schonæe, qui vtraque oratione, ſolutâ & ligatâ, potes polleſque. Vidi enim; & ipſe ille qui attulit Comes Teuczinius, lumen & decorem infudit, nobili ſtirpe atque animo iuuenis, & qui creſcit in laudem veſtri regni. Hac quoque parte vos beatos! apud nos in omnia alia ſtudia nobiles verſi, & inuoluit eos * —— Πολέμου κλόνος αἰὼν ἅπαντος. Sed frui Comite veſtro diutiùs, mihi votum fuiſſet, linguâ diſerto & prompto, mente & iudicio bono: ſed via eum trahebat. me languor ſiſtit, non aliquis nouus, ſed ille vetus, & qui in iam pertinace luctâ deijcit, vel ſupplantat. Bonâ fide, ego ire me ſentio ad metam: quid mali aut noui?

—— omnes vna manet nox
Et calcanda ſemel via leti.

Tu longùm longumque vale mi Schonæe, & optimas ibi artes propaga. Louanij, poſtrid. Idus Mart. ∞. IↃCII.

* bellum & diſcordia vindex
* belli ſine fine catena.

EPIST. VIII. *Bruxellam.*

PETRO PANTINO S. D.

CENTVRIAS à me cape, & in ijs te lege. Sæpiculè, ſed non toties quoties in animo te memoro & geſto. Non lubet proſari ἐπὶ ξιπήχῃ, neque me decet: ſed tamen quædam inter Epiſtolas ſunt, quæ famam habere nunc & olim poſſint. Neque enim omnes: & quaſdam non iudicio meo edo, ſed alienæ ambitioni (apud te liberè) aut & amicitiæ dono. Tu ſi es, quem cupio & cenſeo, & addam, ſcio, compotem me iudicij tui fac: id eſt cenſuræ. Non eſt ſera emendatio, & altera editio eſt in manu. De publicis ſileo, & linguam mordeo: tamen populariter ruinas video, & ille Iupiter

* Μάρψει δ' ὀξείης ὅς τ' ἀλιτρὸς, ὅς τε καὶ ἐστί.

Feramus, & vno verbo, PHILOSOPHEMVR. Vale V.R. & Cl^me. Louanij, Kal. April. ∞. IↃCII.

* Ordine correpiet, qui cauſſa eſt, qui neque cauſſa eſt.

EPIST. IX. *Mediolanum.*

IACOBO RESTAE V. N.

AMICA atque diffuſa ſcriptio tua, etſi in morbo, ad reſpondendum impulit: neque animo contractiùs, etſi manu fortaſſe fiet. Nam hanc ægrè, illum alacriter ad te moueo & mitto, libenter apud tales hæſurum, & vel ætatem acturum. Prudentia & virtus tua (non blandior) ex ipſo characteriſmo ſcriptionis ſuæ innotuit: neque opus teſtimonijs vel productione Puteani noſtri fuit. Itaque amicitiam libens volenſque tecum pango: fouendam deinceps litteris, colendam etiam officijs, quæ interca pedo quidem hæc locorum admittit. Nam bonæ & antiquæ fidei in his talibus ſumus: vtinam & ingenium, aut opera eius, quæ tu æſtimas & attollis! Enimuerò qualiacumque, cara tamen habeo, quia me carum vobis talibus reddunt. Vt perſeueres mi Reſta, ego togo, & ambire me quod ambiebas ſubſigno. Louanij, Kal. April. ∞. IↃCII.

EPIST. X. *Tornacum.*

DIONYSIO VILLERIO S. D.

HEVS tu, inclamo. Itáne de ſalute meâ ſolicitus, vt nec verbo inquitas? Ad extremam lineam pænè tedactus fui: & vbi à te cura aut ſolatium? Sed, quod ipſa ſcriptio excitatior tibi dicat, iterū meliuſculus ſum, & virium aliquid ac ſpirituum recepi. Antuerpia me vidit, nunc Bruxella, ſed & Hallæ, ac votum hîc Diuæ Virgini (diſce è Carmine) perſolui. Vides me arma ſuſpendere, & otium moliri. Toto certè animo, in hoc turbido & ambiguo ſtatu rerum: cùm meditari & firmari ſatis eſt, aduerſum imminentia aut præſentia mala. Quid priuatim? vidiſtin' qui me laceſſant? imptobus & imperitus aliquis (vtrumque verè dixerim) ab Italiâ: qui glaucomam ob oculos obijcit, velo libri antiqui. O meum riſum! ſcio, & publicè teſtatus ſum (nam reſpondi) nihil eius eſſe, & mantellum diligentiore inquiſitione huic mendacio detraxi. Totum ſanè ſcriptum, ſiquis inquitat,

—— *apinæ tricæque, & ſi quid vilius iſtis.*

Tamen, vt dixi, reſpondi: ſed ita me Deus, cum pare impare compoſitus, & Græco verbo, * χύτρα καὶ πέτρα οὐ συμφωνοῦ. Indignor, non homini qui ſcripſit (ambigua ſanitas

* Olla & petra non conueniunt.

eum

cum excuſat:) ſed qui legere & æſtimare etiam præ ſe ferunt, quadrante non emenda. Ipſam rem dico: & cùm cogito, pænè pœnitet reſpondiſſe. Eò ventum eſſe? vt pro benefactis & promeritis conuicia & calumnias referamus? Nam cum poëtâ:

* hoc ſolum præmium noſtrum

—— * Τὸ μὲν λάχουσιν γέρας ἡμῖν;

Beata in ſeceſſu vita, ſed & in tenebris: quoniam reuerà pauci qui, non dicam præmia, ſed iudicia laboribus noſtris donent. Feramus: & cum Theognide ſentiamus,

* Fac bene, ſed tibi fac. quid fama præmia quæris?

* Εὖ ἔρδων εὖ πράττε. τί δ' ἄγγελον ἄλλον ἰάλλεις;

Nobis, inquam, viuamus, Deo & nobis morituri. Valere te cupio, mi optime Villeri: nam de rep. nec verbum lubet addere: à te tamen audire. Louanij, Idib. Iunijs, ∞. IↃCII.

Wingio Canonico mihi percato ſalutem dico.

EPIST. XI. *Lug. Bat.*

GERARDO BVYTEWECHIO S. D.

LIBENS intellexi de vxoris vtero grauido, libenter audiam (Deus breuî faciat) de ſoluto & leuato. Sit hoc gaudium tibi, ſit tuis, & ciuem aut ciues paullatim patriæ dones, bonos è bonis. Sed quid tu ita nihil de alijs? an non epiſtolas meas vidiſti? in ijs vnam alteramque ad te, aut de te? Plures non libuir, temporum metu, & ne beniuolentiæ ſpecie noxam noceam. Quid autem de ijs ibi cenſent? quid Scaliger? quid etiam agit? Breuî & libellum pugnatorium videbis, quo Italo reſpondi protetuiter incurrenti. Inuitus hercules, ſed amici protruſerunt. nam libello quidem eius, ſi examines, nihil ineptius aut imperitius: tamen applaudunt quidam, quibus ſuaue ſit vmbram aliquam luci huic fieri. Iudicia! & tempus eſt deſinere me omnis ſcriptionis, ſi hæc obtinent. Vale mi amice, cum Tuâ, & futuro Tuo. ita Deus (iterùm rogo) donet. Louanij, Idib. Iunijs, ∞. IↃCII. Parenti vtrique ſaluere & gaudere.

EPIST. XII. *Antuerpiam.*

FRANCISCO SWEERTIO F. S. D.

LIBENS tuas litteras nunc vidi, è quibus quæ apud partes noſtras feruntur aut iactantur omnia didici. Nam Demetrianas cùm lego, ipſos & eorum ſenſum videor audire. Neque ambigo apparatus & vires aliquas eſſe: an tantas, an in tempore, & quod caput eſt, feliciter exſerendas, ſuſpendo, & optimo magiſtro Tempori committo. Quod de Italo meo ſcribis, & te abidè exemplaria exſpectare, videbis breuî (nam & breuis libellus eſt) ac ſimul eius imperitiam. nam impudentiam omitto, quę mundo innotuit: per me autem, illa. Equidem nihil minùs libenter facio, quàm repugno, etiam læſus, etiam in facili & iuſtâ cauſsâ: ſed hîc æui gratiâ aliquid dicendum fuit. quia plerique fauent contra nos dicentibus, & ſine examine, pedibus in partes illas eunt. Retrahendi ſunt, & vel inuitis oculis fulgor veritatis inſerendus. Audacter dico, qui mea leget, quales ſumus, illum & me norit. At de Britannicis iudicijs, riſi. Etiam N. (doctus & induſtrius vir) me miſeratur? Ego illum, ſi ſeriò ita ſentit: & omnis doctrina vetus & vera, nugæ & ludi ſunt; aut talia habenda à modicè doctis, quæ ſcripſit LVCIVS meus dicam, an Apuleij? Satis hîc. ego in ſcripto repreſſi, & Europæ oſtendi futilia hæc iudicia nec nauci eſſe: nec pænè Pygmæum imponi in coloſſo. Tacitus & ego (liberè, liberè dico) non ſumus ad hos arbitros aut Cenſores. Sed iterùm de republicâ. quæ me hac æſtate ſolicitum habet: tu ſi quid audies (& audis) ſcribe, ſine præſtationis periculo, & vt audies tantùm. Vale mi Sweerti. Louanij, VIII. Kal. Iul. ∞. IↃCII. Tuam ſaluto, & prolem creſcere voueo ac valere.

EPIST. XIII. *Tornacum.*

IOANNI BVCHAERIO *Doctori Theologo.*

POPVLAREM tuum, & noſtrum auditorem Vaequerium, libens vidi, magis quia à te veniebat, & litteras etiam, id eſt pignus affectus tui, ferebat. Amo & æſtimo te iamdudû, nec à temporibus iudicia mea pendent, quæ Ratio format, illa æterna, & à fluxu caſuum euentuumque non ſuſpenſa. Vbicumque es, quocumque munere ar fato, ſcio te BVCHAERIVM eſſe, id eſt virum ſeriò probum & doctum, & amore talium dignum. A me præſto, tu redde, ab affectu quidem merenti. Iſte, quem vides, veſter eſt: commendo, nec onus tamen impono, qui ſcio te in externo ſolo eſſe, & alienæ ſæpè gratiæ indigere. Sed vultum atque animum exhibe: ſufficit: nec Deus ipſe vltrà poſcat. De Galliâ autem veſtrâ, quæ iſta ſunt? quis non miſereatur gentis, in quiete inquietæ? etſi cauſſas tamen intimas nos diſſiti

diſſiti parùm ſcimus, neq; cupio equidem, niſi quatenus poſteris opus ſit tradi. Dies hoc dicet. te Reu^de^ & Eximie Domine, inter ictus Fortunæ ſtare cupio,& te nixum ac Deo, ſpernere quidquid aſſultat, vt fluctus quoſdam aquæ abeuntis,& alludentis non lædentis, vbi robuſtior materia occurrit. Louanij, Kal Iulijs, ∞.IↃCII.

EPIST. XIV. *Valentianas.*

HENRICO D'OVLTREMANNO, *Senatori.* S. D.

ET libens,& iudicio feci,quòd tuum nomen Centurijs noſtris inſerüerim : boni militis, & vel inter Triarios, vt ſic dicam, accenſendi. Non amor hoc ſolùm in me, ſed eruditio tua & ingenium poſtulant, clara & rara inter meos Belgas. Itaque meritò feci, & doleo pluries non fuiſſe : quia nouum & nuperum ſcilicet inter nos commercium hoc litterarum, etſi amore non nouo. Quod autem nunc ſcribis de Arriâ illâ Pæti, & laudem eius & factum meum probas, ô quàm mihi gratum! O quàm non plebeiæ mentis talia hæc iudicia! Nam ſunt qui alitet, inter graues etiam viros, & nihil nos mirari niſi noſtrum, id eſt Chriſtianum, volunt. Quæ & ipſa herclè miranda & ſuper-miranda fateor: ſed quæque ſuis finibus & æuo claudenda, & aliâ atque aliâ lege vel adſpectu laudanda ſunt. Vt inter gentiles, quis ex vtroque ſexu, quis ex omni natione, ſuper hanc Arriam iure ſe attollat? Et ſtili mei penicillo factum hoc vnum eius ſatis expreſſum cenſes: ego ambigo, & dicam magis adumbratum. Certè illa lux præſtringit ingenij aciem, nec plenè etiam admittimus, nedum vt efferamus. Simile in Martialis vltimo verſu tu iure notas: nec eſt pro robore fœminæ in omnia conſtantis & inuictæ. Sed ô tuum ingenium, & ſimul vbertatem, in reformando! teſtor Genium, admiratus ſum. Triginta quattuor ſenſus (tot adnoto) pro vno ſubſtituiſti: & quoſdam argutos, & altos. Placent maximè iſti,

Si ferrum hoc refugis, hoc mihi Pæte dolet.
Hunc cape, libertas hîc tua Pæte ſita eſt.
Pæte feri. an trepidam vis tuuem & ipſa manum?

Nec alij degenerant: etſi Martialem excuſet, quòd robore iam expreſſo, affectum illùm & caſtum amorem coniugis voluit etiam notatum. In Coreti noſtri fato dolui, non dolui. Nemo bonus optet peſſimo hoc æuo eſſe diuturnus: & neſcio an de altero optet. Monumentum ei à te poſitum placet: atque ecce verſus etiam meos repono, ſed alterius rei, quos hîc incluſi. Te nunc animo, etſi ab alloquio auerto. Vale V. C. Louanij, VII. Idus Iul. ∞. IↃCII.

EPIST. XV. *Duacum.*

BARTHOLOMAEO PETRO LINTRENSI *Doctori Theologo.*

EPISTOLAM tuam, quam affectus ſolus expreſſit, accepi,& cum ea mei amaui. An poſſim aliter? vice parentis in me afficeris, & ſolicitè de valetudine non quæris ſolùm, ſed iuuas. Conſilia enim ſuppeditas, nec à ratione abſona, & vſurpanda profectò, ſi imbecillitas illa & defectio virium etiamnunc me haberet. Sed nuntio tibi, quod gaudeas, meliuſculè eſſe. Antuerpiam, Bruxellam, Hallas profectus fui: & vel ipſa peregrinatio, vel Diua illa Virgo, quod libens credo, me recreauit. Sanè Patronam eam iamolim adoptaui & colui, & ſenſi variè auxiliatem. Votum quod ei voui & ſolui, hîc habes. De ſcriptis meis, polliceri haud multa poſſim, nec magno labori adhuc ſubſiſtere: tamen conficere quædam animus eſt, iamdiu affecta. Interuenit etiam neſcio quis Italus (transfuga & malarum partium, vt audio) qui publico ſcripto me laceſſiuit. Aliquid repoſui, & me mittente breuî videbis: etſi non magnum aut valdè ſerium, ſed talibus vel ipſorum cauſsâ reſpondendum eſt, vt deſinant vanitatis, & quod non ſunt ne eſſe ſe putent, aut putentur. Quod ad *Catonem* attinet, certum nec illum nec priſci æui auctorem eſſe, imò nec Auſonij in eo ſtilum aut ingenium agnoſci. An ille tamen, quem ſagaciter eruiſti, videndum ac penſitandum eſt. De me, certè nihil nunc adfirmem: hoc tantùm, coli te in iſto animo & amari. Louanij, VI. Idus Iulias, ∞. IↃCII. cùm hoſtis caſtris noſtris propinquus eſſe nuntiabatur, id eſt nobis: etſi de conſilio eius nihil etiam liquebat. Noſtri in tuto, ſi tueri ſe ſatis habent: in pugnæ diſcrimen rem mitti ego nolim, & ratio fortaſſe mecum.

EPIST. XVI. *Gandauum.*

MAXAEMILIANO VRIENDTIO.

APAGE, pluriſariàm in epiſtolâ, etſi amicâ & gratâ, peccas, *Scipione* iſto te niti dicis. tûne? qui alteri trepidanti apud me potes ſcipio eſſe. Peream, iterumq́; peream, ſi non te inter primos meos Belgas ab elegantiâ ingenij & morum æſtimo, & quod ſequitur, amo. Nempe oſtendiſti, inquis: & me in Centurijs illis, vt capite cenſum, habuiſti. Erras mi Vriendti, iudicio inter Claſſicos te cenſeo: ſed quid factum? vnam epiſtolam ad te ſcribere memini, ea quæſita nuſquam comparuit, & Audeiantius qui mihi à manu eſt, bonæ fidei iuuenis, querelam & pænè dolorem in eo meum dicet. Men' tui pudeat? quem iactare & oſtentare apud exteros etiam velim, debeamque: & metuiſti. Emendabimus, & quamquam à te vitam & famam habes, tamen ſi non te, affectum erga te (ita viuam) ad poſteros propagabo. Mitte, ſodes, exemplar epiſtolæ illius, ſi tanti fuit vt ſeruares. Italo in me iniurio nuper reſpondi: videbis, &c, ſcio, ridebis. Tuum Carmen in amatum mihi Symbolum & ANTIQVOS MORES, nimis libens legi: ama, ama & illos ô Vriendti, & me, pectore eos teque amantem. Saluto Hardwynum noſtrum. Louanij, ipsâ horâ pænè quâ tuas vidi. prid. Idus Iul. ∞.IↃCII.

EPISTOLA XVII.

NICOLAO MONTMORENCIO, *Toparchæ Vendeſio.*

DVPLEX beneficium accepiſſe me interpretor, & ſcriptionis tuæ, & doni quod miſiſti. Ipſa profectò ſcriptio grata, primum ſed firmum teſtimonium animi tui ſtc in me affecti. Quid de bono dicam? breuiter ſed fideliter, cariſſimum eſſe & à ſe mereri. Materies, quæ pietatem, id eſt caput virtutum, an omnem virtutem dicam? tangit. Quiſquis eâ caret, aut negligit, quid veri non dicam Chriſtiani hominis, ſed hominis habet? Ad eam nati omnes, nos quoque peculiari Dei gratiâ inſtituti ſumus: teneamus & amplectamur, vnicam quietis hîc ancoram, vnicum ad perpetuam ſalutem viaticum & viam. Ego verò tantò carius hoc tuum habeo, quod vti fruique cotidie eo cogito, & domi vel in ædibus ſacris habere hoc precationum vel meditationum inſtrumentum. Hortatore me non eges: eſt nobis & omnibus; teſtari tamen poſſumus, laudabiliùs aut vtiliùs operam tuam poni non potuiſſe, non ſi Patriæ aut Principi vitam & ſanguinem impenderes: ô quàm meliùs Deo, & cultui eius propagando, hunc animum, hunc ſtilum! Nobiliſſime Domine, valere te, & ſemper hoc agere, Deum precor. Louanij, Idibus Iulijs, ∞.IↃCII.

EPIST. XVIII. *Amſtelrodamum.*

HENRICO LAVRENTII SPIEGELIO S.D.

CERTE animum meum tetigit tua ſcriptio, & corde profecta amicitiæ commemoratio, quæ inter nos fuit. Fuit? imò eſt, atque erit, quamdiu altet noſtrûm erit. Significas autem de conſorte vitæ & thori, quam iterùm tibi is adiunctum: & quid dicam aut ſuadeam? Priorem tuam vidi & noui, probam, modeſtam, & tui planè ingenij: de iſtâ (ſi iudicio elegiſti) idem mihi ſperare datur, & Deum rogo vota noſtra adimplere. Magna res eſt, vt inquis, in iſtud mare ſe dare, in quo fluctus, venti, procellæ interdum: & ipſa res coniugij, priuſquam animi coëant, moleſtias & auerſiones ſuas (interdum & contentiones) habet. Mirum cogitatu, quòd Deus homini ſolatium & leuamen fæminam dedit; ſæpè autem contrà eſt, & neſcio quo naturæ vitio in pœnam & noxam abit. Abſit vt tibi eueniat, qui miti ingenio amorem prouocas: & ſi melioris animi aut ſanguinis aliqua contigit, cælum in terrâ hac (vaticinor) habebis. Vt tua nunc ætas & prudentia ſunt, iudicio elegiſſe debes: affectui ſi obſecutus es,

Non illigatum te triformi
Pegaſus expediet Chimeræ.

Deus hoc nolit; & in extremâ ætatis metâ ſpatium decurrere det eum gaudio, & ex prole etiam, ſi in Fati tabulis ea ſcripta. Quod voues de coniunctione & colloquio iterùm noſtro: vtinam eſſe poſſit, vtinam vel ſpes ſit! Sed cùm tempora video, quæ ſupremus ille Arbiter diſponit & ordinat, vereor vt hîc videre inter nos veremur, non tamen amare & animis iungi, quod facio, & à te fieri depoſco. Vale mi amiciſſime Spiegeli. Louanij, VI. Idus Sextil. ∞.IↃCII.

EPIST. XIX. *Bruxellam.*

PETRO PANTINO V. R.

EN libellos noſtros, inſpice, & ride. facies certè in altero, vbi res & verba eò ducent, &, fallor, aut paris mei ſtupor. Luſimus hoc irritari, non tamen irati: quod ſcriptio ipſa dicet, in quâ lepidi aut amœni aliquid, vix aſperi aut amari. Quid autem exigas aliud? non fuit ille hoſtis cum quo ſtatim & collato pede pugnaremus: velitandum verbis fuit, & velut præpilata iſta dictorum ſpargenda. Reuerà enim nihil ille niſi * φύσημα καὶ μόλγος: nos diſpūximus, ventum eduximus, iacet & flaccet. De meis iſta: in tuis, querebaris nuper de onere, quod nouum munus imponit. Videris deponere velle: nec diſſuadeam, vt * φιλεύδιον καὶ φιλήσυχον illud ingenij tui noui. Sed deponere; id eſt cum pace & veniâ Principum: nec abijciendi ius tibi cenſe. Tua hoc prudentia moderabitur. quę vtinam & in publicis noſtris luceat! Nam iſta quò eunt? quid ſi Galli etiam ſe miſcent? Timeo, quod prouidi omnes: & eueniet, ſi vera quæ de occultis illis coïtionibus narrantur. Si quid certum habes, ſignifica, me ama, & vale. Louanij, v. Idus Sextil. ∞.IↃCII.

* *inflatio & vter.*

* *tranquillitatis & quietis amans.*

EPIST. XX. *Valentianas.*

HENRICO D'OVLTREMANNO S. D.

CARMEN tuum in Senecam accepi, bonâ fide, bonum. Vtat, ſed quando? quando, inquis, Seneca tuus prodibit? Definire non poſſum, vt hæc ſunt tempora, ſed & vt mea valetudo. Nónne illa vides ad Martem omnia, non ad pacatas noſtras Diuas? Iamdiu quidem ea turbida, ſed nunc maximè,

Nunc mare, nunc ſiluæ
Threïcio Aquilone ſonant.

Vides exercitus & inſtructas vtrimque claſſes: & nos in medio aut propinquo, ab euentu pendentes. Nónne hæc ſunt, quæ

——*vitæ rationes vertere poſſint,*
Fortunaſque tuas omnes turbare timore?

Sunt, ſi vulgũ ſpectes: à quo tamen iamdiu electione & iudicio me exeruei, Virtuti & Conſtantiæ propior, & externa iſta leui & ſpernente oculo delibans. O ſi valetudo tantùm mihi firmior! nihil me turbet,

Non ſi terra mari miſcebitur, & mare cælo.

Hæ cogitationes meæ aut interna exercitia ſunt, mi d'Oultremanne, quibus me firmo aut erigo: &, ſine prouocatione aut iactantiâ, in Fortunam accingor.

Quò me fata trahent, virtus ſecura ſequetur.

Sed cum Enniano Neoptolemo, *Philoſophandum, verùm paucis.* Libellum hunc vides: an & is pro philoſopho? An non meliùs ex alto deſpicere, & nec audire quidem pueros iſtos vagientes? Forraſſe. ſed nec illud inutile, ſemel qui ſimus oſtendere, & illos ad Delphicum illud ducere, vt *Se norint.* Feci, iudica, & ſeriò amantem ama. Louanij, xix. Kal. Septemb. ∞.IↃCII.

EPIST. XXI. *Lucemburgum.*

F. PHILIPPO BOSKHIERO, *Ordinis D. Franciſci* S.D.

FATEOR & agnoſco culpam, quæ videri potuit, & non fuit. Silui ad tuas, ſed quâ cauſsâ? morbi an languoris, qui tenuit & ad beata loca (ita ſperabam) pænè traxit. Deduxit inquam, non traxit. nam cur inuitus è vitâ abeam, in quâ manere nihil inuitet? Procellas & nimbos vides, vt in noui orbis quibuſdam damnatis inſulis, ſine pauſâ perpetes; vides & vitia magnis auctibus creſcere: vides ipſas delicias noſtras & meliorum mentium, dico litteras, curſu non gradu abire. Itaque pranſus paratus eram, vt ait ille: Imperator tamen in ſtatione etiam manere iuſſit; & nutui eius audiens eſſe debeam, non ſolùm decreto. Eidem tu mi Boskhieri, qui corpore diſiungeris, nec vultus aut ſermonis mei copiam habere doles. Cur autem? in exiguo iſta ſunt: animis adeſſe atque hęrere poſſumus, & teſtor te meo earum eſſe. Scripta tua faciunt, in quibus non imitatio, ſed imago mei, & pænè ego. Affectus in eo tuus elucet: ſed & ingenium, qui tam feliciter quod vis potes. Adoleſcentem à te commendatum vidi, affatus ſum paucis: ſed in ijſipſis paucis agnoui ingenuam mentem, & melioribus natam. Qui has fert, dedi & libellum à me ferendum, nouitium noſtrũ fœtum. Ridebis pugnantem Lipſium: quo nihil (verè dicam) mitius: ſed, vt poëta ait,

Sæpè etiam inſtanti læſa repugnat ouis.

Et cauſſas reſcripti alias publicè dedi, leges, & me amabis, & quod adhæret, precibus iuuabis apud Numen, cui cottidie facis. Ita ſalue R.P. & mihi parcare. Louanij, xviii. Kal. Sept. ∞.IↃCII.

EPIST.

EPIST. XXII. *Græcium.*

MARTINO ANTONIO DELRIO
Presbytero Soc. Ieſu.

TV ad extremas Germaniæ oras, ego nuper ad illas Fati vltimas relegatus videbar: iterùm viuo (ſic loquendum eſt) & ſemper in te meus amor. EPISTOLAS noſtras vidiſtı? te in ijs, etſi alia duabus etiam Centurijs ſeruantur. Nam parturi me vides, & in quamque Centuriã plures annos velle inſertos. Quid autem hoc tui ſilentij? ægrotas, faſtidis, an (quod abhorreo) contemnis? Vidiſtin' illa Itali, qui proterue me laceſſit? hîc Reſcriptum meum habes, breue ſed forte, aut fallor, & tibi ac cuicumque bonæ mentis iuſtum probumque. O petulantiam ſimul, & inſcitiam! De æuo quid ſperem neſcio, cùm has exertationes video, & probatas etiam, quibus ego probari me pretium cenſebam. Quid eſt? mens me aut illos deſerit? an bonâ fide, & liberè, melior ille doctrinæ Genius Europam noſtram fugit? Hæc priuata: publica in metu, & nobis proprio. Hoſtis adfuit, equitum peditumque vi ſuccinctus: vigilarunt Principes, & ille abijt, alibi vires (vtinam pari fortunâ!) explicaturus. Vobis quoque Bellona veſtra, ſed fatali hoſtium ignauiâ parum etiam damnoſa. Deus ira porrò donet, & optimos illos Principes ſaluos auctoſque velit, te imprimis mi Pater. Scribe, ſcribe, aut iraſci me non dicam, ſed poſſe. Louanij, XVII. Kal. Sept. ∞.IↃCII.

EPIST. XXIII. *Bruxellam.*

PETRO LA-TORRIO, *Quintanadueñas.*

SCRIPTIO & animus tuus mihi grata: è quibus illa in me affectum, hic in virtutem & ſapientiam præfert. Perſeuerare te, in iſto maximè, id hortor mi La-torri: quo fine in vitam veniſſe nos, & diuinâ illâ imagine ornatos, non ignoras. Conſulis me de itinere tuo, an manſione. Breuiter, mihi manſio placeat: & vbi meliùs, quàm apud domeſticum illum tuum magnum doctorem? Auunculum dico. cuius prudentia, virtus, etiam doctrina mihi nota. Ad illius Scæuolæ latus hæreas, & affectum eius tibi pignora: quod non aliâ re magis facies, quàm ſtudio & promptitudine diſcendi. Quid ſi etiam (ſed de eius conſilio) de vinclo aliquo iugali cogites? Quod ætas tua non abnuit, ſed nec vtilitas: ac ſæpè, vt noſter Tacitus, *matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit.* Sed de conſilio, vt dixi, eius à quo pendere debes, &, vt cum Lucretio hoc dicam,

——— *ad cuius numen nutumque moueri.*

Habes ſenſum meum, ſed compendio: multiloquium & occupatiunculæ & natura mea refutant. Louanij, VI. Kal. Septemb. ∞.IↃCII.

EPIST. XXIV. *Antuerpiam.*

HENRICO VWENO *I^{to}* S. D.

IVRE extollis liberalitatem Arſchotani Ducis: rara eſt, & apud noſtros præſertim populares. qui quiduis magis in pretio fortaſſis habent, quàm id cui pretium non reponant. Sed ita mores & iudicia: cum quibus pugnare me iubet, quiſquis ad ſcriptionem vocat. A quâ, vt iſta omittam, valetudo tamen ſatis auocat; non illa nunc quidem abiecta, ſed non iterùm per ſtudia (ſatis ſenſimus) abijcienda. Libellum noſtrum non diſplicuiſſe, gaudeo: hoc ſcio, æquis & iniquis arbitris hominem illum repulſum & reuictum. Alius exorietur, & iam audio: eamus, & hoc fine laboremus. Omitto: de rep. magis angor animi. Grauiam relictam diſceſſu, an fugam dicam, noſtrorum hîc audimus. Adfuit mihi ex Italicis copijs vir nobilis & doctus, qui narrauit viſa. Quid autem de Brabantiâ noſtrâ ſperes, ſi illam & quæ adhærent (Buſcumducis, & reliqua Geldriæ) amittimus? Conſilia noſtrorum iamdiu non capio: qui ſpem totam in Pluto reponere videntur, ſed vtinam non cæco? A Galliâ pax & ſerenitas iterùm nuntiantur: palàm quidem. quæ in animo nubes aut nimbi aggregentur, nunc ſuſpicio, actiones poſteà dicant. Valere te, cum Tuâ, mi Vwene amiciſſime opto, & Robianum illum noſtrum ſaluere. Louanij, VI. Kal. Sept. ∞.IↃCII.

EPIST. XXV. *Lutetiam.*

IACOBO AVGVSTO THVANO,
Senatus Præſidi.

FRATRIS tui filium, & in eo THVANOS vidimus, id eſt, magnorum illorum virorum non ſtirpem ſolùm, ſed mentem. Multa in eo comitas, virtutis & doctrinæ amor, & qui breui ſermone ſe planè in pectus noſtrum immiſit, & vt ſic dicam, illatebrauit. Nec tui affectus nos celauit, etſi

olim cogniti : ſed ſic perſeuerare & viuere, id quoque gratum , & à tali teſte , audire. Vtinam illa tua conſors viuat! quam abiſſe, nunc denique mihi auditum. De inualetudine olim aliquid : ſed exitiabilem fuiſſe, hoc fugiebat. Sciſſem , & ſolatij aliquid à me habuiſſes an & eguiſſes? Nam tuus IOBVS domi, & à te, omnia dicta aut dicenda ſuppeditabat. In hiſtoriâ tuæ gentis & Regum te pergere gaudeo , & quàm materia & ſilua rerum cottidie creſcit ? Illa nupera coniuratio prodigioſa fuit ; exſtincta ab Hercule: quando noſtra hæc bella ? Lenta, pænè dicam perpetua:

Et vereor ne tarda priùs per membra ſenectus
Serpat, & in nobis vitaï clauſtra reſoluat,

quàm ponere aut remitti videamus. Te & veſtrum regnum obiter ſemel vellem , & acre atque internum votum eſt : an damnabor eius, neſcio : ſed cupiens ſum, & tui amans, Vir Ampliſſime, cum Caſaubono, quem ſaluto. Louanij, VI. Kalend. Sept. ∞.IↃCII.

EPIST. XXVI. *Madritum.*

LVPERCIO LEONARDO ARGENSOLAE S. M. *ex animo* D.

O AMICAM tuam ſcriptionem! ô elegantem & eruditam ! Et pararium tu etiam alium quæras meo amori? Mihi crede, vel alter hic titulus iungat & adſtringat: quid vterque, & ſic eximius ? Imus , imus quò nos trahis, & amicitiæ ac fidei dextram reddimus porrigenti. Tibi tantùm? imò & fratribus tuis duobus , quos ab eadem duplici notâ commendas : & vt nunties ijs de affectu meo mutuo, hoc rogo. Mi Luperci, tales Geryonæ plures in Hiſpaniâ nobis ſint, regnũ teneant, ſed in litteris: quoniam illud ſceptrorum magnanimo dicto ſpernis. Sed quò pauciores ibi , magis fortaſſe lucetis , ſicut in nocte clariora illa aſtra. Quòd autem hortaris me ad edenda porrò quæ concepi & affeci, ac nominatim veſtrum Senecam: velle non abnuo, vtique de iſto , quem amo & æſtimo ſuper omnes (audebo dicere) Sapientiæ doctores. Gloriamini. & quamquam Hiſpania illa multa pacis decora tulit,

Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum rarumque videtur.

Itaque iure operam ei damus, & adminiculamur, quà poſſumus : ſed inualetudo tardat aut ſuſtinet, tum & ætas mea frigus iam & ignauiam habet. Quid etiam ? aſſidua triſtitia hæc temporum, bellorum implexa ſeries , animum non erigit : imò ſapientiâ & conſtantiâ opus eſt, vt à lapſu teneamus. Sortem noſtram , etſi diſſitus , audis : & niſi adamantinus es, miſeraris. Vobis gratulor in illâ pace ingenium atque has artes colentibus: & vt diu liceat, Numen precor. De conſilio tuo ſcriptionis, & vt ſnare illud Pacificum ſiue Mortuum (ita eleganter iocaris) nauiges ac teneas , omnino probo ac conſuadeo : ad noſtrum iſtud Arctoum ſi venis, pericula ſunt , & nec Vlyſſes tutò nauiget :

—— ita perſpirat acri
Cum fremitu, ſæuitq; minaci murmure pontus.

Tuta, tuta, id eſt vetera, & ſine eorum amantem, ama. Ego te & tuos fratres, certò & *fide antiquâ.* Louanij, IV. Kal. Sept. poſtridie quàm tuas vidi, ∞.IↃCII.

EPIST. XXVII. *Bruxellam.*

NVNNO MENDOZAE V. N. *& Principi à cubiculo.*

RESPONSVM hîc habes ad amicam, ſimiliter elegantem, & eruditam (hæc iungenda ſunt) Lupercij epiſtolam: qui à ſe meretur amorem , ſine vllo interprete aut proxenetâ. O virum veteris Genij , & melioris æui! Has ſcintillas epiſtola eius iacit, quibus me quidem in amorem ſui accendit. Sed reſpondi, & titulum adieci, quem tu in magno ponebas, AMICI LIPSIANI: verè ita ſum, & ero, qui ſic virtutem , doctrinam, & elegantiam amant. Plures modò Hiſpania veſtra nobis donet! quod fiet, cùm Deo viſum , & Parnaſſus ille qui in Græciâ exaruit, frondes & aquas ſuas in Iberiâ proferet & fundet. Opto, opto : nos & vos beatos! Quod ſcribis porrò , in ipſis caſtris mentem & affectum tuum ad me iſſe, gaudeo: & repono tibi ſeriò, nec immemorem tui aut incurium Lipſium egiſſe. Sed heu, quàm parum adhuc ex voto militares noſtræ expeditiones! Quid in Fatis ſit, neſcio : ſed in cauſâ optimâ ſpem talem non deſero, & quamquam tarda aut ambigua ea videtur, vindico & ad bonos bonam traho. Deus adfirmet , & te Ill^me Domine, ſeruet. Louanij , III. Kal. Septembr. ∞.IↃCII.

EPIST. XXVIII. *Mechliniam.*

PETRO PECKIO *Conſiliario.*

LAETAM mihi tuam epiſtolā! ex animo fateor: à tali, & ſic ſcriptam. In alijs curis ſtudijſque fuiſti, ſed felicitas & altitudo ingenij tui fecit, vt optima ſemper amares; nec hoc tantùm, ſed haberes & potireris. Ratâ hodie ſorte. & ferè qui ad res aut negotia ſe de.nant, artes aut elegantias, id eſt animi illum cultum, neglegunt: tu vtraque iunxiſti, & quid niſi Mercurium cum Minerua? Nam Marſyam me appellare, dedecet: & ille eloquij & ſimul lucri Deus foro potiùs, meâ quidem deſignatione, præſit. Sed extra ordinem iocum, prudens ſimul atque elegans es: & tales nobis ad reip. clauum ſedeant & gubernent. Veteres veſtri Iuris conſulti nónne tales fuêre? omnium confeſſione, qui vetera norunt: nec ego de bono aut felici ſæculo ſpero ſiue ſpondeo, niſi iterùm antiquemus. Diuiſio iſta artium ſcientiarumque ab imbecillitate noſtrâ eſt, & eius confeſſio: vos iſti, melior progenies, iterùm connectite,

—— quod numquam ſine perniciali
Diſcidio potis eſt ſeiungi, ſeque gregari.

Quid te horter? ſi dehorter, tamen facias, & vis optimæ naturæ, id eſt melior in te vel apud te Genius, peruincat. Quòd autem & meis libellis eò te duci ſcribis, benignitatis tuæ eſt.

—— ſic Cereri ſua dona merumque Lyæo
Reddimus, & diues prædæ tamen accipit omni
Exuuias Diana tholo.

Non, inquā, iuuant te noſtra, ſed delectant. Quo fine & iſta accipe, recenter in Italum quemdam (ſi nomen non imponit) reſcripta. Ille in me, vt videbis, petulanter incurrit: excepi, oppoſui, & ſcuto ſaltem me defendi. En noſtra præmia! quando rudem accipimus, an nobis damus?

—— ſuſpiro ruris amœni
Riuos, & muſco circumlita ſaxa, nemuſque.

Liceret frui menſes an annos paucos, ante mortem! Spetare vix dat iſta Belgicæ

Fortuna, ſæuo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax:

& tu quoque, opinor, vides & doles. Sed ire triſtia. in amore tuo acquieſco, quem vultu & ſermone nuper, nunc ſcripto affirmatum, rogo te, iterumque rogo perſeuerare, in amore & cultu tui meriturum. Louanij, VIII. Idus Septembr. ∞.IↃCII.

EPIST. XXIX. *Antuerpiam.*

IOANNI MORETO S. D.

ITANE filiam tuā abijſſe? abijt. Dolorem dediſſe? dedit. Ferenda tamen hæc ſunt mi amice, vt omnia quæ diuinitus immittuntur, & Æternæ illi legi ſeriò ſubijcienda hæc voluntas. Nemo hominum eripuit, non vis alia aut caſus: ille tantùm, cum quo nec pugnare poſſis, nec iuſtè de eo queri. Ius ſuum tenet in dando, & adimendo. Plures liberos habes, ſed in ijs quoque Fatum idem poteſt pollerque: vtere tamen & fruere (longùm ſpero) dum indulget. Habe, vt amiſſurus; amiſeris, tamquam habeas. Quomodo? ſuaui memoriâ retinendi ſunt; & hoc ipſum quod frui ſumus, in lucro & beneficio ponendum. Ingratus ille, qui præteritorum oblitus, præſentia tantùm cogitat aut futura. Imò, quod Philoſophi dicebant, certiſſima illa voluptas eſt, quæ fuit. Amplius mi Morete. Deus ſine ſolatio te non reliquit: non fuit tibi vnica. Vt igitur tunicam ſi amiſiſſes, aliam ſumeres & te eâ tegeres: ſic nunc fac, pro filiâ ereptâ aliam ſubſtitue, imò & filios, & certam iam poſteritatem nepotes. Amabas quæ perijt, ſed & reliqui ſunt quos ames. Itaque vt concludam, dolere tibi licet (quis parenti abnuat?) mærere non licet; lacrymare, ſed non plorare. Inter exempla roboris, vnum Plantinum tuum meumque cogita: quem ego in eiuſmodi caſibus non fortem ſolùm, ſed pænè durum vidi, * —— Ὡσεὶ κέρας ἢ σίδηρον. Imitare, tuam ſolare: quod & ego conatus ſum epiſtolio adiuncto. Louanij, VII. Idus Sept. ∞.IↃCII. Aula hîc fuit, Præſes Richardotus in meâ domo.

* vt cornu aut ferrum.

EPIST. XXX. *Antuerpiam.*

BALTHASARI MORETO SVO.

TRISTIS audiui de morte Hadrianæ ſororis tuæ. Illiúſne, quæ ante paucas ſeptimanas vegeta & valida hîc fuit? quæ florem primū adoleſcentiæ ſuauiter oſtendebat? illius. Vides mi Morete, quàm fata ordinem non ſeruent, & quos vota ac ſpes noſtra vitæ longę deſtinabant, eos abripi, & ſuperſtites relinqui languentes aliquos aut ſenes. Philoſophemur, & de nobis quoque cogitemus, hodie fieri poſſe, quod intra decennium aut luſtra aliqua ſolet.

Nihil eſt tam certum, quàm incertũ illud mortis. Itaque Ægyptij olim ſapienter, qui *Domos* has noſtras, *Hoſpitia* appellabant; *Sepulchra* autem, *Domos*. Nam mora quàm breuis ſæpè in illis eſt? quàm in iſtis certa & æterna? Imus, & ibimus: pauci cogitant, niſi cùm in metâ ſunt, & iam iuerunt. Tu hæc & plura tibi, ſed & parentibus ſubijce: matri maximè, quam ſcio dolere in hac iacturâ, vel potiùs mœrere. Iacturâ, pænè eius propriâ: & ſolatium vel auxilium in hac habebat, maiuſque ſperabat. Sextum Tomum Annalium accepi, atque illud ſollenne, Gratias dico. Vale. Louanij, VII. Idus Sept. ∞.IↃCII.

EPIST. XXXI. *Bruxellam.*

PHILIPPO ARENBERGIO,
Baroni Seuenbergæ.

SICVT aſpectus tuus nuper gratus iucunduſq; mihi fuit, & videre hanc indolem ad alta & honeſta omnia natam: ſic nunc tua ſcriptio, quæ me in iudicio illo & honeſtiſſimâ opinione tui vehementer confirmauit. Genus vtrimque inclytum, & ſtemmata Regum Principumque præfers: ſed quã eaipſa illuſtrare aut ornare ſtudijs Virtutis & Prudentiæ potes, ad quæ adſpiras? O nobiliſſime adoleſcens, huc te dona: & cetera externa aut aduenticia eſſe cogita, hęc animi ipſius propria, & æterni illius æterna bona. Etiam viam ingreſſus es, quæ rectà eò ducat, imò multùm in eâ progreſſus. ſed hoc (da veniam) monenti mihi crede & obſequere, vt non ad delectationem aliquam nudã iſta referas, ſed ad finem fructumque duplicem, quem adſignaui: Virtutem dico, & Prudentiam, ſumma in humanis bona. Sicut floribus alij ad odorem aut adſpectum vtuntur tantùm, apes etiam ad mellificium: ſic ſedulæ mentes debent, in fructum & vſum traducere ſtudia hæc litterarum. In quibus, vt tua nunc ætas & conditio eſt, Hiſtoriarum lectio vel primum locum ſibi vindicat, vtile ad rempublicam, & conſilia actioneſq; dirigendas, inſtrumentum. Adhibe. & Iuſtinum, me ſuaſore, lege velut variarum rerum, gentium, temporum compendium: tum & Plutarchi Vitas, in quibus ſummatim Græca & Romana habes. Liuium deinde, Polybium, alios licebit adiungere: & cum æuo creſcente non peritia ſolùm & iudicium, ſed & amor creſcet legendi cottidie & diſcendi. Hæc olim palæſtra & velut gymnaſium Principum erat, ante ſuſceptam rempublicam, in ſuſceptâ: & vt alia exempla omittam (ſexcenta ſunt) vnius Theodoſij Iunioris eo ſuggeſtum. Is de die quidem, iam Imperator, militiæ, Senatui, iudicijs, & vno verbo negotiis vacabat: noctu autem ſtudijs libriſque ſe dabat, candelabro ita affabrè & ingenioſè facto, vt ſponte oleum in lucernam inſtillaret; nec miniſtris aut interpellatione opus haberet, ad lumen alendum aut producendum. Rarum magnumque exemplũ eſt, & nobis magnis imitandum: ſae Perilluſtris Domine, & in tenebris iſtis rerũ quaſi ſidus te datum cenſe, ad lucendũ & dirigendum. Mea ſcripta, quæ Ill^mus^ Parens tibi dedit, ſiquid eò facient, gaudebo: & magis, ſi te perſeuerare in optimè cœptis audiero, nec abduci ab eâ, quæ mundo huic imperat, Vanitate. Louanij, IV. Id. Sept. ∞.IↃCII.

Vide Sozomenum in Præfat. Hiſt. Eccleſiaſtica, & lege.

EPIST. XXXII. *Valentianas.*

HENRICO D'OVLTREMANNO, S. D.

O TVAS epiſtolas! amor eas inſidet. ô tuũ carmen! venuſtas & eruditio commendant. Mi d'Oultremanne, iamdiu eſt cùm vulgo te excerptum vidi, ſic ſublime ferti magis & magis cognoſco, cùm admouemur. Parco dicere, non ſentire. O patria, quæ ceteris abundas, quàm virorum hodie ſterilis aut inops es! Videmus, dolemus: & poſteri etiam, vereor, dolebunt. Nam litteræ, aut cultus iſte omnis animi (Phœbum me puta) intra luſtra bina aut terna, non niſi nomen & vmbra erunt. Eò magis tu & ſimiles (etſi quàm pauci ſimiles?) eminetis, & arcto vinculo itis me iunctum: neque nos

Supremâ citiùs ſoluet amor die.

Hæc benignè, ſed & cãdidè: & ne vmquam mihi aliquid ex ſententiâ, niſi hæc EX ANIMI SENTENTIA dixi. Sed heus, túne ad nos? inuito, & rogo. videã hoſpitium quod melior ille animus inſidet, mortale immortalis. Aula hîc iamnunc, & alij hoſpites, non ab Helicone, aut noſtro fonte illo madentes. Res non ex voto, vt ſcis, tamen vultu conſtant; & vt cum poëtâ dicam,

Gloria mixta malis, afflictaque ambitus aulæ.

Terror hîc nobis, & diſcrimen etiam incumbunt: CONSTANTIA alleuat, & Prouidentiæ alligat:

Crux eſt ſi metuas, vincere quod nequeas.

Ad carmen tuum redeo, quod auribus meis

meis inetrat: edi & viuere dignũ, ſeu viuo ipſe, ſeu non viuo. Nam ſepoſui & adgregaui ijs, quæ à morte etiã velim(& ſola illa quidem)vulgati. Tu mi d'Oultremanne,

—— cui liquidam pater

Vocem cum citharâ dedit,

his talibus, verè ſcita mentis Muſatum & bellarijs, paſcere atque erigere nos perge. Paſcor & erigor enim, quò rariores iſtæ Diales ep̄ſtlæ à meis Belgis. Nam ab exteris, non nego, offeruntur interdum. Tu me ſemper, ſemper amaturum, ama. Louanij, prid. Idus Septembr. ∞ .IↃCII.

EPIST. XXXIII. *Bruxellam.*

MAXAEMILIANO VIGNACURTIO V.N.

EPISTOLAM quam libens vidi, legi, etſi querelis mixtam, ſed quas amor tuus in pietatem & virtutem, & me quoque, temperarit ac lenirit. Doleo equidem in Aulâ te ſic iactari: ſed Aulam cùm dixi, quid miri eſt? Mare qui intrat & nauigat, fluctus expectat; qui Aulam, hos motus. Illud ſuauius, cogitare de Franc. Balduini, magni ſanè viri, ſcriptis eruendis & concinnandis: fac mi Vignacurti, & rem publicam ac poſteritatem hoc munere auge. Quod in extremo autem de meâ etiam illâ Præfatione eſt: non offendor libertate: abſit: ſed audi tamen quod res eſt, & ratio approbet, talia illa ſcribi non vt teſtimonia, ſed incitamenta. Monemus magis qui eſſe debeant, quàm teſtamur ſic eſſe. An nouum fit? Traianum tu illum (etſi egregium Principum) credis tu fuiſſe ad Plinij laudationem? Idem in alijs: & Reges aut Principes cùm laudamus, non adulamur, ſed per ambages & flexum ducimus, quò nos & bonum publicum velint eos ire. Ego tuum ingenium, & in purâ virtute aſſerendâ purum animum amo; vtinam æuum ita ſit aut fuerit, vt induamus & vſurpemus! Spem non video, & tamen tecum & te amo: tu me mi Vignacurti. Louanij, XI. Kal. Octob. ∞. IↃCII.

EPIST. XXXIV. *Bononiam.*

GVILIELMO RICHARDOTO S. D.

VLTIMAE tuæ me delectarunt, bonæ mentis atque etiam dictionis plenæ. Amplecteris virtutem, & quæ eò ducit, doctrinam, & præcepta noſtra ſarta tecta habes: quæ nuper in litteris repetij, affectus magis mei reſtandi, quàm vſus tui cauſſâ. Etſi cur non repetam atque ingeram? Sicut matres, quæ pueris bellaria & fructus in ſinum ingerunt, ſollicitè ſuccingunt ne excidant: ſic nos ſatagere conuenit ne pereant, quæ optimè monita olim inſinuauimus, & nunc per litteras renouamus. Quod probas & gaudes de reſponſo in LVCIVM, fecimus. & fortè an iam videris: haberes certè me mittente, niſi ſarcinas iſtas curſores tabellarij ferre grauarentur. Sed reſpondimus * μεγαλείως καὶ γενναίως, vt in iſtos decet, qui non niſi remoræ Bonæ mentis ſunt, & Virtutis ex profeſſo hoſtes. Itaque vt leones, aſpicimus, & contemnimus: *magnificè & generosè.

* —— Κυνὲς δ' ὑπὸ καγχαλόωσι

Πόντοθεν ὑλακτόωντες. *canes autem gannire videbis, latrantesq́ unà.

Fratrem tuũ reducem auidè exſpectamus: pater hîc adfuit, domum meam honeſtauit, & hoſpitem magnũ mihi dedit. Ad publica ibat cum Principe, ô vtinam læta! Sed quid tibi dicam? patria iacet, affligitur, & per ſeditiones iſtas, quæ iam in morem, & penè dicam laudem verterunt,

Pro curiâ, inuerſique mores?

periclitatur aut perit. Deus ſuſtentet, te mi optatiſſime Richardote nobis ſeruet, & oculis atque amplexui meo iterùm ſiſtat. Louanij, X. Kal. Octobr. ∞. IↃCII.

EPISTOLA XXXV.

HADRIANO SAISSEVALLIO, *Gallo, domi nobili*, S. D.

PARANTI abitum, quod petieras, mitto, atque adeò partem animi tecum mitto. Fateri debeo, comem te, & cum modeſtiâ ſuauem, in omni conuictu fuiſſe: quod gratiam tibi vel amorem apud me alioſque peperit, & pariet quò hæc & te feres. Iſta à Naturâ habes bonâ tibi patente: perge Diſciplinam addere, & ſerijs ſeueriſque etiam ſtudijs animum formare. Germaniam inſidere te ſuadeam, & probitatem illic natiuam videbis & grauitatem: adſume vtraque, non in tuâ gente ſemper (vt nunc æuum) reperienda. Habet hoc commodi peregrinatio, quòd fas per eam miſcere mores & temperare. Vt autem in Muſicâ è diuerſis vocibus concentum quærimus, & probamus: ſic in vitâ, è varietate harmoniam. Sed & alius fructus. Ingenia quædam tranſlata proficiunt. & vt fœminæ interdum, antè ſteriles, alijs viris iunctæ concipiunt: ſic illa fœcundantur mutatione, & ſub

ăno alioque doctore. Perge cum Deo igitur: qui te meo voto ſoſpitet, & bonum clarumque reddat.

TESTIMONIVM.

QVICVMQVE HAEC LEGETIS, OFFICIA, CVLTVM, SALVTEM DEFERO.

VIRI boni eſt virtutem amare & adiutum ire, ſicubi ignota ea eſt, vel teſtimonij & ſubſidij eget. Quod promptè in iſto V.N. HADRIANO SAISSEVALLIO, *atque etiam meritò, facere me profiteor: quippe qui eum ab annis pluribus nouerim, conſueuerim, & virtutis ſemper, antiquæ pietatis, doctrinæ & humanitatis reppererim peramantem. Quiſquis noſcet propiùs & accedet, idem mecum fatebitur, nec ei teſtimonium iſtud ſcriptum. Sed ſicui ſubitò occurrit aut obijcitur, vt ſolet; præſertim cùm nunc peregrè ad mercatum optimarum artium eat; hunc rogo fidem nobis habere, iſtum amare & fouere, affectu illo & auxilio dignum. En me ſponſorem, non pœniturum eum ſi quis benignè complectetur aut faciet: me etiam creditorem, & in accepti tabulas beneficium hoc relaturum. Scripſi & ſignaui*

Louan. VI.*Kal. Oct.* ∞.IↃCII. Iuſtus Lipſius Profeſſor, & Hiſtoriographus Regius.

EPIST. XXXVI. *Lugd. Bat.*

CAROLO CLVSIO S. *Maximam* D.

O MEVM Cluſium! iure ſic appellem, & in hoc exſultem. Conſtanter & acriter valdè me amas, nec ſcriptio ſolùm tua, ſed res & munera adfirmant. Iterùm dico, Meum. Quid autem ego? hilum in affectu non cedo, & ſemper Cluſius mihi in animo, ſæpè in ore. Deus feciſſet, vt habitatione iunctiores fuiſſemus: multa conuerſatio & voluptas comitata eſſent. Nunc vetus illud obtinet, Deum ſequi & obſequi. Quæ de re Chriſtianâ publicâ in Pannoniâ nuntias, haud læta vſquequaq; ſunt, aut mixta: imò nunc terrores meti, & fugæ, & cædes. Illa Alba-Regia nuper recepta, iterùm erepta eſt, promiſcuâ omnium qui inerant cæde, aut ſeruitute. Tartarorum vis ingens in Daciam irruptura ſperabatur: copijs noſtris exiguis, & lentè etiam paratis. Hæc longinqua: in propinquo nobis turbæ, nec bellum ſolùm ſed ſeditio affligit. Eritne finem his videre, & ſemel optatam illam faciem Pacis? Numen faciat: ego te illîc & amicos. Quod ad ſcripta tua reliqua, doleo in morâ hominis, nobis amici. Monebo hercules, & vt publica ea faciat publicâ omnium noſtrûm, qui doctrinâ amamus, cauſsâ. Illud in clauſulâ iucundum, de vigore oculorum tuorum in hac ætate, mirando mihi & inuidendo. Heu, vbi ego ſum? quattuor luſtris minor cæcutio; & niſi vitrea auxilia ſubleuent, vix legam aut ſcribâ. Pænè indignor: & magis, quia veteres hac alleuatione vſos non lego. Atquin & illi nónne aſſidui in ſtudijs? Quid dicam? neſcio, niſi ſortem ſic noſtram eſſe: ferendam igitur, & te mi Cluſi ætatem amandum. Louanij, IV. Kalend. Octob. ∞.IↃCII.

EPIST. XXXVII. *Antuerpiam.*

IOANNI BAPTISTAE BARONIO *ſuo* S.D.

EQVIDEM gaudeo patrem in tua vota, & mea cõſilia, conſenſiſſe. Non tamen quia tua vota, ſed quia de plano ita iudico, id fore ex re & vſu tuo. Adnitere, ne opinio hæc nos fallat; & peregrinatio tibi ſit, quod debet, morũ & vitæ formatio ac magiſtra. Inprimis autem, mi Baroni, modeſtiam retine, & ad te ſubinde, inter vana aut vaga illa redi. Sicut currus in præcipiti aut decliui fune retinentur, & ſe ſiſtunt: ſic animus debet, vbi quæ allubeſcunt aut innitant. Talis Italia erit, ô pulcherrima & cultiſſima terrarũ! ſed Sirenas & Circas etiam illic cogita, & eſſe quæ videas, ſed & vites. Plura à me audiſti, aut & in meis legiſti: non itero. fiduciam in ipſo te habeo, quem Natura ad Virtutem & Modeſtiã genuit: ne degenera, & ipſum te ac nos audi. Ecce litteras ad noſtros illos, quibuſcũ viuere te iuuet atque expediat: aliud ſi in re tuâ poſſim, pete, & factum puta. nam ſeriò te amo. Louanij, III. Non. Octob. ∞.IↃCII. Deum ductorem & tutorem tibi precor imo corde. Scribe de viâ, ſi vacat, & cum illic eris: non deero reſpondere, & conſiliari atque auxiliari, ſi opus.

TESTIMONIVM.

EXTEROS *& non plenè & certè notos tralaticia humanitas noſtra commendat: quomodo non iſtos, qui è domo, diſciplinâ, & velut ſinu noſtro prodierunt? In ijs eſt* IO. BAPTISTA BARONIVS, *vir. nobilis, ingenio & moribus laudatiſſimus, & cui ego vel liberos meos (ſi*

Deus

Deus dediſſet) ſimiles eße exoptem. Quadriennium circiter apud me egit, ad aliena loca ut viſendi diſcendíque gratiá: comitor eum beniuolentiá, & hac etiam commendatiunculâ apud amicos. Videte & excipite libentes, obſecro, vel meâ cauſsá: paria fecero in re ſimili aut aliá, ſic iuſtè & honeſtè rogatus. Teſtor & ſigno

Louan. III. *Non.* Iuſtus Lipſius Profeſſor, &
Oct. ∞.IↃCII. Hiſtoriographus Regius.

EPIST. XXXVIII. *Bononiam.*

PHILIPPO RVBENIO *ſuo* S. D.

ANTE dies octo ſcripſi, itero in occaſione, quia Baronius noſter ad vos abit. O quàm libens, tam libentes illum vos videre, & ſuſcipite: quod eius & meâ cauſsâ confido facturos. Velit contubernio etiam vobiſcum iungi, & pater cupit: poteſtis, donec Roma vos alteri ſubdit. Facite, me petente. Adoleſcentem noſti, commodum & comem. De patriâ ille dicet, aut fama iam dixit. O res triſtes! * κεῖται Πάτροκλος. Medicina tamen illinc exſpectatur, an non ſera: Comitem Fontanum venturum muſſant, noſtros abituros: ſed adhuc muſſant. Interea hoſtis Grauiâ potitus, Buſcoducis imminere dicebatur, ſolitariæ iam & pænè deſertæ. Pars exercitus in ſeditionem (ſollemni iam more) lapſa, ferrum & ignem nobis minatur. Hoſtes iudicati ſunt decreto Principum: nondum vindicati. Vndique nobis terror: quem pellere Philoſophiæ præceptis conor, & Senecam ad Heluiam matrem (de Exſilio eſt) publicè eo lectum. Ire triſtia. in priuatis iidem ſumus. Lucio illi Apuleiano reſpondimus, vidiſſe poteſtis. Alia vix cogito, ſubduci tempus eſt & viuere nobis ac mori. Louanij, III. Nonas Octobr. ∞.IↃCII.

* *Iacet Patroclus.*

Hæc ſcripta etiam D. Præpoſito ſunto, ad quem ego nuper vbertimè: ſalutere nunc opto.

EPIST. XXXIX. *Lugd. Bat.*

FRANCISCO RAPHELENGIO *ſuo* S. D.

EXCVSARE te ſilentium tuum mi Raphelengi video, an & probare? An ipſi tibi, non dicam mihi? Ab affectu hæc querela eſt: & niſi ille eſſet, non requirerem affatus iſtos litterarios, qui me fatigant, nec ſinunt iuris aut quietis meæ eſſe. Sed amo te iam olim: & quia hoc, curo: & vtrumque, deſiderium excitat audiendi de abſente & ſciendi. Sed mitto prærerita, & dono: excuſa vnâ te, vt emendes. Epiſtola quidem hæc tua copioſa, & ante oculos mihi poſuit peregrinationes tuas omnes, & pleraſque actionum. Quid ſecurus ſis, video: otium & quietem, quâ ingenuæ mentes capiuntur, internâ tamen ſemper aliquâ actione & motu. Fratris mors reuocauit: id eſt Deus. pare, & fatis obſequere, & perſonam ſuſtine quam impoſuerunt. Deſerere te hoc munus, ab auo iam tranſmiſſum, mihi non placeat: niſi nimis ſapere tibi placeat, & ideò non ſapere, quia nimis. Vbique locorum quies eſſe animo deſtinato poteſt, in Baiis medijs, in Alexandriâ, aut Româ: & ſemper ab externis ad ſe redire fas, qui illa non æſtimat, & hæc amat. Ego munus meũ in publico fungor, colloquia varia & vana etiam habeo: vna ambulatiuncula in horto aut mœnibus me mihi reddit, & in Elyſiis campis, id eſt tranquillitate, reponit. Qui locis iſta alligat, fallitur: etſi eligere mallem, ſi copia eſſet: ſed mores, opes, fata prohibent: & ijs obſequi igitur, ſapientia eſt, & cogitare ſe hominem non Deum eſſe. Ipſi Genij munia ſua & leges habent, nec errant liberè aut oriantur, ſiue operantur. Sed de peregrinatione. iudicia tua ſcribis ſuper Italiâ, Germaniâ, ô mihi proba! Omnino ita eſt. conueniunt in illo genere, qualitate aliâ differunt quam exponis. Pauci hæc ita iudicent: tu macte. Sed & Belgicam noſtram quòd ante oras omnes terraſque Europæ ponis; nec aberras. illa ſuperat, ſi homines, induſtriam, comitatem, mores, bona terræ nata aut inuecta reſpicis: ſuperat, inquam, nec Europæ ſolùm tractus, ſed orbis vniuerſi. Vnam Sinarum ditionem excipio: ſi vera, quæ de ea famâ feruntur. Scite iam poteſtis, quia veſtri, ſtrenuâ & felici temeritate, ad ea quoque loca, vt audimus, equis ligneis vehuntur. Vtinam pax modò hanc noſtram reſpiciat! quod vix iam vouemus, adeò non ſperamus. Alioqui huc te vocem, & viuere & mori in genitali tuo ſolo, in oculis noſtris, aut non longinquum, velim. Vide, & ſuſtine etiam: ſi fortaſſe Deus, præter ſpem aut ſpeciem, aliquid miſertus noſtri dotet. Nam mihi crede, in electione cuiuſcumque loci diſcrimen eſt: aut inibi, aut à re, aliquid mali turbæque erit: exemplum à Plotino Platonico cape. Ille vir ſapientiâ inclytus, eius & quietis ſuæ ſtudio, Romam reliquit, Campaniam elegit, aëre, copiâ,

fru-

fructibus,delicijs celebrem : & vbi pax immora (illo quidem æuo) & nec metus belli erat. Iuit,inſedit:quid factum? Conſilia humana Fatum vicit, morbus totum corpus inuaſit,membra & nerui riguerunt,oculorum orbes caligarunt,& putre denique corpus ſanguinis corrupti vitio contabuit. Vbi es humana prouidentia,aut electio? Vides, mi Raphelengi,hominem humana vbique pati: locum non excipere,ſed animum vincere. quem fas ſemper exerere, & quietum ac modeſtum ſine peruicaciâ aut arrogantiâ ſapere : quod facere te hortor, & pro amore in te rogo. Itaque de domo aut alijs, nihil feſtinare ſuadeam: maturè & circumſpectè omnia. quia, vt ille ait,

* haud tuta celeris eſt prudentia.

* —— Φρονεῖν μὲν οἱ ταχεῖς, οὐκ ἀσφαλεῖς.

Vale mi Raphelengi,cum fratre Iuſto,& ſorore. Louanij,xi Kal. Nouembr. ∞.IↃCII. De Pollione noſtro,triſte quod nuntias. De morbo audieram, à te de morte Singulariter amaui : ſed quid eſt ? decuriam amicorum hoc anno amiſi, ſiue præmiſi. nam & ego ſum in curſu.

EPIST. XL. *Bruxellam.*

GVILIELMO GREVIO *Nepoti ſuo ex ſorore S. optat.*

ACCEPI primas tuas litteras,quibus oſtendis aliquid in ſtudijs doctrinæ te promouiſſe. Pro ætate, non queror: induſtriam adiungi velim & incitarũ animum, qui ad optatam nobis metam te ſiſtat. Quid metam? ſemper hic in viâ ſumus, & nulla ætas, nullum ingenium, ad vltima Scientiæ aut Sapientiæ perducet. In Deo hæc perfectio : ſed nos nempe imago eius ſumus, & ideò conniti pro captu & viribus debemus accedere proximè,& referre illum in nobis ac circumferre. Nam in exemplum nati ſumus, atque etiam auxilium : iuuare nos, tum alios, & æſtimare vnius corporis membra eſſe. Magnus hic orbis eſt: ſed vna ciuitas. conſpiremus in mutuos vſus, & ad hanc remâ pueritiâ aptemur. Tua nunc hæc ætas eſt: in palæſtrâ es ad diſcendum & exercendum : excitare ô meus ſanguis, & me quoque ad inſtar aliquod propone. Vides tot annos non mihi vixiſſe? laboraſſe & operatum eſſe reip. voce aut ſcriptis? Sequere. atque vtinam diem videam, quo ſpes alluceat te per hæc & illa veterum veſtigia iturum : mea, & pænè me, impendam, vt apparatum & inſtrumenta habeas,id eſt libros & doctores. Etſi de doctore,iam curauimus: habes virum præter vulgus doctum,& tui amantem: audi,ſequere, obſequere,magis quàm ipſos quibus vitam debes. Nam naſci vulgare eſt: benè inſtitui, altera vita eſt, & quæ ad Æternam illam ducit. Vota apud te DEVS OPTIME MAXIME concipio, vt quoniam me prolis exſortem voluiſti, hunc è Sorore (nimis olim carâ) nepotem ad veræ doctrinæ & virtutis ſtudia ire patiaris, aut potiùs impellas : nobis ſolarium & gaudium,tibi gloriam, alijs lumen & exemplar. Fiat, & tu contende,aut iamnunc abdico te & ſepono. Louanij, prid. Non. Nouembr. ∞.IↃCII.

EPIST. XLI. *Francofurtum.*

MARQVARDO FREHERO *Iᵃᵒ.*

MELLI mihi fuit,ex interuallo regustare tuum amorem. Corâm feceram, cùm Francofurtum me ſors duxiſſet, etiam mox per litteras: abiunctio deinde longior, & meæ an tuæ occupationes interpellarũt. Si vis,illuc redeamus , & exſerat ſe amor qui in pectore hæret , & ab eo numquam exſulauit. Tua intereà vidi, & in ijs te redamaui: præſertim illa Hiſtorica,quæ blattis & tineis tu inuidiſti, & è ſitu eruta illuſtraſti. Vtile opus, magis quàm hæc recentia,& turbida quædam velut muſta,paſſim nobis à crudis ſtudiorum ingenijs propinata. Ad metam litteræ properant, & nimia fæcunditas iſta vires exhaurit, ſi luſtrum etiam vnum alterumque manet,Conſtantij SAPHYRVM iamnunc luſtraui,nec de gemmâ aut ſculpturâ ſcio, te in eâ artificem & variè cælatorem agnoſco. Benè, quòd noſtro VELSERO inſcripſeris : & cui amanti magis aut intellegenti? Vir magnus eſt,vel maximis comparatus; & Boïca eius iam vidi, nondum legi. Nos neſcioquid philoſophamur, quò ætas & Genius ipſe meus vocant: nec ſcio an alijs, ſed nobis (ô quàm decorè aut vtiliter per hæc tempora!) philoſophamur. Te amamus, & amaturi ſumus, melioris animi & iudicij virum: tuam etiam MARGARIM, tuâ ; Vrenhouij, eius cauſsâ. Talis illa mulierum non mereatur? diſſuaſor: ſed caſtè,

—— fuge ſuſpicari
Cuius octauum trepidauit ætas
Claudere luſtrum.

Louanij, poſtrid. Non. Nouem. ∞.IↃCII.

EPIST.

EPIST. XLII. *Antuerpiam.*

HERIBERTO ROSWEYDO *Soc. Ieſu.*

LEGI tuas, & quæ è Batauis adiunctæ. Ad has in tempore reſpõdebo: nec enim eſt quod properari poſcat: & ipſe ſcriptor mihi notus, non quidem ab illâ primariâ notâ, & amicitiæ teſſerâ, id eſt Pietate. De Oratiunculâ illâ meo nomine vulgatâ, quid miri eſt? ſi e luber ludere, imò non ludere ſed rem facere, Typographis dico. Eorum inſtinctu, & malitiâ deinde ſe præbente, præclari iſti fœtus oriuntur: quorum illum nuperum quàm in ipſo pænè partu exſtinxerim, Epiſtola mea ad Senatum Francofurtenſem, iam publicata, dicit. Simile in iſto, inquies. Non faciam, quis finis ſit? magis prouocem his oppoſitionibus: nec meum eſt, ſed Principum, his falſimonijs mederi. Gladio aliquo iuſtitiæ reſcindenda iſta, igne Decreti abolenda erant. Viderint, qui habenas tenent: ego per iſta non deterior, ne turpior quidem apud eos, qui ſanâ mente ſunt, nec nobis iniquâ. Aliorum ſcabies facilè ſuſcitatur his frictionibus, fateor: pruriant, garriant, me pauſarium non habebunt. Sed de Oratiunculâ illâ, ſcito etiam non nouum eſſe, eſt ipſa, quæ ante decem annos publicata, à me reſutata aut reiecta publicè in ijs De Cruce, AD LECTOREM. Vale V.R. & P. Rectori exanimo à me ſalutem. Louanij, poſtrid. Non. Nouembr. ∞. IↃCII.

EPIST. XLIII. *Brugas.*

ANTONIO RICHARDOTO *ſuo* S. D.

EPISTOLAM pro te vidi, & ſcito me doluiſſe. Nam auidè te exſpectabam, iamdiu non viſum, & in animo tamen geſtatum: atque ita me Deus ille in ſuperis locis, vt ego te hîc conſpici cupiebam. Cauſſæ tamen dilati aduentus (non enim omiſſi) quia iuſtæ videntur, querelam deſino: & gratulationem potiùs nuptijs amatæ ſororis tuæ ſubiungo. Deus velit eas lætas fauſtaſque nunc & in poſterum eſſe, & proles etiam, familiæ veſtræ fulcra. Floret ea, & cęleſti quodã fauore adſurgit: ſit longùm, & vos quoque pergite mereri. Apud me non es, ſed meus etiamnunc es: itaque euro, & monita mea interuenient, ſpero, ſemper grata. Ab animo certè meo debent. Vidiſti Italiam & oras exteras, multa in fronrem pulchra & ſplendentia: redi idemtidem ad vera & interna bona, atque ijs te exorna. Aula te nunc habebit, aut habet: aula: id eſt, quantumuis compoſita, in quâ vana & ſplendentia multa ſint, ſed fallacia, & fuco quodam circumlita, introrſus vacua aut praua. Noſce, & te excerpe, & vera ac ſolida illa affecta. O quàm me, magiſte, iuuet, ſi Senecam interdum legas ſeriò & ſcrutêre! Quàm ille te firmet contra lapſus, & res omnes pretijs ſuis doceat æſtimare? Scio in hac ætate non omnia talia guſtum habere: ſed te volo eſſe eximium, & à meâ diſciplinâ profectum, incedere velut exemplum. Bella eſt elegantia, & comitas iſta morum: quis neſcit aut negat? ſed Sapientia ſi adiungitur, & eius mater aut proles Modeſtia, quantum decus accedit? ſic vt auro, à gemmâ. Satis. audi & ama iſta, ac me tui peramantem. Louanij, XVI. Kal. Decembr. ∞. IↃCII.

EPIST. XLIV. *Mechliniam.*

NICOLAO OVDARTO *ſemper ſuo* S. D.

MIRATVM me in lectione litterarum tuarum dicam? licet. Iratum? non licet: & tamen pænè debui, in opinione de me, tam alienâ à me, & quæ in ſomnio caput hoc numquam inuaſit. Ego migrem? ego Leodieum? Nam quâ cauſsâ? Res turbidę ſunt, ſcio: niſi mutamur, deteriores etiam futuræ: quid tamen ad me eximiè, vt ante alios, & præter alios, de abitione cogitem, id eſt fugâ? Ego verò à vitâ potiùs, quàm vt ſic ab honeſto, & illâ CONSTANTIA, quam ſtilo illuſtraui, & factis non obſcurabo. Heus tu, quiſquis tibi auctor (bonâ veniâ etiam illius, quem revereri me ſcis) à vano ſumpſit, aut à ſe pænè dicam, ſumpſit. Nihil rei, nihil ſermonis, nihil cogitationis. Poſſum me purgare planiùs? Vnum hoc nunc tamen habe. Si res prorſum ad vltima, id eſt ad incitas eant, libenter me Leodieum ſedem refugij lecturum, vrbem Deo & religioni iamolim amicam, in me pronam, &, quod inuitet, viris aliquot egregijs prudentiâ & doctrinâ inſeſſam. Habes de iſtâ re, & quidem Sibyllæ dictis veriora. De publicâ, piget ſcribere, an & pudet? Vbi conſilia? vbi vel vmbra prudentiæ, in re præſertim militari? Ridentur vetera, & nos eorum amantes: ſed ij qui amplectuntur, quàm nos rideant, & verberent etiam, vides. Audi iterùm aliquid, quaſi à Sibyllâ

aut

aut Marcio. Quamdiu in nouis iſtis, id eſt vilibus & prauis manemus, melior & altior Fortuna nos deſpiciet, nec Victoria alas ſuas huc vertet. Vrgebunt illi, *accipiter velut molles columbas*. Omitto non læta: cum Pantino ſentio, nec ſentio: remedio locus eſt, ſi morbum agnoſcit æger. Si non, Belgica per me eſto

Victima nil miſerantis Orci.

Vale mi optime, & conſtantem me inter omnes fluctus (ita videbis) conſtanter ama. Louanij, XIII. Kal. Octobr. ∞.IↃCII.

EPIST. XLV. *Antuerpiam.*

IOANNI WOVERIO *ſuo* S. D.

VENISTI? mihi nondum, niſi videro. Ades, amplectar te & teneã, & animos ac ſermones vnà miſceamus. Quãdo facis? anni mihi, dies: magis quàm pupillis iſtis

—— *quos arcta premit cuſtodia matrum.*

Gaudeo Italiam, Hiſpaniam, Galliam, denique & Batauiam vidiſſe: in hac vltimâ illum quem amo. Et amari te ab eo nuntias, volenti & credenti. Sed iſta & alia coràm: reperies me capite ſemicanum, aut certè mento: animo fortem, corpuſculo, vt ſoleo, id eſt Auguſti verbo *betizantem*. Veni, veni, refice hoc, & illum auge: quod rogare me dicam, an iubere? Vtrumque, neque vindictâ etiam te manumiſi. Domum meam noſti: caue in aliam, & hocquoque ego ac mea (noſti illam Iunonem?ne offende) iubemus. Louanij, poſtrid. Kal. xbris. ∞.IↃCII.

EPIST. XLVI. *Harlemum.*

GERARDO BVYTEWECHIO S. D.

LAETVM auditu de tuâ prole, mihi qui amicus ſim; quid tibi qui pater? Euge! hæc creſcat, viuat; & aliam, ac melioris quidẽ ſexus, Deus ille communis omnium parens donet. Ecce fructum & gaudia coniugij mi Buytewechi: ſed & curas ſuas trahent, & habe iſtam vt vſu, non mancipio d iram, ſi ſapis. Homo hominem genuiſti. EPISTOLAS meas non diſplicere illic, hoc ſatis eſt: probari omnia, ægrè id mihi probes, in iſto æuo, & diſſentiente plurifarìam ſenſu. Sed ſatis, non carpi: & ſi faciant, quid ad me? Animum & me bonum fuiſſe cùm ſcripſi, hoc ſcio: & ſuis quæque temporibus aut hominibus aptaſſe. quod vnum in Epiſtolâ arbitror requiri, à prudẽte quidem & æquo cenſore. Alij abeant, valeant, vapulent vel cum LVCIO noſtro. Sed heus, vos nunc nónne feroces? omnia rident, terrâ, mari: vtinam nos vnà, & vetus illud corpus iterùm ſimus. Io. Wouerius valdè mihi amatus iuuenis te quæſiuit Lugduni noſtræ, non repperit: exſpecto reducem, & is quoque (ne neſcias) ædes meas inſedit. Fructum rettulit, virtuti amicus, vanitati extraneus, & qui rectâ viâ ad Sapientiæ ædem tendit. Vellem vidiſſes. At Nic. Micaultium noſtrum nec vltrà videbis, qui abijt

Illuc, vnde negant redire quemquam.

In flore æui fuiſſe ſcis, in viâ ad honores, & merebatur: Deo viſum eripere, & apud ſe (ita ſperare Pietas eius iubet) habere. Nos trahimus animam, & ani[illegible] etiam ſtamus; corpuſculo languidi, nec de firmitate aut diuturnitate eius ſponderes. Sed hæc quidem, non dicam cura, vix cogitatio me vltrà habet: ſto ſuccinctus, & cùm innuerit ille Imperator, viam carpo. Sandelinus ille noſter nuperrimè apud me fuit: ô ſi tu vnà! ſed libèns vidi, & in eo Batauiam, ſemper mihi caram reguſtaui. Valere te cupio mi Buytewechi, quod ex te eſt, ex quâ eſt, ex quibus tu & illa eſtis. Louanij, poſtrid. Kal. xbres, ∞.IↃCII.

EPIST. XLVII. *Bruxellam.*

REMACLO ROBERTI S. D.

MALE & per errorem hoc conſul Grauienſis, quòd binas ad te dediſſem. ego verò nullas, neq; occaſio fuit: & abeunti ſalutem ad te ferendam mandaueram, & ſiquid haberes de republicâ vti ſignificares. Feciſti in his litteris: atque vtinam lætiora fas nuntiare! Hoſtes abierunt è prouinciâ ſpoliatâ aut vaſtatâ, cum prædâ & famâ: nos quid? ſumus qui fuimus, id eſt tardi, frigidi, & quæ nec ad te ſtilo committam. In animo iſto dolet, qui video fundamenta ſtatus huius labi aut ruere: in promptu tamen remedijs, ſi conſilia alia eſſent. Sed omitto: ego ſeriò mecum philoſophor, nec meditatione ſolùm, ſed ſtilo. Per vetera Sapientiæ præcepta eo, & animum ijs ad virtutem & robur firmo. Reuerà etiam, cùm altiùs mentis oculos ſuſtuli, quid aut quantula hæc Belgica noſtra eſt? cultiſſima terrarum fateor, quas ſol videt: ſed terra, ſed regiuncula, & non dicam cum Vniuerſo, ſed cum Terrâ ipſâ comparata, portiuncula exigua & velut punctum. Quot tu mutationes,

tiones, clades, cædes, in noto & ignoto orbe cottidie committi cenſes? Vulgaris ea mens non attendit: quæ in ſe non abit, nec ſcit Mundum hunc ciuitatẽ ſibi eſſe. Mihi eſt, & amplector, & curo: ac ſi mala fata hanc partem premunt aut perdunt, multum ſoli ſupereſt quod colam, & vbi tolerem hoc quidquid reliquum eſt vitę. Queri aut angi, ſtultum eſt: ſpecto, exſpecto, & Deum ſequor. Is te mi amice, tuam & tuos ſeruet, & mutuum inter nos amorem. Louanij, poſtrid. Non. Decembres, ∞.IↃCII.

EPIST. XLVIII. *Antuerpiam.*

MARCO ANTONIO PEREZIO V. N.

ADMIRATIO ſimul & dolor me inuaſerũt, cùm de inopinato obitu ſoceri tui, & amici noſtri, intellexi. Heu, quid homines ſumus? quàm fragilis materia, vt leui caſu rumpenda? Profectò exempla iſta cùm è proximo incurrunt & nos feriunt, meritò animum ad conditionem & cognitionem ſui aduocent, & quàm totum hoc viuere lubricum ſit, breue, nihil. Annus iſte vnus in domo tua funera duo habuit: quis ſcit an ante exitum non etiam habebit? Voueo, ſed non ſpondeo: & omnibus euenire, quod illis, poteſt: cogitemus, & in iſta armemur. Vnde? à conſtantiâ, id eſt à Deo, cuius ſupremæ voluntati noſtram hanc ſubiungi par eſt, & æquis oculis animiſque ſpectare, quidquid iuſſit. Imò & ſubire quidquid iuſſit: non aliter quàm cælum, ſtellæ, aër, maria, & omnia illa magna opera parent conditori. Cleanthis illi verſus, pro verâ & Chriſtianâ ſapientiâ ſunt ſcripti:

Duc me parens, celſique dominator poli,
Quocumque lubitum: nulla parendi eſt mora.
Adſum impiger: fac nolle, comitabor gemens.

Hoc faciendum cùm alijs, tum tibi Vir nobilis, qui inter huius æquanimitatis & conſtantiæ exempla, in familiâ Patrui tui es eductus. Vis aliquid illuſtrius? ille vir mihi ſemper viſus verum Philoſophum agere, & vitâ, non ſermonibus, exprimere eum atque referre. Obſecro te, in hoc triſti caſu oculos mentis nunc eò flecte: & poſt Deum, robur ab illo etiam ſume. Fateor cum incommodo familiæ ereptum vobis hoc fulcrum, & prudentia eius vario vſui domi foriſque etiam eſſe poterat: quid tamen eſt? nónne ſupremus ille pater & rector etiam viuit, & curam tutelamque ſuorum gerit? facit & faciet: magis, ſi in illum ſpem & cogitationes tuas mittes. Iam vos ipſi eò æui & experientiæ veniſtis, vt per vos ſapere, regere, & per veſtigia maiorum virtutem colere, rem non negligere, poſſitis. Itaque minore dolore hoc ferendũ, quod nunc ablatus ille director eſt, cùm operam eius neque ætas, neque prudentia veſtra, nimis requirebat. Vnus eſt Baronius meus, cui immaturus perijſſe videri poteſt: ſed nec poteſt, quia ſcio te in locum eius vicemque venturum. Duo nomina, Fratris & Patris, ſimul ſuſtinebis: atque vt facias, amanter te rogo. Etiam illud, vt tu atque vxor optima animum erigatis, & ſolatium non à ratione ſolùm, ſed à liberis etiam veſtris capiatis: quos Deus plures dedit. formate & dirigite in eius gloriam, & veſtrum & familiæ gaudium atque honorem. Ita ſit, & eidem Deus illos vobis, vos illis longùm ſeruet. Vale Vir Nobilis & Clariſſ. Louanij, vi. Idus Decembr. ∞.IↃCII.

EPIST. XLIX. *Bononiam.*

IOANNI BAPTISTAE BARONIO *ſuo* S. D.

INOPINATA multa homini, & ſępè triſtia: in te diſce. Parens, heu, tuus vltimùm tibi viſus abijt: & ſubitò abijt, dolore & admiratione nobis relictâ. Etſi iſtâ quidem vix mihi. ſcio enim Parcam adſiduè ſuper caput ſtare, & ictu aliquo percellere nec exſpectato. Sicut in aquâ piſces ludunt, in aëre aues volitant, ſecurę inſidiantium: at illos hamus adducit, iſtas rete inuoluit: ſic fit nobis, & aliquem è magno grege adſiduè venatur & capit pallens hæc Diua. Solare te à communi lege, ad quam aptari non Sapiẽtia ſolùm ſuadet, ſed Neceſſitas cogit. Si æquanimus fers, ſimplex dolor eſt: ſi aliter, alter. Bononiæ te nunc eſſe, ſperamus: ſi es, fruere optimo illo veteris tui contubernij conſortio, & dolorem alloquijs etiam illis mitiga aut merge. Rubenium ama & adhære: bono tibi erit, hoc mihi crede. Ceterùm amiſſo hoc fulcro, non diu peregrinari aut animo indulgere ego ſuadeam: veni, tua cogita & cura: ſed & de Tuâ aliquâ cogita, ſi animus & amici ita ſuadebunt. Certè in Italiâ deſiderare te nolim, etiam illâ inſidiatrice aliquâ: per Germaniam redi, & hanc obiter luſtra. Iſta mihi nunc viſa: ſed ſic vt te audiam, ſiquid melius inijcis: tu Rationem ſemper, & cum illâ tuos. Louanij, v. Idus Decemb. ∞.IↃCII.

EPIST. L. *Montes.*

IOANNI BVISSONIO *Conſiliario & Syndico Ordinum Hannoniæ.*

EPISTOLA tua ſubita & inopinata ad me venit, ſed, Fidem teſtor, grata. An non à te eſſet, quem animi tacito iudicio & ſenſu iamdiu æſtimaui, & addam amaui? Bona & certa de te Fama hoc fecit: nec niſi opinio Virtutis tuæ affectum illum mouit, nunc augendum & aſſerendum à tam amicâ tuâ ſcriptione. Quàm volupe mihi eſt acceſſiſſe: vel eo fine, vt incluſum illum meum aperirem, ſine occaſione non reuelandum. Vt pyrites gemma ignem in ſe habet, ſed non niſi attritu exſerit: ſic in me, habui amorem, ſed tacitum, litteris tuis nunc eductum. Non fallam te vir optime: qualem vel epiſtola hæc mihi adfirmat: non, inquã, fallam, & te, Virtutis ac Doctrinæ ſacerdotem, eum vtraque illâ ſeriò & fortiter amabo. O vtinam in miſerâ patriâ multi hoc ingenio, & habitu ſint!

—— *quis pudor, & Iuſtitiæ ſoror*
Incorrupta Fides!

Quàm plerique vela gratiæ, commodo, deterioribus affectibus pandant, ſcio te mecum videre, & dolere. Belgicum ingenium è Belgicâ migrat, & Felicitas etiam illa vetus vnà migrat, fortaſſe non niſi votis reuocanda. Sed à te, id eſt à te non abeo: animo animum tuũ amplector, & *Dexterâ* hac fidem *Sanctæ amicitiæ* conſigno: nouam, ſed vt ille air, animis deinceps non annis æſtimandam. Ita eſto. & Fides iterùm aduocata *Epiſtolam* claudat, quæ cœpit. Louanij, XVII. Kal. Ianuar. ∞.IↃCII.

EPIST. LI. *Bruxellam.*

HENRICO VAN ETTEN, *Præſidi Ærarij Brabantici.*

QVEM hîc vides, virum eruditum & in Theologiâ acrem, cauſſam ſcriptioni meæ præbuit: voluitque commendari in re, quam ipſe dicet. Rogo audias, & ſi æqua aut publicè profutura (neque enim aliter) exponet; togo & audientiam & fauentiam ei accommodes. De inualetudine tuâ nuper aliquid, ſed obſcurè & per nebulam audiui: credo podagram fuiſſe, atque vtinam fuiſſe. Reliqua in te integra: ætas, corpus, animus (quod caput eſt:) & hic præcipuè nobis colendus. Quò magis adoleſcimus, id eſt maturescimus, videmus nihil in homine, præter interiorem illam partem, colendum: & reliqua adiuncta, vt verè & fortiter dicam, nugas & ſomnos eſſe. Quid ſi nec eſſe? ſolum illud æternum EST; & nos cùm ei accedemus, & conabimur Virtute aſſimilari. Illa æterna, & in parte noſtri æterna: quò eo? Exorbito? vix apud te, quem ſcio & meditationum, & lectionum, & ſermonum talium eſſe. Quid tuus Filius nunc in Galliâ? ibi hæret, an reuocas? Ipſe quoque matureſcit, & admoueri reip. (vtinam tranquilliori!) vtiliter poteſt. Faueo illi, te Nobilis & Clariſſ. Domine æſtimo atque amo: deberi mihi alterum vtroque nomine puto. Louanij, XVII. Kal. Ianuar. ∞.IↃCII.

EPIST. LII. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO S. D.

HISTORIAM BOÏCAM tuam vidi, etſi non te mittente. Hoc culpo leuiter, illam toto pectore & ore laudo. O dignum priſcâ gloriâ gentis ſcriptum! dignum optimis his Principibus! dignum & te mi Velſere. Exemplum præiuiſti hodie ad id genus ſcripti: quod iacuiſſe à mille ampliùs annis boni arbitri fateri debemus, vtinam per te excitandum! Sed præiuiſti, iudicio, induſtriâ, ſtilo. Vna Præfatio tua de opere præiudicat, plena prudentiæ, & decoræ grauitatis. Hæc ego amicus, ſed non vt amicus: boni peritique iudices omnes dicent, quos in hoc æuo optem tibi magis, quàm præſtem. Quòd autem meum breuiter nomen inſerueris, pluris æſtimo, quàm ſi ab alio, & alibi diffuſam laudem. Gratiam tamen an dicam, ambigo. ſi enim à iudicio tuo eſt, debuiſti: ſi ab affectu, ego debeo. Vtcumque, amo te amantem, etiam nec amantem. ea eſt tua Virtus. Louanij, poſtrid. Natalis Chriſtiani, ∞.IↃCII.

EPIST. LIII. *Coloniam.*

GODEFRIDO HERTELIO S. D.

LITTERAS tuæ tardè mihi delatæ, etſi vix haud magno interuallo. Vide autem an non prompte reſpondeam, iamnunc vt eas legi. Amo enim vos tales, mi Herteli, bonâ & erectâ indole, ad bona & recta euntes. Itaque & coràm vel iuuare voce & lectionibus ſoleo, vel animo fauere certè, & monitione etiam, vbi locus, excitare. Idem lit-

litteris, ſed breuiter facio. Vidiſti viam, quâ ad Honorem & Virtutem catur? inſiſte obſecro, nec praua aut plebeia iudicia diuertant: quæ nimis hodie ad vanitatem aut leuitatem inclinant. Eadem ad ſuperbiam & confidentiam: cui nullum fulcrum aut fulmentum, niſi ab inſcitiâ eſt, & deſtinato optimorum contemptu. Quàm te iuuabit grandiorem, & æui iudicijque maturiorem, ſolidiora hæc amplexum eſſe? fruges, non flores captaſſe tantùm? Facere te hortor toto animo, & eodem anno: quod etiam hoc *Teſtimonio*, vti cupiebas, expreſſi. Louanij, v. Idus Ianuar. ∞.IↃCIII.

QVI HAEC LEGERIS,
SALVTEM ET OFFICIA MEA DEFERO.

INTER *exteros, qui in hac ſtudiorum ſede egerunt*, GODEFRIDVS HERTELIVS, *gente Germanus, fuit, commendatus mihi ab Illmo Viro Matthæo VVackhero, ſed qui ipſius ſe vitâ & moribus magis deinde commendauit. Vixit enim hic circiter triennium modeſtè quod ad vitam, induſtriè quod ad ſtudia: & vtrobique vel bonam vel excitatam indolem ingeniumque oſtendit. Iuris ſtudia ſcopum habuit, adiumenta & directionem etiam litteras: atque his cauſſis honorem inter conſortes ſtudiorum aſſecutus, Collegio ſtudioſorum Iuris præfuit* Decani *titulo ornatus. Ab his initiis ad altiora progreſſurum, ſpes & votum noſtrum eſt: fauor modò bonorum adiuuet. quem impetratum ei cupimus, atque vtinam aliquid faciat gratia noſtra! Rogamus, & ſaluere vos iubemus, qui hæc legiſtis. Louanij, VI. Idus Ianuar. anni* ∞.IↃCIII.

Iuſtus Lipſius, Profeſſor, &
Hiſtoriographus Regius.

EPIST. LIV. *Mediolanum.*

ERYCIO PVTEANO *ſuo.*

VIDI, vidi Septalij noſtri ad Ariſtotelem, ô gratum mihi & æſtimatum opus! Fateor amaſſe virum, in te & me amicum: ſed nunc pernouiſſe, qualem prædicabas. Fruere illo, me inuidente: cui hoc mali fati eſt, non habere conſortem ſtudiorum aut ſenſuum meorum, & ſolitarium pergere hanc viam. *Stoïca Philoſophia* valdè nunc exercet, quam Senecæ illuſtrando præmitto, & ſeorſim edo. Alio æuo bona hæc fore, opinor aut ſcio: quid iſto, quod in dies magis (apud nos quidem) ab omni Honeſto abit, neſcio: & periclitabor tamen, & Bona docebo atque ingeri, etſi non alio quàm conſcientiæ huius fructu. Ill^mum Borromæum ſic in me eſſe, intra me gaudeo, & laudibus de illo tuis applaudo. Sed tu Romam? excurſus opinor cauſsâ, nec manſionem te cogitare. I & redi, vbiubi ſemper meus. Louanij, XVI. Kal. Febr. ∞.IↃCIII. S. D. Audeiantius tuus.

EPIST. LV. *Antuerpiam.*

GEORGIO VWENO S. D.

PRAETER opinionẽ Antuerpiæ manes, non præter animum meum, qui hoc probat, & conſilio ſtatuiſſe parentem tuum cenſet. Ætas tua iam matureſcit, ingenium adeſt; forma iudicium apud illum, quo meliorem directorem nec votis optes. Cùm feceris, & in viâ rectâ fueris ſtudij præſertim, cui mancipatis, Legalis: age, ad nos redi, & reliquum illum curſum decurre, cum tuo & reip. bono. Nam & hanc in oculis tibi eſſe cupio, & ciuem te adflictæ Belgicæ cogitare. Habes & in contubernio patris cognatum Bylium, bonum adiutorem, & honeſtis omnibus artibus iamdiu tinctum. Ab hoc quoque hauri & diſce: atque vt poſſis, Modeſtiam retine (habere enim mihi adhuc viſus) nec opinio vlla te inflet, peſtis omnis profectus. Sicut in Iberiâ equas à vento Fauonio concipere aiunt, ſed cuanido fœtu: ſic in iſtâ re fit, & qui ab Opinione blandiente grauidi, ſerium nihil pariunt, tumidi tantùm vtres. Audi me, & ama Louanij, XVI. Kal. Febr. ∞. IↃCIII.

Ciceronem te non deponere, hortor, & ſtilum interdum ad eum conformare. Parenti ſcribere nũc prohibeor: breuî faciam. Saluta hunc, & illam: atque vnà Robianum & Schottium, ex animo.

EPIST. LVI. *Mediolanum.*

LVDOVICO SEPTALIO V. C. S. D.

O NVNC denique Septalium mihi notum! ô virum in animo iſto magnum, & probum! ô mihi etiam amicum! Nam hæc omnia Commentarij tui me docuerunt, nunc denique inſpecti, etſi nondum te mittente. Sed vidi, & mediusfidius digna omnia ſummo illo viro, cui lucem præfers, & Philoſophiæ ſimul ac Medicinæ, cuius vtriuſque multa pars & arcana in libris ijs tractatur, & Septalio interprete egebat: id eſt vtriuſque illius perito, & Philologiæ

ſimul: quam decorè & vtiliter his quoque iuiſti intermixtum. Itaque eruditum & elegans ſimul opus eſt; & quiſquis in hoc Senatu noſtro talis eſt, iudicio meo *conſciſcet conſentietque*. Macte amice! & veteris Italiæ gloriam aſſere, & oſtende magnas illas animas viuere in poſteris etiam & ſpirare. Vtinam pluribus! & longâ atque immota iſta Pax veſtra excitet ingenia ad optimas artes, non ad laſciuiam aut vanitatem, quò eunt. Atquin & mihi partem laborum tuorum inſcripſiſti, & ea ipſa quæ *de Labore* erant. Gratum cenſes? ita, vt nullum munus ſuprà poſſit: & quid ſuper immortalitatem ſit? quam etſi à meis quoque ſcriptis ſperare leuiter poſſim, fidentiùs iam cùm tua accedunt: tua, quæ *ære perenniora* cenſeo: & talis meus in te amor erit, debitus nunc, anteà delatus, aut tuo certè relatus. Salue, & ita ego ſim ſaluus. Louanij, XVI. Kal. Febr. ∞.IↃCIII.

EPIST. LVII. *Lugd. Bat.*

CORNELIO VAN-DALIO S. D.

NVMQVAM ego te mi Van-dali, niſi in litteris iſtis vidi, & iam autumo nouiſſe. Quid? exteriorem te? minimè, ſed ipſum te, id eſt interiorem animi faciem, ita me Deus, pulchrâ & Honeſti illius amantem. Itaque iamnunc amo, & faueo: hortor etiam in optimâ viâ, quam iniſti, recto & indefeſſo pede pergere, tuo bono, aliorum exemplo. Quidni exemplo? ſuprà vulgum aliquid vos tales eſtis, quos Deus vt lumen prælucere voluit, & ingenij dotes has frui dedit: ne aliò vertite, nec inſitas ſcintillas & * ἐναύσματα per neglectum ſuffocate. Scribis cogitare te aliquid in Agellium, & ſubſidium poſtulas. Illud laudo, & ſcriptorem ego habeo puriſſimæ latinitatis, & planè ad comœdiam antiquam: iſtud non abnuo, ſed nunc differo, à valetudine & otio negatum. Illa triſtis, hoc nullum eſt: perge tamen, nec differ. & quid Titeſiam etiam quæris, cùm Phœbum illic habeas? Adi, & conſule: ſcio poſſe, imò & velle. Louanij, XV. Kal. Febr. ∞.IↃCIII.

* *fomites*

EPISTOLA LVIII.

ILL^MO ET EXCELL^MO *Principi* CAROLO *Duci Croyo & Arſchotano*.

NON epiſtolam à te, ſed theſaurum accepiſſe mihi viſus ſum (ex animo ſcribo) in tam effuſâ declaratione beniuolentiæ tuæ, ô quo meo merito paratæ! Itaque ego illam inter repoſita & cimelia habeo, atque habebo, quamdiu in humanis rebus ero. Gratitudinem referre me quî ſperem, aut quî poſſim? niſi ſolo animo, quem tu magne Princeps non vinces; & ſi ille quod vult poſſit, beneficia tua profectò æquet. Nunc voluntatem in ſolutum defero, atque etiam ipſam rem, quanta ea ab ingenio aut ſtilo meo (hæ meæ opes & dotes ſunt) manare vmquam poteſt. De republicâ vix aliud ſcribere licet, quia nihil in eâ aliud. Languemus, medicina quæ ſolet: hoſtiles minæ & apparatus. In Embdanâ regione omnia illis proſpera, & confectum pænè iam bellũ. Propugnacula & arces, quæ Comes ſtruxerat ſiue munierat, ſpatio trium ſeptimanarum omnia expugnata: & ipſe regione ſuâ exactus, ad Imperatorem iuiſſe dicitur, ſuppetias rogatum. In Hiberniâ pergunt Angli reliqua ſibi ſubijcere, coloniâ etiam nouâ deductâ, & opido ad mare Hiſpanicum exſtructo. In Galliâ turbæ, vt aiunt, & coniurationes: atque illa nobilitas, neſcio quo fato, videtur nunc ad res nouas & fidem exuendam prona. An is quoque inter fructus bellorum ciuilium eſt? Noſtri ſeditioſi in ſuos aliquot ſæuierunt, & atroci morte affecerunt, conuictos (vt aiunt) conſiliorum cum Principe & occultæ pactionis. Leodici Princeps Elector exſpectabatur, aut iam venit. Alia in publicis non habeo: in meis totus in Philoſophiâ ſum, ſed in Stoicâ: & Senecam, vitem vitæ magiſtrum, conor illuſtrare. Valetudo motam ſæpè facit, per hiemem ferè mihi triſtior: quæ vt benigna te, Ill^me & Excell^me Princeps, longùm reſpiciat, intimum eſt meum votum. Louanij, XV. Kal. Febr. ∞.IↃCIII.

EPIST. LIX. *Antuerpiam.*

IOANNI WOVERIO *ſuo*.

DEVS benè. gratias grates agimus, pro ſalute præter opinionem quorumdam redditâ, etſi ex omnium voto. Meo, hoc ſcis. O quàm timuimus! nec fatum mihi ab annis aut luſtris triſtius fuiſſet. Amo enim toto pectore te, quia Honeſta amas, ad quę à Naturâ videris mihi factus. Sequere illum in te Deum; nihil abripiat, quacumque ſpecie aut illicio: fuge iudicia & vota communia, aut abducent ab illo & illis. Videre te & amplecti validè & calidè cupie-

cupiebam:ſed tempero,atque etiam tibi impero quieſcere,nec ante veris teporem recommouere. Ego ad Senecam aliquid molior, & *Manuductionis in Stoïcam Philoſophiam libros tres* præmitto. Item, *Phyſica Stoïca libros tres.* Opus iſtis, aut totus Seneca ſeponendus. Quid ſperem tamen his hominibus hæc me probaturum? paucis, & perpaucis: & hoc ideò, quia bona & non in pompam erunt. Vanitatis nunc regnum. Tu vale magis magiſque mi Wouerì: & ſcribe ad reſponſum; ſed cum exceptione, Si vacabit. Scis quàm ſæpè, imò ſemper, diſtinear: & iuro tibi confici me; quòd confectus non ſum, mirari. Louanij, XIV. Kalend. Febr. ∞.IↃCIII.

EPIST. LX. *Bruxellam.*

IOANNI SEVRIO S. D.

DIGNITATE te auctum ab optimo Principe, animo meo gratum eſt: & gratius, te nuntiante. Significas enim hoc ipſo, cenſere te lætitiam conceptum ex eo à me iri: nec falleris, concepi. Mereri enim te arbitror, & poſſe ac velle patriæ prodeſſe, & Principibus operam nauare. Certè mi Seuri dona à Naturâ, id eſt à Deo, habes: ſed & probitatem obſeruaui: illa exſere, & hanc adhibe; tuo & publico bono fiet. Legatum non volentem te dimittere, hoc opinor: atque vtinam ille optimus optimum aliquem, & tui ſimilem, in locum poſſit ſurrogare. Multa requiruntur: & quædam etiam, quæ fortaſſe non opus requiri. ſed præſens hic ſtatus rerum ſuſpiciones mouet, & circumſpicere omnia cautè iubet. Quando autem abis? quandocumque, à me non abi, & animo ſemper, interdum & litteris iungamur. Sed & cum conſorte aliquâ tuâ nunc iungere: quò ætas vocat, & certa nunc dignitas inuitat. Ipſe bonus ciuis eſto, & relinque qui poſt te fient. Ego philoſophabar in his turbis noſtris, aut & periculis: nam paullatim ad limitem hæc loca admoueri, non ignoras. Loca etiam per ſe parum tuta aut firma: quid refert, ſi Deus tutela noſtra eſt? Ego ita confido, & vt tua ſit, corde eum precor. Louanij, XIV. Kalendas Februar. ∞.IↃCIII.

EPIST. LXI. *Leodicum.*

IACOBO CARONDELETO (*quod Deus approbet*) *recens Præpoſito Leodicenſi deſignato.*

MAGNVM equidem gaudium ſenſi, in dignitate quâ recenter es auctus. Merebaris eam, aut aliâ vel grandiorem, virtutis & prudentiæ tuæ prærogatiuâ: & tacito murmure fortuna à nobis accuſabatur, quæ in comitijs ſuis alios anteferret. Nam voto etiam noſtro, vt hoc nunc edam, in patrio noſtro ſolo exſpectabaris: & aliquid allaboraſſe me ſcio, ſed illâ cæcâ non fauente. Iam oculos aperuit, honorem tibi non dedit, ſed ſoluit: quo vt diu frui vtriuſq; Reipublicæ, ſacræ & profanæ, bono poſſis, Reu^de^ & Generoſe Domine, intimum meum eſt votū. Deus audiat, & coràm gratulari me aliquando, periculorum ſecurum, ſinat. Louanij, XI. Kal. Febr. ∞.IↃCIII.

EPIST. LXII. *Louanij.*

IO. VERGERIO AVRANO S. D.

ADES, ades cum iſtoc tuo impetu (ita ſcribis) & palàm mihi ingere non honeſti ſtudium tuum ſolum, ſed profectum. Bonâ fide, epiſtola tua iſtum præfert, & ſimul ingenij tui acumen, & à cælo aliquem ignem: quem fateor me amare in iuuentute, & vt ſignum, imò vt ſponſorem optimi animi habere. Hunc excolamus, mi Vergeri. primùm illis ſapientiæ diuinæ ſtudijs; deinde & ornamentis ſiue adiumentis, quæ huic omnis antiquitas admouit. Subit me delectatio Græcos illos veteres Latinoſque legentem, pietatis noſtræ aſſertores aut propagatores: ſubit interdum (dicendum eſt) & miſeratio, cùm video non pari ſplendore aut dignitate tractari. Age, tu & quibus Deus benigniùs fauit, excitamini, & iungite per imbecillitatem aut imperitiam diſiuncta. Sed ad tuam rem, & ſcriptionem. Conſulis me de epiſtolâ ad Antiſtitem veſtrum. Dicam? bona & arguta eſt, & tale ingenium tuum vbique præfert: hoc induſtria tua addet, vt colorem & phraſim priſcæ eloquentiæ magis ducas. Natura vbi talis, non ambige velleut operâ de ſucceſſu. modicâ, inquam, conformatione opus, & velut Mercurio, qui digitum in viam intendat. Alij laborent, & imitentur: tu cum Pindaro ſcito, * τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν. Ad ſolum Tullium te vocant: vocent, nec me volente audies; quia Genius *Naturâ quodque optimum.*

aliò trahit. Sicut in humano genere vultus multiformes, & alius aliter pulchet aut decorus eſt: ſic in eloquentiâ ſcito, nec omni induſtriâ pariabunt. Lenis aut mitis aliquorum oratio erit, & vt ſtagnum; aliorum, flumen referet; quorumdã, torrentem. Vis (vno verbo?) ignem, aërem, aquam, terram in ſtilo reperies: vt aliquid horum regimen in corpore & mixtione iſtâ tenet. Hoc fateor, & ſuadeo, connitendũ eſſe ad optima, & arte ac ductu quodã adhibito: ſed non vt vis Naturæ adferatur, & ne fiat, vt veteri prouerbio monemur, *inuitâ* aliquid *Mineruâ*. Vbi ſola imitatio eſt, & huic adhæremus: quid fit? perſona ſcænica. & vt quidam magnorum virorũ habitum, atque inceſſum, aut geſtus imitantur, cetera & interna diſpares; ſic dictiunculas aut clauſulas aliquas Tullij, ſi ſoitè, referimus, ad vim & Venerem eius non adſpiramus. Itaq; audi magis hæc, etſi magnorũ virorum monita, quàm auſculta: ætas tibi dicet, vera me dixiſſe. Tu intereà age, quod cœpiſti, & cæleſti iſto liquore perfuſus, ad aquas etiam Heliconias accede; ſed ignem tamen tuũ retine, à cælo, à cælo infuſum. Scintillam etiam eius in affectum mei exſere: ego ſouebo & augebo in Amicitiæ legitimæ flammam. In Muſæo noſtro, VII. Idus Martias, ∞.IↃCIII.

EPISTOLA LXIII.

ILL^MO ET EXCELL^MO *Principi* CAROLO *Duci Croyo & Arſchotano.*

HEVRIA tua (quæ antiquorum Heuerléa eſt) venit ad Te ILLVSTRISSIME PRINCEPS, politâ manu deſculpta: & qualem aut opere, aut mente, iam deformaſti. O viſendam HEVRIAM, & dignam exteris in imagine & adumbratione etiã oſtendi! Factum eſt tuis auſpicijs: prodit & ſe promit: ſed Tuis primùm oculis, vti par eſt, ſe exhibet, verſu aliquo noſtro obiter inſignita. Neque iſtæ curæ Te nunc dedecent: qui ante octodecim annos, bello & militiâ, REGI PRINCIPIBVSQVE fortem felicemq́ue operam nauaſti: & fidem in illos, caritatem in patriam, pietatem in Deum affatim oſtendiſti. Honeſtum igitur otium ſi exerces, quid mirum eſt? Neque tamen, noſtro voto, diu exerceas: iterumq́ue Patriæ ſubueni, heu, laboranti & imploranti. Deus illam reſpiciat, PRINCIPIBVS TIBIQVE inſpiret bona conſilia, ſimul & facta. Louanij, IX. Kal. Mart. ∞.IↃCIII.

IN HEVRIAM
Ill^mi Principis Prætorium
CARMEN.

MOESTA ô BELGICA *noſtra tolle vultus,*
Tolle, & lumine lætiore luſtra
Magni PRINCIPIS *hoc opus; ſacratum*
MVSIS *&* VENERI, *& venuſtiorum*
Quidquid eſt hominum. ſuperba gaude
His adaucta Palatiis, & Hortis,
Hiſce Fontibus, hiſce & Arboretis,
Xyſtis, Limitibusq́ue, & Ambulacris.
O diſpar facies vetuſtiori!
Antè ſcabra loca hæc, & abſque cultu
Horrida, arduã, iniqua, ſabuloſa:
Nunc quàm ſplendida, quàm polita rident!
Ades GRAECIA *tu vetus, vetusq́ue*
Ades ROMA: *mea ecce* BELGICA *audet*
Se conferre. & an auſit anteferre?

EPIST. LXIV. *Panormum Siciliæ.*

GOMESIO DE AMESCVA I^do S. D.

EGO ad tales litteras, & à tali, ſileam? differam, aut contemnã? O vel cogitationem in me iniuriam! & vide quàm hoc factum. Binas tuas, id eſt, priores ante annũ & ſeſqui datas, alteras ante menſes octo, nunc denique accepi, nunc, horulâ antequam iſta ipſa ſcribo. Rem dico. in menſâ eram, tuæ dantur, lego, allubeſco, manum à cibo ad calamum transfero: eſt hoc ceſſare, aut adſpernari? Talem dignitatem non debeo, tale ingenium non poſſum: quod vel vtrauis epiſtola ſatis mihi oſtendat. Sed in priore affectum tuum promis, & laudes meas tangis: illum toto pectoris oſtio admitto, has ſemiclauſo, & vt amicę proculos illos ſolent. Velim agnoſcere, conſcientia mea reijcit, nec niſi conatu talem adfirmat. At tu non quæ edidi ſolùm amas, ſed in futura etiã immines, & aues quæ peperi, & quæ parturio, ſcire. De illis, *Epiſtolæ* meæ vltimæ dicent, quarum *Centurias quinque* pronuper dedi: in ijs vnã, quæ de *Vitâ meâ* eſt, & *Scriptis*. Si tanti eſt, vide. Poſtremum hoc meum opus; mentior: ſucceſſit opella, *De Bibliothecis*, & *Diſpunctio in Italum* quemdam, qui proteruè incurrerat, comiter aut & comicè à me reiectus. Non ſum pugnax, ipſa Pacis proles: ſed cadere debebam, niſi leui manu petulcum hunc arietem reiecisſem. De edendis autem, nunc cùm maximè in manibus habebam *L. Annæum Senecam* veſtrum: quídni veſtrum? origine, ingenio, eloquio Hiſpa-

num

num aut Hiſpanienſem, & certè æternum tractus illius decus. Hunc auidè & iucundè illuſtrabam, breui Commentario: ſed & ſcorſim *Philoſophiam Stoïcam*; quâ tenebroſâ, fruſtrà facem alluxerim illi. Iuuabat, inquam, hoc opus, quia ſapientiam animo, non ſcientiam ſolùm, infundebat: & mores cum ingenio & linguâ pariter formabat. Si viuo tres quattuor menſes & valeo, ibit in lucem. *Monita & Exempla Politica* affecta etiam habebam: de *Inſtitutione Iuuentutis* libellos tres: *Admiranda Iudaica, Aegyptiaca, Iberica, Gallica*: tum *Hiſtoriarum compendiū*, ſi Deus dabit. Nam nos quidem

Tollimus ingentes animos, & maxima paruo
Tempore molimur:

ſed ille ſtat vitę laborumque arbiter, & producit, aut incîdit. Ecce ad priorē epiſtolam habes: éſtne aliud? etiam, caput ſcriptionis, ſic ſeriò amanrem ſeriò me redamare. Lonanij, XVI. Kal. April. ∞.IↃCIII.

EPIST. LXV. *Madritum.*

BART. LEONARDO ARGENSOLAE S. P. D.

CERTE frater Lupercij es, & quidem germanus. Quàm vel in amore mei conſpiras? nam de laudibus, omitto: quas dictare iſte potuit, debet pudor meus adſpernari. Sed amorem talibus ingenijs non ego reddam? facio, & tam ex fide, quàm Virtutem & Doctrinam amo: cuius vtriuſque vos veros alumnos in animo laudo & agnoſco. O Hiſpania veſtra ſtirpes has plures proferat! de quâ tu veriſſimè, ſentire eam longæ Pacis mala, Luxum, Cupidinem, & quæ ſunt aliæ virilium animorum peſtes. Dicam tibi liberè meum ſenſum? ſed * παρὰ δόξαν πλειόνων, ſcio. Nouus orbis victus vos vicit, & inſitū antiquitus robur libauit, aut fregit. Numquam alius fructus mollium diuitiarum fuit: vide omne æuum, & dices. Noſipſi Belgæ quid niſi pœnas iamdiu luimus auiti luxus? & luemus: ita aſtra etiam minantur. Et opes quidem abiuere à nobis, vitia manent: faſtus, laſciuia, & extremum malorum Impietas, quæ Belgas à Belgis diuellit. Nam nos, meo hoc tractu, in religione quidem antiquamus: vtinam cetera ſic puri! Ac de ſtudijs optimarum artium, ante annos aut luſtra aliquid fuit: nunc ſcito, * πάντα ταῦτα ἐν γέλωτι ἢ παιδιᾷ ἐστί. Poſſunt aliter per continua & infauſta hæc bella? quæ atterunt, non finiunt: nec licet optantibus vel ſemel perire. Benignior Deus aſpiciat,

— *qui ſolus opem, qui ſumma medendi*
Iura tenet:

& idem me nunc ægrum ſoſpitet, te valentem mi Argenſola ſeruet. Louanij, XV. Kal. April. ∞.IↃCIII.

* *præter multorum ſenſum.*

* *hæc omnia in loco aut ludibrio eſſe.*

EPIST. LXVI. *Veronam.*

ANDREAE CHIOCCO V. C.
& Doctori Medico S. M. D.

AMO te de hac vnâ & primâ tuâ ſcriptione, amo mi Chiocce. Quid ita? quia optimum & interiorem tuum animum mihi oſtendit; non mei & doctrinæ tantùm, ſed, quod caput, Virtutis & Sapientiæ amantem. O bona & recta tua in hanc rem iudicia! ô meritas inclamationes in vanos iſtos littetiones!

* *Οἷά τε πολλοὺς*
Βόσκει γαῖα μέλαινα πολυσπερέας ἀνθρώπους.

Ego, bono Deo duce (hac parte * εὐδαίμων) ab adoleſcentia ſpreui falſam hanc lucem: ad ſolida iui & ſcriptis meis miſcui, quatenus occaſio aut argumentum fuit. Parabam magis facere, & totus in *Stoïcâ Philoſophiâ* illuſtrandâ, & ab inferis adeò reuocandâ, eram, ad Senecæ mei lucem: ſed Deus interceſſit, & ſignum (niſi fallor) diſceſſus clarum mihi miſit. Sum quinque iam ſeptimanas non in ſolito illo & veteri languore, ſed in pectoris morbo: qui atterit, tabefacit, & vitæ hanc lampada, itemque laborum, alijs tradere impellit.

Linquenda tellus, & domus, & placens
Muſa:

neque inuitus faciam, nullâ in parte magis Philoſophus, quàm in meditatione hac mortis. Ede illa ipſa, quæ iam affecta, inquies. Ita & alij amici increpant. ſed mihi ſedet Virgilij conſilium, feliciùs patrandum, nihil edi, niſi à viuo me, & manu meâ miſſum, ac perfectum. Ignis edat, quidquid ego non edam. Itaque multa ſub terram feram; eruenda alijs aut tenebris obruenda, non refert: non vixi infructuoſus aut inglorius: & Sapientia & Virtus viuet,

Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri.

Ecce de meo ſenſu. addam de amore in te nouello, ſed ſerio & acri: paucos me è ſcriptis meliores ſimul & doctiores agnouiſſe. Itaque amo, amo. Fas mihi ſit, & vitam & valetudinem ſub tali Imperatore (agnoſcis Medicinæ veteris vocem) agere ac moderari: libens velim, & vel in manibus ac ſinu tuo mori. Plura non poſſum, ſeriò æger.

* *cuiuſmodi plures Nutrit terra hæc nigra impoſtores & agyrtas.*

* *beatus.*

Memoriam mei tibi commendo, & fiduciam amoris quem tuo præſto. Louanij, XVI. Kal. Maijas, ∞. IↃCIII.

EPIST. LXVII. *Lugd. Bat.*

DOMINICO BAVDIO S. D.

SVAVE ſimul & triſte mihi fuit tuas legere. Suaue, ab affectu in me veteri & fido, & quem ſine fidei hercules iniuriâ non mutes. Nam & ego firmiter & fortiter te amo. Triſte autem, ob caſus aut fraudes quibus iactaris: neque nunc in portu aliquo anchoram iecisti. O noſtri Bataui, quid agitis? reuelâte oculos, & noſcite & admittite, aliter aduocandum. Indignor, & * δάπτει μοι ἦτορ cum Homero, cùm iſta ingenia & artes neglegi aut contemni video, quæ omnibus infulis erant exornanda. Quò imus? ad veterem ſquallorem & tenebras: atque vtinam augur fallam. Eò minus triſte mihi, abire & abiungi: quod morbus nunc cùm maximè minabatur. Morbus neſcio quis * ἀδηφάγος,

* ardet mihi pectus

* vorator.

> * —— ὅς τε μάλιστα
> Τηκεδόνι στυγερῇ μελέων ἐξείλετο θυμόν.

* Qui luo tabificâ minuit vires animumq́.

Sed Deus ille, auctor mei, videbit: & alteram ſententiam, vtramcumque me volente, feret. Adoleſcentem probi oris & ingenij, tinctum optimis artibus, Corn. Vaudalium, libens vidi, & amare non ſolùm fauere cœpi. Creſcant iſtæ ſtirpis felicium arborum, vtinâ feliciore æuo! Vale mi Baudi. Louanij, poſtr. Non. Maijas, ∞. IↃCIII.

EPIST. LXVIII. *Ipras.*

IIRMIAE PIERSSENAEO I^{to} S. D.

LITTERAE tuæ mihi pergratæ, & magis Carmina, quæ ingenij tui & affectus in me (iſte etiam elucet) monumentum publicaſti. Sed & priuato verſu me compellaſti: ita me Muſæ, ad illarum Genium facto, & quod in ipſo morbo (is me nunc menſes duos habet) leuamen fuit legiſſe. Ah mi Pierſſenæe, quàm alieno à Muſis æuo Muſæa hæc pangis! quâ pauci, non dicâ amant, æſtimant, ſed vel ſimulant æſtimare! Trahunt pedibus hæc talia, & vel ſimias pluris, quàm litteratos cenſent Senecæ dictum vanitatis arguitur: *Numquam ita in virtutes coniuratum iri, vt non Philoſophiæ nomen ſacrum & venerabile ſit:* ridetur. Ego iampridem hæc ſcio, & ideò tolero, vt ſolemus vetera & familiaria iam mala. Quid Deus Europæ noſtræ deſtinet, neſcio: vtinam ne Honeſtum à nobis auferat, & litteras doctores eius aut præcones. Quæ fama ſine ijs eſt? & ſequitur, *Contemptu famæ, contemni virtutes.* Sed de æuo fruſtrà querar: fatali hæc lege eunt: te magis hortor, animo ſtare, & rectum clauum tenere, vel Neptuno inſaniente. Conſtanter ego facio, nec iudicia hæc aliquid in me mutant, niſi fortaſſe ſcribendi edendique libidinem: quorſum enim iſta imperitis aut ingratis? Neque tu ſolus oleum & operam perdidiſti in nuncupatione: alij pariter, niſi ſiqui ſint ingenio & ore ferreo ad exprimendum. Age, exſurge, ad meliorem tui partem vertere: atque illa te à terrenis & vilibus ad cælum ducet. Vale mi Pierſſenæe. Louanij, XI. Kal. Iunias, ∞. IↃCIII. cùm tuas vidi.

EPISTOLA LXIX.

HENRICO VWENO S. D.

DOLVI diſceſſiſſe nuper, cùm ipſe adueniſſes. Scis (ſine blanditiâ) quàm amore & ſermone tuo delector: in quo iſto, & ſuaue ſemper aliquid & prudens, & probum etiam ac Virtuti amicum. Mi Vwene, hoc caput eſt. hanc niſi amamus & colimus, malo fato venimus in hanc vitam, cum pœnitentiâ aut pœnâ finiendâ. Sed heus, an non ego breuî finiam? reſcribo enim omnia, quæ ad Robianum noſtrum optatiora vobis ſcripſeram: vt Luna hic morbus eſt, imò plus aliquid quàm illa, nec in ſeptimanas, ſed in dies atque horas mutat. Hoc biduum peſſimè habui; nec voto, ſed opinione tamen, propono mihi meum finem. Melancholia eſt, inquies. Sapientia eſt, & nihil melius quàm crebrâ tali meditatione ducere animum ad contemptionem animæ. Multi neceſſitate aut impetu ad eam alacres venerunt. Nihil eſt. non niſi ex iudicio & ratione certa illa tranquillitas oritur, ad quam me compono. A libris abſtineo, vix has litterulas tales ſcribo. Vale mi amice. Louanij, poſtrid. Kal. Iunias, ∞. IↃCIII.

EPISTOLA LXX.

FRANCISCO SWEERTIO S. D.

VNA cum tuis iniunctas è Germaniâ accepi, à nouo aliquo amatore: cui nunc tamen non reſpondeo, & vt puellę, procanti paullùm me ſubduco. Valetudo nunc non eſt his talibus, varia, & anceps, an & præceps etiam dicam? Interdum cadere mihi, & ire palàm ad finem videor: interdum exoriti & meliùs habere. Leuiter fero. *quis enim queri poteſt, ſe in eâ conditione eſſe, in quâ*

nemo

nemo non eſt ? Homo natus ſum; & ex quo natus ſum, ducor ad mortẽ. Triſte hoc cogitare, inquies. Non mihi. & quid ſi non cogitem? eò minùs ducar ? Sicut qui in naui ſunt, dormientes ac vigilantes vehũtur, cum ſenſu, ſine ſenſu: ſic nos eò prouehimur, & aliquando abripimur aut mergimur, velut tempeſtate. Philoſophiæ ſatis eſt. ad Gruterum ſi ſcribis, de valetudine inſperge, & amicam ſalutem adde. Viringo quæ dicta voluiſti, factum. Tu me ama; & ſi quid ſcitu dignum habebis, fac conſortem. Louanij, IV. Nonas Iunias, ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXI. *Leodicum.*

CAROLO BILLE'O, *Equiti, & Ser^mo Electori à Conſiliis interioribus.*

DOLOREM, qui animum tuum percutit, mœſtus ipſe animi audiui : & quamquam amici non deſint, quos plures virtus tua & fortuna habet, qui verbis aut litteris ſolentur; tamen & ego venire in partem volui, & officium meum vel ſuperuacuum offerre. Atque vtinam ſuperuacuũ! vtinam ad animum iam compoſitum verba faciam! quod etſi à prudentiâ tuâ ſperem, vix ab affectu, quo illam conſortem vitæ & thori meritò es proſecutus. Optima fuit, ſuauiſſima fuit, fœcunda mater, ſedula liberorum & domus tuæ curator & cuſtos. Quidni in amiſſâ doleas, & talem, numquam habiturus, deſideres? Permittit etiam Sapientia aliquam hanc confuſionem & dolorem : ſed aliquam. frænat enim mox, & ad rationem reducit, & in eâ tranquillum pacatumque ſiſtit. Quid enim diu aut immodicè lugeamus, quod non poſſe, ſed debere euenire, præſciuimus? Nam mortalis erat : neque amnis aut perennis aliquis fons, ſed torrens, qui impetu currit, & decurrit. Veriſſima imago eſt: vide hanc vitã. Collectu humorum aliquo naſcimur, raptim cum quo labimur: & alij breuiùs, longiuſque progreſſi, finimus. Atqui triſte illud finire. Triſte, ſi verè tale eſſet: nunc mutamur magis, quàm deſinimus, imò nos Chriſtiani, diuinâ clementiâ, in meliorem ſortem imus. Quis æs aut metallũm perire dixerit, cùm liqueſcit & ſtatua ex eo funditur? Nõ perit, ſed honeſtatur: & idem in nobis, qui ex informibus & infirmis in ſplendidam illam imaginem Dei tranſimus. Itaque abeat dolor : imò lætitia (det mihi veniam affectus tuus) ſuccedat, ipſo affectu eò ducente. Nempe amaſti illã, & amas? quidni optimè igitur illi eſſe velis, inter beatas æternaſque mentes ? Nec tamen tota à te abijt : reſpice liberos, quos numero tibi, & ex vtroque ſexu, reliquit. Habes grandiores, è quibus fulcra & nepotes iam ſperes: habes minores, è quibus ſolatia & gaudia, cottidiano occurſu & ſermone, captes. Hos pectori inſere, ori interdũ admoue: & in iſtis viuere illam, & te affari, non falsò crede. Sed à domo etiam tuâ, ad rempublicam, cui natus & deſtinatus es, redi. Illa altera tua vxor eſt, huic iungeris, nec à curâ eius potes auelli. Hanc amplectere; & magnis illis cogitationibus, affectuum ſcintillas preme, ſi quæ exurgent. Cogita & Principem, tui amantiſſimum, & tui profectò egentem: vince dolorem vt huic vaces, & magnitudinem animi indue ſublimi viro dignam. In theatro poſitus es, conijciuntur in te oculi: ſuſtine perſonã, nec deſice circa extremum hunc velut actum. Quid enim tibi blandiar? vt diutiſſimè viuas (& ita voueo) tamen pauca luſtra ſuperſunt, & ſequêtis illam præmiſſam. Ecce, Ampliſſime & Nobiliſſime Domine, haud magnam, ſed à magno affectu epiſtolã: quem in te & tuos conſtanter ſeruabo, quamdiu Deus in terris me ſeruat. Vale, & illo ipſo faciente, firmare : quod pectore eum rogo. Louanij, VI. Idus Iunias, ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXII. *Inſulas.*

IOANNI SEVRIO, *Graphiario in Senatu rationum Inſulenſi*, S. D.

TITVLVM hunc tibi anteà gratulatus ſum, nunc rem & poſſeſſionem. Fallor enim, aut illic agis : debes meo iudicio; & hoc quoque (verbo olim monitum) conſortem aſſumere, rei & domus tuæ curatorem. Quid in iſtâ ætate differs? Ea labitur, vita labitur : & ſæpè poſt moram pœnitentia ſuccedit, & indignatio, Quare non feci? Fruere annis, ô fugacibus! & ego iam & olim ſenſi; iam maximè, qui multos egi, & præter meminiſſe quid ſeruaui? Aliquid in publicum laboraui fortaſſe : ſed annotum nota, non ipſi extant : neque hæc omnia mihi in magno, qui abiens video, NEC TANTI HVMANA eſſe. Epitaphia hæc mea inſcriptio erit, ſi Deus & amici volent: ego iuſſi quidem, nec Timonis aliquo animo, ſed Zenonis. Heus, inquies: etiamnunc de Epitaphio ? non conualuiſſe te audimus? Audiſti fortaſſe, & ego tale aliquid nun-

nuntiem: ſed quàm infirma hæc firma noſtra ſint, quàm labi nos in ipſo ſtatu faciles, nimis ſum expertus. Blandiens ventus non me inducet, quin tempeſtatem & nimbum mox exſpectem. Extra Philoſophiam, & communi linguâ: meliuſculè, ſed ambiguè valeo; & dies, imò horæ pænè, alternant. Tu vt animo in primis, deinde & corpore valeas, illo me ames vnà cum Remaclo noſtro viro optimo, meum eſt votum. Louanij, III. Idus Iunias, ∞.IↃCIII.

EPIST: LXXIII. *Bruxellam.*

FERDINANDO DE SALINAS,
Conſiliario Senatus Principum.

ABEVNTEM Riuium noſtrum, veterrimum è meis diſcipulis, & addam feliciſſimi inter eos ingenij & profectus, elogio an teſtimonio apud te proſequi, animus adegit magis, quàm res exegit. Quid enim apud te opus, qui noſti? qui notum amaſti? qui amatum te & beneficentiâ iuuiſti? Nec enim me celauit, aut debuit, quâ liberalitate nuper eum affeceris, & ad culmen illud honoris euexeris, quod tibi meritò inſcribet. Laudandum te vndique. qui optimas artes ipſe colis, cultores alios ſubleuas, & inſtar Dei illius, bonus ipſe bonos optas; imò facis. Opportunè in hoc æuo, quod talia calcat aut præterit: opportunè in iſto eius (Riuium dico) articulo, qui in viâ & ſalebrâ hærebat, niſi â te eductus. O fac porrò! Vt enim fruges non bonitas ſoli tantùm gignit, ſed cæli Soliſque fotus & temperies educit atque elicit: ſic ingenia & artes, non à Naturæ tantùm velut ſolo alenda, ſed veſtrâ procerum benignitate, & velut cæleſti aurâ, fouenda atque attollenda ſunt. Certè iſte noſter per aſpera adhuc iactatus, viam non deſerüit: ſpero mitior ſors ridebit, & Comici illud expetet,

Fortiter malum qui patitur, idem pòſt potitur bonum.

Hoc ego amico meo opto; & te Nobilis ac Clar^me^ Domine, in virtute tuâ, & comite eius dignitate, diu viuere & vigere. Louanij, prid. Idus Iunias, ∞.IↃCIII.

EPIST. LXXIV. *Romam.*

IO. BAPTISTAE BARONIO *ſuo.*

VIX poſui tuas, & reſpondeo. Amor in te meus fecit, ille perpetuus (ne ambige) & paternus. Sed ego ipſe quàm pæniſſimè nuper defeci? ſteti in extremâ Salutis lineâ, pedem reduxi, & iterùm valere videor, ſed languori etiam vicinus. Fragile vaſculum ſum, vt rem dicam, & fractum audieris, priuſquam frangi. Tu autem Romæ? Neapolim iſſe te tuæ, an Richardoti, mihi ſignificarunt. Sed & manſionis decretum profers, non pro tuorum hîc arbitrio, vt nuper coràm Antuerpiæ audiui. Ego quidem haud diſſentio, & facilè æſtatem hanc tibi donem, ſub Autumnum ſuadeam redire. Non Roma, non Romanus aliquis (Romanam fugio dicere) vltrà teneat: & cùm manes, apud te etiam mane: nec laxa nimis aut diffunde. Vt vinum vigorem & florem ſeruat, ſed clauſum; apertum exhalat: ſic tibi fiet; virtus apud ſeſe tum manebit, vaneſces ſi vulgaris. Paucis & bonis aſſueſce, atque ijs notis: cetera liber eſto, & præſertim in ſpectionibus illis antiquis. O ſuaues, ô vtiles! mihi ſi liceret, fructum capiam quem non cepi. De Illmo Baronio, gaudeo ſic in me eſſe: cùm ſcribam ad eum (ſed materies exſpectanda eſt) per te fiet, atque aliquid etiam de te inſpergam. Publica hîc, vt ſemper ambigua, turbida: voluntas in Britanniâ noui Regis pariter anceps, tecta; & partes noſtræ ſibi, & nos vindicamus. Quies & pax his regni auſpicijs conuenit: ſeruaturum puto, ſaltem temporariam: ego affectum in te, mi Baroni, æternum. Vale. Louanij, Kal. ipſis Quinctilibus, ∞.IↃCIII.

EPIST. LXXV. *Gandauum.*

MAXAEMILIANO VRIENDTIO.

LIBROS Carminum tuorum diutilè ante litteras accepi, quas adiunctas tamen fuiſſe ſuſpicor, miſſui illi condimentum. Etſi quo condimento opus eiuſmodi bellarijs? quæ, mihi crede Vriendri, veterem Græciam ac Latium ſapiunt, ô ſuauia mentibus, quæ melioris doctrinæ guſtum ac ſenſum habent. Illæ quidem hæc tua

Iurent Albano Muſas in monte locutas.

Alia iudicia aſſis ne æſtima, quæ quid ſint Veneres aut Charites neſciunt, & quidquid ad Monetam non facit abſunt laudare. Nos & dilecta ingenia oblectaſti, Belgarum gloriæ addidiſti:

—— ſume ſuperbiam
Quæſitam meritis:

imò non ſume, & in Modeſtiæ finibus ſiſte. quia ſi vlla dona â Deo, iſta ingenij, & maximè vaticinij ſunt: illi adſcribamus, &

Qui dedit hæc hodie, cras ſi volet auferet.

Vt

Vt nō ille palàm, ætas occultè faciet, & cùm in annis grauis eris, lentitudo & frigus aderit, nec felix ſtili iſte calor. At in me amando maneat nec vel æuum refrigeret, meo quidem voto imò & exemplo. Louanij, III. Non. Quinctil. ∞.IↃCIII.

EPIST. LXXVI. *Bruxellam.*

FRANCISCO TREGIANO, BRITANNO V. N.

LITTERAE tuæ, mihi pergratæ, etſi grata & non grata quædam dicunt. Illud diſplicet, in Aulâ te hærere, vbi vada & Syrtes, an & Circe aliqua etiam occurrit? Nec vna, vt fateris: & vides & rides ineptias, qui à vitreâ iliâ Deâ alliciuntur, tanguntur, & quid niſi in pecudes, ſi non feras, mutantur? Amadim ſuum, & tales ſcriptores legunt, loquuntur, cogitant: id eſt * φλυαρίας καὶ φληδονίας metas, an & * διαφθορὰς ἢ ὀλέθρους animorum dicam? Atque hic eſt * ὄλβος, quem illi putant,

* ——— Καὶ χάρις ζω ———
θάλμιος, ἀθυμαλεῖ
θ' ἅμα μὲν φόρμιγξι, φαμφοὶ ———
νοισί τ' ἐν ὕπνον αὐλῶν.

A me abeant, à te etiam, quæſo ——— * Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί. Fateor varia ſtudia fineſque eſſe, & cum Thebano vate,

* Μία δ' οὐχ ἅπαντας ἄμμε θρέψει
μελέτα :

& fateor etiam, optimæ Sapientiæ ſtudium rarum eſſe: ſed tamen ad hoc te voco: ego, an altius ingenium iamdiu tuum? Certè Deus tale dedit: cui ſi cultus, vt cœpit, accedit, & curſus per viam rectam: quid non ſublime & * θαυμαστὸν de te ſpondeamus? Scripta, quæ vidi, aſſerunt: & hæc facient, quæ videnda iam miſiſti. De Republicâ noſtrâ quæ nuntias, ſpem quàm rem bonâ habent. Sed iſta * βραδύτης noſtra, quâ ſollenniter iam vtimur, quid in bello præſertim magnum pariat? Scio nec * προπέτειαν optabilem aut laudabilem eſſe: ſed tamen maturitatem & quæ Delfinum ancoræ ſuæ iungat. Fabium in defenſione non abnuam; in aggreſſu Achillem, Alexandrum, Cęſarem præoptem. In veſtrâ autem * νήσῳ πολυμελεῖ quid nouus * σκηπτοῦχος faciet? vtrùm * ὁδὸν ὀρθὴν τῆς δίκης καὶ ἀληθείας βαδίσει, ἢ τὴν σκολιὰν τῆς ἀπάτης; Sub initia ægre diiudices, vbi multa temporibus & hominibus danda, contra animi etiam ſenſum. Legatum noſtrum comiter & (pro more gentis veſtræ) ſplendidè acceptum audio: cetera modò reſpondeant. quod breui

* Nugas & ineptias.
* corruptiones ... p[...]
* Et gratia ... cum ... atque ... ſtrepitus ...
* Achiuæ, non iam Achiui.
* Vna non ſane nos omnes cura capit.
* Admirabile
* Tarditas
* Præcipitantiam
* Inſulâ prorſus.
* Sceptrogerus
* Rectam viam Iuſtitiæ & Veritatis ibit, an obliquam fraudis?

videbimus: & quando ipſum te, mi Tregiane? cui gratias ago debeoque pro narratiunculâ facti admirandi: admirandi, ſed & per me in loco ad poſteros (meretur enim) propagandi. Vale: & longior eram, niſi auocaret. Louanij, Kal. Sextil. ∞.IↃCIII.

EPIST. LXXVII. *Romam.*

IOANNI HEMELARIO *ſuo.*

HEVS tu, ſemper te amo, ſæpè cogito, rarò ſcribo: & omnia cauſſas ſuas habent. Amor ab amore tuo eſt, & ab indole optimâ, quam ſemper in te vidi, & magis excultam, & virtuti aſſertam, magis amo; cogitatio ab eodem; ſcriptio rarior ab occupatiunculis, itemque à valetudine, ita me Deus, tenui & negotijs non ſubſiſtente. Otium & quietem flagitat, non ſolùm poſcit. Vnius te monui olim, & moneo: in hac ætate vigente & floridâ, pluſculū animi & fiduciæ ſume: & te atque alios item noris: te, qui ſis; qui non ſint, illos. Neque ad elationem voco, quam odi portis infetui deteriùs, eum Homero hoc dicam: ſed ad animi iuſtum mediumq́, tenorem, in quo virtus. Rubenium meum vides? modeſtia ipſa eſt: animum? ſcit cæleſte aliquid ſe eſſe, & lucere debere, atque eò contendit. Hominem te Deus fecit, nec ex iſtâ ingeniorum plebe: cur ordinem deſeras, & ſubſellia potiùs quā ſellam curulem eas inſeſſum? Non meo voto aut iudicio facies: erige te, & pietate volente, ſidus in hoc mundo eſto. Genus vitæ elegiſte Sacrum ſcribis. Semper te eò deſtinaui, & gaudeo ſpem meam affirmaſſe. Ego alta cogito, alta: id eſt cælum, quò me languores perpetui iſti ducunt, non enim trahunt. Ac tu valetudinem integratam gratularis. Falſus es. non eſt quæ fuit, neque erit: ſed viuimus tamen, & metæ vicini non tam reduximus, quàm frænauimus præcipitē gradum. Abire etiam non metus aut mora eſt: à prauis, à turbidis. & Deus ferreo ſæculo me incluſit, & quod mitius metallum non ſpondet. Publica eunt, vti conſilia ſunt: nam Fata iniuſtè accuſemus. Vale mi optime Hemelari, & amande ſemper ama. Louanij, XIII. Kal. Septembr. ∞.IↃCIII.

EPIST. LXXVIII. *Peruſium.*

M. ANTONIO BONCIARIO S. D.

LITTERAS tuas, amorem & elegantiam ſpirantes, accepi, & animo caras fuiſſe, libens profiteor ac reſtor. Nam amari à nobis

nobis Italiâ, quis neſcit? & viros certè, ſiqui in eâ, vetere & nuperâ etiam illâ Italiâ, exhibent ſe dignos. Tu ille es mi Boneiari. quod epiſtola tua mihi dicit, vna nec diffuſa, fateor: ſed vt Coloſſi magnitudo vel in breui ſigillo ſe oſtendit; ſic ingenium & doctrina etiam in tenui & extemporaneo ſcripto. Itaque & ab hac cauſsâ te amo: quid cùm Bencium meum, qui heu fuit, velut auſpicem amicitiæ adhibes: quomodo non vltrò me in vincula iſta donem? Facio ſeriò: hoc præfatus tantùm, amare me iuxtà tecum, aut ſuprà, poſſe: paria officijs aut ſcriptionibus vix poſſe. quia & ſæpè ita diſtringor, vt non liceat; & langueo etiam, vt non libeat hæc vſurpare. At, vt dixi, amabo, & id iudicio: certiore illo, quàm tu in laudes meas iuiſti, quas inerrare auribus meis patior, ſed non in longũ, notitiâ mei reuocante & abnuente. Sicut tamen Stratocles, opinor, olim Athenienſibus cùm res proſperas nuntiaſſet falsò: increpãtibus deinde dixit, Quid enim mali ſi meâ operâ biduum lætiores egiſtis? tale aliquid mihi euenire fateor, & breui lætitiâ perfundi elogiorum talium; ſed breui, & perfundi. Ego nunc totus in *Stoïcis & Senecâ* eram, poſt ancipitem ſanè morbum: & breuì illa videbitis, ſi mea Parca menſes etiam aliquot parcit. Tu vale, Vir inter paucos mihi deinceps amande, atque æſtimande. Louanij, XII. Kal. Septemb. ∞. IↃCIII. ſtatim à tuis litteris acceptis.

EPIST. LXXIX. *Neapolim.*

IVLIO CAESARI CARACCIOLO S. D.

ILL^Mᴱ DOMINE, Litteras tuas accepi, & generoſam indolem, & beniuolentiam in me ſpirantes. Gauiſus ſum. nam animum meũ ſeriò afficit, cùm vos è ſtirpe nobili & altâ, dignos eâ video, & non incumbentes maiorum famæ tantùm, ſed à ſe tradere & propagare eam aptos. Fatemur ſanè, vt à radice & ſtirpe bonâ fructus tales, ſicâ nobili ſemine germina talia exſpectanda eſſe: ſed quantò optabilius ſpectare, quàm exſpectare? In te ego video, qui iam olim optimis artibus, & quæ ad Honorem & Virtutem ducant, imbutus, perſeueras eaſdem colere, atque eos etiã amare & æſtimare qui colunt. Hęc res me tibi conciliauit, & locis diſſitum coniunxit; affectu quidem. nam vt corporibus, non datur, non dabitur, vt mea quidem valetudo eſt, haud facta ad peregriuãdum, imò nec ad diurnandum. Annis graues non ſumus, ſed laboribus feſſi aut fracti ſumus: & reſpicimus exitum, vt ij ſolent, qui in cuſtodiâ moleſtiore tenentur. Nil circa nos, niſi bella & turbæ: & inter diſpares agimus, quod liberè & verè apud te profitemur. Scripſi iamnunc ad ANNAEVM SENECAM, & Stoïcam totam Philoſophiã libaui: eo certè fructu, vt mihi robur impreſſerim, dũ alijs idem paro. Sicut in naui qui transfert & vehit, idem vehitur: ſic mihi factum in Scriptore, quem natum ſeruatumque cenſeo bono generis humani. Vale Illuſtriſſ. Domine, & Honeſta ac me ama. Louanij, Nonis Septembr. ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXX. *Bruxellam.*

PETRO PANTINO V. R.

REDITVM ego & ſalutem ex animo tibi gratulor, belli & morbi periculis euoluto. Vtinam de patriâ ſic loqui liceat! quid loqui? vtinam ſperare! Sed heu, vndique [*] ἀτυχήματα, eò triſtiora, quia cauſſam [a] δυσβουλίαν noſtram, an [b] ἀβουλίαν, habent. Illa nuper ad Hoochſtratam, quàm [c] ἐπονείδιστα? iſta ad Buſcumducis quàm [d] ὀλέθρια? Et hoſti quantum accedet, nobis decedet eâ captâ, quiſquis planè [e] ἄφρων non eſt, videt. Ego tibi de me fateor, [f] ἀθύμως ἔχω, cùm continuas iſtas [g] δυσπραξίας video: & nec erigi quidem noſtros ad emendandum. Conſiliorum eamdem viam imus, frigemus, taſdamus, & planè [h] καθάπερ ὑπὸ μανδραγόρᾳ καθεύδομεν. Mi Pantine, fato premimur: [i] τὸ γὰρ μόρσιμον, οὐ φυκτόν: erga alia curemus. Quid? ego animum & me, à Senecâ: quem iam denique paro edere, & Stoïcam illam [k] ζοφώδη doctrinam in lucem redegi, [l] οὐκ ἀπόνως. Intricata res: peruici. *Veſtam* non diſplicuiſſe, gaudeo: nec miror eius cultori. Vale V. R^de & æternùm eare. Louanij, IV. Idus Septemb. ∞. IↃCIII.

[*] Infortunia. [a] Mala conſilia. [b] Nulla conſilia. [c] Pudenda. [d] Exitialia. [e] Mentis expers. [f] Diffido. [g] Malos euentus. [h] Tanquam ſub mandragorâ iacemus. [i] Fatale non vitabile. [k] Nebuloſam. [l] Non ſine labore.

EPIST. LXXXI. *Brugas.*

IANO LERNVTIO *ſemper-ſuo.*

LONGAM, liberam, & verè amicã tuam epiſtolam: & omnibus his nominibus, inprimis ipſo Lernutio, gratam. Amplector te, ſed animo: brachijs ſi poſſim, & ore adfari, quàm omnia in notæ fidei ſinum hunc effundã? quàm me reuelem, & quidquid in aumario pectoris huius condo? Nunc quoque in parte faciam, ſed parciùs: & ſcis chartæ non omnia tutò credi. Audi à principio, veſtigia epiſtolæ tuæ legentem. Commendas primo Robertum Schilderum: dignum, & ex ſermone agnoui.

Ado-

Adoleſcens eſt mente & ſtudijs bonus, & qui ad optimas artes pleno gradu incedit. Quàm pauci noſtrarium cum ipſo! quàm ludibrio aut contemptui eſt nomen hoc omne litterarum? Vides mecum & doles, feres etiam vt fortes decet. Meliora tibi ne ſponde: ad vltimas inſcitiæ lineas imus. Intereà tamen nos aliquid etiam pangimus, & in litore iſto ſulcos ducimus: quo priuatim aut publicè fructu, non habeo adfirmare. Imo bellè tibi eſt, inquis. Non peſſimè, fateor. ſi de magnis opibus aut gratiâ præſumpſiſti; muta, medij in iſtis ſumus. Vultus aut ſermo quorumdam arridet: qui capiunt pauci ſunt, & quod ſequitur, ſeriò ament. Vnum tibi dicam, interpretare. filios ſi habeam, litterulas me auctore non diſcant. Addis in epiſtolâ de meis quædam, & putas, liberè. Non liberè, ſed amicè & decorè: atque obſecro aliàs vſurpa. Scribis in Politicis cetera exacti operis videri, abeſſe de Legatis. Verum eſt, & poterat locus ijs eſſe inter Adminiſtros. Sed quia temporaneum hoc munus (olim quidem) neque illi apud Principes aut Reſpublicas perpetui; abſtinui dicere: & quia rem totam iſtam non maximi vſus cenſeo, quidquid aliter iudicare hodie conſenſerunt. Et in Notis tamen dicere deſtinaram, ac collecta iſta habeo: ſed augendi aut recolendi eas animus abiuit. Ais dein de Epiſtolis meis, & de vnâ illâ * inſertâ. Quid diſſimulem? rem tetigiſti, ambitiuncula mea fuit, & quæſita gratia illius, qui in aperto nondum mihi rettulit, nec referet, vt tecum quoque opinor. Quid tamen eſt? benignitas mea orbi innoteſcat, & quàm æqui in aliena ingenia ſimus, etiam fortaſſe ſuper æquum. Non mihi fit: fiet aliquando, & confide Genio noſtro; viuet ac vincet. De annis ætatis meæ cauillari etiam quoſdam. Quid hoc eſt, & quî poſſunt? In illâ de vitâ, palàm & verè ſcripſi tali anno & menſe me natum: calculatore non opus ad hoc æui, quot eos inſcribam. Sicubi autem alia aut * aberrans ſcriptio, non memini, nec puto: ſi tamen, emendetur. Item de valetudinis crebris querelis, riſum habet. Ab alijs etiam audio: atqui, ô boni, miſerationem debebat. Non facimus maiora iſta verbis, res vtinam non clamet, vtinam non ipſa ſcripta colorem ab affecto animo & corpore ducant! Hoc fine, & excuſandi mei, interdum inſero: quid ſi etiam contra importunos, & irrumpentes iſtas muſcas? Hæc ſcribere, hæc facere me volunt, ſuadent, iubent: arripio illam ægida, & rationem qui non audiunt, hoc ſcuto terrente depello. Sed cogitent etiam, ſeorſim & apud plures non iniuſtè dicta: quæ nunc in vno faſce adſpecta faſtidium habent, nec leguntur vt diuiſa. At de Busbequij morte, ſcio errorem: ſed adnotabitur. & tamen famam Epiſtolæ, non hiſtoriam iui inſertum. Eſtne aliud? propria etiam tua, ſed amica, ſed iuſta (agnoſco) querela, de primis libris meis non ſemper ad te miſſis. Gaudeo requirere & poſcere, & culpam excuſare nolo, ſed emendare. Habes hìc *Epiſtolas*: habebis *Politica*, quæ iam recuduntur. Habebis & magnum *Senecam*: in quem vtinam dignum aliquid moliti ſimus! *Stoïcam* tamen *doctrinam* ſeorſim illuſtrauimus, & ipſum breuibus Notis, & (Inuidia audiat) alibi bonis. Omnibus placere, nec ſpero, nec opto quidem: mihi hoc opus vnâ cauſsâ, quòd fortiorem aut meliorem me fecit. Salue, & ama me ex animo, qui eo tuus ſum, mi anime. Louanij, xi. Kal. Octob. ∞. IↃCIII.

*Editæ nobis xviii. Kal. Nouemb. pro xv.

EPISTOLA LXXXII.

I. Lipsivs Ioanni Woverio *ſuo* S.D.

Feliciter, acclamo, mi Woueri: vtinam præſens poſſem! Sed vel ſic abſens facio, & corde itero: nemo magis ex illo. Equidem iamdiu tibi felicem talem copulam deſtinabam, & merenti: vt tua probitas & modeſtia, atque etiam ingenij & morum elegantia eſt, quâ vel imperitos meliorum tuarum artium & partium ad te ducas. Benè eſt, habes. Nam de dote, vberem audio; de parentibus, honeſtiſſimos; de ipsâ aliquid ipſe dixerim, & probè memoriâ teneo vidiſſe. Suauis mihi viſa, morata, proba: ſi nihil horum eſſet, apud te fiat. Iungere, fruere, & nouellas ſtirpes, paruulos Woverios, nobis pange. At me quòd velut auſpicem nuptijs tuis optas, vereor vt fiat. Mea *ad Senecam* iam mitto Antuerpiam: ipſe venire imminente hieme, & attenuante valetudine, diſſuadeor. Sed venio, non venio, mente & cogitatione adero: teque & tuam, mi Woueri, tam fideliter amabo, quàm æternum Numen me velim. Id porrò cœpta tua ſecundet, & ferente aurâ in portu votorum tuorum noſtrorumque ſiſtat. Vale mi optime. Louanij, v. Kal. Octobr. poſtridie quàm Bruxellâ redij, vbi dies duos modò hæſi.

EPIST. LXXXIII. *Bruxellam.*

ÆGIDIO MARTINIO *Syndico ciuitatis Bruxellenſis.*

EPISTOLAM tuam fateor gratam mihi fuiſſe, ſicut & ſermonem, quem tecum ante menſes duos circiter in hac vrbe ferebam. Vt enim in iſto prudentia tua, & erga me ac parentem olim meum affectus, elucebat, ac iure capiebat: ita in litteris hæc ipſa exprimis, ſi non clariùs, certè firmiùs, quantò conceptæ ſcriptioni maior eſſe fides & auctoritas, quàm extemporali ſermocinationi ſolet. Itaque meritò & rependo affectum tibi, & in filium etiam, quem hîc habes, deriuo: quem ſi non cauſſam, tamen occaſionem huic amicitiæ noſtræ dediſſe, videor poſſe affirmare. Enimuerò quid officij manare à me propriè in te poſſit, vix video: in filium fortaſſis aliquid, quem in hanc Academiam, velut ad mercatum optimarum artium, miſiſti: & dirigere hîc eum, atque etiam inſtruere, pro otij & virium meatum copiâ, aliquid poſſum, & volo. Ciuem enim patriæ amantem me profiteor: cui quid ampliùs conferre aut commodare poſſum, quàm vt liberos cùm ipſe non habeam, alienos, & præſertim veſtros talium, qui aliquando ad rempublicam admouendi ſunt, formem ad eam ac concinnem? Adnitar equidem, aut potiùs tot annos iam adniſus ſum, quà ſcribendo, quà docendo conatus meliorem & doctiorem reddere iuuentutē. Is enim, Deo teſte, laborum meorum finis ſcopuſque eſt: & Fama ſi ſequitur, non magis huic laborauimus, quàm is qui in Sole currit, vmbræ cauſsâ id facit. Sed de filio tuo, tantò libentiùs manum illi porrigam, quò magis beniuolentiæ tuæ nunc debeo; & quia ingenium atque indoles etiā eius inuitant, ad bonum honeſtumque facta. Gaude in tuâ ſtirpe, & ſolatia inter afflictæ patriæ turbas, è domo tuâ magis magiſque (Deum ira precor) cape. Eumdem, Vir Clariſſ^me^ & Prud^me^, vt te reipublicæ, cui laudabiliter operam præbes, incolumem ſeruet. Louanij, v. Kalend. Octobr. ∞.IↃCIII.

EPIST. LXXXIV. *Antuerpiam.*

IOANNI WOVERIO *ſuo.*

ET quando magis te meum oſtendiſti, quàm in hoc *Eucharistico*? à cuius lectione duplex affectus me habuit, lætitia & pudor. Lætitia iterùm duplex. vel quia laudabar à te. gratū autem & optabile placere iis, qui ipſi nobis placent: vel quia ſic laudabar, id eſt ſcitè, doctè, diſertè. Hæc enim qui in ſcripto tuo non agnoſcit, aut liuor aut ſtupor eum habet, & in veruecū patriam à nobis relegetur. Quàm inuentiunculæ multæ raræ, & argutæ ſunt! quàm imagines ſepoſitæ, & tamen appoſitæ! quā ipſe ſtilus ſine tumore altus, ſine affectatione eruditus! Mihi hæc ſic viſa, fateor; & placuerunt omnia, præter argumentum. Nam quòd me laudandum ſumpſiſti, qui laudem? Pudor ille refinet, quem dixi: qui etiamnunc habet, & pugnat iudicio, & tua eùm amem, damno. Non ſum ille quem facis, & in ſublimi ſic locas: deſcendo, & conſcientia me detrahit, & nemo meliùs quàm ipſe me noui. Quid tamen eſt? cùm tua relego, pudor iterùm pænè exſulat, & videor aliquis eſſe, quia tam fortiter & impreſsè vis eſſe. Ita ſentis quæ dicis, ita tibi apptobas, vt me quoque in partes trahas, & credere adigas, quæ nec eredo. Non plenè quidē credo. nam tangere te interiores meos affectus, qui de proximo noſti, non diffiteor: & laudabiles conatus exprimere, ſi non ſucceſſus. Omnia cur reijciam?

—— *aliquem mens ſpirat honorem*
Conſcia factorum.

Nam vt candidè tecum, & ſenili quadam libertate loquar, dona habui & exſerui, quæ non omnes mei ſtudij aut æui. Iudicium inprimis Deo acceptum refero, & ab eo ordinem in ſcribendo & diſpoſitionem, vel paucis veterum vbique ſic vſurpatum. In ſparsâ quauis & confuſâ materiâ ſeruaui, & partiri ſemper aptè ſtudui: quod Socrates alibi apud Platonem *diuini viri* cenſet, ego *diuini doni*. Et ab eo donum alterum adſcribo, Eloquentiam: quæ in ſermone aut ſtilo aliqua fuit, atque ea facilis & profluens: quod in ſtrictâ & argutâ breuitate nec habeat quiuis, nec credat. Illa ipſa breuitas, quod imputo, ſine tenebris fuit: & multa paucis ſic dixi, vt influant & ſe diffundant, & vel plura videat dixiſſe. At tertium & præcipuum, quod iudicij, ingenij, eloquij, ſtili quidquid in me fuit, in publicum contuli, & vſui, non pompæ, volui ſeruire. Vide mea vel à iuuenilibus annis, ſemper ſcintillæ aliquæ ad Virtutem aut Prudentiam prælucentes: ſemper animus ille apertus, amans generoſi & honeſti. At grādior paullò, non iam occulto aut obliquo tramite, ſed palàm & tectâ illuc iui. Ego ad Sapientiam

tiam primus vel ſolus mei æui Muſas conuerti: ego è Philologiâ Philoſophiam feci. Vide *Conſtantiam* meam, dicet: vide *Politica*, idem: & hoc vtrumque opus eſt, cui vita fortaſſe cum Latinis litteris manebit. Quid in *Tacito, Plinio, Epiſtolis, Militiâ, Admirandis, Senecâ*, nónne finis idem & fructus apparet? Hæc ſunt, quæ in cenſum, ſed non à me deféro: ingratus ſim, niſi diuina dona agnoſcam, & gloriam ab ijs etiam tribuam auctori. Sed ecce longiùs eo. ſcriptum tuum remittere tantùm, & cum vero elogio volebam: de me ſiquid addidi, apud te licuit, mei ſic immodicè amantem. Louanij, III. Nonas Nouembr. ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXXV. *Bruxellam.*
MAXIMILIANO PLOVVIERIO.

LITTERAS quas daturum me dixeram ad Buiſſonium, ecce hîc habes. Mittere eas tuæ curæ erit, quam vltrò tibi impoſuiſti, pro affectu quem in illum & me habes. In me certè, nuper in ſermone largiter declaraſti: & ſi non verba, ipſe vultus & oculi tui feciſſent fidem. Etſi quid ambigerem? eadem vterque amamus, id eſt Bona & Honeſta: ex quo ſequitur & adhæret; vt inter nos etiam amemus. Senecæ noſtri dictum eſt, è Porticu promptum: *Inter bonos viros amicitiam eſſe, Deo conciliante.* Eſt ea veritas. Deus, imò & natura, facilè iungunt, ſtudijs & voluntatibus iam iunctos. Itaque ſicut credidi promptè & libens de tuo in me affectu, velim te pariter de meo: quem bonum, fidum, atque etiam firmum reperies, nec niſi cùm ego ſoluar ſoluendum. Id fortaſſe breuî, vt ætas & valetudo mea ſunt: tamen nec paruus circulus minus perfectionis quàm magnus habet, nec Amicitia tempore, ſed veritate æſtimatur. Vale mi Plouuieri. Louanij, VI. Kal. xbris. ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXXVI. *Lutetiam.*
SEBASTIANO ROLLIARDO I^{to}.

BRVXELLAE & in Aulâ eram (ô ſedem pro Lipſio!) cùm tuas accepi. Gratas, ſuaues: quid opus me affirmare? ſemper vegeſco, & velut effloreſco, cùm aliquid à meo Rolliardo. Atquin & libelli tui adiuncti, dona Muſarum: ille de Paſſeratio, bonus, & pius, ac manibus eius ritè ac meritò à te factum. Vbi hodierna gratitudo? quid autem in mortuis ſperemus? vix viuis aliqua manuum applauſio, & vocis fauentia: & irriſus aut paſtoritiæ σύριγξι excipiunt, & à tergo manus motæ. Ferenda hæc omnia, pro æui Genio, aut iter hoc famæ deſerendum. Nuper ego aliquid *de Veſtâ*: probare te gaudeo, etſi melius illud iam damus, & addimus quædam, & mutamus peccata ὡς ἀνεσοιξίας. Etiam *Porticus Sophiam*, in duo volumina diſtinctam: ſed tenue & argutum opus, & aliquis dicat χελιδόνων μουσεῖα. Æuo noſtro obtinent iudicia, quę olim calcata; & ſcis quâ diuerſa tota hæc ſtudiorum via. Sed tamen Senecæ cauſsâ id quoque exantlandum fuit: feci, & gaudeo factum. Quod à veſtro Autocratore vocatum me, & perhoneſtè, cenſes: ita eſt. nec tamen audiuimus, & à patriâ, in hac ætate atque imbecillitate, nemo me commoueat,

* Οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσον ψάμαθός τε κόνις τε.

**Non mihi ſi dones, quantum eſt cum puluere arena.*

Apud te ſeriò dico. Labet hęc patria noſtra, ſiue ruat: ego cum illâ ad diſcriminis aut fati metas eo. Ad eaſdem illas, & vltrà, te mi Rolliarde optime & doctiſſime amo. Louanij, VIII. Kal. Febr. ∞. IↃCIV.

EPIST. LXXXVII. *Florentiam.*
CVRTIO PICHENAE.

ALTERAS tuas vidi, & Inſcriptionem veterem adiunctam, fide exſcriptam: ſanè bonam & rerum veterum, de quâ iudicium meum ad Mercurialem veſtrum iam perſcripſi Marcelli honori non eſſe poſitam opinabar, ſed Caij aut Lucij Cæſarum: quò ratio magis, & æuum ibi notatum ducit. Felices vos in talibus iſtis curis, in altâ & beatâ pace: nos litui circumſtrepunt, & in ipsâ hac ſtudiorum ſede, arma & miles. Tædet temporum; & niſi Philoſophia ſubleuet, iamdiu iaceam, & in parentis magnæ ſinu recondar. In Tacitum aliquid à te promiſeras hiſce Nundinis: librarius Syllabus negar, & nomen tuum non oſtendit. Ego *de Veſtâ* nuper aliquid, & nunc melius vberiuſque damus: item *Stoicam Philoſophiam* ſex libris comprehenſam. noli erigi, non eſt pro veſtrâ Aulâ. Spinæ ſunt, aut Paradoxa: & in re fortaſſis alta, in ſpecie non videntur. Senecam adiungimus, & hoc fine Antuerpiam imus. de quo ſic iudicare te, gratum mihi neque inopinatum fuit. Quæ bona mens aliter poteſt? ego autem etſi propiùs te, nec niſi ex ſcriptis, haud noui: tamen tam ſcio de ſenſibus tuis, quàm de meis, pænè dicam. Vides quid mihi vindicem? nec fallet me ſcriptorum tuorum character, in quo probitas & iudicij rectitudo com-

compatent. Pauca verba facio, quia ab equi lapſu ſaucius & æger: ama me, ſeriò & conſtanter idem factutum. Louanij, III. Kal. Febr. ∞. IↃCIV.

EPIST. LXXXVIII. *Veronam.*

FRANCISCO POLAE Illmo ex animo S. optat.

Tv verò Vir Cl^me non prouocas me ad amicitiã, ſed adigis: nec amore ſolùm (cui meum quî negem?) ſed iudicijs & beneficijs: ſic enim *Elogia* tua iure debeo interpretari. Legi, amaui magis quàm probaui: nam quomodo tam honeſta, vel magnifica potiùs, de me & ingenio meo poſſim? Mi Pola, veteres haud temerè Amori oculos clauſerunt: affectu, non iudicio, videt: & habet pulchra atque haberi vult, quę ipſe cenſet. At ſæpè fallitur: & tamen vel ſic amandus eſt, quia ex ſenſu ſuo & candore, ſine malâ fraude, agit. Tu verò is es, qui iudicio alibi & in alijs præſtes, imò etiã in grauioribus cauſſis præeas: ſed verecundia mea & modeſtia ſequi cunctantur & retractant, & de me ad me appellant. Quid tamen facio? quid ipſe reſiſto, & te ſiſto? quin vela potiùs affectui tuo pando, & adſpiro: & ama vel falſis me cauſſis, dum ames. Hoc valdè cupio: de reliquis ætas ſequens dicet, quę Gratiæ aut inuidiæ expers, ingeniis ſuum cuique pretium rependet. Ego affectui tuo ſetium affectum: per Genium Famæ iuro. Louanij, prid. Kal. Febr. ∞. IↃCIV.

EPIST. LXXXIX. *Valentianas.*

HENRICO D'OVLTREMANNO V.C.S.D.

Dii deæque, tuos verſus! ſtupui ſimul, & rubui: illud in ingenio tuo, ſic acuto, ſic vario; iſtud in laudibus, quas ſupra modum is in me effuſum. Non me fallis, ô amice: fontem à te, non à me habent: id eſt ab affectu tuo, non merito Lipſiano. Sed benè tamen, quòd verſus ſunt: & vel eo titulo præſcribant, fidem non promitti. Ego aliquid ſubitò in eos luſi, & hîc habebis: ſed vix verſus. ita humiles ſunt, & languidum incedunt, vt vel tecto oculo tuos vix auſint inſpicere. Antuerpiæ iam fuiſſem, niſi caſus me tenuiſſet, & verè caſus. Equuleum ex dono habeo, quo vehi ſoleo ad exercendum & ambulandum; alienis ſcilicet pedibus, ætate iam grauiore. Ille meus vector mecum lapſus eſt, & crus & tibiam, ſed leuiter, adflixit. Ita domus me habet, nõ tamen lectus: & cùm iſte, tum *Exſequias Lipſio licet ire.* adeò quies mihi inimica eſt, & gaudeo ac viuo motu. Bruxellæ etiam fui, & vidi Comitem Stabuli Caſtellę, Principem iam olim in me affectum. Item in litteras. quas vtinam Deus & Æuum coli magis velint, quàm triſtem hunc Martem! Sed heus, ecce Verſus

* * * * *

Iam place tibi in tuis bonis, qui tam malos meos vides. Quæris quod è tam magnâ tuorum copiâ approbem imagini noſtræ ſubſcribi? iſtud, nec voto melius optari poteſt.

LIPSIADAE, *velũ eſt Timantis, imago. videri*
Non niſi ſub piceâ Sol quoque nube poteſt.

Hoc mihi & Modeſtiæ meæ amicum, vt omittam argutiſſimam inuentiunculam cetera bona, aut optima: ſed Inuidiã habeant, me quidẽ viuo. Ne prouocemus: inter nos amemus, ſeriò, acriter, conſtanter. Louanij, Kalendis Februarijs, ∞. IↃCIV.

EPIST. XC. *Peruſiam.*

M. ANTONIO BONCIARIO S. *corde* D.

Qvas natali meo ad me dediſti litteras accepi, etſi ſeriùs, imò tardiùs: neque enim ſerò ad me aut fruſtrà tam amicæ litteræ poſſint peruenire. Amaui te meritò, vt primùm ex epiſtolâ & te, & affectũ in me noui: & magis amare cogor, quò propiùs certiuſque (Virtus hoc habet) noui. Nam & epiſtola hæc certè, optimi & pulcherrimi animi index, delectauit: & Carmen tuum ad DIVAM LAVRETANAM valdè opinionem de te meam auxit. An non faceret ſic eleganter, doctè, altè, piè ſcriptum? Atque ipſo tempore venit, quo ego in pari argumento eram, aut potiùs ſummam illi manum iam imponebam. Nam & ego, mi Bonciari, peculiari ſemper in Matrem Virginem cultu & affectu, DIVAM HALLENSEM ſcripſi, & beneficia eius ac miracula partim ſolutâ, partim ſtrictâ oratione, ſum complexus. Nihil exſpecta ad tuum Carmen: aliquid ad animum, quo erga Diuam nolo vinci. De *Senecâ* etiam meo breuî arbitraberis, fecerímne pretium operæ poſt Muretum, & Gruterum, & alios: quod profectò, vt rectè iudicas, arduum ſit nec alicuius è populo præſtare. Non me attollo, nec debeo: ſed aliquid contuliſſe in Sapientiæ illum patrem, tes, ſpero, apud te dicet. Libens autem (vt ad tuas iterùm litteras) legi de Carolo Emmanuele Pio à Sabaudiâ, ſtirpe & ingenio & ſtudio illuſtriſſimo adoleſcente: quem quòd erga me etiam affici ſcribis, gaudeo, & in beneficij loco

loco hoc pono. A te, an ab illo acceptiſnam & te iudicio aut teſtimonio aliquid cōtuliſſe, vel ad eliciendū, vel ad augendum affectum, pænè habeo perſuaſum. Etſi talis illa indoles ſponte etiā amat, & ſurgit ad cōplectendos, in quibus Honeſti aliquas flāmulas videt. Vt perſeueret, à me eum roga, & mutuū facere affirma. Vt tu pariter, mi Bonciari, rogatus eſto, o inter paucos Italiæ tuæ lumen. Louanij, XIV. Kal. Mart. ∞.IↃCIV.

EPIST. XCI. *Veronam.*

ANDREAE GHIOCCO S. D.

AMOREM tuū variè & ἀληθινῶς oſtendis, neque vlla epiſtola à te eſt, in quâ non illum nudum videam & expreſſum: idque ſine colore aut fuco. Non redamem te? ſic facio, vt Deum me velim: & Deum ipſum teſtor. Scripſi ad te ante dies quindecim: & iterùm debeo, vel Boneiarij noſtri cauſsâ. Quàm ille de me benignè & * μεγαλείως? nimis, & vellem in publico temperaſſet. Nondum eò venimus, vt Sol noſter vmbrā non habeat, & claritas aliqua non liuoris nubem. Sed ille verò fortiter, tamquā ego ſim * … ἐν ὄμμασιν αἰετός: quod nō eius amori, non tuo etiam credam. Nam & tu hîc * ὑπὲρ τὴν ἀξίαν, & ad extrema laudum iuiſti, me non ſequente, & in terrâ etiam meâ hærente. Non ſum aut ero ille * … Sed ad ipſum Bonciarium ſcripſi, iam e litteris ad me & famâ notum, & certè à niueo iſto pectore (vt doctrinā omittam) amandum. Nec tu arbitrare de alijs Italis qui melioris & priſci, vt ſic dicam, ſanguinis ſunt, me dubitare. Fuerit vnus ille neſcio quis hybrida, qui proteruiter in me immerentem: ſed ab alijs quidni affectu exſpectem, & expoſcam etiā, quem ſcriptis dictiſque meis omnibus in eos oſtendi? Dabunt, & dabo: & creſcentes iſtos ingenij flores mutuo fauore irrigabimus potiùs, quam liuore amburemus. De * tecum ſentio: acre ingenium, iudicium eſt vbi d[illegible]ſideres, & addo maturitatem. Stemma illud, tuo commodo, vidiſſe velim. Ego pluſcula nunc edo, *Ad Senecam* Notas perpetuas; item *Diuam Hallenſem*, miraculis apud nos claram; item *Monita & Exempla* [illegible]*tica* libros duos, in guſtu; item De *Magnitudine Hebræa* libros quattuor. Quid ais? [illegible] ſumus hac hieme? Cum tuo autem Pindaro, χρὴ δ' ἐν … μέτρα … Vale Vir Cl^me^ & æternùm meus. Louanij, prid. Idus Mart. ∞.IↃCIV.

De Illmo veſtro nuper ad te, nunc ecce ad il-lum. At tu Flaminium noſtrum Valerinum à me amplectere, & grates gratias pro ſcito Epigrammario redde. Corām ego hoc facere ἤδη ἐλπίζω … .

* magnificè.
* … tam … aquila.
* ſuper meritum.
* qui calumniatur.

EPIST. XCII. *Lutetiam.*

IO. VERGERIO AVRANO S. M. D.

GAVDIVM mihi ab aduentu tuo, & felici itineris meiâ; ſed maius gaudium ab affectu, quem purum & magnum in me oſtendis. Et accipio equidem, & ſine retractatione admitto. vel quia candorem tuum noui; vel quia à meo melior, qui talis talem poſcit. Nihil mihi das, ſed ſoluis. Perſeuera tantùm, & ipſum me, non quæ alij de me, vide. Ille * * cur mihi infenſus, vel certè aduerſus ſit, neſcio: non meruiſſe, hoc ſcio, & vt alia mihi detrahat, virum bonum ſciat, & candidatum bonarum artium ac veræ Philoſophiæ, neque aliud iacto. O miſeri, quò rapimur ad æmulatiunculas aut calumnias, in alios Lyncei, in nos Homeri? Mi Vergeri, hoc in primis vitare te hortor & rogo, in alios inquirere, te negligere: contrà fiat, benigni in omnes, ſeueri vel aſperi in nos ſimus. Socratis præceptum vetus erat:

* Ὅ, ττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Hodie contrà fit, & emiſſitios omnes oculos habemus. At illi, vt volent, iudicent: ego in viâ rectâ conſtanter ambulo, ab æmulatione, ab ambitione prauâ auerſus, & quò debeo verſus, id eſt ad Sapientiā & Deum. De ipſâ Galliâ, ſcis quā amem: ſed non hos nouitios libros, quos mittis, leuiū & exſultantium ingeniorum fœtus. Nihil in ijs ſolidi, maturi, aut, non dicā vetere, ſed nuperâ Galliâ digni. MILES ille quidē palàm * … , … Alia de illo audieram: ſed eùm legi, errorem meū, furorem illius vidi. A Thuano ipſo Hiſtoriam exſpecto, vetere amico noſtro, & tum arbitrabor. De doctrinâ vel induſtriâ, non ambigo: ſed, vt hoc æuum eſt, rarâ quadā prudentiâ opus ad placendum, vel potiùs non diſplicendum. Sed qui ſapit, poſteritati etiā ſcribit. Nos in languore, plus ſolito, ſumus: ſed te, mi Vergeri, & acre tuum ingenium non languidè amamus: fac mihi idem, vel eo nomine merenti. Louanij, VII. Kal. Iul. ∞.IↃCIV.

* Audium in propriis quid … aedibus geratur.
* dementis, aut amentis, …

EPIST. XCIII. *Lutetiam.*

ABRAHAMO BIBRANO *Equiti Sileſio.*

ANTE paucas [illegible]ras tuas accepi [illegible] vide quàm gratas [illegible] di[illegible] in diem reſponſum non potui, & animus adegit ſtatim re-

ponere & pariare. Panare, inquã, ab affectu quidem: quem puto me non tuo magis, quàm meritis & huic indoli debere; addam etiam induſtriæ, à quâ magna ego quidem ſpero. Delectat in animo, cùm video Germaniam ſic excoli, & has velut faces accendi, quæ magis magiſque illuſtrabunt. Perge amice, & me vel opinione futuri oblecta: nam rem vt videam, vix in valetudine hac ſperem, quæ præcipitat, non iam labitur aut labat. Non ſunt verba: triſtior vobis fama vereor vt dicat. Nimirum eundum eſt, & faciendum quod facere nati ſumus. Benè, ſi non omnis mei ſub terras memoria ibit. Viuat in vobis amicis aliqua; in te mi Bibrane, quem in hoc album nunc adſcribo. Lapidem quem mittis, vidi eum admiratione aliquâ, & rarum, perrarum, externis Regibus ſic poni. Vix tamen eſt, vt ſuppoſuerit, niſi doctior aliqua manus: nec credo. Tamen ambiguum etiam reddunt, quæ in hiſtoriâ haud certa vndique notas: & examinanda ſunt, neque temere & de plano ſententiam feram. Illud de plano promitto, amicum te mihi nouum, ſed carum eſſe: perſeueremus quod cœpimus, conſtanter. Louanij, XVI. Kal. Sextil. ∞.IↃCIV.

EPIST. XCIV. *Burdigalam.*

I. LIPSIVS PETRO BRACHIO S. D.

O GRATVM mihi de te, quid ab ipſo te? audire: quem ego quidẽ fuiſſe arbitrabar, & in beatis iam locis cum Amatâ tuâ perénare. Nam anni duodecim & vltra ſunt, cùm ſilentium à te fuit, nec niſi memoriâ Brachius apud me vixit. At epiſtola hæc tua amica, larga, elegans, te, amorem, ingenium, omnia viuere & vigere oſtendit: atq; vt diu ſit, à propitio Numine veneror & precibus quæſo. In me certè, idem amor tui: non vires aut ingenium, quæ fuerunt: & hac parte ruere me ſentio, nec gradu ſed curſu ad metam ire. Itaque & ſcripta hęc mea (non enim ceſſamus) ſenile illud & effœtum fortaſſe afferent: nec tu me cenſe flumen perenne (vt ſcribis) & inexhauſtam fœcunditatẽ eſſe. Do manus, & Valetudo vt corpus, ſic animum libat: non tamen Sapientiæ illa decreta, quæ firma in ipſo hærent. Dedi STOÏCA quædam nuper, & nunc SENECAM ipſum: haberes à me, niſi interualla hæc terrarum impediant, & beneficium meum ex impendio onus reddant. Tuos quidem verſus libens viderim: & vis ſincerè? libentiſſimè Epiſtolas, quibus in tuâ linguâ vix eſt vt politius, & ſine affectatione, maturâ quadam elegantiâ & alacritate ſuauius prodeat. Ita cenſeo. & à me, ſcio, quos melior Deus tali animo donauit. Hæc nunc pauca, in occaſione mittendi ſubitâ: at via facta eſt, ſæpè commeemus. Me quidem & Iuſtitia adigit diligere ſic diligentem. Vale V.C. Louanij, XVI. Kal Sextil. ∞.IↃCIV.

EPIST. XCV. *Inſulas.*

IOANNI SEVRIO S. D.

FRATREM tuum vidi, litteras tuas vidi: illum & iſtas per-grátas. Caſu incidit, vt curſor adeſſet ab Aulâ, qui dimittẽdus eum litteris fuit; & fratri non potuerim dare tempus, quod largum eſſe affectus meus volebat. Neque enim de eo ambige: ſum conſtans in amore, cuius cauſſa & ſolum, vt ſic dicam, firmum eſt: ſuperſtruximus, & ædificium nimbus aut procella qualibet non euertet. Silui, fateor, etiam tu, ſed amor in animo eſt, & cogitationibus ſuſcitatur & viuit. Hoc mihi factum, certo ſcito: & de te idem ſpero, non cùm ero ſolùm, ſed cùm hîc non ero, id eſt verè ero. STOÏCA noſtra vidiſſe te video: ſed lege vt ſemina aliqua Bonæ Mentis, non vt totam meſſem colligas, & Æuum noſti. Noſti & valetudinẽ meam? languemus: Decreta bona ſunt, & fortaſſe Iudicia: ſed promercomnia, & decorè producere, illa (Valetudo, inquam) & alia quædam vetant. Vno verbo, volo quæ non poſſum. At tu faſtidire mihi in munere tuo videris, quod alij multi ambiunt: quid cauſſæ eſt? Si me audis, quietem ſpecta, & illi aliquod fulcrum: cole deinde animum, & quæ amas ama. Homines ſumus, multos imò omnes ſeruitus aliqua alligat, catenâ aureâ ſiue ferreâ, ſed ligat. Nemo animum. ille emicat, & euolat, & orbis terrarum ei eſt anguſtus. Cogita, in libertate es: & pone teneriores illas cogitationes, quas Imbecillitas aut Ambitio dictant. Ad morem vulgi ſi reſpicis, nuſquam in tranquillo eris: appetes, aut faſtidies: ad Naturam, id eſt Rationem, ſi te vertis, vbiq; portus & quies oſtenditur, intra & nauim ſiſte. Hæc nunc breuiter. Seneca meus plura dicet, ſed ipſe. nam ego breuis fui, nec vllo in ſcripto minùs libuit diffundi aut euagari. Cùm illum examino, quid addi poteſt? à nobis nihil, niſi aliquid ad lucem: ab Epicteto multum, quem tu robur & fulcrum iunge. Vale mi Seuri. Louanij, IX. Kalend. Sextil. ∞.IↃCIV.

EPIST. XCVI. *Neapolim.*
D. Io. Andreae Prochnicio
Legato Ser^mi Regis Poloniæ.

Bona fide fatebor, litteris tuis ſic candidè & calidè ſcriptis, motũ aliquem animi me ſenſiſſe, & ipſum quoque incenſum eſſe ad redamandum, & affectum reponendum, quem Iuſtitiæ quadã lege debebam. Quid enim æquius, verius, quàm amare qui amat, & quod ſponte ac Naturæ quadam lege debemus (homo enim ſociale animal) promptiùs fideliuſque præſtare, altero inuitante? Inuitas enim me, Ill^me Domine, aut trahis potiùs, eo ipſo quo te oſtendis. id eſt, dona animi atque ingenij tui exſeris, quę vbertim magnus ille Deus in te contulit atque effudit. Non amem te appetentem? ſi nolis amem, modò vt norim: & vltrò faciã, quod te video feciſſe. Itaque manus offero & iungo: parum eſt: offero animum & Vulcanio modo iungo, atque amicitiam ineo, non niſi cùm ſoluar, ſoluendam. Veteres illi aſtrorum quædam defluuia conciliare nos volebant: ego ad morum conſenſionem Ingeniorumque veriùs referam, aut certè propiùs: & qui eadem atque honeſta volunt, neceſſum eſt vt inter ſe etiam velint atque ament. O quàm ego illum Honeſti ardorem veſtigijs litterarũ tuarum colligo! beatus es, & inſiſte, eo ipſo præmium habiturus, quo amas. Me autem etiam amas, quia in ijſdem ſenſibus tecum putas: nec vanè, ſi de conatu vides: quia tendo ad optima, etſi multa retrahunt, & valetudo in primis, quæ à viginti iam annis votiua non fuit. O quoties in viã iam aut curſu retardauit, & ad optima pergentem, mihi alijſque vtilia, deſiſtere coëgit & reduxit! Nunc magis, quàm anteà: cùm ætas ingrauaſcit, & illa incumbit; ego ſuccumbo, etſi animo reluctor, & illo ſolo ſto etiam & ſuſtento. At tu, quę tua benignitas eſt, medicinam etiam promittis: quam auidè accipio, non equidem vitæ auidus, ſed vt munera ſaltem mea fungi poſſim, dum viuo. Nam nunc profectò langueo, & in illis etiã deficio. atque vt artifex peritus, ſi citharam pulſat fidibus ſolutam aut diſſonam, artem quidem tenet, non exercet: ſic mihi fit, qui ſcio quæ non exſero, & animum attollentem ſe corpus deſerit, aut humo affligit. Ignoſce tu, & alij: in primis autẽ, ſi ſponte amaſti me, nunc reſpondenti hoc perſeuera & præſta: & me inter eos numera, quos ex aſſe (Deum teſtem aduoco) tuos dicas. Amicitia hæc, vt mundus, initium habuerit, non etiam finem. Vale Ill^me & Reu^me Domine. Louanij, VI. Kal. Sextil. ∞.IↃCIV.

EPISTOLA XCVII.
Evstathio Woloviczio V.R. & N. *Lithuano.*

Nvmqvam mihi grata eueniant, niſi grata epiſtola tua obuenit. Quid ita? quia ſic amanter ſcripta, quia ab homine è longinquis illis oris miſſa, ad quas vel Lipsi nomen perueniſſe multũ ſit, quid affectum dicã? Nam de æſtimatione & laudibus, tibi remitto: etſi nec ea ingrata, fateor. quia nec irridere, nec palpari te ſcio: ergo amare. Nam iſte, iſte affectus, eſt pater earum laudum. Velſero etiã noſtro, inter multa, hoc debeo: qui pararium ſe & conciliatorem interpoſuit honeſti noſtri amoris. Cuius viri vſumfructum pænè equidem tibi inuideo: in quo theſaurum earum rerum habes, quæ homini ingenuo appetendæ ſint, vel amandæ.

—— *illo ſe pectore multa vetuſtas*
Condidit, & maior collectis viribus exit:

vetuſtas, inquam, vel artium vel morum: & vtroque titulo in Europâ noſtrâ claret. Sed de me, venio in amorem tui candidè, firmiter: & vis ſponſionem? Demetrium Solikouium (ô virum magnum!) in ijs locis amiſi: veni in locum, amabo vt amaui. Vltrà non poſſum: ſi placet, reſponde. Munera, quæ ad me mittere ſcribis, nondum vidi: & via longiuſcula eſt: ego ad te Divam meam Hallensem, amicitiæ teſſeram: & ſic admitte. Vale & me ama, cùm ero: memento, cùm nõ ero. Louanij, III. Kal. Sextil. ∞.IↃCIV. Litteras adiunxi à populari tuo, qui hîc nunc agit, ſic rogante.

EPIST. XCVIII. *Auguſtam.*
Marco Velsero.

In laudes meas nuper ibas, & Stoïca noſtra, faciebas admiranda: nondum in accepti Codicẽ retuli; expungere licet, ſi pœnitet: & vereor, cùm legeris, iam feciſſe. Primus aſpectus, vt in multis, ſolet imponere: illa æuũ ferunt, quæ ad manũ relata poſſunt placere. Sed vtcumq; eſt, animus meus vobis, & mihi materies illa placuit: hoc etiam, quòd abſolui, & labore, ſuprà quàm credat vulgus, ſum defunctus. E latebris illa mihi educenda, & moroſè diſponenda fuerũt, vt corpus doctrinę facerem: & ſic tamen (hanc legem mihi dixerã) vt nihil niſi ad Senecæ

lucem præcipuè eſſet. Sed edidi: abeant, & famam, quam Deus & Genius dabunt, habeant. ſecurus ſcriptorũ ſum, vt anxius ſcribendorum. En hîc ad Wolouiczium, operâ tuâ noſtrum: tu autem merito tuo ſemper. Louanij, III. Kal. Sextil. ∞.IↃCIV.

EPIST. XCIX. *Mechliniam.*

NICOLAO OVDARTO.

SILENTII mei cauſſa, quòd DIVAM noſtram exſpectabam, vnà mittendam: ſed operæ morantur, & tuum deſiderium non fert morã, & ſcire vis de valetudine noſtrâ. Cape non læta, mi Oudarte: & ea quoq; ſilentij cauſſa. Tres menſes iam, & ex quo vltimùm te vidi, ſum in aſſiduo languore: nec reſcuor, etſi omnia conarus. Vires abeunt animi & corporis: & ad marcorem, hydropem, an vtrumq; imus? Vt Deo viſum erit: nam de viâ parum eſt, modò ad optatam metam, id eſt ad ipſum. Corpuſculum hoc eſt, vt putre & caducum ædificiũ: ſæpè fulſi & ſuſtinui, vndique nunc labat: & cogitandũ eſt, non quî ſeruem, ſed quî exeam. Dolet de *Senecá*, quod vltimam manũ non licet imponere: atque illa eſt quæ decorem dat, & conſummat. Hæc ita ſcribo, non quia deſperem me poſſe reſurgere, ſed quia expedit ſic opinari, & præſumere quidquid hominem manet. Nauta in tempeſtate, & cùm mors ante oculos, omnia tamen facit, & fracto etiã velo aut malo nauigat: idem ego, facio faciamque omnia, & Deo euentum & me permittam. Iste mi optime & amiciſſime Oudarte poſt me ſcruet, quod mihi ſolatium & altera pænè vita erit. Louanij, XIII. Nonas Sextil. ∞.IↃCIV.

EPIST. C. *Antuerpiam.*

I. LIPSIVS IOANNI WOVERIO *ſuo* S. D.

SILVI ad tuas nuper. neque rei multum erat, de quâ reſcriberem; & ego languidus, vel cum illâ iuſtè ſilcam. Vt tibi dicam, non me reficio, nec in veterem ſtatum gradumque repono: neque valdè nitor aut cupio, vt id quoque liberè promam. Quid opus eſt? ſi annos computo, ſatis diu vixi; ſi famam, ſatis; ſi voluptatem aut moleſtias, illam guſtaui & his ſatur ſum:

Cur non, vt vitæ plenus conuiua, recedam?

Si etiam ea, quæ vitæ meæ genus & profeſſionem ſpectant, intueor; piget videre quæ video, & tempus, antequam alia video, abire. Litteræ vanitas fiunt; malignitas, acerbitas, pugnæ fiunt: vides cottidiana, & à magnis, exempla. Remedium quî demus? ne conſilium quidem, aut monitum: partes & religio intercedunt. Tu Modeſtia, tu Sapientia, quid niſi nomen eſtis? Atqui & ego prouocor in hunc campum, & publici iam libelli volant. quid cenſes? ſpectaculum me fore? Ingenuus ſum, & nullum auctoramentum ducet ad hos ludos. Neronis potiùs mihi votum illud ſit, *Neſcire litteras.* Reum me facere aliquis poteſt, nemo nocentem: & ad loquendum cùm iniuria prouocet, arcet & cohibet non ratio ſolùm, ſed natura. Ego ita ſum, faciliùs culpam quàm protectuiam admiſero; & damnari, quàm malo more vindicari. Scilicet ego reſcripto meo alogias alijs excutiã; ſcilicet me maiorem aut meliorem, quàm ſim, faciam, & poſteritati iudiciorum legem aut modum donem. Nugæ. & ſi à magnitudine animi aliquid ſumendum ſit, iactate me malo, quàm defendere. Ego inter mei ſæculi ingenia gloriam, ſi non palmam, fero: & hoc amicis meis volentibus dicam, confitentibus etiam qui non amici. Et ab aliquot libellis, ſiue etiam epiſtolis, æſtimemur: ſanæ doctrinæ, & fortaſſe eloquentiæ ſumus, nec à melioris æui laude nimiùm ſegregandi. Quorſum iſta? familiariter, & apud amicum: denique *glorioſa eſt virtus*, ait quiſpiã, *nec oſtendit ſe ſolùm, ſed ingerit.* Ad rem redeo: neque viuere nunc valdè appeto, & pugnare etiam fugio, in quemcumque, à quacumque cauſsâ. Cùm volumus, initia à noſtra manu ſunt; cùm cœpimus, non eſt finis, & extra lineas res abit. Quiſquis aliter, ipſe viderit. æui prioris euectus adhuc me docuit, neque ſcripta iſta perennare, neque ſcriptores in gloriâ eſſe: & malo apud poſteros modeſti, quam acris ingenij, cenſeri. At tu amicum me, vt ſemper, cenſe mi Woueri. Louanij, VI. Idus Maijas, ∞.IↃCV.

APPROBATIO.

Hic liber Epiſtolarum Clariſsimi quondam IVSTI LIPSI *diligenter examinatus, nihil repertus eſt habere contra fidem Catholicam, aut bonos mores. poterit ergo ad multorum vtilitatem imprimi. Quod teſtor 20. Decemb. 1606.*

Egbertus Spitholdius S.T.L. Canonicus & Plebanus Antuerp.

IVSTI LIPSI
EPISTOLARVM
SELECTARVM
CENTVRIA QVINTA
MISCELLANEA
POSTVMA.

ILLVSTRMÆ STIRPIS, EXCELLENTMÆ INDOLIS

THOMAE SAMOSCIO

MAGNI IOH. F.

VETERIS AC NOVI SAMOSCI DOMINO PRINCIPI IVVENTVTIS.

POSTVMÆ huius, & vltimæ LIPSIANARVM
Epiſtolarum Centuriæ, ILLMI nominis tui
gloriam prætexere, THOMA PRINCEPS,
non tam noſtri inſtituti, quàm defuncti Au-
ctoris quaſi eſt mandati. Si enim non tantùm
quæ iſtis in paginis plurimis locis de Heroicæ
virtutis PATRE tuo ſcripſit, legimus; ſed ma-
gis quæ ſæpè, imò ſemper de illo dixit, recoli-
mus: tunc ſubit, non modò omnibus præſentis æui ſummatibus
æquiparaſſe, ſed planè cum olim incomparabilis famæ hominibus
compoſuiſſe. Nam vt illius temporis vel pauca ſtrictim nomina
reuocemus; quid in Catone, Tullio, ipſoque etiam Iulio, ſic glo-
rioſa ſuorum æſtimatrix vetuſtas extulit, quod non meritò in
IOANNE SAMOSCIO MAGNO POLONIÆ CANCELLA-
RIO ET EXERCITVVM PRÆFECTO, ventura poſteritas agno-
ſcat & veneretur? Adde, quòd illi adiuti temporibus lætiſſimis,
Italiâ Româque cultiſſimis: quibus debere mores illos, tam felici-
tatis fuit; atque iiſdem noſtrâ ætate & remotiſſimis SARMATIÆ
in locis excelluiſſe optimæ maximæque eſt laudis. Catonem ſan-
ctitas, & infractum pectoris robur probauit. Ciceroni, Eloquen-
tiæ decus, & ſeruatæ Patriæ gloria, parem gratiam reddidit. Deni-
que Iulium, non tam à Dis origo, quàm per omnia diuinæ poten-
tiæ æmulus animus, ſideribus aſſignauit. Citra aſſentationem,
MAGNANIMI Patris FELIX Fili, loquor: ánne in illo tuo pari-
ter & Patriæ Parente, rectitudinem Reſp. aut conſtantiam etiam
in aduerſis vmquam deſiderauit? Eloquij ſanè diſertiſſimi & ſa-
lutaris opis bona ſic ſemper ſubminiſtrauit; vt, ne ſecum deſine-
rent, etiam proſpexerit. Poſtquam enim, optimarum artium cul-
tus quid regnorum præſidibus prodeſſet, ſuo ſatis exemplo con-
firmaſſet; Muſarum celeberrimum Athenæum, HIPPEI SA-

MOSCIANI cum titulo, publicis & perennibus POLONIÆ vſibus conſecrauit. ô laudem, & famæ, quia non interituri fructus, æternitatem! Supereſt Cæſareæ imaginis typus, quem militiæ artibus, patientiâ, ſucceſſibus noſtro ſæculo ſic reddidit, vt poſt veterem illam memoriam, vno tantùm diſſimilitudinis genere, ab illâ Veneris (ſed quam Mars armatus amauerat) ſtirpe diſceſſerit. Quibus enim ille armis patriam oppreſſit, hic ſeruauit. Quibus Gallias ille toto decennio, ſed ſibi, ſubiugauit; hic à SARMATIÆ limite, bono publico, Dacum, Parthos, ingentibus ſubmouit ſtragibus; Moſchum Lithuaniâ expulit, Sueciæ Tyrannum non ſemel fregit. Denique XXIV. annis inter militares florentiſſimi regni viros ſic belli præfecturam ſuſtinuit, vt gloriâ plenus, offenſæ neſcius, ab armis non antea quàm è vitâ diſceſſerit. Talem LIPSIVS HEROA, quoad vixit, ſuſpexit; idque, ſi fata tuliſſent, pluribus ſempiterni ingenij monumentis teſtari conſtituerat. Verùm ah! non toto vertentis anni ſpatio illum ſuum POLONIA extulit, huic Europa etiam cum lacrymis parentauit. Ita nihil ſummum diu conſiſtit; & qui humanum faſtigium exceſſere animi, vti cælo proximi, ita citò ad illam beatitudinis ædem & lubenter tranſeunt. Nec aliter tamen (habet hoc omnis inclyta virtus ſui præmium) à nobis & terreſtribus hiſce receſſiſſe vterque videri poteſt, quàm à luminis ſui auſpice, & roſeâ vt ſic dicam matre, antelucanus Sol ſolet. Iſte enim apud originem ortumque totus aſpicitur, quia adhuc terris adhæret: ſed mox vbi cæli conuexa ſcandere cœpit, omnes bonis illius fruimur, nemo intentè aſpicere conatur. Tale meritò fulgidiſſimis hiſce eueniet, in cæleſtem claritudinem, à vitalis huius lucis tenuitate ſublimatis, quidquid enim à vicinitate mortalitatis, quaſi nubium nebularumque adhæreſcere videtur, dies demet; ſupraque ætatis ſuæ conſpectum prouecti, ſempiternâ ſæculorum veneratione vigebunt. Verùm huiuſmodi, & recurrentis doloris ſingultibus æquales, dum cogitationes conteximus; ecce alterum mœſtitiæ huius membrum illis ſupereſt, qui deſertam tuam pueritiam, annoſque infra primam adoleſcentiam poſitos, cum miſeratione æſtimant. Hos licet indoles tua ſecuros facere poſſit; tamen Illuſtriſſimi dignitatibus, coniunctiſſimi ſanguine & amicitiâ SAMOSCIANA quatuoruiri, ætatis & familiæ tuæ curatores, pro te ſpondent: GEORGIVS SAMOYSKI EPISCOPVS CHELMENSIS, NICOLAVS ZEBRZYDOWSKI PALATINVS ET GENERALIS CRACOVIENSIS, MARCVS SOBIESKI PALATINVS LVBLINENSIS, STANISLAVS ZOLKIEWSKI CASTELLANVS LEOPOLIENSIS ET EXERCITVVM PRÆFECTVS CAMPESTRIS. Hem, quanti, qualeſque viri

te

te manibus ſuis gerunt, oculis obſeruant, cordibus curant! Imò ottum ſimul SARMATIAE Regnum, quos à PATRIS tui morte oculos turbauit, in te reficit: te MATRIS tuæ aureum partum, Patrij non magis ſanguinis ſobolem, quàm virtutis heredem, cum ſolatio aſpicit & amat. Erigere

O decus eximium, & magnis virtutibus auge

tuorum de te conceptam ſpem, exſpectationem omnium. Nos quoque procul poſitos de te cura exercet; dum quis vultus, ætas, profectus tuus ſit, ſtudioſè inquirimus. Creſce & adoleſce, GLORIOSISSIME PRINCEPS, vel in reliquæ Europæ inuidiam; & non ſummo adhuc ſtudio, languidas tuæ fortunæ paſſim adoleſcentium inſtitutiones, te ſuperaſſe audacter cenſe. Tam enim ſpernitur hoc futuræ vitæ ſummum bonum, vt vbique pænè gentium ignoretur. Omnis tamen ætas docuit, humanitatis artibus, & florentibus ingeniorum virtutibus, imperia creſcere & floreſcere. Macte tu ſaltem. nam paterna per veſtigia euntem par pro paribus virtutibus æternitas manet.

Vouemus & FELICITER acclamamus,

LIPSIANI TESTAMENTI *Curatores*;

NICOLAVS OVDARTVS, *Canonicus & Officialis Mechl.*

GVILIELMVS WARGNIRIVS, *Canonicus* D. PETRI *Louan.*

IOANNES WOVERIVS *Antuerpienſis.*

INDEX
EPISTOLARVM SELECTARVM
CENTVRIÆ V. MISCELLANEÆ.

ÆGIDIO *Schondoncho V.R.* xvj.
Andreæ Chiocco V.C. xxxv.xlvij.
Andreæ Schotto V.R. xcv.
Antonio Perſio xxxvj.
Aſcanio Columnæ S.R.E.Cardinali lxiv.
Auberto Miræo Canonico x,lxxix.
Auguſtino Valerio S.R.E.Cardinali xlviij.

B

Balthaſari Moreto ſuo lx,lxxxj,xcij.
Balthaſari Robiano, Conſuli iij.
Bartholomæo Petro Lintrenſi, Doctori Theologo xxvij,lix.
Bernardo Macieiowskio, Epiſc. Cracouienſi xxiij.
Bonifacio Beuilaquæ S.R.E.Cardinali lxxiv.

C

Carolo Archiduci Auſtriæ, Imp. nepoti & pronepoti xcj.
Carolo Duci Croyo & Arſchotano xxv.
Carolo Philippo Rodoano, Epiſc. Brugenſi lxix.
Claudio d'Auſquio, è Soc. Ieſu iv.
Curtio Pichenæ xxxiv.

D

Dauidi Hilchenio, Regi Poloniæ à Secretis lviij.
Demetrio Solicouio, Archiepiſcopo Leopolitano xxij.
Dionyſio Villerio V.R. xvij,xxvi,lxxvij.
Dominico Auengochéa I^to Senatori Regio xix.

E

Emanueli Pio S.R.E.Card. lij.
Erycio Puteano ſuo v,xiij,lxvi.

F

Florentio Vander-Hario Canonico lxvij.
Franciſco Harlæo Abbati S.Victoris l.
Franciſco Mariæ Sagri Illyrio xxxij.
Franciſco Queuedo Viro Perilluſtri lv.
Frederico Borromæo S.R.E.Card. lxxxviij.
Frederico Morello vij.
Frid.Taubmano lxxxvij.

G

Gaſpari Diemeno lxxvij.
Gaugerico Riuio I^to ſuo lxij.
Georgio de Magna Concice Minſchez xxiv.
Gerardo Buytewechio ſuo xlvj.
Gulielmo Richardoto ſuo ix,xxxvij.

H

Hadriano Florentino I^to xcix.
Henrico Halmalio V.N. xcv.
Henrico Vanden Eede, cognato ſuo lxxij.
Henrico Vveno I^to vj,lxxvj.

I

Iano Grutero xlv.
Ioanni Aquilario Aluarado xlij.
Ioanni Andreæ Prochniçio Legatò Ser^mi Regis Poloniæ lxiij,lxxxiv.
Ioanni Baptiſtæ Baronio ſuo xviij.
Ioanni Bapt. Sacco xcv.
Ioanni Bapt. Salazario lvi.
Ioanni Bapt. Siluatico lxxx.
Ioanni Buſſonio Conſiliario xxxviij.
Ioanni Chokiero I^to xxviij.
Ioanni Gauerellio I^to lxxv.
Ioanni Miræo Epiſcopo Antuerpienſi xc,xcvj.
Ioanni Richardoto, Præſidi lxviij,xcvij.
Ioanni Samoſcio, Regni Poloniæ Cancellario j.
Ioanni Vergerio Aurano ſuo xlj.
Ioanni VVouerio ſuo lxxxiij,lxxxvj.

L

Leonardo Leſſio, Theologo Soc. Ieſu xxj.
Ludouico Beccatello lxx.
Ludouico Nonio Doctori Medico liij.
Lupercio Leonardo Argenſola xx.

M

Marco Antonio Bonciario xlix,lxxj.
Marco Velſero V.I. xj,xl,xliij,li,lxxxix.
Matthiæ Houio, Archiepiſcopo Mechlinienſi xv.

N

Nicolao Hacqueuillio xij.
Nicolao Oudarto ſuo xxxj,lxxxij.

P

Paullo V. Pontifici Opt. Max. xcviij.
Petro Colins xxxix.
Petro Orano I^to. xxix.
Petro Pantino V.R. lxj,lxxij.
Petro Peckio Conſiliario xciij.
Philippo Rubenio ſuo viij,xxx,xliv.

R

Remaclo Roberti ij.

S

Sebaſtiano Maccio Durãtino Viro Perilluſtri liv.
Seraphino Oliuario Sacri Palatij Auditori xxxiij.
S.R.E. Cardinali lxv.
Simoni Simonidæ lvij.
Staniſlao Krziſtanouuicio lxxxv.
Oratio de Calumniâ, *loco centeſimæ Epiſtolæ.*

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA V. MISCELLANEA, POSTVMA.

EPISTOLA I.

I. LIPSIVS IOANNI SAMOSCIO, *magno Regni Poloniæ Cancellario, & Exercituum Præfecto.*

ILLme DOMINE, Deum ego teſtem capio interioris meæ voluntatis, quàm ſæpè adſpirauerim ad reſcribere, & cultum promere quem virtutibus tuis debitum, in iſto velut Veſtali ſecreto clauſum ſeruabam. Adſpirabam; ſed occaſio numquam fuit, aut rima aperta per quam erumperet: nunc videtur factum, & Simonides atque Hilchenius tui, manum præbent, & præeunt vt veniam & me ſiſtam. Ego facio: ſcis quomodo Vir maxime? vt ſi vel ad Regem aliquem magnum venirem, tui verens reuerenſque, & mixto affectu amans. Profectò in omni genere virtutis tuę, in bello, in pace, parem hoc ſæculo, imò & ſuperiore: parem? vix ſimilem habuerunt, & libero ore ac puro iudicio profitemur. O Stephanum regem magnum! ſed & magno te adiutore & adminiſtro: qui alter heros, benè coniunctus cum heröe illo eras. Fructus Europa vidit, audiuit, & tui etiamnunc ſentiunt: & tu gloriã peperiſti, quam edax illud tempus non abſumet. Quam gloriam, mihi crede, illuſtrat & auget varia & remotior doctrina, quã ipſe es imbutus: & quam in oris illis tuis ſuſcitas & propagas. O nate in exemplum virorum Principum, atque vtinam ſint qui imitentur! Non me fugit, quam humanitatem, aut potiùs benignitatem, iterumque potiùs beneficentiam, noſtratium quibuſdam etiam exhibueris, qui peregrinati illic ſunt; & inter eos Douſæ filijs: qui Douſa (dolenter ſcribo) ante dies circiter quindecim fatalem ſuam metam adiuit. Cui me etiam ſæpè valetudo tenuior, & omni motu afflictior, admouet: viuo tamen hactenus, & tuus viuam cultor, mirator, cliens. Illme Domine, non epiſtolam hanc cenſe, ſed animi interioris ſenſum: iterumq́; teſtem illum, quem nemo fallit, inuoco: & tutorem eum tui adnoco, veneror que. Louanij, VI. Idus Nouembr. ∞.IↃCIV.

EPIST. II. *Bruxellas.*

REMACLO ROBERTI S. D.

REMITTO Soranzam tuum, de quo equidem benigniùs iudico, quàm de illo Peregrino, vt ſe appellat. cuius cauſſa ab initio vt bona fuerit, corrupit eam malè & aſperè agendo. Et in reges cui hæc libertas aut ius datum? Sed omittamus. ſcio alia alijs iudicia: ego autem Horatianum illud ſubmurmuro,

Non vt porticibus, ſic iudicijs fruar ijſdem:
cum vulgo, dico. Ad Legatum librum mitto, & eum ſalutis & obſequij mei delatione trades. Statui omnino, quod ſcribis, aliquid ad eum pangere: ſed opportunitas exſpectanda eſt. Ex animo apud te depono, digniorem hoc & alio honore ego, è nobilitate, in Belgicâ nondum vidi. Sed patriæ noſtræ quid fiet? Hoſtis vigilat, apparat, inuadet: nos ſedemus, frigemus, & votis auxilia optamus. Ventura, an iam venerunt? nam herè aures meas fama tetigit, triremes cum milite in Morinos appuliſſe. Ego autem non tam de milite, quàm de conſilijs laboro: & Mineruam iungi equidem velim cum noſtro Marte. Qui Mars nec Pannonijs ſecundum ſe præbet, ſi vera quæ hîc ſparguntur de nouâ illîc clade, an proditione. neque enim diſtinctè & liquidò etiam ſcio: ſi per te, gratum erit. Vale vir amice. Louanij, poſtrid. Kal. Mart. ∞.IↃCI.

EPIST. III. *Antuerpiam.*

BALTHASARI ROBIANO, *Conſuli.*

ANTVERPIAE veſtræ hoc, an Deo & Fato adſcribam? ſed vtri, ego melior valentiorque paullò ſum, poſt libatum aërem veſtrum, perambulatam vrbem, flumen nauigatum, denique poſt ſermo-

nes ſuauiſſimos veſtros & conuictum. Non ſum quidem (ne fallam) in veteri illo virium vigore: ſed ſpero paullatim tangere, ſi Deus manum non ſubducit. Spero, non confido. quid enim certi hic eſt? & quid hanc vitam, niſi vt mare, dixerim eſſe? Semper in eo fluctus aliqui, ſæpè tempeſtates, iterumque malacia & riſus. Tale in vita: iactamur, concutimur, curis, aut morbis: denique iterùm hæc meliore & mitiori ſorte, aut valetudine, mutantur. Optem in republicâ noſtrâ ſic eſſe. alternum, inquam, aliquid interuenire. Sed quid niſi adſiduæ procellæ ſunt? & iam ab annis plus triginta oculis non vſurpauimus amœniorem aliquam lucem. O Deus, itáne ſemper iudex & vindex nobis es? numquam geres & efferes etiam patrem? Spero equidem, & vel vicinorum exemplo confirmor, qui cùm aut in bellis palàm, aut eorum metu eſſent, præter opinionem pace fruuntur: & bonis nobis apertum ſemper ſtabit templum hoc Iani? non ſtabit: induceias, ſi non pacem dabit, & reſpirare paullùm, ſi non reualeſcere, patietur. Corde eum togo, & te V. Clariſſ. Reip. tuæ, quæ te & quam tu amas, diu ſaluũ eſſe. Ecce autem & Carmen ſubitò ſcripſi, argumento quod initio dixi: habe & lege, ſi eſt tanti. Louanij prid. Kal. Iunias, ∞.IↃCII.

Duos illos noſtros ſaluere cupio, Schottium & Wouenum.

AD ANTVERPIAM, & inibi AMICOS.

ANTVERPIA, vrbium ocule, amata Lipſio,
Et æſtimata vrbes ſupra omnes Lipſio,
Quàm volupe mi te luminibus iſtis fuit
Vidiſſe nuper, atque amæna mœnia
Lento perambulaſſe identidem pede?
Quàm volupe pariter, illum amicorum gregem
(Ita dico: plures namque ſunt) illum gregem
Sermonibus fruitum eſſe, vel conuiuijs!
O nectar, ô ambroſia, & ô meis malis
Leuamen vnum! tibi, quòd animam ducimus,
Adſcribo: tibi, quòd tangimus chartam & ſtilum.
Tu ſola morbi Phœbus audies mei,
Tu ſola ſoſpitator Æſculapius.
Quid me futurum porrò, nouit hoc Deus,
Vitæ arbiter necisque: ſed ero, non ero,
Tuus ego viuus, mortuusque. quod hac manu,
Hac mente teſtor: MAGNVS AVDIAT DEVS.

EPIST. IV. *Inſulas.*

CLAVDIO D'AVSQVIO, è Soc. Ieſu S. D.

MANVM tuam agnoui, & libens vidi: quòd ſi non illam, ſtilus tamen prodebat. Quàm pauci enim ſic ſcribant (neminem dicere religio ſit) inter meos Belgas? Sed domum te rediiſſe, & placere eam, hoc placet: quod idem mihi. Ego curſu vorſoriam cepi, nec vela aut remi faciebant ſatis: adeò fugiebam iſtos amicos quidem, ſed qui

[a] Εἰλαπινάζουσι, πίνουσί τε αἴθοπα οἶνον.

Corpuſculum meum & viriculæ, vt ſic loquar, non ſubſiſtunt nunc iſtis. Sermones alioqui capiunt, & illa comitas Antuerpienſium propria: ſed huic quoque melli fel ſuum, & natali ſorte noſtrâ

[a] —— Οὔποτε φῦλα ὁμοῖα ... ἀνθρώπων
Τερπωλῆς ἐπέβησαν ὅλῳ ποδί.

Ergo pedem ſtruxi, & redij. Apud me nunc ſum, ſed nondum ille, qui Italo reſpondi. Tunc [b] θερμὸς καὶ ἀκμή, vt ais: nunc interneum nihil aut feruens, ſed [c] πήρωσις καὶ χάλασμα καὶ ψυχρότης. Agnoſco imbecillum illud [d] καὶ ἀκατάστατον hominis, & vitam hanc fluxum & refluxum vel Euripi illius eſſe. De Baſilio tuo, putem ex illo promiſſo publico te poſſe in vtramque aurem. Nam de nomine tuo omittendo, & tam inſigni plagio, quî poſſit? Æuum ad omnia praua, fateor: ſed nondum, opinor, [e] ἀναιδείῃ ἵππος ἀχάλινος. Si erit, nos in gyrum reducemus vel publico ſcripto. nam mihi hæc pernôta. Ad Silium quod attinet, nihil te moretur, ſi decreuiſti. Amicus ille ab Antuerpiâ, [f] μεγαλοπράγμων magis, quam [g] πράκτης, nec vltrà verba aut promiſſa res ibit. Imparem etiam puto, vt rem dicam. [h] Δεὶ τοῦ Δαμᾶ, pura ab Alexandro mihi impreſſam [i] σφραγῖδα σιωπῆς. Sed neque ſuadeam ad illum, ob cauſſas quas coràm mallem. Vale V. R. & animo huic care. Louanij, v. Idus Iunias, ∞.IↃCII

[a] Conuiuantur, & interponunt pocula Bacchi.
[a] — nunquam hominum infelicia facta
[b] Gaudia libamus pura & ſalſa. — Spiritus & ſanguis
[c] ſenium & languor & frigus
[d] & inſtabile
[e] Impudentia ſine effreni.
[f] magna agitans
[g] actor
[h] De Dam.
[i] ſigillum ſilentij

EPIST. V. *Mediolanum.*

ERYCIO PVTEANO ſuo S. D.

VIDEO te meas non accipere, atque ita fruſtrà pænè ſumere operam ſcribendi. Cuia culpa eſt? non mea hercules, qui triâ & vt putamus tutâ viâ mitto. Fraudes vbique, vnum remedium terre. Sed hoc mirum, nec Epiſtolas meas vos vi-

vidiſſe? Quinque earum Centurias edidi, & Septalius ac tu in numerum venitis. Amplius, Italo veſtro reſpondi, quiſquis hominum ſit; ſed reſpondi. Non merebatur hoc cordati iamantè, & poſt reſponſum meum quiuis dicet: ſed exempli intereſt retundi ſic proteruos & fatuos, nec eos ſolùm, ſed (ex priſcâ formulâ) QVORVM OPE CONSILIOVE hæc ſcripta. Audio & alios ibi eſſe qui hunc Pelian velint recoquere, id eſt Tacitum necare: faciant, ego vltrà non oppono, nec iudicium præeo, quod haud magis inſeri docendo poteſt, quàm guſtus aut odor. Dij deæque! quàm in animo iſto ſuaue, vidiſſe meliora, nec ſecurum ſolùm eſſe, ſed præiuiſſe! Alij abnuunt: quid promouent? ille in bono & recto ſitimus

— *per obſtantes cateruas*
Explicuit ſua victor arma.

De Cardinali Borromæo, & eius in optima ſtudio, volupe audire. quod autem quærit, de *lapide in aceruum Mercurij miſſo* (in ſacris ita ſcribitur) non aliud arbitror, quàm ad morem veterem alluſum, qui ſic habet. Mercurius viarum præſes, & Græcis verbis, ὅδιος, ἐνόδιος, ὁδηγὸς, in biuijs aut triuijs effingebatur trunco habitu, & in lapidem rudem, quadratum, quos *Hermas* Græci vocabant. Ij ſignum erant & indicina viæ: atque vbi non illi, moris vt lapides aliquot aceruarentur, qui vicem eorum & vſum ſupplerent. Itaque pauci illi coniecti aut diſpoſiti augebantur pietate an ſuperſtitione tranſeuntium: & Hebræus ille Sapiens nunc dicit, Beneficium aut honorem inſipienti dare, aſſimile eſſe illi, ſiquis in aceruum talem lapidem velit iecisse. Nam beneficium quidem eſt, viatori puta: ſed nemo imputat, quia dator ignoratur: tale in fatuo, cui beneficium ſi confers, perdis. Septalium conualuiſſe, triumpho & gaudeo, virum quem iamdiu habeo optimum doctiſſimumque, & melioris illius æui germen. Saluta, amplectere; ego te, & tu virtutem. Louanij, XII. Kal. Sept. ∞.IↃCII.

EPIST. VI. *Antuerpiam.*

HENRICO VWENO I^{to} S. D.

FILIOS tuos iamnunc apud me in leuiculo prandio habui, quos libens ſanè video, & in ijs ipſum te. Placet vtriuſque indoles & induſtria; etſi cum aliquo diſcrimine, quod in ſermone faciliùs edam. Deum ſeruare eos tibi precor, virtuti & reip. creſcere, heu quàm inopiâ virorum, aut certè conſiliorum, nunc laboranti! Quæ fiant, omnes videmus; quæ futura, timemus: & quæ facula bonæ ſpei allucet? Ego niſi tenebras & confuſionem non video: atque inuitus vel in hunc labyrinthum ſermonis venio, implexum, & exitus ignarum. Quæ ſentio, dicere non lubet, & ſine fructu ſit: ſileo, & philoſophiâ meâ me inuoluo. Legi quæ amicus ille (tuus alter) ad te ſcripſit: quid cenſes? miratum me? nihil. Nota & præcepta hæc mihi ſunt: & ſcio à quo fonte ſumant. Ecce, hæc ſuggeri & doceri poſſunt: ridentur, ad ineptias & futiles ſubtilitates eunt, quæ ipſi *Ingenia* appellant. Ridere nos quoque poſſemus, ſi Pietas & Patria non agerentur: nunc ringimur; & quod vnum ſupereſt, frænum mordemus. Beati amici, quos intereà ad beata loca mittimus! Ego hìc & alibi pluſculos hoc anno: ſecuturus alacri gradu, cùm euocare Imperatori meo viſum. Vellem cum Schottio & Robiniano hæc altercare nobis in ſermone liceret, ſed non mœſtis: paratis ferre & ſubire quodcumque iugum Deus imponit, ſed Pietate ſemper ſaluâ. Inſigne documentum, ſi vlla ætas, hæc dat, & (vtinam fallar) dabit, quàm ſine prudentiâ potentia inermis ſit, & inefficaces manus habeat. Aula apud nos bis terque fuit: Aula. Aliud non habeo, videre & alloqui amicos ibi opto, hiems prohibet: ſaluere igitur iubeo, aliàs (Deus non inuidebit) videndos. Tuam ſaluto, & duos amicos, quos nominaui. Louanij, poſtrid. Kal. Nouembr. ∞.IↃCII.

EPIST. VII. *Lutetiam.*

FREDERICO MORELLO S. D.

SVAVES mihi tuas, ita Muſæ me ament. Nam ſilueras aliquamdiu, & ego pariter: quid mirum (in me quidem) vbi nubes hæc & mœſtitia temporum impendet? Amœna aut amica omnia à nobis abeunt: pro virili quiſque ſatagit tueri ſe, ſubſiſtere, nec aliarum rerum eſſe. Apud expertum loquor, & hæc Enyo Galliam quoque, & vrbem veſtram, infeſtauit: ſed minùs pertinaciter, & mitior Dea ſuperuenit, & * ἡσυχίη χαρίεσσα adſpexit, & ſibi vindicauit. O melior Galliæ pars, & animæ huius, vt ſic dicam, * ἡγεμονικὸν, ſic manete: & lucis ali-

* quies grata
* pars præcipua,

aliquam ſpem nobis facite, à luce illâ ve-

** non ſine diuino inſtinctu.*

ſtrâ. Ominor, & fortaſſis * οὐκ ἄνευ θείας ἐπι-πνοίας. Sed ad tuas litteras. ſignificas *De Bibliothecis* te vidiſſe, & placuiſſe. Argumento, non ambigo: tractatu fortaſſe, quia auctorem amas. Nam * εἰρωνεύζειν te mihi, abeſt à

** illudere* ** fraudulentias.*

candore tuo, qui non habet iſtos * φενακισμούς. Ceterùm, libellus exiguus: ſed vel præiuiſſe in hoc æuo, & immani bonorum contemptu, nónne magnum eſt? * Μαψιδίως fortaſſe,

** Fruſtrà*

vt Homeriſſem: ſed conſcientia ſufficit, & viderint qui delinquunt. De Italo, faciundum ſemel fuit, & iſtos * κνεφοβόλους reijciendum aut reprimendum. Dij boni, quæ copia eſt? In poſterum abſtineo,

** corruptelas*

Atque arma, defunctamque bello
Barbiton hic paries habeto.

Te amo, & vtinam fruar * ἕνα τῶν ἀληθινῶν φίλων,

** vnum ex veris amicis,*

—— cuius ſe pectore Graia vetuſtas
Condidit, & maior collectis viribus exit.

Sit & mihi in eodẽ locus; in meo quidem, * δι' αἰῶνος tibi erit: ſed & Morantium adiungam & curabo, quia tuum, & faxo vt re factum dicat. Vale ô optime, & * φιλοῦντα ἀντιφίλει. Louanij, v. Kal. Decembres, ipſo die quo tuas vidi. ∞.IↃCII.

** in æuum* ** amantem redama.*

EPISTOLA VIII.

PHILIPPO RVBENIO *meo* S. D.

LVBET adfari te mi Rubeni, in publicis priuatiſque malis, & quibus tolerandis animus eſt, vtinam in corpore tamen ſano. Audis ruinas noſtras, & ſonitus vel illuc te penetrarint: quid ſperamus, aut cui innitimur? Deo, nec præter illum nos iuuet. O vanas ſpes in nouâ dynaſtiâ! etſi optimos eos habemus, ſed neſcio quâ fati malignitate nihil adhuc in noſtram rem factum. De fato, quàm de culpis loqui malo: & in id æui venimus, vt tangi eas nolimus; & verè cum Liuio, *nec remedia nec mala noſtra pati poſſumus.* Quid ergo ſupereſt, niſi ad illum aſpicere qui ſuprà eſt, & cum poëtâ dicere,

—— Τὰ δ' ἄλλα πάντα μηλάσιν?

Fiat, ſileo, ſtilum aliò verto. Ad nos, mi Rubenî. & ecquid agis? quid in futurum deſtinas? nam in eo iam te eſſe vt decidas, rano & ætas, ſed & ſcriptio tua, dicunt. Deum veneror, vt cum duplici bono tuo fiat, interno externoque: ſi minùs, illo. Scripſi aliquid nuper, ſed tibi & ἀφρόνως: tecum habe, ruminare, & verbo veteri LENTE FESTINA. Si animum Philoſophi induis, vt debes & indoles tua poſcit; animum curabis eximiè, imò tantùm: cetera non deerunt affectuum modico, & iucundè clamabis,

—— Benè eſt, cui Deus obtulit
Parcâ, quod ſatis eſt, manu.

Longiùs ſi imus, extra terminos imus, & in vaſtum illud INFINITVM.

Si animus hominem perpulit, actum eſt, animo ſeruibit, non ſibi:
Sin ipſe animum perpulit, dum[illegible]uit, victor victorum cluet:

ait ille noſter, altâ ſapientiâ, etiam in ſocco. Ego de indole tuâ ſic confido, vt etiam ſine præmio bonum te futurum augurer, nec vel inter praua & prauos deprauandum. Et hercules de pręmio, ſepone in hòc æuo: quo Theognidis dictio vera eſt,

Ὤιχετο μὲν πίστις μεγάλη θεός, ὤιχετο δ' ἀνδρῶν
Σωφροσύνη, Χάριτές τ', ὦ φίλε, γῆν ἔλιπον.

Imus ad humilia, ſordes, vitia; & qui formandis animis pręſunt, quidam eò ducunt. O beatum me, qui mox hæc relinquam, & tutò ſpemam! Beatum & altero nomine, quòd in culpam non trahar, & conſilijs aut actionibus publicis numquam me inſerüi aut communicaui.

Καλὸν δέ γ' ἔξω πραγμάτων ἔχειν πόδα.

Itaque eâ cogitatione & ſimili, quam Sapientia cumque mihi dictat, ſuſtentor,

—— & meâ
Virtute me inuoluo, probamque
Pauperiem ſine dote quæro.

Quid ſi fugerem? bellum daret, & iam Miles ille incompoſitus & ex profeſſo (iuſſo non dicam) proteruus, itemque Sedirioſi, noua nunc manus, eò impellant. De iſtis, ſcito ad quatuor millia & vltrà iam creuiſſe; hoſtes iudicatos, nondum repreſſos; & omnia agere in agris noſtris ac ferre. Si videas audiaſque miſeriam; patriam miſerari velis neſcio, an odiſſe. Hæc publica noſtra ſunt, & priuatim mihi etiam bella. Ille Italus, quiſquis aut vbi fuit, me fœdo & inſulſo libello petiuit: reſpondi, non vt regererem ſordes, ſed à me abſtergerem. Fortiter feci; & auſim dicere, non reieci ſolùm hunc Andabatam, ſed deieci.

Οὐ κόμπος ἄλλως, ῥᾴδιον γ' εἰπεῖν τόδε,

ſi mea modò legetis. Sed apud me, non meâ cauſâ, ingemiſco. Heu, quo æuo viuimus? & cui vos ſurgitis? Sapere hortor, ſed vobis: ſi aperitis, non inuidiam ſed odium habituros. Timonis illa vetus ſecta publicè damnata eſt, & euanuit: vereor vt aliquis

teuo-

reuocet, cùm homines & iudicia hæc videt. Benè eſt, quòd non diu videat,

—— & omnes vna manet nox
Et calcanda ſemel via leti.

Calcauit iam noſter ille Micaultius, ô vir probus & pius! qui lento & medicis quoque ignobili morbo obijt, ante paucos hos dies. Quis etiam? Vibraudus ille Anskema, plenus ſpirituum iuuenis, & qui pænè cum Alexandro *manu vnâ Orientem, alterâ Occidentem tangebat*: obijt, inquã, populari morbo & δυσφήμῳ λοιμῷ exſtinctus. Eamus, altum ſpiremus: in carceribus noſtri curſus ſiſtendi aut abripiendi. Etiam meus Euerardus Pollio, olim in cõtubernio, deſijt viuere lentâ & pulmonariâ tabe exſtinctus. Ecce funera: ad viuos redeo, & Io. Wouerium noſtrum auidè nimis exſpecto. Per Batauos venire dicitur, ſecuritatis an viſionis cauſsâ. Veniat, amplectar, & pocula libabimus memoriæ etiam abſentium amicorum: inter eos tuæ, tuæ mi Rubeni. Fac idem,

Nigrorumque memor, dum licet, ignium,
Miſce ſtultitiam conſilijs breuem.

De Senecâ ſcio exſpectas: dico tibi, ne exſpecta. Famæ litare conati olim ſumus, nunc Quieti: & Seneca faciat ſuadeatque, ſi viuat. In hoc theatrum aretalogi prodeant & chreſtalogi; emaneant qui ſine fuco rem, non ſpeciem, præbent. Quàm diffundor? cum præſente ſecare ſermones videor: & es animo: opto te ſic affectum. Ita vale mi Rubeni. Louanij, VI. Kal. Nouembris. ∞.IↃCII.

EPIST. IX. *Patauium.*

GVILIELMO RICHARDOTO *ſuo* S. D.

RARO aut ſcribitis, aut ego quidem accipio: & video eamdem culpam, an caſum, in meis litteris eſſe. Quid faciam? feram, vt multa in hoc æuo, non pro altis boniſque ingenijs, vt rem dicam. Vaticinari lubet. intra paucos annos, ſi ſic pergitur, Doctrinæ melioris nomen Europæ ſubducetur, & barbaries ac ſordes erunt, quas aui noſtri viderunt. Τῷ δὲ θεῷ τοῦτο μελήσει: mihi, vt bona teneam aut appetam, & immotus ſtem contra malitiam aut inſcitiam ingruentem. Cadere, non cedere, poſſum. Sed heu illa ora etiam veſtra! olim luxit, & radios vel in has oras ſparſit: quid nunc? cum Pindaro,

*Λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἷός τε φέρειν
Τῶν ἀγυμνασίας ὕπο νῦν.

* Facem nemo ferre [illegible], præ imperitiâ hodie.

Pudet, cùm lego quædam: quid vel illa noſtri *Lucij*? etſi ego refutaui, verè —— *apinas tricaſque, & ſiquid vilius iſtis*. Et hæc illîc eduntur, leguntur, fortaſſe & probantur? ô murcidi, an murci, & ab omni honeſtiore militiâ iam ſoluendi. Sed ego ille alienus ab omni pugnâ, tamen refutaui, & mundo oſtendi, quàm verè olim Hippocrates: * Σφαλερὰ καὶ ἐπίπονος ἡ μετ' ἀδολεσχίας ἰσχύρησις. Etſi non ἀδολεσχία hîc tantùm, ſed * βαναυσία: atque ille fons præclaræ ſcriptionis. Quid tamen efficiunt? vt liberè dicam,

* Præceps & laborioſa, cum garrulitate confidentia.
* impudentia.

Multa Dircæum leuat aura cygnum:

atque illi tela non peruentura, adeò non læſura, ſpargunt. Quare igitur reſpondemus? non vt vlciſcamur, ſed vt emendemus: non aliter, quàm pueros compeſcimus laſciuientes. Sed de *Lucio* videbitis: nec velim alium vtique ὑπερασπιστὴν mihi dari. Non Segetum illum noſtrum, etſi offert: cui vtinam pro meo voto benè lauteque ſit! Sed ſcribe ſemel, quid mali fati aut vitij illum premat: *Καί μοι τοῦτ' ἀγόρευσον ἐτήτυμον.— nam iuuenem, olim inter meos, amo. Fratrem in viâ eſſe, lætus audio: Deus ad ſuos & ad me ducat. Tu autem Bononiam? nec illîc pro ſpe aut voto fortaſſe omnia reperies. Tamen vel repertis vtere, & quod ille ad Vlyſſem,

* Atque hoc mihi effer veraciter.

Ἔσθιε δαιμόνιε ξεῖνε, καὶ τέρπεο τοῖσδε
Οἷα πάρεστι.

Me autem ama: quod non facies, niſi illa quæ à me amare pergis, id eſt recta & honeſta. Pompa ne te abducat, vide. Louanij, XIV. Kal. Sextil. ∞.IↃCII.

EPIST. X. *Antuerpiam.*

AVBERTO MIRAEO *Canonico* S. D.

LITTERAS tuas, & quæ incluſa erant, accepi; atque etiam excuſationem, de raritate ſcriptionis. Scio non à neglectu eſſe, & mihi atque occupationibus meis dari interpretor libens. Sanè illæ creſcunt, & obruent me, niſi recido. De *Ferreolo*, gratum, pergratum eſt, tales in Sacro ordine reperiri, qui & hæc noſtra, veterum illorum Patrum exemplo, æſtiment ac ſciant. reſpondi. Mittes Antiquarium illud Carmen: ſi ſerium, quid niſi ineptiæ & animi error? ſin experimentum tantùm, abeat, nec per me notam aut laudem ferat. De *Antuerpiâ*, in ſermone memini nuper nos agere: in meis reperio memoriam eius,

anno Domini IↃCCCXXXVI. Caroli Magni imperio: *Normanni Anduuerpiam ciuitatem incendunt, ſimiliter & VVittham emporium iuxta oſtium Moſæ fluminis.* Ita Annales vetuſti, ſed incerti auctoris: nec antè memorari notaui equidem. etſi iamtunc aliquid magni fuiſſe, ex eo quòd *Ciuitatem* appellat, dicas. Iacuiſſe ab eo incendio aliquamdiu arbitror, ſed tamen inſtauratam: iterumque eius mentio, in rebus Henrici III. apud Lambertum Schaffnaburg. anno ∞.LXXVI. *Gozilo*, inquit, *Dux Lotharingorum, cùm eſſet in confinio Lotharingiæ & Flandriæ, in ciuitate quæ dicitur Antuuerpha.* Et paullò pòſt: *Marchia, quæ dicitur Antuuerpha.* Vides Germanos paullò aliter ac nos pronuntiaſſe, quod hodieque ſolet. Vides & ſitum eumdem: ſiquidem Brabantia noſtra tunc Lotharingia: denique vides iamtunc *Marchiæ* titulo inſignitam. Iſta nunc præ manu fuit ſcribere, alia à te (vt induſtria tua eſt) addes. De rep. circa nos nunc meliora. Timuimus certè, nec iniuriâ, Batauum validis copijs ſuccinctum. Vnde iſtæ vires? palàm eſt à ſe non habere. Vtinam res Gallicæ, & detectæ ibi inſidiæ, non dent alterum nobis hoſtem! Deum precor hæc auertere, nobis intendere & ſeruare. Vale mi Miræe. Louanij, XIII. Kal. Sextil. ∞.IↃCII. RR. PP. Schottum & Heribertum ſaluto. Accepítne prior ille quæ ad Senecam miſi?

EPIST. XI. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO V. I.

FECI quod volueras, etſi ego haud valdè vellem: ſcripſi, inquam, ad Maſium, in te pecuniariâ. Quid tu autem cenſes? Tagum aut Pactolum nobis fluere? mera hîc inopia, & priuatim ac publicè (pudet dicere) mendici pænè ſumus. Ego ille animo diues, & Stoïcorum dogmatis, in metallis iſtis delinquo, & de fide congiarij annui laboro. Ego, qui in gratiâ Principum & magnatum eſſe non diffiteor: ſed ſic laboramus, & diuturno iſto bello afflicti ſumus, an exhauſtos dicam? Tamen Maſius (actor tuus dicer) benignè reſpondit, facturum omnia quæ in copiâ eius erunt: dolere tantùm, quòd conſilijs eius ante biennium aures non præbuiſtis. Nam tunc res laxiores. Iſta de te, quam ſolam rem multi cenſent. Carmen N. accepi, & à tuâ interpretatione probaui. Nudum ſi viderem, quid afficeret? ſed *inuidiæ victa*, vt ais, *ſi hæc trophæa*, age, in porticu meâ aut portâ ſuſpendam: ſed non in *Senecâ*, ne erres. Eum differo, non omitto. numquam ſcriptorem illum & vnicum magiſtrum è manibus: non tamen ita, vt omnia publicemus. Reuerentia me æui & iudiciorum habet; elimanda ſunt, quæ illi conſcribimus, & iſtis delegamus. Sed heus tu, vidiſtíne qui ex tranſuerſo me petijt? vidiſti, etſi diſſimulas: iudicij autem vel & conſilij tui copiam voluiſſem. At nunc ſerum eſt. nam reſpondi. hîc habes: dic vel nunc quid de vtroque videatur. Satin' ego pro ſano, qui non ſanum reſponſi honore ſum dignatus? Difficile in iſtis temperate: etſi vſque adhuc Europa dicet modeſtum me, imò & per-patientem, fuiſſe. Quàm multis non reſpondimus? quos vt infantes vagientes habui, & riſu non ſcripto componendos. Non probo iſtos, qui ad ſingulos inſultus ſe parant & exſerunt, & in gladiatorem pugnant: nec tu mi Marce, ſi te antiquorum hominum & motum noui. Philoſophi ſumus? tranſeamus. Chriſtiani? patiamur, alieni ab excetrâ illâ delectorum omnium ſuperbiâ & vindictâ. Sed ſcriptum habes, iudica. vincar aut vincam, parum eſt: cum Ariſtippo, *Ego victus abibo iucundiùs, quàm ille victor, dormiturus.* Etſi non poteſt hoc bonis arbitris: quem te cenſeo, & mihi fero. Adiuncta ad Delrium noſtrum eunt: peruenient, obſecro, te mittente. Martialem, qui ad te & tuos, vidimus: multa bona: voluiſſem ſtrictiùs quædam dicta. Sed ille cauſſas ſuas habet: pro hoc æuo iuſtas, pro veteri improbandas. At ſcænæ etiam Roſcius ſeruiat, ſi viuat. Dij boni quàm longus ſum? quàm morem & ingenium meum migro? Amor eſt, in te iudicio ſuſceptus, & æternùm, æternùm, mi Marce ſeruandus. Si eadem tibi cauſſa, idem fac, & vale. Louanij, XVII. Kalend. Septemb. ∞.IↃCII.

EPISTOLA XII.

NICOLAO HACQVEVILLIO S. D.

TVAS libens vidi mi Hacqueuilli, cur non anteà? Decebat te, ſi vis rem dicam: & litteris etiam promptè adire eum, quem ſermone ſoles. Sed cùm feciſti, ſatis feciſti: in vnâ re hæreo, litteris Baronis Bonœuillij, quas tuis adiunctas ſcribis, & nul-

nullas in faſciculo vidi. Conſidera, periiſſe nolim: & ſi eſt, ſciat ipſe non vidiſſe. Viri illius gentem, & ipſum amo, eoque gratum fuiſſet mutui affectus teſſeram manum videre. De itinere tuo, Deus fortunet; itemque ſtudia, quæ in ipsâ Galliâ (ita audio) amplecti & exſequi te, equidem probo; dumtaxat vt tu totâ mente hîc te dones, dum ætas tua & publica iſta pax finit, bona nutrix artium, quarum Gallia veſtra ab annis mille quingentis ferax & felix, inter Europæ prouincias, fuit. Si ſcias, mi adoleſcens, quantum in ijs momentum ad prudentiam, ſapientiam, & vno verbo, veram felicitatem ſit; fortiùs & arctiùs amplectare. ſed crede nobis, & vanis ſepoſitis hæc vera & ſolida amplectere, tuo & publico olim bono. Pompa & ambitio ſæpè abducit, &, quod poëta ait,

—— nos vilis turba caducis
Deſeruire bonis, ſemperque optare parati,
Spargimur in caſus.

Sed excerpe te turbæ, paucis boniſque adiunge, & in tunicâ non lanæ aliquod filum, ſed purpura (vt ille ait) eſto. Hoc ſuadeo, hoc voueo mi Hacqueuilli: & iſta ſi amas (neque enim aliter) me amare. Louanij, Kal. ipſis Sept. ∞.IↃCII.

D. Legato parenti tuo S. & officia mea defero: idem D. Bani Thuano.

TESTIMONIVM.

QVI *ſubſcripſi teſtificor*, NICOLAVM HACQVEVILLIVM, *domi nobilem adoleſcentem, in optimis ſtudijs artibusque deditum, hîc annos aliquot egiſſe, me vidiße & frequentaſſe, ingenio eius & indole oblectatum. Vt in viâ cœptâ longiùs pergat, eius conatus, noſtra ſpes eſt & votum: preces etiam apud exteros, vt adiutum prouectumque velint. Naturam benignam reperient, ingenium facile; faueant, dirigant, & ad proprium & publicum bonum (ita natus eſt) ducant. Hæc breuiter, & teſtimonij fide*

I. Lipſius, Profeſſor & Hiſtoriographus Regius.

Louanij, Kal. Sept. ∞.IↃCII.

EPIST. XIII. *Mediolanum.*

ERYCIO PVTEANO *ſuo* S. D.

LIBENS tuas vidi, quia ex interuallo: & ſaluere te didici, & neſcio an benè, bono tamen animo in ijs locis eſſe. Sic oportet fato ſe aptare, & tranquillum, atque interiore animo hilarem agere, in omni ſorte. De epiſtolis meis non viſis, mirabar iure, nec iure mirabar. Poſt tot menſes non perueniſſe? Sed tempora & ſtudia cùm cogito, & quibus rebus artibuſque pretium nunc ſit, mirari deſino, atque etiam nugari deſino, id eſt hoc agere publicè quod hactenus egi. *Sera eſt in fundo parcimonia*, ait ille: ſed non ſapientia; & quandocumque ea venit, priora corrigit; & fluctus nihil obſtant aut incommodant, qui, etſi ſerò, eſt in portu. Deum immortalem! tali æuo nos viuere? & nos omitto: ſed illîc, vbi alta & immota pax, &, quod ſequi videbatur, ingenijs artibuſque honos; nihil in pretio, niſi pretium, eſſe? Indignor, ſed leuiter: in metâ ſum, & laborent aut ſatagant, qui ſequuntur. Italus ille qui me tetigit, ego repercuſſi: & ius eſt. neque ſapiens ſileat, & proteruiam caſtiget, ſed eo animo quo ſolemus laſciuiam puerorum. Scriptum meum vidiſſe te & Septalium velim, quem animo huic indui: & ſcio probaturos. Quid vos? ipſos hoſtes meos, ſi quos vitio ſuo, non merito meo tales habemus. Lubet fidenter loqui:

—— mens altum ſpirat honorem
Conſcia factorum.

Sed hęc talia, cogita quàm nos excitēt, & ad alia porrò mittant. Illuſtriſſ. BORROMAEO te innoteſcere, gratum eſt; melioris qui Principi, & ſtirpe ſuâ digno. Septalium in morbo eſſe, & tali Saturnio morbo, triſte: Iupiter & Venus potiùs reſpiciant, & optimum ac doctiſſimum virum publico ſeruent. Vibrandus Anskema, plenus ſpirituum iuuenis, & nuper inconſultò maritus, obijt ante dies paucos, triſti & populari morbo ſublatus. Etiam Nicolaus Micaultius, ille meus, probus & pius, ſi quis Belga; ſed lentâ & obſcurâ tabe abſumptus. Denique Euerardus Pollio, olim è meo contubernio: acre & arduum ingenium: & hunc pulmonis exulceratio abſumpſit. Vides funera, ſed priuata: quid publica dicam? Belgica tota languet, & inualeſcunt qui religionem & imperium mutata volunt. Quid cauſſæ aut culpæ ſit, malo ſcire quàm prodere: vos etiam auditis, & quàm non omnia hîc ex normâ aut more veteri,

Non & Arctois ſi quis de ſolibus horret.

Quod

Quod in epiſtolâ tuâ pluribus exſequeris, non hîc refello aut approbo: coràm mallem, & iudicia tua audire, ſed & formare. Illud velim & adſuadeam, ex Euripide:

* Θύοιμ' ἂν ἀυτοῖς μᾶλλον, ἢ θυμούμενος
Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν θεοῖς.

* *Sacra faciam illis potius ipſe, quàm ferox Iraſcar, & recalcitrē, homo cùm ſim, Diis.*

permitte enim leuiter hæc à me immutari & adaptari. Sed vt dixi, hæc talia incoràm mallem, & cum Homero

* Ἄγχι σχὼν κεφαλήν, ἵνα μὴ πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι.

* *Admoto capite, & ne quiſquā exaudiat alter.*

Septalij libros auidè exſpecto: tunc ad ipſum, nunc ſalutem plenis faucibus propino, itemque Sacco. Louanij, XII. Kal. Nouemb. ∞.IↃCII.

EPIST. XIV. *Mediolanum.*

IOANNI BAPTISTAE SACCO.

MIRVM, & non mirum, te epiſtolam illam meam, niſi editam, non vidiſſe. Ordinarijs curſoribus tradita eſt, ſed quid tam ſollemne hodie, quàm fraus aut officij neglectus? Illud gratum, animum meum tibi conſpectum eſſe: qui certè, mi Sacce, in te propendet, & amans cupit amari. Fac merenti. non eâ parte, quâ autumas, quaſi Famæ te conſecrem: non ea vis mihi, etſi voluntas: ſed quia iam olim conſtanter erga te afficior, & addam eximiè, ſermonibus ſcriptiſque proditum, & prodendum. Sciſne autem, aliquem ab Italiâ (niſi titulus imponit) proteruiter mihi inſultaſſe? Sed caput ſuſtuli, & manum exſerùi, & puto, æquis & iniquis arbitris, hanc quidem palmam retuliſſe. Vbi ſumus? inter quos Lapithas viuimus? Innocentia mea orbi teſtata eſt, & induſtriam approbare quidem conatus ſum: ecce conuiciorum plagis excipior, & penè ad Tarpeium ſaxum vocor. Tacitum corrupi. Dij hominesque! nullum auctorum hodie (fidenter loquendum eſt) magis medicam, magis opportunam manum, à meâ ſenſit. Sed iſti viderint, qui ſcribunt, qui legunt, qui fauent: ego, vt bonus bonis approber, nec tranſuerſus agar ab hoc Calumniæ an Inuidentiæ œſtro. Philoſophor nunc, & in Senecam, imò totam Stoam, aliquid molior: ſi Deus & Fatum emoliri dant & abſoluere, ignauiæ me abſoluet poſtera aliqua ætas. Vale Clariſſ. Sacce, & me ama. Louanij, IX. Kal. Decembr. ∞.IↃCII.

EPISTOLA XV.

MATTHIAE HOVIO, *Archiepiſcopo Mechlinienſi.*

ILL

ILL[me] & REV[me] DOMINE: Petiturus venio, quò non libens inclino, nec niſi conſilijs & monitis aliorum inductus, etiā medicorum. Multos annos iam tenuior valetudo corpuſculum debilitat, quod ſobrietate tamen, & dilectu aliquo ciborū, & exercitij mediocritate, ſuſtento. Sed vſu iam didici, piſcium ſolorum vſum, & parum alimoniæ ſufficere, &, ſi quid praui aut melancholici humoris in me, commouere. Equidē vſque adhuc Eccleſiæ S. Romanæ ritibus & præceptis libens, vt debeo, parui: & cum ſenſu etiā aliquo incommodi, Quadrageſimalem in cibo caſtimoniam ſeruaui. Scio enim homini, Chriſtiano præſertim, *ſummam felicitatis* (vt Seneca ait) *non eſſe in carne ponendam*: & ſcio etiam primogenios parentes noſtros à Paradiſi gaudijs per cibi voluptatem excidiſſe. Itaque rediri etiam ad illa, per Abſtinentiam: ſed iudicio tamen & prudentiâ temperatam. *Non enim per eam caro*, vt vir Sanctus ſcripſit, *ſed carnis vitia ſunt exſtinguenda*. Hac cauſsâ ad te, ſummum noſtrum Sacrorum Præſulem, confugio: & moderationem, aut remiſſionem, in ciborum abſtinentiā peto. Sed eâ lege, quam ipſe mihi pono, vt non niſi in neceſſitate vſurpem, aut mihi indulgeam: id eſt cùm proſtratæ vires depoſcere videbuntur. Ego, ſi impetro, vota pro ſalute tuâ & publicâ interponam, eò ardentiùs, quò magis & meam tibi, Ill[me] & Rev[me] Domine, referam acceptam. Louanij, IV. Idus Febr. ∞.IↃCIII.

EPIST. XVI. *Audomaropolim.*

ÆGIDIO SCHONDONCHO V. R. S. D.

CVM abijſti nuper à nobis, corpore hoc factum; animo obuerſaris, meo quidem, voueo & in tuo ſic eſſe. Sed maximè in eo opus quod molitis, & cuius argumentum atque ordinem volenti ac lubenti mihi denarraſti: in quo ſeriò pergere te, atque feliciter finire, publicâ etiam cauſsâ hortor. Enimuerò veteris æui *Admiranda* concepi animo, & partim ſtilo digeſſi, aliquid edidi: noſtri & ſuperioris huius, tuum inſtitutum, ac iam debitum eſt: quare? ſuſcepiſti, promiſiſti. Aurem tibi vello, perge: educ è tenebris præclaros viros, & facta: pro-

propone in exemplum: da ipſis lucem, ne per incuriam noſtram ſit

* Æqualis in famâ virtutis amator, & hoſtis.

* Ἐν δ' ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

Fructum, mihi crede, ea res amplum dabit: vis & famam? non ſpectas, vt tua pietas eſt, & aliena externis omnibus vita: ſed & hanc ſpondeo, bonam & manſuram quamdiu Virtuti pretium erit. Induſtriã tuam noui, ſed & ſtilum talibus aptum: illam exſere, hunc admoue, nec pauculis iſtis vitæ annis curas tuas circumſcribe. Habes ab amico conſilium, ſiue monitum interpretaberis: habes iamdiu affectum, neque neſcis; tuum ex æquo mihi præſta. Vale R.P. Louanij, XVI. Kal. Mart. ∞.IↃCIII.

EPISTOLA XVII.

DIONYSIO VILLERIO V.R.S.D.

DIVTIVS factum eſt, cùm tuas accepi, nec reſpondi: ſed tuo exemplo (ſi vis verum audire) factum. Nam & tu remiſſior eſſe in ſcribendo ſoles: non in amando, hoc ſcio, & hanc de re fiduciam habeo; velim de me idem. An mutem, aut minuam? augeam potiùs, ſi quis gradus vltra ſummũ eſſe poſſit. Conſiſtamus. Tardiorem me tamen in omni officio, vel ætate, vel valetudine, fieri ſentio: nec moleſtè fero; & deſinere appeto, vel deſiiſſe. Sæculum video, & Honeſti vix ſcintillas alibi reliquas: nihil niſi fumum & nugas, & ea quæ mœror eſt cogitare. Felicem me, qui curſum pænè decurri! Eram in Stoïcâ Philoſophiâ totus: ſcis quàm non pro Genio æui, quod vel nomen odit. Itaque mihi meditor & ſcribo. Inuitas me ad tuam domum. Sciſne? ſi ſolus ſim, haud fruſtrà: iam adſim, & viuam & moriar apud animam amicã. Compedes habeo, ſoluar ipſe antequam ſoluam. Duci Arſchotano (quem ſolum generoſi animi inter omnes proceres ſum expertus) Carmen nuper ſcripſi, in HEVRIAM ſuam, petenti. Editum eſt, cum Iconiſmo eius Prætorij, quale id animo (nondum plenè in opere) deſtinauit. Ita me Deus, bellum & elegans, & Principe viro dignum erit, cùm perfectum. Videbis, aut iam (quę eius in te benignitas) vidiſti. Heus, eſt quod tibi ſoli ſignificem. Rex Galliæ ſcribi ad me iuſſit benè ſeriò, ante duas tréſve ſeptimanas, & in ſuum regnum, loco & conditione quibus vellem, inuitari. Excuſaui, & gratias egi. Iterarunt tamen, & vel ad otium, quale in Batauis Scaliger, vocarunt. Ego in ſententiâ manſi, id eſt abnui: nec lubet peregrinari vltrà; lubet, vt dixi, ad metam ire. Melancholia eſt, inquies. Noſti veterem meum morbum, corporis tamen adhuc magis quàm animi: &, niſi ipſe me fallo, ea pars conſtat & valet. Te vtroque opto, mi amiciſſime, & quod à puero fuiſti in me eſſe. Louanij, poſtridie Idus Martij, ∞.IↃCIII.

EPIST. XVIII. *Romam.*

IOANNI BAPTISTAE BARONIO *ſuo* S.D.

AMO tuam ſatis crebram ſcriptionem. Satis, ni mis non dicam; non, ſi in dies me cõpelles. Suaue ſemper à vobis aliquid, & de vobis audire: quos animo huic fideliter habeo inſertos. Gaudeo ROMAM veniſſe, illam olim magnam, auguſtam, SVPER-ADMIRANDAM: nunc ſanctam, religioſam, venerandam. Sed vel nunc veſtigia magnitudinis ſuæ habet: quæ magis eminebunt, ſi cum vetuſtâ lectione cogitentur ſimul & luſtrentur. Inuideo vobis (cur mentiar?) quòd mihi non iterùm calcare ea loca fas: atque vtinam vel furtim liceat, & pænè dicam, Geniali aliquâ machinâ eò transferri! Nam hîc nubes, tenebræ, horror, terror: & à rebus bonis honeſtiſq; ſqualLor & ſolitudo. Partes alteræ inualeſcunt, viribus & conſilijs: ipſa hæc ſchola deſolatur, & metu aut tædio diffluit iuuentus. Ego me ſolor & erigo Sapientię ſtudijs, & SENECA ſeriò habet: ſed vereor, vt mihi. Quibus enim iſta? & breui vel nomẽ ipſum LITTERARVM ludibrio aut contemptui erit. Magnus tamen & rectus animus, recta non deſeret: non,

——— ſi tremendo
Iuppiter ipſe ruat tumultu.

Carmen tuũ ad pontem Metauri fluminis ſcriptum legi, & amaui. Fac, fac, exſerant ſe interdum & emicent flammulæ iſtæ ingenij: & pange ſi non alijs, tibi & mihi. Imò & Rubenio, & quem prædictum oportuit Richardoto: quod conſortium tibi gratulor, nec vel vota melius donent. Itaque ſi illi hanc æſtatem etiam Romæ, auctor vltrò ſum manendi: ſin tedeunt, non ſim, & inclinem te redire, & in viâ tamen Germaniam videre. Domeſticas tuas res, à fato optimi parentis, inſpiciendas etiã tibi opinor. Sed, vt dixi, ſi illi manent, indulgeo: Deum precatus, vt apud te Sanitas maneat & Amor noſtri. Louanij, poſtrid. Idus Mart. ∞.IↃCIII.

Heus tu, Carmen & ego ad vos tres ſubitum ſcripſi: hîc habetis.

AD

AD GVILIELMVM RICHARDOTVM, IO. BAPTISTAM BARONIVM, PHILIPPVM RVBENIVM, olim & nunc svos, ſed iam ROMAE ſiſtẽtes,

Phaleuci.

ERGO vos habet illa magna Roma?
Florens olim opibus, ſuperba tectis,
Læta ciuibus? vrbium vrbs, & orbis
Princeps? olim ea: nunc modeſtiores
Inſcribit titulos, PIA *atque* SANCTA,
Et ſedes adeò ipſa SANCTITATIS.
Verùm vos habet. ô meum dolorem,
Quòd non me quoque habet! licebat, imò
Libebat, ſed & addam ego hoc, decebat.
Quid tamen tenuit? mala illa Parca,
Quæ filum mihi neuit, haud abire,
Quæ filum mihi neuit, hic obire.
At vos ô mea triga, dum fruiſci
Iam datur, facite: & vetuſtioris
Illa Vrbis monumenta, Templa, Circos,
Arcus, Balnea, Porticus, Theatra
Cùm luſtrabitis, hoc ſubinde votum
Interponite: DOCTOR ILLE NOSTER
ADSIT LIPSIVS! *hoc iuuabit, & me*
Alâ hac viſite cogitationis,
Alâ vos ego cogitationis.

EPIST. XIX. *Cæſarauguſtam.*

DOMINICO AVENGOCHEA I[to]
Senatori Regio in curiâ Aragonum.

DVPLEX à te munus accepi, amorem tuum eleganti epiſtolâ oblatum, & libellum ſiue μελέτην, vt inſcribis, doctrinæ ſimul & innocentiæ tuæ verum teſtem. Vir Ampliſſime, tanti Lipſius fuit, vt vltrò ſic adires? Humanitate me viciſti: affectu non facies, vt omnia facias: & hunc tibi ex pari certè reddam. Atqui id ipſum te ab adoleſcentiâ pænè mihi aperis, & Doctores tuos, & peregrinationes deſcribis: illos egregios aut primos virorum; has varias, & cum vtilitate iucundas. Quæ res magis & ingenio limando, & iudicio dirigendo eſt, quàm iſtæ locorum hominumque viſio aut vſurpatio? nulla, neque vmquam ſedentaria lectio aut diligentia hanc æquet. Gratulor ſuſcepiſſe fortiter, confeciſſe feliciter: & hoc gratulor, quò virtus tua & prudentia vocabant, eò à Rege maximo productum, ad faſtigium togari honoris. Quem honorem quòd homines improbi aut liuidi obtenebrare calumniarum nebulis conati ſunt, gaude. Conati ſunt: tua clarior lux effulſit, nec probitatis tantùm, ſed ingenij; cuius telum, fortaſſe alioqui vaginâ condendum, in hac occaſione acuiſti & protuliſti. Atque illi vbi ſunt? mihi periiſſe de plano videntur; &, iudex ſi addicar, non horam hîc moram faciam, nec cenſeam AMPLIANDVM. Confide, idem æqui boníque omnes alij: ſi iam non fecerunt. Et cenſio quidem illa, ſiue ἀξίωσις, bono & antiquo more apud vos vſurpatur: ſed vt prudenter mones, cum temperie exercenda eſt, & malitiæ reprimendæ, non innocentiæ diuexandæ. At mea etiam ſcripta defenſioni tuæ placuit inſerere: id eſt, me honeſtare. neque aliter interpretor hoc iudicium talis viri. quòd ſi ætas, aut melior propiorque mei inſpectio, mutabit fortaſſe: at ne affectum hoc rogo, & hunc mihi integrum illibatumque ſerua; ita te ille MAGNVS DEVS. Louanij, XVI. Kal. April. ∞.IↃCIII.

Breuiorem me ægritudo fecit: quæ hoc ipſo tempore habet, & ab amore profectò eſt quòd ſcribam.

EPISTOLA XX.

LVPERCIO LEONARDO ARGENSOLAE. S. D.

SVAVES veſtræ literæ, addam etiam lætæ, parum ſuaui aut læto meo tempore aduenerunt. Neque enim inualetudo ſolùm me, ſed morbus habebat, & medici aut medicina in oculis: tamen reſcribendum vel breuiter cenſui, abeunte Nunno Mendozio noſtro, & Hiſpaniam ſuam, iuſſu Principum, repetente. Breuiter inquam, ſcribo: ſed animo largiter: qui vos tales quomodo non amet? In doctrinam non affecti ſolùm, ſed eâ perfuſi eſtis: me ſerió & candidè (ita ſolet veſtra natio) amatis: & ego non reponam affectum? Facio, liceret modò ſæpiùs, liceret propiùs vobis frui: ſuaue huic animo eſſet. Et, Deum immortalem! quàm tempora hæc turbida Amicitiam, id eſt Solem illum animorum, requirunt? Bella perſeuerant, titulo Ciuilium triſtia, euentibus parùm fauſta. Audiſtis, credo, & nobiſcum doletis. Hæc æſtas in metu eſt, ob hoſtiles apparatus: & opidum hoc noſtrum iam in limite etiam belli: en quò ventum! Scitis ſedem hîc Pietatis & Doctrinæ eſſe: periclitatur

clitatur vtraque cum illo minui in Belgis, non enim dicam perire. Sed hæc triſtia.

Quæ procul à nobis flectat fortuna gubernās:

aut Deus potiùs, vt piè magis loquar. Læta ſuccedite. Lætum enim certè, quod producis & nominas in eo etiam tractu amicos nobis, id eſt Doctrinæ: cuius inſtar aliquod in me (quid enim aliud?) amant. Inter eos Gabrielem Aluarezium, è Societate Iesv, de vnâ epiſtolâ noſſe me puto, quam ante annos duos, tres, Andreæ Schotto benignè de me ſcripſit. Redama te me ſeriò dicito: non eum falles. Idem de Doctore Bartholomæo Lautentio Theologo, Doctore Bartholomæo Morlanes Iᵗᵒ, quorum doctrinam prædicas, ſcribere me & ſentire ſcito. Quid de Gabriele tuo, lepidiſſimo puero? hunc ego per te diſſuauior, & in optimâ viâ pergere hortor, & ad candidam calcem peruenire. Faueo toto animo, & ad Patris & Patruorum exempla voco. Plura non licet. hæc ipſe ægrè, & ægrum referent: affectu tamen valido & viuo. Louanij, xv. Kal. April. ∞. IↃCIII.

EPIST. XXI. *Tornacum.*

P. Leonardo Lessio, *Theologo Soc.* Iesv.

Pergrata mihi ſcriptio tua, & cura mei, quod ſcire te ſcio, quia & affectum meum non ignoras, magnum, ſtabilem, & ære vel adamante firmiorem. Ideò & gaudeo, cùm mutua fieri video: & certè ſolatij vel leuamenti in hoc languore diutino egemus. Aquam aſperſiſti. Quamquam non ſic extrema omnia apud me, vt fama illa prior dixerat: ſum quem reliquiſti, aut paullò deterior, ſed valetudine ſcilicet vacillante & variante. Dies vnus matrem gerit, alter nouercam. Statui Antuerpiam excurrere, & aërem mutare, ac corpus commouere: quod vſu didici firmando mihi eſſe. Sed corpus attenuatum eſt, & vnius lineæ me hominem dicas. Naturæ tamen meæ illa bonitas eſt ſiue teneritudo, vt facilè labatur, & lapſa aſſurgat. Vtinam te illîc videam, & amplectar, nunc medicum corporis, vt ſemper partis illius melioris! Intra triduum aut quatriduum, ſi vires non abnuunt, in iter me dabo. De Spadâ, non auſim etiam cogitare. Salutatis mihi illa aqua; ſed neque nunc excuſſi metum, & faciem illam θορυβώδη noſtræ fugæ. Quin

potiùs videbo, quid peregrinatiuncula leuamenti dabit, & vigor hic Veris,

—— cùm tempeſtas arridet, & anni
Tempora conſpergunt viridantes floribus herbas,

an non & ego reuireſcam? videbo, inquam: & tamen cum Pindaro ſciam, θνατὰ ἀεισέλλων μέλη, ϗ πολλὰν ἀπάντων χὰρ ἀθανατόμενος. Corpus hoc illuc it: anima, quò Deus & tu vocatis. O gratum mihi autem de precibus, te faciente, pro me conceptis! Iuuabunt, imò iuuerunt, & meliorem me, ſi non firmiorem, reddent. Caput in illo eſt; de cetero,

—— improuiſa leti
Vis rapuit, rapietque gentes.

Tu vale mi Pater, breuî oculis, vt ſpero, vſurpande. Louanij, Kal. ipſis Maijs, ∞. IↃCIII.

Saluto ex animo R. P. Flerontinum, & P. Schondonchum, quem videbis.

EPIST. XXII. *In Ruſciam.*

Demetrio Solicovio, *Archiepiſcopo Leopolitano.*

Popvlares tui apud nos ſunt, Palatini Sandomirienſis duo filij; mihi crede, hoc nomine gratiores, quòd parentem & vicinum & amicum tuum ſignificabant, atque hoc titulo mihi iam carum. Non blandior, ſed te, non in Poloniâ tuâ ſolùm, ſed Europâ, inter eximios habeo, & rarum ſidus in tenebroſo iſto, & quod veterem nobis ſquallorem minatur, æuo. O ex corde votum! adſim & conuiuam talibus! ſermones & iudicia miſceam, doceam inuicem & diſcam! Fatum meum vetat, iubet inter bella & militares mores aut homines conſeneſcere: ſi tamen hoc datur, & non Parca ante ipſum ſenium me tollit. Languor adſiduus dicit, & eò ducit: ac iam quidem fui ante duos menſes ad ipſas fati portas. Tamen gradum fræznaui, redire cœpi: ſed neſcio an non, vt Eurydice illa Orphei, reuocandus. Epiſtolas meas vltimas vidiſſe te cenſeo, & ad te quaſdam: parabam totum *Senecam*, itemque *Philoſophiam* vnà *Stoicam*: vires abnuunt, & animosè cœptis languores iſti intercedunt. Te autem, Illᵐᵉ & Reuᵐᵉ Domine, longùm valere bono Reipublicæ ex animo opto. Louanij, III. Kal. Iun. ∞. IↃCIII.

EPIST. XXIII. *Cracouiam.*

BERNARDO MACIEIOWSKIO, *Epiſcopo Cracouienſi, Duci Seuerienſi.*

NEPOTES tui cùm ad nos veniſſent, & ſedem figere deſtinarent in hoc, vt ita dicam, bonarum artium foro, & quadam panegyri: non indecorũ putaui ſi hoc ad te ſcriberem, & ſimul de operâ ſignificarem, quam illis in laudabili hoc propoſito voui. Nam etſi publicè ſatis impedior lectionibus, & priuatim ſcriptionibus (è quibus quædam publici etiã iuris factæ ſunt:) tamen decerpendum aliquid temporis cenſui, quod horum inſtitutioni, aut certè directioni impenderem. atque id Reipublicæ etiam adſpectu, cui hi tales è primariâ nobilitate meritò deſtinantur. Sicut medicus libentiùs atque animoſiùs operã impendit in Rege aut Principe curando, cuius ſalus ſaluti alijs eſſe poteſt: ſic nos in ijs docendis, qui prodeſſe conſilio atque operâ pluribus poſſunt. Progreſſum iam eos aliquem feciſſe ego video, & idoneo Præfecto concreditos aut inſpectori: vt porrò in hac viâ pergant, metæ magis & magis accedant, mihi, quamdiu in his locis erunt, ſeriò curæ erit, & pro ingenij atque otij mei copiâ adnitar. In quâ re non aliud equidem, quàm ipſos & Rempublicam, vt dixi, ſpecto; præmij alterius neque appetens, neque (liberè dicam) egens. Tua tantùm amicitia, aut certè beniuolentia, ſi mihi accedit, operæ pretium grande erit: quem ego Virtutis & Dignitatis cauſsâ colo atque æſtimo: Deum precatus, vt te Reu^me^ & Ill^me^ Domine, diutiſſimè Eccleſiæ & Reipublicæ veliteſſe ſaluum. Louanij, III. Kal. Iunias, ∞. IↃCIII.

EPISTOLA XXIV.

GEORGIO DE MAGNA CONCICE MINSCHEZ *Palatino Sandomirienſi, Capitaneo generali Leopolienſi, Samborienſi, Medinicenſi.*

LIBERI tui ad nos, ſtudiorum & animi excolendi cauſsâ, venerunt: atque ea mihi occaſio ſcribendi. Grati ſunt, quia à longinquis illis oris, quia à tali parente & ſtirpe; grati à ſe etiam, quia inclinationem vel ardorem in optimas artes præferunt, quibus cœperunt imbui iam, non ſolùm tingi. Equidem tibi hanc talem ſtirpem, & ex eâ gaudium, gratulor: hortor porrò habere in his animorum gymnaſiis, & quidem à te abiunctos, vt virtuti & doctrinæ magis iungantur. Sicut agricolæ, qui plantaria habent, nouellas ſtirpes transferre & tranſſerere è natali ſuo ſolo in aliud ſolent, vt laxiùs lætiuſque creſcant: ſic oportet liberos, non genitali ſolo affixos ſterileſcere, ſed in aliud aliudque tranſlatos robur & incrementum ſumere, & ſuccreſcere in Virtute. Nec tamen longum hoc nimis eſſe ſuadeo. & ſicut qui ignem è viciniâ petunt, non illîc deſident, ſed accepto eo domum redeunt, atque ibi accendunt: ſic iſtos cenſeo velut ſcintillas & fomites apud exteros quærere, domi deinde accendere, & ſibi alijſque allucere. Ita nati ſunt, ita à te formati & deſtinati, vt ad Rempublicam admoueantur, & in magno ac laudabili illo Regno ſint vtilia quædam membra. Deus hoc dabit: ego, quamdiu hîc ſunt, adiuuabo & adnitar, & in viâ benè cœptâ dirigam, & manu ac voce ducam ad ſalutarem metam. Hanc fiduciam te mei habere rogo Ill^me^ Domine: imò & conſilij & auxilij mei in alijs etiam copiam factitum, vbi copia quidem mea feret. Vale Ill^me^ Domine, Regno, Regi, Tuis. Louanij, III. Kal. Iunias, ∞. IↃCIII.

EPISTOLA XXV.

CAROLO, *Duci Croyo & Arſchotano.*

ILLME ET EXCELL^ME^ PRINCEPS, An non extra decori limites (da veniam) Ex^tia^ tua abit, quæ etiam de valetudine meâ inquirit, & ſolicitam ſe ſuper eâ oſtendit? Non ſum tanti, vt tanti Principis curam merear: ſed habere tamen iuuat, & hoc etiam vinculo officia mea tibi adſtrinxiſſe. Dicam igitur, quia petis, id eſt iubes. Paullò melior & commodior videor, ſed animo magis, quàm corpore; & ne diſſimulem, iſto videor ad tabem aut marcorem paullatim ire. & vt apud Ex^tiam^ tuam liberè me aperiam, non inuitus ire: ſiue tempora iſta, ſiue vniuerſè ſortem adſpiciam generis humani. Tempora quidem iſta, ſic tenebroſa aut turbida, vt neminem paullò magis honeſti, & vt ſic dicam cæleſtis animi, delectent: imò vix viles & terreni iſti ſubſiſtant, in adſiduis bellorum nimbis aut procellis. Et quâ meliorum ſpe? cùm finem belli habebimus, alia timemus quæ non lubet dicere: & ad ſummam, decretum cælitùs videtur oppri-

opprimi Belgas, aut perire. Itaque an infelix ille, qui præſentia aut imminentia mala euadit, & in portum nauigat ab omni iſtâ tempeſtate tranquillum? Si etiam communem ſortem vitamque, vt dixi, conſideras: per Naturam ſuaue eſt viuere, per Rationem non inſuaue mori. Vita quid eſt, aut quid amœni habet: Qui optimè de eâ loquuntur, cum mimo aut ludo comparant; qui intentiùs & ſeueriùs (addo & veriùs) cum carcere aut cuſtodiâ aſſimilarunt. A natali noſtro die, ſi inſpicimus, lacrymæ & gemitus ſunt; & cùm grandiores eorum pudet, ſuſpiria & internæ curæ. Quis dies aut hora vna læta, cui non denæ aliæ, velut ex decreto, ſuccedant & excipiant? Sicut in mari fluctus ſemper eſt, etiam ſi non tempeſtas: ſic in vitâ motus & angores, etiam cùm non dolores aut lamenta. Vera me dicere, etiam Ex^tia tua, in illâ altiore ſuâ fortunâ experitur: & quid cenſes homines iniuriæ & cótumeliæ magis oportunos? Atqui in malis viuere, quæ vita eſt? & quis, cùm portum aut pauſam Deus oſtendit, refugiat, & eligat iactari? Non mihi ea mens eſt: qui didici obniti fortunæ, & conſtantiâ vincere: ſed idem, Deum ſequi, & cùm ad ſe vocat, alacri gradu, imò curſu, eò ire. Itaque, Ill^me Princeps, nihil mali aut anxij morbus hic meus minatur, aut adferet: homuncionem vnum eripiet; & Deus bone, quot meliores me & grandiores? Tamen, vt in epiſtolâ & priuatâ ſcriptione maneam, clientem vnum Ex^tiæ tuæ eripiet, fide & obſequio valdè promptum, & heroïcis tuis virtutibus addictum. Hæc omitto, & Deo permitto: ad publica venio, quorum cura magis te ſpectat. In ijs lenta omnia, nec adhuc læta: & nuper Fridericus Spinula ereptus, quod momentum in rebus maritimis habeat, non prompto alio ſucceſſore. Triremium adminiſtratio, noſtris parùm gnara. E Britanniâ ſcribunt, vndecimâ huius Regem veniſſe Londinum, & illinc ad arcem Groenwitziam iturum, donec ad pompam coronæ publicitus imponendæ omnia ſint parata. Magna ſcæna & ſplendor (ita ingenium gentis eſt) futura videntur. Scribunt & Legatos Batauos iam appuliſſe, ſed animi parùm lætos, nec in Rege hoc nimis ſperantes. Quid ſit in re, neſcio: illud bonis auctoribus habeo, illum artificem ſimulandi & diſſimulandi eſſe, ſi quiſquam vmquam fuit. Incendium Rodienſis vrbeculæ non me admiratione affecit; illud de ſcintillis ſic longè iactis, affecit: atque id ſine vento. Genij his talibus interueniunt: &, vt in re nouâ aut prodigioſâ nequid mali augurij ſit, Deû precor. Eumdem Ill^me & Excell^me Princeps, vt te columen noſtræ Belgicæ incolumem diu conſeruet. Louanij, pridie Kal. Iunias, ∞.IↃCIII.

EPIST. XXVI. *Tornacum.*

DIONYSIO VILLERIO V. R. S. D.

BALTHASAR noſter iam apud te eſt, aut fuit, vt ex litteris eius didici: & ergo ex illo certiora de valetudine meâ iam habueris; certiora, ſed non lætiora. Quid nobis blandiamur? ſum adhuc in valetudinario: & vt lumen, quod extinguitur, flammulas interdum iacit; ſic mihi fieri videtur. Velut reſurgo interdum & exorior, ſed fortaſſe lapſurus. Tamen nunc rerùm ſatis bellè, & ridere mea Sors videbatur. Quid eſt? vitam noui, factam mori, & cupitor longæ illius numquam fui. Varronis illud placuit: *Non eos optimè vixiſſe, qui diutiſſimè vixerunt, ſed qui modeſtiſſimè.* Hoc verbi poſtremi amplector: & certè Modum in omni vitâ, ſed & Modeſtiam in animo amaui. Alij philologi aut litterati (audacter dicam, & examina) meo æuo, à vano multum traxerunt: ego ſtrinxi, & interiùs adduxi; & ad vtilia aut profutura, non ad ſplendida aut famoſa tantùm reſpexi. Rarò ſcripſi, cui non ſapientiæ aut prudentiæ, etiam vbi locus vix videbatur, monita aut præcepta ſint inſperſa. Hanc laudem mecum feram; & illam optimæ conſcientiæ, publico elaboraſſe, nullius famam minuiſſe, aut per obtrectatiunculas auctum meam iuiſſe. Ampliùs dicam: Pauci an nemo, meo æuo, ſingularia argumenta aggreſſi ſunt, aut pertractarunt: ego feci, in Conſtantiâ, in Politicis, Saturnalibus, Militiâ, Admirandis: & ſparſim etiam materias, quæ vſui aut oblectationi generi humano eſſent, diſpoſui & ordine digeſſi. Ordine, quem in omnibus ſcriptis amaui: & ſuper nouos, atque adeò (an non ſuperbum erit?) ſuper veteres vſurpaui. Sed quò me animus rapit? ille, qui apud te eſſe autumat, & in ſermone liberè, ac licenter etiam, garrire. Vale vir amiciſſime. Louanij, poſtrid. Non. Iun. ∞.IↃCIII.

EPIST. XXVII. *Duacum.*

BARTHOLOMAEO PETRO LINTRENSI, *Doctori Theologo.*

ANIMO magis, quàm verbis profiteor, gratas mihi tuas litteras, & affectum qui illas dictauit, fuiſſe. Ego verò tale nihil à te meritus, niſi occulto item aliquo affectu, quem bonâ fide teſtari poſſum reddere me pari, vel auctiori modo. Inuitas ad hoſpitium: libens vſurpem, ſi illuc veniam; imò iamnunc promitto facturum, ſi venio. Veniam autem? an ad alia & meliora loca Deus inuitat, quem Ratio & Neceſſitas audire me iubent? Videor deſerturus hæc infima & terrea, ô optabili permutatione, ſi diuina benignitas ad illa ſupera me ducit! Quis, non dicam linguâ effetat, ſed mente felicitatem capiat, vbi regnum eſt Diuinitas, & lex Caritas, & modus Æternitas? vbi vita non niſi gaudium, & ſenſus omnis in Deo defixus, in conſortium felicitatis eius tranſit? O ego illuc Pietatis alis ſubuolem! ô ego tuis & piorum votis adiuuer, & illo velut vento adſpirante perueniam, corporis id eſt terræ huius ſecurus, quidquid eâ fiat. Pondus eſt, vinclum, imò carcer: & quàm multis Affectuum nexibus nos ſtringit? Auaritia, ambitio, libido diſtrahunt; & meas atque alienas catenas video, & quoſdam pluribus ijs vinctos. Solue Deus, cùm viſum, & in libertatem illam primam aſſere, tu, generis humani ſeruator & vindex. Vides Reu^{de} & Eximie Domine cogitationes meas, nec inuitus apud te, aut indecorè promo, talium magiſtrum. Vt tamen de me aliquid toto, id eſt duplici parte, dicam: laboro, ſed perincerto morbo. atque adeò morbus eſſe non videtur; fortaſſis ideò grauior, & cum diſcrimine cenſendus. Sto, ambulo (nam iacere hæc alacritas vix poteſt) tamen delinquo viribus & deficio, & nec animus munia ſua ſatis vſurpat. Sicut in citharâ cùm nerui detriti ſunt, aut diſſident, etiam artifex, conſtante licet arte, non eam exſerit, & vitium ab inſtrumentis ducit: ſic animo huic fit, per ſe prompto & gnaro, ſed in diſſonis chordis concentum non edit. Fero, & colo te & amo, & ſaluere toto animo cupio. Louanij, VII. Idus Iunias, ∞. IↃCIII.

EPIST. XXVIII. *Leodicum.*

IO. CHOKIERO I^{to} S. D.

IN languore me litteræ tuæ deprehenderunt, ſed amor animum manumque erexit ad breue hoc reſponſum. Ais in conuiuio te fuiſſe, atque ibi de comitijs Romanis actum, ac fuiſſe qui Sexagenarios etiam admitteret: cum quo ſcito me ſentire. Quis enim credet illam ætatem à ſuffragijs excluſam, quæ à ſententiâ in Senatu non reijciebatur, vbi de ſummâ republicâ res erat? At prouerbium vulgatum obſtat. Non obſtat, ſaniore ſenſu. Nempe ſexagenarij non adacti ad ſuffragia, liberi erant ſi vellent: ſed & accedebant, ſi vellent: non aliter, quàm milites ſcribi poterant etiam quinquagenarij, & ſcribebantur cottidie, ſed ſuâ voluntate. Profectò in tanto populo millia aliquot ſexagenariorum erant, quibus corpus & mens valida; cur ſuffragium ijs adimeretur? Si factum, fieri non poſſet quin apud Ciceronem, aut alios, talis rei crebrior mentio, & quòd fraude aliquando euocari à Tribunis veniſſent, numero augendo Lis, dico, aut controuerſia ſuper hac ætate interdum fuiſſet. Ego ita arbitror, nec loca omnia Feſti, Nonij, Ciceronis aliter euincunt. Noto etiam, hoc de Pontibus ſuffragiorum recèns fuiſſe, & à C. Mario Trib. pl. latum: prouerbium ipſum puto antiquius, etſi alij huc trahunt. Habes breuiter meum ſenſum, habe & affectum ſemper in te inclinatum. Louanij, prid. Idus Iun. ∞. IↃCIII.

EPIST. XXIX. *Eodem.*

PETRO ORANO I^{to} S. D.

AH triſte nobis mi frater, de tuo meoque fratre, an patre dicam? Nam vtroque loco illum duxi atque habui; illo, ob affectum; iſto, ob curam & directionem quam ab illo puer admodum in Vbijs accepi. Atqui abijt, & quidem cùm à vobis & optimâ matre ſeiunctus eſſet, cui luctum, ſcio, æternum reliquit. At tibi quid? luctum, ſed ratione & robore vincendum. Ratione, ſapientiæ myſta es; robore, vir es, & ſexus fortem, & vt cum Senecâ dicam, perpeſſicium magis te fecit. Non diffundor ad plura ſolatia: aliàs apud te in ſimili caſu feci, & iam recenter apud Billeum noſtrum, magno vulnere percuſſum. Deus bone, quot

funera

funera ego cottidie audio,ſiue & video,ipſe æger & medicorum ſententijs iamdiu funus? Tamen perſeuero,animi(ſi non corporis)firmus atque alacer: & vt ſtatua in baſi, ſic ego nixus ſto in Prouidentiâ diuinâ. An non ab eâ decretum, quomodo & quando mihi hoc fiet? an non optimè, & ex vſu meo,decretum? Ita credere me par eſt;& ſi credere, non repugnare aut detrectare, ſed volentem ceruices dare æneo huic iugo. Franciſcum noſtrum Romæ in omni modeſtiâ & induſtriâ agere,ab alijs accepi:nam inquiro, & cordi mihi eſt, atque erit. Gaude, & in mortuorum mœſtâ memoriâ, ſolatia hæc pete atque adhibe à viuis. Tot liberi,& iam nepotes etiam ſunt: & domum ORANORVM fundatam, & validis columnis nixam,relinques. Inter liberos, meam Iſabellam per te diſſuauior: fac,ne me falle. Vtinam coràm poſſim! volo iamdiu,& valetudo adigit: diſcrimina repellunt, & omnia veſtra intuta. Vale Vir Cl[me], & ſemper germanum in modum meus. Louanij, XVI.Kal.Quinctiles, ∞.IↃCIII.

EPIST. XXX. *Romam.*

PHILIPPO RVBENIO *ſuo.*

SVAVE eſt rectè vos valere.Ego abire nuper minabar,neque nunc firmiter conſiſto. vires vacillant, & æſtiui iſti immodici calores non ſunt reparandis. Spadam inuitant aut mittunt multi: ſed in auxilio incerto certa nimis pericula terrent. Sæpè,ita me Deus,te præſentem optaui:& propiùs ſi abeſſes, euocarem. Nunc fatis parendum eſt. Cœpi iterùm legere, ſed animo parùm vegeto aut alacri: nec de perſeuerantiâ ſatis confido.Quid eſt?homo ſum,ad finem eo, & curſum meum non ſine aliquâ gloriâ peregi. Valere te & viuere opto,gemmam inter meos Belgas, quod vero præſagio iamdiu dixi. Ama me, ego te æternùm. Louanij, IV.Kal.Iul. ∞.IↃCIII.

Priuſquàm has obſignarem,alteras vltimaſque tuas accepi, quæ erant de titulo doctoratus. Hoc quoque gaudeo,& ex animo gratulor. Tempus vobis emanſionis prorogatum non inuitus audio, ſi non producitur. Æſtatem hanc ego lubens donem, vltrà non donem, nec cenſeam ex vſu eſſe. Quid niſi delectatiuncula illîc eſt, & ſenſuum atque oculorum occupatio? quæ ad animum referatis, pauca; & pauci, qui illi ſtudent. Magni etiam animi eſt, ac pænè addam felicis, inter tot praua aut deprauantia, rectum ſtare, & manere in æquâ iudicij lance. Facio equidem,ſed apud me: ſi promam,vix video fructum.Itaque Romanus ille Sapientiæ doctor, quem dare moliebamur,exire in ſcænam tardat,non plauſu, ſed paſtoriciâ fortaſſe fiſtulâ excipiendus. Ille quidem

Καὶ [illegible], οὐδ᾽ [illegible]·

ſed apud quos, aut quibus? Eſtíſne amatores aut cupitores talibus, numero tot, quot Thebarum portæ? Græcarum illarum, non Ægyptiarum dico. Deſino, Timonem non refero: te mi Rubeni amo. Poſtrid. Kal. Iulias.

EPIST. XXXI. *Mechliniam.*

NICOLAO OVDARTO *ſuo* S. D.

CREDO redijſſe te è peregrinatione Gandenſi, mi Oudarte: an non & illîc Vriendrium vidiſſe? poëtam inter Belgarum primos, & cuius libellos editos miſſoſque ab ipſo vidi, & in multis equidem probaui. Ingenium facile,ſubtile, igneum eſt, dignum quod amemus & æſtimemus. Ego etiamnunc morbi, aut ſi mitiùs vis me loqui, languoris liber non ſum: ideoque & cœpta mea iacent,nec Philoſophicum illud ædificium abſoluo. O arcem altam, munitam, ſecuram in fortunæ inſultus, quam è Stoïcæ Sapientiæ ruderibus inſtituimus! nec ſcio an exædificatam probabimus,molliori (cur rem non dicam?)& ignauiori huic æuo. Abſoluemus tamen, niſi diutiùs languor impedit, per quem ego quidem nihil conor aut ſcribo. Tantùm DE VESTA ET VESTALIBVS *Syntagma* dedi, quod Præſuli veſtro & noſtro viſum eſt inſcribere, vt rem ſacrorum. Weerdtius Senatoriâ dignitate, in ſoceri locum, auctus eſt:quod gaudeo, & titulum hunc in familiâ noſtrâ retentum. Etſi propriè mea LIPSIORVM ſtirps defecit, & ego vltimus ſum huius gentis. Quid refert: ſtirps pereat, nomen ego propagabo (lubet animosè, & cum poëtâ loqui) ——— *ab ortu*

Solis ad Heſperium cubile.

Publica tangere pænè reformido. Læta ſcribere non poſſum, mœſta non lubet: nec querelas quidem miſcere ſuper ſtatu hoc rerum. Dicam vnum verumque verbum, & id animosè? in totâ Europâ, atque etiam Aſiam & Africam addo, nihil pro veteri ſplendore & gloriâ geritur; neque conſilijs &

& inſtitutis, quæ obtinent, video gerendum. Quid gerant? ne capiunt quidem aut intellegunt ſublimia, adeò non affectant. Vices hæ rerum temporumque ſunt. & vt in anni decurſu modò hiems æſtaſque eſt, & freta interiecta; ſic in mundi & æui lapſu, lux, tenebræ, calor, frigus & quæ media inſetuntur. Prudentia hæc videre eſt, ſapientia ferre: & collum ſponte ſubmittere fatali illi iugo.

Nam quantum hoc regnum eſt, quod regibus imperat ipſis?

Vale mi optime Oudarte: &, vt omnia mutent, in amore conſtemus. Louanij, III. Non. Quinctil. ∞.IↃCIII.

EPISTOLA XXXII.

FRANCISCO MARIAE SAGRI ILLYRIO S. D.

TV verò non humanitatem meam require, ſed fidem alienam, aut fortunam accuſa, per quam factum vt litteras ego tuas, præter has vnas, viderim nullas. An ſilentio diſſimulaſſem? non eſt meum, vtique erga tales, non ſolùm eruditione commendabiles, ſed loco & habitatione inſignes. Si enim rectè verba capio, Raguſia te habet ciuem aut incolam, nobilis Reſpublica, & quæ Barbariam à nobis diuidit; legibus & moribus polita. Itaque de neglectu tui ſuſpicari omitte. nam vos tales amare ego didici, ſed & officijs paria facere, quo fine valetudo quidem permittit. Quæ ſępè, imò plurimùm, afflicta, manum conanti inijcit, & intercedit ijs quæ honeſtè aut comiter velim. At in animum ius tamen non vindicat: qui eſt, vir doctiſſime, pariter in te pronus, & iamnunc affectu & amore fideliter ſe iungit. Louanij, V. Idus Iulias, ∞.IↃCIII.

EPIST. XXXIII. *Romam.*

SERAPHINO OLIVARIO *Sacri Palatij Auditori, & Patriarchæ Alexandrino.*

LITTERAS ad te mitto, vellem animum in ijs poſſem: ſic tuũ, vt cuiuſquam ex interioribus, & toto aſſe amicis. Quæ cauſſa pignerauit? tua virtus & prudentia, in illo orbis theatro nota & prædicata: & propriè affectus in me tuus, diu me celatus, & qui ad Veſtalis fauillæ inſtar in ſecreto pectoris tui, ô quàm mentior? vrbis illius volui dicere, latuit: ſed & ſic mentior, ad me venit, ſermo & facta tua aperuerunt, & didici non certiorem aut fidiorem amicum in magnâ Româ mihi eſſe. Vnde merui, vir æqui & boni ſcientiſſime? non merui: tua virtus & bonitas eſt, quæ benè mihi fecit, & dixit: ipſa ſibi cauſſa, vt Deo in genus humanum amor & benignitas eſt. Sed de iudicijs factiſque tuis (ita loquendum eſt) primus mihi bonum nomen MACARIVS indicium fecit: & poſteà PVTEANVS meus, qui te vidiſſe gloriatur & audiſſe. Obſecro, & PHIL. RVBENIVM meum cum GVIL. RICHARDOTO & IO. BARONIO noris, ſed primum illum ingenio & doctrinâ laudabilem inter paucos. Probitatem & Modeſtiam addo, ſine quibus hili non fecerim aut pili illa. Ecce pauca & prima verba. pauca, quia vt in anguſto exitu aqua impetu veniens intercluditur: ſic os aut ſtilus meus ſiſtuntur ab affectu, qui impetu & calore erumpit. Agnoſce, quæſo: & agnoſcentem iam amare perſeuera, ſaltem illo amoris tui fructu. Louanij, XIV. Kal. Septembr. ∞.IↃCIII.

EPIST. XXXIV. *Florentiam.*

CVRTIO PICHENAE.

IAMNVNC litteras tuas accipio, & ecce reſponſum. Te ego differam, veterem illum meum, & ante viginti circiter annos, cùm Viennæ eſſes, amicum? Sic appello, & quamquam non dextra aut ſermo, tamen ſcriptio & litteraria iſta, vt ſic dicam, conteſſeratio nos iunxit: & fideliter iunxit, animi ſtudijque non diſpares, & iudicijs ad optima conſentientes. Eò gratior iſta nunc appellatio, etſi ex interuallo: nec mirum: nam & locorum interualla abiungunt. Vidiſſe te mea video improbulo illi reſcripta: in quibus quòd te honeſtè nomino, affectui non dedi, ſed iudicio, quod in animi penetrali de te concepi foueoque. Tuo merito ita debeo. pauci bona amare, capere, aſſerere idonei: tu inter illos naturæ & induſtriæ tuæ beneficio cenſeris. De diſſenſu alibi à me, nihil eſt: abite mancipia. liberi ſumus, genere & ſenſibus: promere liceat, cum lege Modeſtiæ, & vt Inuidentia aut Acerbitas abſint. Ego verò nec imperitiâ quorumdam offendor: ſi ſimplex ea ſit, nec de Calumniâ ſumit. At mi Curti amo te pectore, melioris pectoris virum: noſſe propiùs vnà tecum voueam, ſed voueam tantùm. Nam etſi Italiam re-

uiſere mihi votum; intra illud maneo, rei expers, & triſte Fatum Belgicæ meæ adſtringit. Quid, quòd vxorium etiam vinculum, vt de te ſcribis, iamdiu mihi eſt? Traho compedes, & longùm aut altùm ſubuolare ijs quoque vetor. Edidi nuper Epiſtolas; doluit (in occaſione, & verè dico) quòd ad te cùm plures dederim, nullas haberem, exemplaribus in migrationibus meis furto, caſu, neglegentiâ amiſſis. Sum nunc in Senecâ, & Stoicis: illum & hæc dabimus illuſtrata, & ab obliuione vindicata. Nam Stoæ quid præter nomen ferè notum eſt? Hæc agimus, decorè fortaſſe, in æuo grauiore, grauiora iſta & ſapientiæ ſtudia tractantes. Valere te, & porrò me amare, atque etiam affari, opto mi Curti. Louanij, poſtrid. Idus Septembr. ſtatim vt tuas legi, ∞.IↃCIII.

Quæ notaſti ad Tacitum etiam, vidi. Illud de Othone, *prætor polluebat*, minùs perplacet: alia in ipſo Tacito conſideranda ſunt: neque nunc licet.

EPIST. XXXV. *Veronam.*

ANDREAE CHIOCCO V. C.

DA veniam, da veniam tarditati ſcriptionis: & quia medicus es, morbo hoc indulge. Scis quàm affligat & vires exhauriat lenta illa & verè δυλπξια νόσος: cum quâ fatum mihi eſt confligtari, nec ſuperare. Reſiſto tamen, & iterùm viriculas aliquas à ſuperiore illâ deiectione ſumpſi. Vis argumentū? etiam ſcribimus, edimus: imò iam edidimus breue aliquod DE VESTA ET VESTALIBVS συνταγμάτιον, quod tamen malo te è ſecundâ editione, quam meliorem auctioremque paro, videre & donum meum habere. In iſtâ, adflauit me alibi morbus, quod agnoſco, & emendabo. Sum etiam in SENECA totus, & ipſum & obliuium illam Stoïcam Sophiam dabo in lucem, quatenus in raritate ſcriptorum illorum licet, aut etiam opus eſt. Neque enim ambitioſè ſcribimus, & in Periergiâ quadam Polymathiæ laudem affectamus. Vtilia mi Chiocce, vtilia ſequi, vtinam aſſequi, mihi ſcopus eſt. Sed videbitis, & arbitrari breuî vobis erit. At tibi, ô optime, quas condignas gratias pro affectu, atque etiam curâ mei dicam? Habebo faciliùs, & mente concipiam, quàm verbis promam. Conſilia autem tua ſana, & proba: & communiter vti ijs poſſum, ſingulariter haud facile eſt in abſentiâ & diuulſione noſtrâ. Quòd ſignificas eſſe inibi amantes quoque noſtri, gratum eſt, & Veronam totam magis amo, etſi vel à Scaligero olim vel à te nunc caram. Academiam illam amplector, quam ſic attollis, & eius Principem Octauium Cepollam. quid M. Antonium Montanum? cuius ego patrem Clariſſimum Medicum iamdiu manibus tero, & pænè mente teneo, vnicum mihi ab annis viginti in hac interiore & occultâ inualetudine rectorem & ducem. Saluta, amabo te, & alios illuſtres viros quos adiungis, Comitem Auguſtinum Iuſtum, & M. Antonium Madium Equitem. Viuere me inter tales, & mitiore illo cælo, tu voues, neque ego abnuam: ſed ætas & valetudo retinent, & vel Conſtantia mea, vel Fatum. Alioqui publicæ noſtræ res λυπηραί, & vel fugæ metum faciunt, vel ſi honeſtè vis loqui, diſceſſus. Ill^mi^ veſtri ſcripta ad nos non perferuntur: ſicut pauca quæ Italia edit. Occaſio mittendi ſi ſit, libens videro, & pluria tua mi optime, & doctiſſime, & prudentiſſime Chio c. Louanij, XVI. Kal. Octobr. ∞.IↃCIII.

EPIST. XXXVI. *Romam.*

ANTONIO PERSIO.

BENIVOLENTIAM tuam veterem erga me, quam nunc denique litteris teſtaris & aperis, ſum amplexus equidem, vt debeo & ſoleo talium virorum, quibus votum & ſtudium eſt me probare. Noui te iamdiu de famâ & nomine: etiam ſcripta tua quædam vidi, in quibus (etſi grauiora ſtudia te vindicant) amorem & ſcientiam profiteris humaniorum iſtarum, id eſt veterum litterarum Nec ab alio fonte amor iſte tuus in me dimanat, qui videmur tibi in hoc genere ſupra plebem litterionum aliquid eſſe. Conati ſumus, de ſucceſſu hæc aut ſequens ætas iudicabit. Quòd autem ſcribis eſſe, qui tuum illud de Calidæ potu ſyntagma (mihi lectum olim & probatum) impugnant: non miror, vt cacoëthes eſt huius æui, pænè dicam vnici ad æmulationes aut pugnas. Miror tamen in re tam clarâ & teſtatâ poſſe obduci, quod vel apud improbos colorem habeat Veritatis. Præter ea quæ ego in Electis notaui, multa ſunt quæ ad inferius vſque æuum manſiſſe morem euincunt: atque etiam apud exteras & longinquiores gentes. De Eſſæis, in Phi-

lone Iudæo legas: *Vinum per illos dies non præbetur, ſed aqua limpidiſſima, alijs quidem frigida, * calida autem his qui inter ſeniores delicatiùs habentur.* Et vides in delicijs fuiſſe, & tenuioris fili aut valetudinis hominibus propinatum. Quid autem? *Decoctam*, vt aiunt tui quidam refragatores? Ridiculum: & veteres probè hanc diſtinguere norant, & eſt ea inuenti recentioris. In Ammiano, Arriano, alijs, exempla alia ſunt: pudeat adducere, & in Bacelos iſtos acriùs pugnare. Habes meum ſenſum: habe & amorem, quem fideliter tuo repono. Louanij, poſtr. Kal. Nouemb. ∞.IↃCIII.

* Θερμὸν δὲ τῶν πρεσβυτάτων τοῖς ἁβροδιαίτοις.

EPIST. XXXVII. *Romam.*

GVILIELMO RICHARDOTO *ſuo* S. D.

POSTREMA tua ſcriptio me lætificauit, verè loquor, cauſſâ duplici. quòd & redire ad nos haueres, tui certè cupientes: & quòd bonum rectumq́ue iudicium promeres, in toto genere vitæ. Non æſtimas, quæ hodie multi, plurimi, pænè omnes, vanitates, fumos, fucos: ipſam virtutem amas & quæris, cui nati ſumus & facti. Beatam mentem! & mox ab eâ vitam, ſi perſeueras. Quídni autem perſeueres? imò cum æuo conſummabitur Ratio, & magis magiſq́ue illâ duce, contemnenda faſtidies, appetenda adhærebis. Iuuaret frui te, & hos ſermones ſerere, & fructum legere meæ olim inſtitutionis. Etſi Rubenium etiam illic habes; fallor, aut paribus tecum iudicijs, & qui ſequi poſſit (malè dixi) imò comitari, aut præire. Decurrite ſimul hanc viam, quo? ad ſublimem illam Sapientiæ arcem. O ſuaues meos hoc nomine in Senecâ labores! vnâ tamen te inſuaues, quòd dare aliquid æuo debeo, & Critica aut Antiquaria miſcere: ſed modicè meherclè & parcè. Qui Senecam aut me eo fine leget, ne legat. Sed ſatis philoſophiæ: priuatim valetudine mediâ ſumus, publicè malâ. De Buſco illo Ducis periclitabamur: nunc minùs, vt videtur, præſidio inducto, ſed ciue patùm volenre. Adhibita tamen à Principe eſt comitas, & Theſſalica ſimul quædam perſuaſio, id eſt, * πειθανάγκην. Ad corpus ſeruandum, membrum aliquod vri aut angi, iuſtè non improbemus. Sed heus, Baronius noſter quid? manet, redit, an iam redijt? Sui illum certò exſpectabant hoc Autumno: ego nec ab ipſo quidquam adhuc, nec de ipſo. At tu, vt ſcribis, adde operam vt breuî: cupio videre te, complecti, ſuauiari. Louanij, III. Nonas Nouembr. ∞.IↃCIII.

* *violenta perſuaſio.*

EPIST. XXXVIII. *Montes.*

IOANNI BVISSONIO *Conſiliario, & Syndicò Ordinum Hannoniæ.*

ADFVIT mihi Plouuierius, vtrique noſtrûm amicus, & litteras à te dedit, & de te quæ vellem nuntiauit. Quid autem magis velim, quàm valere te &, me amare? Vtrumque dixit, & *alterum iſtud etiam tuæ litteræ, quæ foueri à te amicitiæ ignem aſſerunt, imò & oſtendunt ipſæ ab eo caleſactæ. Iure amo te, & iſtam tuam canam & ANTIQVI MORIS atque æui virtutem. O mi Buiſſoni, quàm ab eâ paullatim abimus! quàm ad alia, & non meliora, deflectimus! vrit oculos atque animum meum audire cottidie, videre, cogitare. Ego vaticinium apud te liberè promam, breuî fore vt Honeſtum & Bonum à nobis abeat; Fucus & Vanitas, addam etiam Prauitas, ſuccedant. Quod tamen noſtrum inreteâ munus? pro noſtrâ virilii illa amare & aſſerere, & ſi non alijs, nobis tamen approbare, & nec latum vnguem à Decretis flectere quæ Virtus dictauit. Si publicè res aliò eunt, mæſto ſed patienti etiam oculo aſpicere: & opem ferre cùm non poſſis, velle. Sicut qui in littore ſtat, & periclitantem in alto nauim videt, miſeratur & votis adiuuat, nec ſe tamen in mare præcipitat: tale nobis, fauere humano generi, & vbi fas eſt iuuare; cùm non, tolerare. Prouidentia (ad quam iure prouocas) gubernaculum rerum humanarum, aſpicienda eſt; & flectendi ad eam non oculi ſolùm, ſed animi, & ipſa voluntas aptanda, vt ſequamur non queruli nec refractarij ſupremam illam & immotam legem. Ecce Reges hîc in terris & Principes hoc ſibi vindicant, & diſtrictè PARERE nos volunt, vbi conſtat ijs PLACERE: & diuina Potentia hoc ius non habebit? Habeat, & Sapiens in animo illud vetus fideliter impreſſum, DEVM SEQVI. Vides me ad Conſtantiam hortari, ſpem meliorum non proponere, niſi cùm ad meliora illa loca, vnde venimus, ab hoc exſilio licebit redire. Fata aſpera Belgas premunt, & prement, vt curſus & ſeries iſta rerû minantur. Nam etſi in obſcuro ea Deus eſſe voluit, & triſtiſſima etiam Spe ſemper temperare:

tamen

tamen à cauſſis iſtis ſecundis ad primam licet ſcandere, & quid ea minetur aut moueat ab his exiſtimare. Sed omitto hæc philoſopha, quorum domi tibi eſt ſilua: de noſtrâ iſtâ Silua-Ducis credo vos iam audiſſe, & ſiquid minùs certò aut liquidò, Illmus Dux denarrabit. Qui à corpore quidem valet, ab animo non nimis alacer, neque cauſſas potes neſcire. Magnum Principis illius ingenium eſt, in pleriſque rectum iudicium: frigus tamen aliquod (pro ſæculi noſtri indole) æthereo illi igni optem. Hæc ad te liberè, & alia in ſermone apertiùs: neque apud amicum & prudentem virum quidquam ſenſuum meorum velem. In occaſione fiet, ſi viuꝰ: ſi non, Boni & bonorum amans morior, & apud te reſtor. Vale vir Clarme. Louanij, XIII. Kal. Decembr. ∞.IↃCIII.

Seneca meus breuî prodibit, ipſe auctor optimus (& ſcio te talem habere) mea ſcripta ad eum non ſemper cuiuſmodi vellem, & Valetudo aut Æuum vetant.

EPISTOLA XXXIX.

PETRO COLINS S. D.

SERMONES tui comes nuper & benigni, nunc facta. Mittis ad me aucupij tui partem: an venationem appellabo? Equidem gratias duplices debeo atque habeo, vel affectus tui cauſsâ, quem non temporarium ſed radicibus nixum oſtendis, vel doni ipſius, quod nos refecit & pauit. A me quid mittam? affectum eumdem: quem repoſitum apud me ſcito, & promendum etiam, ſicubi vſus erit. Ampliùs, eumdem ad filium tuum porrigendum, quem ſtudiorum cauſsâ hîc habes. Is me adeat interdum (coràm ei dixi) appellet, & conſilio vel directione meâ vtatur. Creſcant hi tales in parentum gaudium, in adflictæ reipublicæ bonum. At tu vale Vir ornatiſſime, & amarurum ama. Louanij, III. Idus Decemb. ∞.IↃCIII.

EPIST. XL. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO.

QVID hoc eſt, quòd iterùm iterumque amicus ille nuntiat, Italos populariter in me (ita loquitur) coïre? Egóne aut mea tanti? Et plures iam menſes, imò plus anno hoc agunt: ô partum difficilem, & cui Vulcanus aliquis eum ſecuti meritò accedat! quídni? vt proſiliat noua hæc Minerua. Et quid tandem iſta erunt? vetera, in Bembum aut alios dicacem me fuiſſe: toties refutatum, & res ipſa ac ſcripta mea cottidie euincunt. Pono in meâ gloriâ, non fuiſſe mitius ingenium, linguam, ſtilum, inter litteratos. Atquin aliquid in meis etiam culpabunt. Faciant; & ſi iure, fauebo: ſin aliter, quæ gratia aut gloria eſt? Et fac etiam prius eſſe. non ego, non alius, qui olim & nunc ſcripſimus, extra culpam omnem ſumus: alibi aliquid maculat: cur in vno me puram puritatem eunt exactum? Lunam me, non Solem profiteor: tenui luce, nec purâ, imò nec propriâ lucere: & multa à veteribus, omnia à Deo habere. Riſi nuper qui ad Tacitum ſcripſit, grandiuſculum opus. Quid conatur? vulgatam omnem lectionem, etiam quæ palàm falſa aut ſpurea eſt, tueri contra me: contra me? imò rationem, imò libros priſcos & fidos, & aliorum ſcriptorum auctoritatem. Et ſunt qui Paradoxa Stoïcorum rideant: hæc non videntur? Eſt alius, qui negat Ariſtotelem me legiſſe. Quid ita? quia non omne illud de Religione in Politicis, ex eo adſtruxi. Ipſe fecit, vt audio: atque adeò ſolam Catholicam noſtram tenendam illo auctore oſtendit. Mi Marce, quis finiſerit, ſi ad vana hæc capita aut ſenſus vertimur: ſi Bacchis iſtis, liceat dicere, aduerſamur? Do manus & tergum potiùs, & reſoluam vnâ alteraque plagâ. Scribant, laceſſant: qui tamen iſti? hoc quoque liberè, nouelli Parides, qui pugnare poſcunt magis, quàm poſſunt. O Heſperia, miſereor! &, paucos excipio, verè nunc nomen illud habes. At nos non ideò ſcribere aut edere cunctamur: lubet obnixum ſtare, & paucis ingratis aut malignis, benigniora Europæ elogia obducere. In his triumphamus, & lauream capite ac manu tenemus, non à liuore aut calumniâ eripiendam. Da veniam exſultanti. non ſoleo: ſed iſti proteruuli & à Modeſtiâ deuij, me quoque extra viam, dum pello, leuiter abducunt: & comitor, dum committor. Redeo, & ſileo, & ſaluere te Germaniæ tuæ magnum & longum decus opto. Louanij, Idib. Decembr. ∞.IↃCIII.

EPISTOLA XLI.

Io. Vergerio Avrano *ſuo.*

VERGERI mihi care, care Muſis.
An non dixero? cuius ecce verſus
Et ſenſu lepidos, & elegantes
Verbis vidimus: atque eos bilingues.
Nam linguâ patriâ, & ſimul Latinâ
Scripti erant: quod amare & approbare
Et vetus queat, & noua hæc Poëſis.
Macte. rêne ego cenſeam hæc minora
Sic induſtriè habere? te ſeueræ
Addictum Sophiæ, & libris ſacratis?
Quos tractas iuuenis, virente in æuo,
Tali iudicio actimoniaque,
Ætas vt tibi vel ſenecta cedat.
Vix lanugo tuas genas inumbrat,
Barbatos tamen ipſe ego magiſtros
Te laceſſere, quid laceſſere? addam,
Vidi vincere. perge porrò ſumma
Laudis tangere: ſed Modeſtia vſque
Aſſit. ſic tibi laus perennis aſſit.

Vides? tuus me amor & calor incendit, & verſus adegit fundere, an verſiculos? Verè iſtos. breues & leues ſunt, etſi affectus in te largus & firmus. Quod bonâ fide, & veteri Gallico candore, habe dictum. Vale, in Muſæo noſtro, III. Nonas Ianuar. ∞.IↃCIV.

TESTIMONIVM.

VIRTVTEM *qui amat, agnoſcit; qui agnoſcit, promouet, & gaudet plures cultores eius eſſe. Ideò mihi grata indoles, & cum indole ſtudium,* IOANNIS VERGERII AVRANI *Baionenſis: quem à quattuor circiter annis in hac vrbe & Athenæo noui, optimis ſemper artibus operatum, & præſertim Theologiæ, cui Principi ſcientiarum ſublime & ſubtile ingenium ſuum addixit. Quæ experimenta & pericula ego vidi? & nuper vtique, cùm* VI. *Kal. Maias de vniuerſâ Theologiâ, in publico cœtu, ſolenni Diſputatione reſpondit: ſic promptè, argutè, firmiter, vt cum admiratione voluptatem gigneret in animis auditorum. Seriâ fide hoc teſtificor, & Deum precor prouehere hoc ingenium ſuo honori, reipublicæ Chriſtianæ bono, cui natum auguramur. Louanij,* III. *Idus Maias,* ∞.IↃCIV.

Iuſtus Lipſius Profeſſor, &
Hiſtoriographus Regius.

EPISTOLA XLII.

Ioanni Agvilario Alvarado.

LIBENS ego te admiſi, non vt ad tutelarem geniû, ſed amicum, & iamolim in te animo affectum. Anunculum habes, virum inter claros clariſſimum, & verâ virtute conſpicuũ, qui hoc à me impetrauit, vt vos ſuos quoque amarem. Feci equidem ſeriò, nunc magis cùm tu à te cauſſam augendi affectus præbes. Epiſtola tua tota bonæ, & vt rem dicam, altioris, id eſt ætheræ illius indolis ac ſeminis eſt. ô mi adoleſcens, illuc camus, & per Virtutis ac doctrinæ viam nitamur. Doctrinæ, inquam, & hanc adde. Nam neque conſummata ſatis ſine eâ ipſa Virtus eſt, aut certè parùm ornata, vel etiam inſtructa, ad ſuum vel alienum vſum. Videſne arbores quaſdam ſine culturâ creſcere, & folijs ligniſque luxuriare? ſed alius fructus vix adeſt, & vmbram ac ſpeciem modò præbent. At in cultis, & humanâ manu factis, inſitione etiam emendatis, vides vſum multiplicem, & fructificare, non ſolùm obumbrare. Quæſo te, imitare. nomen tuum vide, ab Aquilâ eſt, alta & honeſta pete: ætatem vide, apta inſtitutioni & velut culturæ eſt, fruere dum licet, ne Pœnitẽtia poſteà ſuccedat, in quâ tu doleas, alij rideant, occaſione lapsâ. Clauſula eſt, ego te amo & amabo, fauebo & fouebo quoque: ſed ſi tu ipſe te, & dignũ gereſ ſanguine, è quo ortum ducis. Nauigantes Cynoſuram reſpiciunt: tu auunculum, non aberrabis. Vale, & cum nouo anno nouum impetum ad optimas artes cape. Louanij, Nonis Ianuarijs, ∞.IↃCIV.

EPIST. XLIII. *Auguſtam.*

Marco Velsero.

EN ad Polam noſtrum. quomodo non meũ, qui ſic amat? Etſi iudicium & veritatem requiro, & plures mecum. Ad te ſatis longam epiſtolam nuper dedi, ſuper illâ Bononienſi factione. Creſcat, ſedeat & ſileat, non magnæ mihi curæ eſt: vos pauci & boni, & gnati bonarum artium, me amate. Ad Senecam omnia Typographus iam habet: de *Pilis vitreis*, omitti tuum illud non debuit, raræ obſeruationis. Sed pleraq; mea ad illum, magis pro Genio eius ſunt, id eſt Philoſopha, quàm Philologa aut litterata. Sic decere & debere, mihi viſum. Dum heri ſuauiter de te cogito, ecce Carmen effudi: lege, & verum affectum ama.

AD

AD PERILLVSTREM
MARCVM VELSERVM
II. virum Auguſtæ Vindeliciæ.

MARCE, diſpeream, niſi inter omnes
Quos amo, te ego amo. idque iure: ſiue
Virtutem video, aut tuam, aut Amorem.
Virtus, Solis ad inſtar, illa lucet:
Nec tuæ modò Rætiæ, ſed omni,
Quàm lata eſt, Alemanniæ, & propinquæ
Galliæ, Italiæque, Iberiæque.
Addamne ipſam Aſiam? addere hãc quoq; auſim:
Et ſplendor tuus ora inhoſpitalis
Ponti perculit, ipſaque vrbs Byzantis
Te nouit ſimul & colit merentem.
Quid iam porrò ego debeo? qui amorem
Tam largum mihi candidumque defers.
Certè debeo; quod nec vlla lingua,
Quod nec concipere ipſa mens potiſſit.
Ergo me tibi ſiſto mancipandum:
En habe tibi, quidquid eſt eritque
IVSTVS LIPSIVS, *hoc ab æuo in æuum.*
Louanij, prid. Kal. Feb. ∞.IↃCIV.

EPIST. XLIV. *Romam.*

PHILIPPO RVBENIO *ſemper ſuo* S. D.

INVITVS ad te ſcribo, ne mirare. Vos ego iam exſpecto, iam occurro, iam brachia pando ad amplexum. Quid iterùm à ſolidâ voluptate ad hanc imaginariam vocor? quid à veritate ad vmbram? Venite, aſſamini, & ſiſtite mihi tres vos illos meos: quos non dimiſi, ſed commeatum in tempus aliquod dedi. At Italia vos tenet; quam hoc nomine minùs amo, quia vos ſic amatis. Redite. vis dicam? aut ad alios amores ego eo. Seneſco, caneſco: longùm exſpectare non poſſum, frui nunc aut numquam debeo: & fruamur, ita omnia votiua vobis Deus in reliquam vitam donet. Vſuram breuem ego poſco; ſed tam hilaris, quàm ij qui ætates diſponunt & promittunt. Venite (iterùm dico) tres ad me tectà: ſi quis abnuit, tu nihil excuſa, & indulge vtriuſque (nam & de te arbitror) amori. Sic vale. Louanij, prid. Kal. Febr. ∞.IↃCIV.

EPISTOLA XLV.

IANO GRVTERO.

LIBENS legi, libens, de Politicis tuis Diſſertationibus: age, vel ob hanc cauſſam fac, vt os calumniæ claudamus, qui meros litteriones nos cenſent, nec alterius ſeriæ rei. O quàm errant! quàm diuina & humana in his veterum monumentis tractamus & indagamus! Sed enim vulgo fruſtrà pugnes, & brachia in ventum iactes. Quæris, ecquid Taciti iudicium mihi rectum, qui Senecam & Burrum probare videtur ſilentes, ne irriti parricidium diſſuaderent. Dico, non vniuersè hoc verum eſſe, & boni conſilij virũ, atque ipſum bonum, etiam non audiendum, optima debere effari. Cur non igitur hic Seneca aut Burrus? factum & perſonam cogita. Agebatur an Nero, an Agrippina imperaret. Eò enim ventum, & ſuperſtes illa mulier magni animi & gratiæ, Germanici filia, imperium pacemque turbaſſet, aut rapuiſſet: nec ipſa filio melior futura. Adde, quòd ad hoc æui non inter peſſimos Nero: poſteà frena exoluit: ideoque, vt fidi & integri conſiliarij, ſtatui eius priuato & publico ire debebant conſultum. Ergo per tale facinus? abſit: non ſuaſerunt, ſiluerunt. id eſt, non approbarunt: ſed vt inter mala, & quia longiùs Nero iuerat, quàm vt reuocari poſſet, hoc tolerandum cenſuerunt. Caput etiam, quod Tacitus non exprimit: tutò diſſuadere non poterant, & in diſſenſu, illorum ſalus agebatur. Summa, in republicâ multa interueniunt; quæ priuatim iniqua, reſpectu alicuius publici Boni aut Quietis tolerantur. Tu plura dices, & inuenies: examina. De Senecâ, dedi operam vt Textus emendatus eſſet, & tu iuuiſti. Cetera pompam non habent, fortaſſis vſum ſiquis quæret. De illo Atheo in Epiſtolis, diuinaſti. Gratulor tibi in Bibliothecâ luxurianti, & à copiâ, vt ſcribis, pænè oppreſſo. Mihi ab aliis vacuo contingat, & vel ſepulchrum ſic eſto. Sed, Dij boni, diſtrahimur, & ad alia raptamur. Tu bona & me ama, mi Grutere, idem conſtanter facturum. Louanij, Kal. Febr. ∞.IↃCIV.

EPIST. XLVI. *Lugd. Batauorum.*

GERARDO BVYTEWECHIO *ſuo.*

SATIS diu factum eſt cùm à te nihil audiui: eò gratiores iſtæ poſtremæ tuę litteræ, etſi non grata omnia continebant. Illud certè triſte de Vxore tuâ. quam in morbo, & tali morbo, id eſt Hypochondriaco aliquo eſſe, inuitus audiui. nam ſcio quale hoc ſit, & quam leniri fortaſſe medicinâ aliquâ aut curâ poſſit, numquam vinci. At ego

meliùs de tuâ etiam ſpero, nec in hac florenti ætate id genus omnino morbi eſſe: etſi vicinum aliquod fortaſſe, & notis iunctum. Confide, Deus illi & valetudinem, & ex eâ tibi liberos dabit. Suaue fuit audire de tuâ illâ bellulâ, & opinor iam garrulâ: & mihi quoque deſiderium ſit videndi, & (verè dicam) ſuauiandi. At quæ ſpes vltrà eſt? ego ſeneſco, & niues caput meum ſpargunt: & morbus iſte tot annos atterens & exedens valdè vacuum virium me concinnat & longæ hîc moræ ſpem non facit. Nec tamen etiam ceſſo. & breuî *Manuductionis ad Stoïcorum Philoſophiam* libri tres, *Phyſiologiæ Stoïcorum* totidem apparebunt: quidni dicam? non pro guſtu aut ſenſibus huius æui ſcripta. Cauſſas per te cogitas. ſunt vetera, ignota, à ſcholis ſpreta: & ſolum fortaſſe fructum habeant illuſtrandi Senecæ, cui equidem deſtinaui. Sunt enim velut prodromi, & ille conſequetur. Iam Antuerpiæ eſſem, niſi caſus equi tibiam meam afflixiſſet; ſed iam ferè perſanatam. Sciſne autem equum me domi habere, ſed ex dono? Fit illud Ariſtippi, opinor: —— *equus me portat, alit Rex.* De Douſæ ſcriptis, vellem miſiſſes. priora enim habeo: hæc credo conſequentia eſſe, & non moueor ſiqua alia à nobis inſpergit: nam & firmus ego in talia ſum, & venia mihi facta legendi. Mitte igitur: ego ad te mea, cùm lucem videbunt. Quando autem Scaligeri optatus Euſebius? inquire, & in occaſione virum ſaluere à me iube. Exſpectamus reduces Româ Richardotum, Baronium, Rubenium. hunc poſtremum egregium virum, & Græcas Latinaſque litteras perdoctum. Vale mi Buytewechi, & meus perſeuera. Louanij, vi. Idus Febr. ∞. IƆCIV.

Parenti vtrique, ſed & Tuæ, amicam ſalutem mitto. Scripſi & editurus ſum, *Diuam Virginem Hallenſem, eiuſque Beneficia & Miracula:* pijs non diſpliciturum opus; quid veſtri illîc alij dicent? Lipſium Bellerophontæo morbo agitari?

EPIST. XLVII. *Veronam.*

Andreae Chiocco.

IAM iamnunc tuas accipio, & lectis reſpondeo: vide quàm ſim ἄοκνος amico paria reddere, quatenus valetudo quidem (nam occupationem non excuſo) permittit. Rogas de acceptis Ill^{mi} Cardinalis & Antiſtitis veſtri Avgvstini Valerii libris? Accepi, legi, & vel ipſo aſpectu delectatus ſum, hæc optimarum artium & honeſtioris famæ illis etiam magnis curæ adhuc eſſe. Quid, cùm legi? affirmo tibi placuiſſe, & doctrinam & iudicium viri admiratum eſſe, in illâ dico dignitate, & multifariâ καὶ πολυπονίλῳ (ſatis ſcio) occupatione. Italia veſtra vel hoc nomine etiam felix, quòd tales quoſdam, ſed quoſdam, in illo culmine habetis: nobis nonniſi votis ſuſpirandos. At legiſſe te mea *De Bibliothecis, & Diſpunctionem* ſignificas, & placuiſſe. Tamen inijcis de Politianis & Barbaris, atque hodie etiã, ſed aliâ & veſtrate linguâ eſſe. Mi Chiocce, non abnuimus de ingenijs in veſtrâ gente (neque iſtæc τυφλομανία nos habet) ſed ad artes veteres reſpicimus, & quas Græcia coluit Latiumque. Linguam veſtram ſi excolitis, benè eſt: ſed quo imperio ad alias gentes propagandam? quod in vtrâque illâ, vt ſcis, fuit. Imperio dico, atque item Colonijs in orbem terræ miſſis. Fatorum aliquis orbis eſt, & ſurgunt illa, hæc cadunt: ſed in linguis obſerua, vix tres obtinuerunt ab orbe condito ſpargi & dilatari. Nos quoque veſtra legimus, capimus, & probamus: ſed ſtudium idem nónne Gallis eſt? & lingua eorum latiùs patet, certè communiùs vſurpatur. Cuique ſuum iudicium: ſed eum Religione veteri, verâ, & Romanâ, ſtare Romanam linguam & coli debere, ego cenſeo: magis quia artium & ſcientiarum veterum cuſtodem. Siquid in veſtrâ, Hiſpanâ, Gallicâ, boni aut venuſti eſt; negabis etiã ab hac eſſe? cuius iſtæ filiæ, & per vim atque iniuriam, vt ſic dicam, dominantibus Barbaris ex eâ productæ. Deſino, ne videar quibuſdam φερνὸν ἐλὰν φρονεῖν: ſed non tibi, ſi te noui. De homine autem qui me ὕβρισμα fecit, nec noſſe vos credo: ne nunc quidẽ ego. Italum ſe prȩſcribit; ingenium, aut illud ingenium, ἢ μεγαλεῖον veſtræ gentis, non præfert. Quiſquis ſit, valeat, aut in Veſpaſiani illam Morboniam abeat. M. Antonium Bonciarium vel ex litteris noui, ſanè inſignem virum & ἀξιάγαστον: pleroſque alios ex lectione, quos iuiſti nominatum. Inter eos iamdiu Torquatum Taſſum, & Speroni quædam. Sed aliæ nobis curæ, aut auocationes: in otio, quod optem magis quàm ſperem, libens iſtis vacem. Vale vir amice, & talis in me perſeuera. Louanij, xv. Kal. Mart. ∞. IƆCIV.

EPI-

EPISTOLA XLVIII.

AVGVSTINO VALERIO S.R.E. *Card.* S.D.

BENIGNITAS tua,tum item ſcripta quæ vidi, ſcriptionem hanc meam elicuerunt, grati animi & virtutibus tuis meritiſque addicti teſtandi cauſsâ. Nam benignitatem quidem oſtendiſti, in ſalute ſemel iterumq; ad me peramanter miſsâ;tum & ſermonibus, quos honeſtos de me ſtudijſque meis apud plures habuiſti. Iam Scripta tua quæ publicaſti, viſa mihi beneficio Andreæ Chiocci Doctoris veſtri Medici, qui ad me miſit: & lecta mihi fateor cum fructu pariter, & voluptate, cui affectus & veneratio in auctorem ſe coniunxit. Quomodo enim non colam & amem virum in eâ dignitate,in câ ætate, hæc ſtudia ſic induſtriè & feliciter tractantem, & ad poſteros etiam ingenij ſui monumenta propagantem? Colo, & amo: & vnum certè librum vel argumenti cauſsâ, quia in eo CARD. BORROMAEVS deſcribitur, ô magnus ille æui noſtri (ſic appellare liceat) heros! Eum ego ſemper ſuſpexi, & virtutes extra ambitionem omnem admiratus ſum: quas tu ita laudes, vt etiam imiteris. IVBILAEVM etiam tuum ANNVM perlegi; & variam in eo rerum notitiam, cum hominum locorumque deſcriptione, amaui. Sunt ſeria hæc ſcripta, & tui loci atque muneris:atque vtinam ætas(nam de voluntate non ambigo) ferat, plures ex hoc agro ingenij tui fructus prodire! Vt id poſſit, Deum rogo:& vt is te Ill^me ac Reu^me Domine, longùm Eccleſiæ ſuæ ſeruet. Louanij, prid.Idus Mart. ∞.IↃCIV.

EPIST. XLIX. *Peruſium.*

MARCO ANTONIO BONCIARIO, *nimis, penè dicam, meo* S. DICO.

NE mirare exordium,mi Bonciari. iamantè ſciebam te meum eſſe; ſic eſſe, ex epiſtolâ tuâ didici,quam beneficio Andreæ Chiocci, inſignis viri & Medici, iamnunc vidi. Téne tam effusè in laudes meas ire? nec apud me, vbi blâditijs locus eſſe poſſit, ſed apud alium, quid alium? apud omnes ſic effari & profiteri: nam edidiſti, & vulgaſti. Profectò motus mihi animus fuit cùm legi, non nego: & quamquam ſaluâ fronte pleraque non poſſum agnoſcere,tamen ſuaue, ſuaue fuit à te tali hæc tribui,

Ἐν τόνῳ ἐν σήθεσι πεπηγμένῳ οὐδ' ἀΐξας.

Etiam hoc teſtificor,te ſic in mea intima iudicio indagaſſe aut penetraſſe, vt ipſi mihi notior non videar, quâ tibi. Quæ hæc ſagacitas tua eſt?quis ſuper omnia candor? Iam verba penſitata,& ſenſus ſic maturi, fidem apud alios aſtruant,quam apud me non habent. Et mihi tamen hîc fructus:quis?excitari & erigi, & vt generoſi equi, plauſu hoc tuo & fauore acriùs ad curſum impelli. At nō in faſtū attolli,mi amice.noui me,& impurum aut imbecillū illud in me hominis; & vt Iunonia auis,cùm plumas adſpexi, ad pedes oculos demitto. Sed ad te nunc animum mitto(vtinam totū me poſſim!) æterno,æterno tecū vinculo, vt cum me altero hæſurū. Louanij,prid.Id.Mart. ∞.IↃCIV.

Scripſi item ad te ante dies xv. & miſi Auguſtam Vindelíciam ad M. Velſerum.

EPIST. L. *Lutetiam.*

FRANCISCO HARLAEO *Abbati S. Victoris* S. M. D.

ET ex ſermone cognati tui Harlæi, qui nobis adfuit, & clariùs ex tuâ ſcriptione affectum didici,quem acrem in me præfers, amore Virtutis & Doctrinæ excitatum, quarum ſcintillas in me (vtinam lumen!) annotaſti. Nam & me amare ea profiteor,& creſcere cultum cum ipſis annis: quantò magis video alia hæc vana, leuia, nihili eſſe; ſola hæc firma,ſolida, æterna. Itaque meritò & tu ad ea adſpiras,& non ſimplici ac nudâ, vt ſic dicam, Virtute contentus, ornatum & velut purpuram adijcis Doctrinæ. Benè eſt, perge. hæc eminendi & prælucendi via eſt, quò tua te indoles,& maiorum ſplendor atque exempla vocât. Meam autem amicitiam quòd appetis, in promptu eſt, vel vltrò iungar, quoſcumque tales repperi: & vt magnes ferrum, ſic me honeſtior indoles conſenſione tacitâ & συμπαθείᾳ trahit. Ergo ſequor, manum do, fidei & amoris non fallacem. Louanij, III. Idus Maias. ∞.IↃCIV.

EPIST. LI. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO V. I.

ERRATVM. nondum vt STOICA noſtra videris? ſed erratum, aut peccatum (non enim definio)ab alijs quibus commiſi: ego te inter primos habere fructus iſtos acri-dulces (da verbo veniam) ingenij mei volui: habere, & cenſere. Fac vel nunc. Muſicum illum Etruſcum vidi nuper, è tuo dono, & miratus ſum ingenium, dij boni, acutum! Sed ego quàm non ſim ad hanc ſcien-

ſcientiá, publicè ſum teſtatus, & eſt vitium naturæ meæ. In Senecâ, hæc talia non nimis inquiro: quod ille egit, hoc ago, & ad mores eo. Et quia pompâ hæc ſcriptio non habebit, fortaſſe & famę minus, vt hodierna ſunt iudicia: ſed & ea alibi corrigenda aut dirigēda ſunt, & in veterem limitem boni vſus reducenda. In N. affectum amo, cetera mecum intelligis & arbitraris. Staniſlaum Balam, de cuius affectu in me ſcribis nobiliſſimi viri, amo & te velut inducente admitto atque amplector: & gaudeo atque Europæ gratulor tales in eo tractu viros eſſe. Mirũ, mirum, Sarmatiam ſic excultam hodie, vel ſupra Heſperiã vtramque(gnarus dico) eſſe. Omitto litteras, quæ id mihi dicunt: ſed ſunt & fuerunt in hoc ipſo loco nobiliſſimi iuuenes, qui vagantur & luſtrant incenſi cupidine doctrinæ. Noſtri homines aliter, & veteres Cimbri(Becani hęc aſſertio) ad Cimmerias ignorantiæ tenebras eunt. Sit is quoque inter bellorum ciuilium fructus. *Diua* noſtra *Hallenſis* excuditur. Quid tu ad talia? inquies. Imò decuit, & animo libuit ad pietatis hanc operam facere, cui primò nati ſumus: & reliqua ſecundas in hac ſcenâ partes agant. Mi Velſere ſaluere te cupio, & me amare: te inter paucos, perpaucos noſtri æui, iudicij atque animi rectum. Louanij, XIII. Kal. Iun. ∞. Iↄcɪv.

EPIST. LII. *Romam.*

EMANVELI PIO S. R. E. *Cardinali.*

M. Antonius Boneiarius (ab amico tibi nomine ordiendum eſt) cùm ſæpè mihi & de virtutibus tuis, ingenijque præſtantiâ, & litterarum ac mei amore, ex fide ſcripſiſſet: cultum & ſimul affectum erga te in animo iſto genuit. quem in dignitatis tuæ incremento cohibere vltrà non potui, non item debui, quin erumperet, & tibi ſe ſiſteret, probandus, vti ſpero, & admittēdus. Candore quidem hoc mereor: vt alia mea, quæ benignè attollere te audio, omittam. Venio igitur gratulaturus purpuræ hunc honotem, veteri, & ab ipſis Imperatoribus familiæ tuæ, non nouum: quem ipſum nuper quoque tenuit Rudolfus Pius Cardinalis Carpenſis, ille in exemplum genitus virtutis, doctrinæ, elegantiæ, & omnibus in ijs numeris abſolutus. Nihil veræ laudis extra gentem tuam quære: illa ſuppeditabit, & multâ luce vndique circumfundet; etſi, iamnunc in eâ luces. Nam eminens hæc tua indoles, & ſublime cultumque ingenium, Pontificem hunc optimum maximum aduerterunt, vt te vltrò eligeret & in ſacrum Senatum adſcriberet, quò non niſi apices & decora prouinciarum adſpirant. Sit felix bonumque factum, eminus, ſed corde, acclamo: & me tibi do, dico, Ill^me & Reu^me Domine, ſeriò clientem. Louanij, IV. Idus Sextil. ∞. Iↄcɪv.

EPIST. LIII. *Antuerpiam.*

LVDOVICO NONIO *Doctori Medico* S. D.

DIVAM noſtram placuiſſe tibi, pietatis tuæ in illam eſt, fortaſſe & in me affectus. Nam à ſtilo aut ingenio meo leuiter acceſſit, quod cōmendaret. gaudeo tamen grata hæc eſſe (nam & ab alijs ſic accipio) & excitor ad ſimiles ſcriptiones. Similes dico, id eſt Hiſtoricas: & tu me eò vocas valdè inclinatum. Itaque iamnunc edo *Monita & exempla Politica*, in quibus quid niſi florem hiſtoriarum excerpo, & huic ſcriptioni velut proludo? Deus ſi vitam mihi ſeruat, illuc ibo? firmior ſim modò; nam iam à tribus menſibus, mi Noni, valdè virium & vigoris interni vacuus ſum factus. Te in Hiſpaniâ illuſtrandâ pergere, gaudeo: & in Marciani Capellæ loco (inſpexi & inquiſiui) à tuâ correctione nihil muto. Vera & neceſſaria eſt: etſi tentabam illud *vniuerſa* inuertere, ſed non ſucceſſit. Quæris ſuper Strabonis loco de *Balearium laticlauiá tunicá*: & meretur quæri. ego autem ſimpliciter ita accipio, vſos primùm πλατυσήμοις χιτῶσι, quas Romani ſenatores vſurparunt, ſed paulò aliter. Nam Baleares, opinor, in lino, non in lanâ; & ab ijs haud dubiò Hiſpani ſumpſerũt, ſic propinqui. Sanè de iſtis in Liuio eſt lib. XXI. vbi de pugnâ Cannenſi: *Hiſpani linteis, prætextis purpurâ tunicis conſtiterant.* atque in eadem re Polybius dixerat χιτωνίσκοις περιπορφύροις. quid eæ aliud ſunt quàm *tunicæ laticlauiæ*: ſi tamen purpura ea in clauos diſtincta? Hæc ad Liuium olim notabam, & Strabonis locum adiungebam: tu iudicabis. Publica valdè me ſuſpenſum habent, & video certamen omne in Flandriâ cernendum. Hoſtis copias auxiſſe, inſtruxiſſe dicitur, & rectà ad nouam expeditionem ire. nos quid? quod tu ſcitiſſimè à tuâ arte, in Veterno aut Lethargo ſumus, nec excitari excitamur. Ades ô Deus, & patriam, aut certè religionem tuam, vindica & tuere. Vale, mi Noni. Louanij, XI. Kal. Octobris. ∞. Iↄcɪv.

EPIST.

EPIST. LIV. *Vrbinum.*

SEBASTIANO MACCIO DVRANTINO
Viro Perilluſtri S. D.

LITTERAS ad me dediſti triplici notâ inſignes, amoris, benignitatis, doctrinę. Amorem ipsâ ſcriptione profers, & finem habes vt meum elicias: quid elicias? tuo iure poſcas, qui debetur tali viro, & ſic amanti. At benignitatis iam tuæ eſt, quòd in laudes meas ſtilũ admittis: cur autem tam effusè? Stringe vir optime, nec affectui tuo habenas omnes laxa, quas iudicij tui rectitudo adducit & coërcet. Ab illo enim, non abiſto (ego ita cenſeo) hæ laudes. & vt per aquam qui videt, maiora omnia videt: ſic qui per fauorem iudicat, attollit. Equidem ampla illa non agnoſco: Deus ille Delficus veteri monito aurem vellit, & me ad me mittit. Denique doctrinam ipſa ſcriptio tua præfert, & acre eius ſtudium: atque huius fructus, SOTERIDEM tuam: quam vt videre mihi ſit rogo, & mittere licebit viâ, quam in imâ chartâ ſubſcribam. Sed ad amorem redeo, quem vt magis próbes, ſine vllo riualitatis liuore (nec enim verus iſte habet) alios adiungis & nominas, qui me tecum amant. inter eos Franciſcum Mariam Sancti Angeli Comitem, virum genere & dignitate primarium, itemq́ue Baptiſtam Guarinum Equitem, Felicem Paciottum Philoſophum: & quid dicam, niſi ſuauiter affici me, & velut titillari, talium ingeniorum approbatione vel affectu? Rependo vicem: vtiná & vocem aliquando poſſim, & paſci ſermonibus ac diſſertationibus, dirigi iudicijs eruditiſſimorum virorũ! Olim optaui, & conatus etiam ſum inſerere me Italiæ veſtræ nouum ciuem: Deus & Principes mei vetuerunt, & patria etiam manum iniecit, etſi abiturienti. Quid enim apud nos, niſi aſſidua, & quidem calamitoſa, bella? Pax ingenio ſcriptiſq́ue meis magis faciebat, & excitari per illam ac produci vtraque hæc potuiſſent. Sed quibus ego iam verbis vtar, vt benignitati Ser^mi^ Principis FRANCISCI-MARIAE RVVEREI Vrbinatium Ducis, reſpondeam? Quam tu in me & mea promis: neque inſperatam, vt verum fatear, quia inclytæ illi familiæ proprium ſtudia arteſq́ue fouere atque amare. Sed quòd eam extra Italiam etiam mittit, id fortaſſe nouum, ſed magno & capace illo ingenio dignum, quale deſcribis: & quod iuſtat ſolis aut velociſſimi ſideris, omnia ſtatim obit ac luſtrat. Legi ab eo ſcripta noſtrã, votum eſt; probari, ſupra votum: fruor tamen & excitor, neque aliter erigor aut attollor. Habes ad epiſtolam tuam, ſed voluntate meâ breuius: quia languor, an morbus dicam, manum & ſtilum alligat, qui iam tres menſes me habet. Deus, ſi ita expedit, ſanum me reddat, te ſeruet Vir Perilluſtris. Louanij, XIII. Kal. Octobr. ∞.IↃCIV.

Si quid ad me placet mittere è tuis ſcriptis, ægrè id poteſt per Curſores ordinarios, nec niſi magno impendio: at poteſt bis anno per mercatores, qui Francofurtum eunt. Ad Moretum illuc ſi mittis, id eſt, ad Plantinianam tabernam, rectà & tutò ad me ibit.

EPIST. LV. *Pinciam.*

Domno FRANCISCO QVEVEDO
Viro Perilluſtri.

Dij tibi dent animos continuentq́ue tuos.

PATERE enim & me verſu ordiri, & tuo illi παρῳδεῖν, quem ſcitiſſimè (ſed cum nimiâ laude meâ) præponis. At ego tibi animos iſtos opto perpetuos: animos, ſic in me affectos; animos, ſic omni doctrinâ & virtute perpolitos. Ita enim ab alijs audio, qui & propiùs te norunt, & ſcripta varia viderunt: quod nobis non datũ, ad quos veſtra ęgrè deferuntur, nec niſi ex deſtinato miſſa. Rarum in iſtâ nobilitate tuâ decus. quod non tibi magis, quàm patrię gratulor, quam is atque ibis (diu enim viue) illuſtratũ. Mea DE VESTA quòd legiſſe te ſcribis & probaſſe, gaudeo: mallem eadem videres aucta & notis illuſtrata, quæ propediem vulgabuntur. Sunt enim in manibus Typographi: & efficiam vt vel me mittente poſſis nanciſci. Nunc SENECA veſter me totum habet, ad quem STOICAE DOCTRINAE excerpta præmiſi. Non enim ceſſo, Vir Perilluſtris, etſi tempora apud nos ferrea, nec artibus iſtis ſed Marti facta. Vos quoque auditis: auditis, an & ſentitis? Contage enim mala noſtra vos tangunt, & opes ac miles veſter hîc exhauriuntur aut conſumuntur. Scripſit ille olim, de Troiâ:—— *Commune ſepulcrum Europæ Aſiæq́ue.* Ego de Belgicâ dixerim, quæ ab annis iam pænè quadraginta florem militiæ ab Europâ aduocat, & conſumit. Medere tu Deus, & hunc nouum mihi amicum tuere. Louanij, VI. Idus Octobr. ∞.IↃCIV.

EPIST. LVI. *Gades.*

Io. Baptistae Salasario.

Ab vltimis Gadibus (vt olim opinio erat) litteras ad me veniſſe, ſi non glorior, gaudeo: & non reſpōſo te ſolùm, quod petis, ſed amore dignabor. Idque doctrinæ tuæ merito, & incenſi ſtudij, quod ſcriptione hac profiteris. De meâ autem doctrinâ, vel vt tu, ſapientiâ, nihil equidem aſſenſerim: imò animus hic ſibi conſcius repugnat, nec ventulo iſto eleuante à terrâ ſe tollit. Sum homo, ſum ab humo, in eam ibo, & fama ipſa mea haud latè vagata circa hanc peribit. Dum ſumus hîc tamen, ſuaue eſt altius & melius aliquid agere, & quod bonum proprium Stoici cenſebant, prodeſſe. Hoc fine ſcribo, edo: hoc fine & iſtas ad te mitto. Quærebas duo. Prius de ſenſu verſuum Ouidij, quibus ſuadet puellas adiri opportunè,

Siue dies fuerit natalis, ſiue Kalendæ,
Quas Venerem Marti continuaſſe iuuat.

De Natali, ſcitum eſt: dubitas, de Kalendis iſtis. quas ego cenſeo Apriles fuiſſe. & quare puellis gratas lætaſque? quia tempus tunc anni ad luſus inuitat, & aperit ſtricta aut clauſa. Ipſe idem poëta in Faſtis, & ipſis illis verbis:

Et formoſa Venus, formoſo tempore digna eſt,
Vtque ſolet, Marti continuata ſuo eſt.

Sed & vulgò colebant tunc Venerem matronæ, puellæque. Idem:

Ritè deam colitis Latiæ matreſque, nuruſque,
Et vos, quis vittæ longaque veſtis abeſt.

Quia & ſacrum eo die Veneri fuiſſe, præter
Cap. XII. poëtam, Macrobius tangit Saturnalium primo. Opportunus ergo amori dies, ipsâ Venere præſidente & conciliante. Alterum quæſitum, in verſibus:

Iunge tuum dominæ, quà licet vſque, latus.
Et benè, quòd cogit, ſi nolit, linea iungi.

Quæ hæc linea? Alij alia: ego de Circo ſermonem eſſe ſcio, & in eo ſedilibus. itaq; accipio *Lineam*, ipſum ordinem ſubſelliorum, velut lineis deſcriptum & diſcretum. Erant Cunei, inter cuneos Viæ, & media Subſellia, lineis ſuis diuiſa. Qui ergo in vnis ſubſellijs ſedebant, iungi neceſſariò debebant: nec declinare fas vel antrorſum vel retrorſum, aut lineam migrarent. De tali lineâ, in Martiali etiam verſus, me interprete:

Omnis habet ſua dona dies, nec linea diues
Ceſſat, & in populum multa rapina cadit.

Manifeſtè dicit, miſſilia in omnes ſparſa, atque etiam *lineam diuitem*, id eſt Subſellia ſenatorum ſiue Orcheſtram: nam diſtinguit à populo & popularibus ſtatim. Iſto etiam ſenſu iterùm Ouidius:

Quid fruſtrà refugis? cogit nos linea iungi.

Nam Circēſibus viri & fæminæ mixti ſpectabant olim. Suſpicetur fortè etiā aliquis, lineas è ligno antepoſitas aut admotas, quibus firmarentur ſua cuique ſedilia, & vt fas inniti, nec prioribus ſeſſoribus incōmodare. Sed hæc ſuſpicio: iſta veritas, me ex vnâ epiſtolâ te amare, & idem perpetuū à te optare. Louanij, IX. Kal. Nouembr. ∞. IↃCIV.

EPIST. LVII. *In Poloniam.*

Simoni Simonidæ.

Litteras tuas, & quod librorū adiunctum fuit, nimis libens legi. illas, ab humanitate & affectu mei, quem ſpirabant; iſtos ab eruditione variâ, quā præferebant. Ego mi Simonide, vt de affectu dicam, pretium laborum meorum cenſeo à talibus amari: id eſt à doctis, bonis, quorum inter apices te pono. vt fama mihi non dixerit (quam & hîc habes) vnum illud carmen tuum *in Imagines Zamoſchianæ dictæ* approbet: quod, ita me Deus, eruditū, antiquum, ſuaue eſt, & numeros ac phraſim Catulli ac veterum illorum habet. Macte! ſpondeo tibi, paucos in Europâ eſſe (& eſt ingens poëtarum copia, vt apum) paucos, inquam, qui meo quidem ſenſu ſic ſcribant. Iam illa Stoïca, quàm putas ipſo titulo & argumento blandita eſſe? quid cùm cœpi legere, tam multa è Græcis Latiniſque, & remotis etiam auctoribus petita: ſic adaptata & nexa, ſubtiliter explicata: quàm putas, inquam animo affectum & motum eſſe? Amo illam ſectam, & conatus ſum producere, vt vidiſti: ſed hanc Logicam partem reformidaui pænè tangere, vix otij, certè non languoris huius mei. Gaudeo illîc factum à Burſio, & ſic eruditè factum: à Burſio, an vis me magnum illum Herōem veſtrum inſcribere, quod vix vlla ætas credat? Virum in tot, & tam arduis occupationibus, regni Atlantem, ſuſtinere & has litterarias curas ac lucubrationes poſſe? Diuinum ingenium dicendum eſt, in admirationem æui, vix in exemplum (quis enim imitetur, vel auſit?) datum. Diu nobis viuat, quem toto animo ſuſpicimus & colimus: diu tu tali patrono felix, mi Simonide, flore itemque viue. Louanij, VII. Idus Nouem. ∞. IↃCIV.

EPI-

EPISTOLA LVIII.

DAVIDI HILCHENIO, *Regi Poloniæ à Secretis.*

SILENTIVM, vti ſcribis, fuit ab interuallo grandiore: quid mirũ, in hi[s] locorum interuallis? Animo meo te non excidiſſe, hoc ingenuè & fideliter teſtor. Amo & ingeniũ tuum, & virtutẽ. Neque hanc, mihi crede, coïtio iſta inimicorum aut calumniæ decolorabunt: ſplendorem addent potius; & vt ferrum ab attritu, ſic illa niteſcet. Eſto quod es, boni fortique animo, & qui bonam cauſſam dec[e]t. Habes tutōrẽ vt video magnum Zamoſcium: ſub Heroïs illius ſcuto quem timeas? non omnes Dolones aut Sinones. Tua enã Apologia apud æquos aptoſq; iudices abundè te ſuſpicionũ, non ſolùm criminum, purgat: mihi quidem ſic viſum. Quòd autem inuitas me, vt aliquid ád Heroëm illum, feci, & tu vide vt audacia noſtra benè cedat, culpã in te alioqui transfuſura. Ego virũ iamdiu amo, miror, colo: ſed quæ occaſio declarandi fuit? neq; verecundia aut modeſtia in ea temerè irrumpunt. Si viam mihi mittendi tutam & promptã præſcribitis, non omittam officium. ſed ab eã laboro, neque curſores noſtri publici in Sarmatiam ſolẽt penetrare. Mag^ce & Nobilis Domine, ſaluere te animo opto, & erectum atq; alacrem eſſe. Stoïca noſtra legiſti? conducent. Louanij, v. Idus Nouemb. ∞.IↃCIV.

Hieronymus Ferrerius, qui apud vos in militiã vixit, Italus, & mihi notus, nuper hîc fu[bi]tò obijt è defluxu catharti. Fruſtrà reducem exſpectetis.

EPIST LIX. *Duacum.*

BARTHOLOMÆO PETRO LINTRENSI *S. Theol. Doctori.*

AMPLECTOR precationem, quam de more, ſed aff[ect]u quodam ſingulari, mihi facis in auſpicijs noui anni. Amplector, & largiter ac puriter eamdem repono. Deus tibi det quæ voles; & nil niſi bonum ac ſ[alu]tare, ſcio, voles. Verè audiſti de *Diuâ Sichemenſi*. atque eam iam concinnaui, & ad Typographum miſi, priùs tamen auctoritate noſtri Antiſtitis Mechlinienſis comprobandam, quod in Miraculorum prop[al]atione S. Synodus fieri mandauit. Ego ſanè libens tales ſcriptiones obeo, & ſiue mol[e]ſti[æ] obeo. ſiue animo, ſiue Diuâ ipsâ ſubleuante, & [e]xcitante. At mali aut moroſi quidam, & prauè ſapientes, non occu[rr]e deterrent [aut] [c]orrupt[e]bant: tamquam à narrationibus parum certis, vt aiunt, & opinione ſæpè nixis. Non debere talibus obſoleſcieri auctoritatem noſtram, ſiquam habemus. Diſſentio. & aut iſtis fides ſua certa apud me, & bonos eſt: aut quid adſerent, cur antiquioribus eam præſtem? Sunt teſtes, ſunt examina, & quæ in profanâ hiſtoriâ minimè adhibentur: & huic tamen credo, diuinis tãtùm refragabor, & aſſenſus mei oſtium claudam? Prauitas eſt: & hi tales per cuniculos ſubuertunt arcem religionis noſtræ, quæ miraculis eſt ſuperſtructa. Sed viderint: mihi certum pia, tecta, vetera ſequi; & aſſerere etiam, pro ingenij aut ſtili viribus, quas Deus dedit. Reu^de & Eximie Domine, precationem itero, & hunc atque alios annos felices agere te exopto. Louanij, XIII. Kal. Febr. anni ∞.IↃCV.

EPIST. LX. *Antuerpiam.*

BALTHASARI MORETO *ſuo.*

LEGI tuas, & Amici illius, litteras: & in vtriſque aliquid ſum miratus. In tuis, quòd ægrè & velut retractans hoc ad me deferres, tamquam triſte: in illius, quòd vt rem ſeriam habuit, & a tali auctore, quem conſtat mihi non eſſe. Noli autem tu mi Morete, ſi meum affectum vis ſcire, & eumdem induere, hæc talia niſi riſu excipere: & quid aliud merentur? Sunt Epigrammatia, leuiora non *Pennâ* meâ, quam carpunt, ſed plumâ: & addo, ſunt inſcita; ſine ſale aut Venere; ac meum nomen tolle, nemo leget. O digna, quibus ille auctor inſcribatur! quem hactenus amicum mihi habui; ſed hominem ſcio, & poſſe mutari. Si facit ob talem cauſſam (nam priuatim nulla eſt:) næ ego & affectum tempero, & iudicium muto, quod perhoneſtum ſemper de illo tuli. Quem ſcripto eo læſi? quem vel leuiter tetigi? Religionem meam aperui: & Nerones iterùm ſint, qui vetent? Noua ſua ferri volunt, & armis id pugnant: nobis non licet vetera aſſerere, & æui ſuffragijs atque orbis approbata? Atqui leue, & me indignum ſcriptum eſt. Si à tali affectu carpunt; non veniam, ſed gratiam debeo: ſed quî credam? Scio eſſe in ijs locis, qui magno emerint omnem famam veterem me decoxiſſe, & LIPSIVM inter obliterata, aut & damnata, nomina eſſe. Tamen leue eſt. Iráne? non res talis, nobis q[ui] piè ſancteque de diuinis ſe[n]timus: [n]on ſolus ijſ[dem] [ips]us, qui ſubſannant & il[l]udunt. Hoc ſcriptum, audi me,

& ipſi intellegant, æuum feret cum aliquot alijs, quæ bono generis humani ſcio me edidiſſe. Fremat Calumnia, & Liuor palleat: ego ab his talibus famam, imò & gloriam, imò & claritudinem, apud poſteros habebo; & ero, cùm omne iſtorum nomen & factio non erit. Sed de Epigrammatijs inſulſis, parum eſt, nec merentur non dicam reſponderi, ne legi quidem, aut certè iterari. Quid ſi libelli prodeant? & prodibunt, aut æui huius, & ſectæ illius proteruiam ignoro. Sed tam ego eos contemnam, ſi à talibus & tales ſunt, quàm verſus: quòd ſi grauius aliquid, & par in arenam venit, dignum cum quo componar, videbo, & pro re decemam. Pugnate equidem ſemper refugi: ſed vbi opus erit, tam virum oſtendam, quàm duobus illis olim aut nuper, qui non lætantur me prouocaſſe. Palmam de me vſque adhuc quis tulit? Neque iactare libet: ſed noui me & alios: & in bonâ hac vtique cauſsâ, veniant cum Hectore Achilles, non ſubducam. Iſtæ quidem pilæ, & velut homines fœnei, qui nunc in circum iacti ſunt, non valent ad irritandum, qui ludibria hæc & deliria (vt rem dicam) noui. Da Leonem. Sed ad Amici litteras tu illi hunc ſenſum meum ſcribe, & præſertim de auctore: quem certò reperiet alium eſſe. Iſtæ ſordes non ſunt ab eâ Seplaſiâ. Salutem etiam adſcribe, & à me amorem. Divam Sichemiensem iam acceperitis, mittente Oudarto: cudite, vt iterùm malis malè ſit, & viuat honos cultuſque illius, quem omnes praui (mirum, & certum) ab omni æuo eunt imminutum. Heus etiam! quod ille Amicus ſuadet, vt poëtæ veſtri aliquid meam vicem reponant: per Deum, ne fiat. Ego mihi ſufficio, nec Teucer ille ſum, qui clypeum deſidero Aiacis. Sileamus nunc quidem, & magis ſeria agamus. Vale mi amice. Louanij, Nonis Febr. ∞.Iↄcv.

EPIST. LXI. *Bruxellam.*

Petro Pantino V. R.

Et ego inſidijs capiar, quas ipſo te monente fas mihi vitare? Græcorum Morychus ſim, aut ſiquid ἀνθίσιες cogitatur. Hoc fine, non venio, & vel numquam videat me Bruxella. Extra iocum. honore aliquo externo & imaginario, nec meâ ſed litterarum cauſsâ, ſi affectũ me Princeps volet; admitto. ſin onus adiungitur, imò ſi munus; reſpuo, & vel fugâ declino. Mihi tam certum & firmũ, hoc ſtatu rerum, res extremo digito non tangere, quàm ad extrema rerũ aliquando ire. O amici, *εὔνοιαν in hoc conſiliũ adfertis, ego & *πρόνοιαν velim. Ille, quem vos ſuſpicitis, pleno pectore in rem meã ſapit: & addo famã; quam alijs ſtudijs inculpatam, ne, obſecro, nouis polluamus aut obſcuremus. Sit aliquis, vel in exemplũ, qui quietem, Muſas, ſe amet, & Numen colat: vana aut vulgata ſeponat, aut (ſi ſuperbum non eſt) ſpernat. Quid apud te verba facio? ad te redi, & affectũ omitte: idem ſ[illegible]adebis. Vide *ἄρχοντας, vide *ὑπεράρχοντας. In aliquid rei, aut ſpei etiã melioris, per me exſpectes? Marius Celſus, & Suetonius Paulinus ſim: de quibus ſciò quid Tacitus ſcribat. Magna Reſpublica, tu me tene, communis Patria, Dei hominumq; ciuitas: ô pulchrũ, in eâ locum ordinemque habere, & inter illos Claſſicos cenſeri! Quod ſupereſt, *μή μοι γοργείην κεφαλήν: nam bonâ tuâ veniâ: Belgica, es aut eris. Vno verbo, fatis obſequamur. neque huc ego natus aut factus ſum: *οὐδὲν ὑπὲρ τὸ λίνον. Oudarto etiam meo hæc ſcribo, quem ſcio inter inſidiatores iam diu eſſe. Sed de primâ tuâ ſcriptione; Bruxellam ſic citò, vt deſtinaueram, non venio. Eſt libelli munuſculum, quod dedicatum Principi offerre volebã: ſed non venit. quid ſi, cùm venerit, per te facio? Nam fugio iam Bruxellam venire, aut valetudo potiùs me vetat. Vtinam tu cum Oudarto huc! facite me compotem huius voti, & in cælo me collocate. Salue mi vir amiciſſime, cum altero tali Oudarto noſtro. Louanij, ſtatim à tuis lectis, vt eram affectus, & ſpiritus (non nego) plenus. Poſtr. Non. Febr. ∞.Iↄcv.

* beneuolentiam
* prouidentiam
* ſuperantes
* adoratores
* Ne mihi Gorgoneum caput.
* Nihil ſuper filum.

EPIST. LXII. *Mechliniam.*

Gavgerico Rivio *I. to & Aduocato, Suo.*

Certe enim te Meum appello. nimis affectus clamat, qui in verbis tuis elucet. Sed pone, aut ſepone met[illegible] meliuſcul[illegible]ſum, etſi vires non recepi. Breuis illa concuſſiuncula planè me vacuũ earum fecit. Oudartus apud me eſt, tui amans: quem & [illegible] me eſſe, ac ſemper fore. Vale, inter primos vidende, cùm illac (Deus donet) tranſibo. Louanij, Kal. April. ∞.Iↄcv.

TESTIMONIVM.

Lectvris S. M. dico.

Gavgericvm Rivivm *iamdiu indolès, induſtria, & denique doctrina, ac virtus maximè, mihi conciliarunt: quæ omnia nota perſp-*

ectaque

Etiamque annorum aliquot conſuetudine habeo, & talia ea eſſe apud omnes EX ANIMI SENTENTIA *teſtor: Me delectauit, & in æuo haud fertili nimis talium eminere viſus eſt, & dignus eſſe quem aliis oſtenderem: oſtenderem? imò & ſeriò commendarem, ſiqui illa priora amant. Veri magnates, & quibus Reſpublica, atque eius ſplendor, cara ſint, inprimis curare debent, & ſeculi hæc ornamenta fouere ac producere, in huius & futuri ſeculi vſum. Ego rogo eos facere, hunc amatum mihi amare, & in occaſione allenare atque adiuuare. Stirps iſta melior irriganda & attollenda eſt, vt fructum floremque proferat: proferet autem, ſpondeo, ſi illud fiat. Louanij, Kal. Quintil.* ∞.IↃCIII.

Iuſtus Lipſius Profeſſor, &
Hiſtoriographus Regius.

EPIST. LXIII. *Neapolim.*

IO. ANDREAE PROCHNICIO
Legato Ser^mi Regis Poloniæ S. D.

DICIT, & ſeriò mittit, quam ipſe non habet. Nam ego (ô vir amice. & quomodo non ſic appellem?) iam à duodecimo die in acerrimo morbo fui, qui pænè abſtulit, & melioribus locis ſedibuſque dedit. Noctu acer Paroxyſmus me inuaſerat, & videbatur Apoplexiæ genus aliquod eſſe. Ecce triduo pòſt amiciſſimæ tuæ litteræ, & opportuna munera, quæ ipſe Io. Wouerius meus ad me tulit. Sum recreatus, fateor, ab ipsâ beniuolentiâ tuâ, quam ſic puram, fidam, magnam in me oſtendis: & quædam etiam munerum, vt armillam illam ex Alcis vngulâ, ſtatim conſilio medici, & proprio affectu, brachio indidi, non dimiſſurus, quamdiu vita quidem erit. Accepi & annulos, & quoſdam ex ijs collo ſuſpendam, & cordi admouebo, in quo te datorem meritò iamdiu incluſi. Si vita mihi erit, an non palàm oſtendam? *ingratiſſimus mortalium* ſim, niſi faciam, & dignus eâ notâ, quâ Sulla Athenienſes inuſſit. Multa vellem, nondum poſſum, nec vires ſuppetunt: alia Wouerius pro me dicet aut ſcribet. ego te affectu alloquor, atque vtinam amplectar, ô amicum pectus! Vale. Louanij, VI. Kal. April. ∞. IↃCV.

EPIST. LXIV. *Romam.*

ASCANIO COLVMNAE S. R. E. *Cardinali.*

FATEOR aliquamdiu à ſcriptione & officio meo, ſed inuitum, abſtinuiſſe: neque alia cauſſa, quàm peregrinationis quæ ab Vrbe te remouit, & in eas oras miſit, ad quas litteræ noſtræ haud tam facilè quàm affectus & memoria commearent. Certè enim hæc retinui, & veterem illum cultum, fideliter virtutibus tuis & meritis deuotum. Itaque vt aura aliqua nos adflauit aduentus iterùm tui in Vrbem, ad ſacra hæc Comitia; & fidem ſtatim habui, & hac ſcriptione teſtari gaudium tui reditus & conſignare fidem & conſtantiam meam volui in te colendo. Atque vtinam etiam vel ætas vel valetudo mea tuliſſent, vt coràm me aliquando in dominâ eâ vrbe ſiſtere, & vultu ac ſermone, quæ dico, probare potuiſſem! Suaue fuiſſet, & cogitatione ipsâ recreor; ſed eâdem mox deiicior, cùm video irritum illud, & nil niſi votum futurum. Quod tamen à me non poſſum, habeo è domo meâ & interiore amicitiâ inſignem iuuenem Philippum Rubenium, qui coràm præſtabit, ſpero, & totum me reuelabit; & Ill^mæ D. Tuæ dabit dicabit. Adſpirat enim ille Romam: & quamquam mihi in docendi munere ſucceſſorem, vt ingenium & doctrina eius ſunt, deſtinatam; tamen viſa ea vrbs ſic cepit, vt frænum dare huic deſiderio non poſſimus, & vitam non ſolùm agere, ſed ponere in eâ velit. Neque vlcrà retineo. cur enim Theatrum hoc virtuti eius inuideam? imò commendatione etiam adiuuo, & ad te, Ill^me Domine, ſi commodum eſt, mitto. Audio Bibliothecam inſtructiſſimam & animo ac ſtirpe tuâ dignam paraſſe: non eſt fortaſſe in Europâ aptior ad hoc aut maius aliquod munus. Doctrina varia eſt in Græcis Latiniſque, ſtilus in vtrâque oratione, prosâ & vorsâ, elegans, & famæ etiam producendæ, notitia antiquitatum & hiſtoriarum: quid mores? ipſa ſuauitas, ipſa probitas, & qui experietur aut noſcet, vera me dixiſſe agnoſcet. Neque enim aliter apud talem Principem debeo, & ita Rubenium meum amare ac producere, vt me & famam meam amem. Sed certus ſum quicumque iuuenem poſſidebit, gratiam mihi tradenti habiturum, & plura aut certè diſtinctiora, quàm dixerim, inuenturum. Et quamquam de Bibliothecâ iniecerim, re ſcilicet ſtudijs eius aptâ; poteſt tamen & in litteris ſcribendis aut concipiendis operam decorè & vtiliter nauare, & variè cultum factumque ingenium varia obire. Hæc ego Ill^me & Reu^me Domine, ante omnes ſcribenda ad te cenſui, & peccaturus videbar, ſi gemmam hanc vt ſic dicam adoleſcentis

alteri offerrem. Si tamen ratio aliqua eſt quæ nunc non admittat, commendatum certè notumque eſſe cupio, & honorem interdum habere vel adſpectus tui vel affatus. ILLME ET REV^ME DOMINE, Deum oro ſeruare te longùm Eccleſiæ & Patriæ, atque etiam in Patriâ, velit. Louanij, Kal. Aprilis. ∞.IↃCV.

EPIST. LXV. *Romam.*

SERAPHINO OLIVARIO S.R.E. *Cardinali.*

VOTA noſtra & bonorum Deus audiuit, & ad dignitatem euexit, quæ virtutibus & meritis tuis iamdiu debebatur. Animo hoc gratulatus pridem ſum: nunc & ſcripto, cui materiem etiam Philippus Rubenius noſter dabit. Noſti iuuenem, & vidiſti Romæ: atque vtinam interiorem eum totum, & bona egregij animi noſſes! Græcè, Latinè, inter paucos doctus eſt; ſtilo vtroque facilis, & vel ad veterem elegantiam in verſu; hiſtorias & memorias veteres nouit: & quod caput mihi quidem, iudicij in pleriſque omnibus puri & directi. Mores ſunt, vno verbo, quos vel in filio (ſi Deus dediſſet) optem. Quorſum iſta? Ad Romam veſtram iterùm adſpirat, etſi me, non abnuo, refragante. Nam ego hîc illigare eum, & in Profeſſione mihi ſufficere deſtinabam; & iam eum Principe agere cœperam, imò & impetraram. Quid tamen eſt? intemperanter Vrbem amat, & neſcio quis Genius eò vocat: bonus, vt ſpero, ſi vos tales fauetis & iuuatis. Atque hoc Ill^me & Reu^me Domine, fiduciâ tui in me & litteras amoris, peto. Commendaui equidem priuatim Illmo Cardinali Columnæ, vt à Bibliothecâ ei eſſet: ſed litteras eas ſuſtineri volui, donec de tuo conſilio rem inſtitueremus: & aut illuc aut aliò iremus. Rogo iterùm, dirige & gratiâ atque auctoritate tuâ nos iuua. Ego ſpondeo optimâ & Romanâ fide, non ſolùm pro opinione tuâ, ſed ſupra Rubenium futurum, & vſui atque ornamento eſſe poſſe, quicumque rari adoleſcentis hoc decus habebit. Dabis autem veniam ſie liberè & reuelatâ fronte hoc petenti: iam dixi, fiduciâ amoris tui (de quo alij ad me) factum; & addo notitiâ virtutum tuarum factum, quas cùm tam multas habeas, fieri non poteſt quin & in alijs ames. ILLME ET REV^ME DOMINE, voto duplici claudo: altero, vt Eccleſiæ diu ſis ſuperſtes, altero, quod animo concipio, ore non promo. Louanij, Kal. Aprilis. ∞.IↃCV.

EPIST. LXVI. *Mediolanum.*

ERYCIO PVTEANO *ſuo.*

IN grauiſſimâ tempeſtate morbi fueram, cum Beemdius tuas dedit: neque emerſi etiam, portum tamen propiùs ſpecto: ſi ille non erat vere portus, quò ibam. Homines ſumus, & ibi quies. Epidigma tuum Hiſtoricum vidi: valdè placuit a robuſto & vegeto ſtilo, nec cenſebam te ſic aſſurgere. Plura modò fuiſſent: & cur non etiam in digniore argumento? Litteræ tuæ quædam ad amicos querelas præferunt, & nauſeare illîc videris. At lentè & prouide agendum eſt, mi Puteane, & ſumendi pro temporibus affectus. Alia mereris? fateor, ſed rectis iudicijs, quæ iſtud æuum in noſtrâ re non habet. Si ſolus ſis, facilè migres, & pedem alio inferas: nunc comparem habes ſolarium, ſed & impedimentum. Rogo te iterùm; lentè, & mecum philoſophare. Belgia aut Germania non donet, quod iſtîc habes. Sed etiam æmulos, inquies. Et credis hîc non eſſe? vetus & magna fama vix ſuſtinet: quid nouella & aſſurgens? Si mihi liberè & remoto velo te pandis, conſilium non deerit, & auxilium quà potero. Confide interim, & Deo & te nitere, & animum pro ingenio habe: id eſt, magnum & altum. * Στέργε τοῖς παροῦσι, donec Fortuna alibi ſinum pandit. Louanij, VII. Idus April. ∞.IↃCV. ** Acquieſce præſentibus.*

Poſtquàm ſcripſiſſem, tuas nouitias accepi, & Teſſeras tertias. Sunt ſanè bona & arguta in ijs: ſed iudicium, aut conſilium potiùs, non muto; & laudem mihi à maioribus pete. DIVAM noſtram acceptam ibi, benè eſt, & debet in Italiâ: quid cenſes in Batauiâ. Vapulo, & ſcripta in me & libelli; etiam è Galliâ nunc, neque hominis indocti, vt apparet. Noſti partium factionem. Nos Batauo aliquid repoſuimus in fine DIVAE SICHEMIENSIS, quæ nunc editur: de Gallo, videbo. Etſi lituras fui quàm nos abhorremus: ſed obiiciunt ea, quæ religionem & famam meam tangunt. O æuum, in quo bonis modeſtiſque multa ferenda ſunt! Quomodo? *ſtomacho Ciceronis*; non enim licet *animo Catonis*. Tibi etiã ſuggero, & fer[illegible] & feruorem ingenij aut ætatis compeſce. Laxa autem omnia in mei amorem. v. Idus April. anni ſcripti.

EPIST.

EPIST. LXVII. *Inſulas.*

FLORENTIO VANDER-HARIO, *Canonico & Theſaurario.*

TVAS & Legati litteras accepi, & illis quoque reſpondi, vt hîc videbis. Ac tuas caras habui, non ſolùm quia primas, ſed quia amicè & prudenter ſcriptas. Duo earum capita. prius de excurſione meâ Lutetiam: & huic rei ſtimulos vel incitamenta adfers. Quid tamen opus erat, ſi valetudo fræna mihi laxaret, cùm ſponte propendeam & iamdiu animo illuc adſpirem? Sed reuerà vltimus iſte morbus (de quo audiſſe te video) ſic me adflixit & deiecit, vt ſuſcipere longiuſculum paullò iter non audeam, vacuus virium, & leui momento fortaſſe collapſurus. Alioqui Lutetia quomodo me non traharet? quomodo non ille, qui ſic amanter inuitat, & quem tanti facio? Sed & momentum, fateri debeo, tua ſcriptio habeat; quæ omnibus illicijs illis & blanditijs ſuggeſtis, oleum in hunc ignem, vt ſic dicam, addit. Sed differre debeo, & ſpe me paſcere, ac cogitatione interea loca atque homines illos vſurpare. Caput alterum, de aduerſario illo in Diuam & me ſcripto. Cuius auctorem adhuc quæro: ſed quicumque ſit, conſilio tuo nimis acquieſco, de ſilendo & contemnendo. Et ſunt tamen, etiam graues & pij viri, qui aliter volunt, & velut claſſico me excitant ad pugnandum. Sed cùm naturam meam, cùm ipſam rem, cùm finem fructumque video, inclino quò tu ducis. Natura ſanè mea miris & tranquilla eſt, vehementiori omni affectui aliena, & ab ingenio meo deſerar ſi iraſci velim aut litigare. Reſpondi quibuſdam, fateor: ſed comiter, non acerbè, & commiſſionem aut ludum magis dicas, quàm pugnam. Non eſt meum Thyeſtæo more, quod hodie obtinet, furere aut ſæuire. Deinde ipſa res, vti tu veriſſimè, quid eſt? duplex, vel in me, vel in Diuam. Hanc Theologi vindicabunt, aut potiùs iamdiu vindicarunt. Quid enim ille homo adfert, quod non à triginta ampliùs annis refutatum? At in me quæ dicit, duo item ſunt: quòd & Tullius ſim & Iulianus; ſiue cauſſam deſeruerim, & religionem. De cauſſâ, parum eſt: numquam in eam me dedi, nec publicè aliquid attigi, quod ſcio te quoque ſcire. De religione, ab annis triginta tribus, id eſt omni maturiore meo æuo, conſtans & firmus in iſtâ fui: nec vel in Batauiâ, id eſt inter medios aduerſarios, vacillaui. At in Adoleſcentiâ meâ volunt aliter. Primùm, ſcito illos augere & fortiter mentiri, præſertim quod ad ſcripta: in dictis aut factis, ſiquid in communi Europæ motu titubaui, abeat, & *hinc æſtimemur* (ait ille) *cùm ſumus noſtri.* In alienâ religione, in æſtu adoleſcentiæ, inter blandientes aut terrentes, facile fuit in ſpeciem culpæ venire, ſi non culpam. Ad Prudentiorem aliquem, id eſt tui ſimilem, appello. Denique fac me reſpondere, & hęc omnia obterere ac profligare: quis finis, aut fructus erit? Finis? imò principium litigiorum: & pro vno meo ſcripto tria reſcripta. Gaudent homines his pugnis, & præſertim in nomen aliquod illuſtre, quale benignior Fama fortaſſe mihi dedit. Fructus autem, illeipſe quem dixi, odia & pugnæ. Non enim illos meliores ita facimus, aut cauſſæ noſtræ amiciores: contrà eſt, & alienamus. Quid autem bonos? de me ſcio & ſentio, offendimus, & ſuperbiæ aut contumaciæ taciti nos damnant. Heus, heus, Chriſtiani ſimus: ſacerdotes pacis, vt Tertullianus ait: & ſiquid peccatum eſt, pænitere malimus quàm defendere. Hæc mea mens eſt, & erit: in quâ ſuffragium me tuum habere, Vir Reu^de^ & Clar^me^ gaudeo: tu me inter amicos & clientes. Louanij, XVI. Kal. Sextil. ∞.IↃCV.

EPIST. LXVIII. *Bruxellam.*

IOANNI RICHARDOTO, *Præſidi.*

TERTIA hæc conſolatio eſt, quam ſcribo: & me verba pænè deficiunt; an non te animus, in tam aſſiduo & repetito Fortunæ ictu? Non opinor, vt tua prudentia eſt: quæ & robur ſumpſiſſe iam ab vſu debet. Tiro aliquis miles ad primum vulnus collabitur, veteranus ſine motu ſanguinem ſuum ſpectat. Et quid mirum, ſi conſideras, Fortunam in te vires ſuas ſæpè experiri? materiam habet, & numeroſam florentemque familiam Deus tibi dedit. Tela in vnum alterumque miſſa, aberrant: vbi turba eſt, lædunt etiam quem non petunt. Fortunæ cauſſam agere videor, Ampl^me^ Domine, tuam ago: quia vnum alterumque ſi tulit, habes in quos ſpes tuas reclines, & ſolatium in omni luctu petas. Ecce proles reliquas, ecce tot nepotes! benè fundata domus eſt, rareſcere poteſt, exſtingui (niſi inopinabili aliquo fato) non poteſt. Et vis robuſtum vnum ſolatium promam?

Cogita

Cogita tam multos non habuiſſe. Olim inter vota erat, & legibus munerata felicitas, tres liberos ſortiri: quid? plus bis tres etiamnunc potes (& longum opto) numerare. Et addo, quòd tuus iſte qui periit, aſcitus in familiam tantùm, gener non filius, amore non ſanguine iunctus fuit. Quid, quòd nec ipſe totus perijt? prolem è cariſſimâ filiâ tuâ tibi, nobiliſſimæ familiæ germen, relinquit. Adoleſcat, & te ac matrem magis magiſq; oblectet. At pater ipſe quomodo perijt? vt militari viro, & ſtirpe illâ dignum erat, in acie, in armis, & ſpiritum ſuum patriæ ac Principi impendit. Patienter me audi; habes etiam in quo glorieris, etſi triſti caſu. Ecce duos iam è tuis, filium ac generum, pro publicâ ſalute pænè dicâ immolaſti. Certè conſecraſti; & à tam honeſto fine, piâ cauſsâ, non ſolùm in memoriam hominũ, ſed ad beatas ſedes æternâ fruituri gloriâ iuerunt. Hæc te ſolentur: & quid addam? timidum in tertio filio reddant, quò meus quidem timor te vocat. Antonium noſtrum, qui vnicum Richardo totum fulcrum, propago, ſemen, ſubtrahe ab incertis iſtis belli; & ſatis ſit gloriæ vel fidei, Martem duos iam pigneraſſe. Hoc te rogo, & ſimul paullò poſt cogitare de honeſtâ eius copulâ, & nouis gaudijs hæc ad præterita mala obliterare. Apud te, ſpero, audiar, & modum dolori prudentia tua ac ratio dabunt: dies apud filiã, cuius primis affectibus etuda hæc auulſio accidit, & fruſtrà ſuadeamus non lugere. Mulier etiã eſt: te fortes & viriles curæ decent, te Reſpublica & Princeps vocant, neque otium indulgent mœroti. Mane in hac ſtatione, quam Deus aſſignauit, Ampl^me & Nobil^me Domine, & diu in ipsâ vitâ hac mane, publico bono. Louanij, IV. Kal. Septemb. ∞. IↃCV.

EPISTOLA LXIX.

Carolo Philippo Rodoano
Epiſcopo Brugenſi.

Licentiatvm hunc noſtrum, & Canonicum tuum abeuntem à nobis vt animo & fauore proſequor, ita commendatione meâ comitari, iterumque ſiſtere Reu^mo D. tuæ volui. Oſtendiſti iam animum, & deuinxiſti illum ac me beneficio: rogo vt exhibere eumdem porrò digneris, & beniuolentiâ tuâ meriturum complecti. Certè à me præcepta illa ſiue monita habet, Deo & diuinis piè operari, Antiſtiti ſuo obſequi, cum collegis tranquillè & modeſtè verſari. Confido facturum, & Eccleſiæ vtilem futurum. Audio Pœnitentiariam, quam dicunt, vacare; quæ de more dari Canonicis affectis ſolet. Si iudicas hunc idoneum, audeo commendare; ſic tamen vt totam eam rem prudentiæ tuæ meritò permittam. Deum rogo Reu^me in Chriſto pater ac nobiliſſime Domine, diuturnum te in Eccleſiâ & republicâ, atque vtinam meliore æuo, eſſe. Louanij, prid. Kal. Septemb. ∞. IↃCV.

EPIST. LXX. *Romam.*

Lvdovico Beccatello.

Dvplici nomine & epiſtolam tuam caram, & ipſum te habeo: priore quòd me, altero quòd & Rubenium meum ſic ames. Quod vtrumque ex epiſtolâ tuâ cùm didicerim, meritò grata accidit: & in vtroque vt perſeueres, te rogo. Nam & ego certè affectum hunc iam in te indui, & fide ac candore, quem Amicitiæ deberi ſcio, ſeruabo. Sed de Rubenio, & ipſe tibi debet, ac coràm vel ſoluet, vel certè agnoſcet; quòd te ſic promptè & induſtriè agente, in familiam Principis illius viri venerit. Et quamquam res auctoritate Ill^mi Seraphini peracta ſit; tamen te quoque affectu & dexteritate illâ contuliſſe, & ſcimus, & fatemur. Enimuerò benè feciſſe tam bono & merenti viro (Rubenium dico) non pœnitebit te vmquam mi Beccatelle: & ſi vitam Numen ei largitur, ſparget & ipſe ingenij ſui lumen, & ad exteros ac poſteros diffundet. Fiat, voueo. Sed illud me etiam in epiſtolâ tuâ delectauit, de Cardinali Palæoto, beatæ memoriæ viro: in cuius familiâ egiſſe te ſcribis. quem ego viuum colui, & amari ab eo me ſenſi, & defuncti nomen etiã apud me eſt ſanctum. Feciſti iacturam in eâ morte dicam, an non feciſti? Tranſiſti enim in huius viri domum, quem ego inter primos Europæ eſſe ſcio, & cuius benignitas in me quoque affectum largiter oſtendit. Vt diu frui poſſis, meum votum eſt, & vt inter nos amemus. Vale vir R^de & Nobilis. Louanij, VIII. Kal. Octobr. ∞. IↃCV.

EPIST. LXXI. *Peruſiam.*

M. Antonio Bonciario S. D.

Etsi in epiſtolâ tuâ, quâ Laconiſmum voues: & quid dicam? imitari te virgines, quæ formoſæ, modeſtiâ quâdam formam optant, & tacito ſenſu ſciunt & gaudent ſe habere. In te eſt, mi Bonciari.

certè in hac epiſtolâ ſic illum exprimis, vt exemplum eſſe Laconibus poſſis: & quod palmam poſcit, argutias & Veneres Atticas vnà miſces. Me ducem facis? Fateor cædi me à meo milite, & in meis caſtris. Sed ad rem. Legi quæ de Illmo Legato Cardinale ſcribis, valdè in me amica: nec pudor meus paſſus, neque ratio erat, ſilentio hæc me præterire. Scripſi igitur ad ipſum, & curæ tuæ erit vt videar: quid etiam? vt probet hanc animi mei declarationem, puram, ſine fuco, ſine ambitu, qualis mundi ille ſtatus eſt ſuper nubes. *Stoica* noſtra vidiſſe te non nolo, magis approbaſſe. Idem in *Monitis*: quæ plus fortaſſe prompti, vt ſic dicam, ſtuctus habent: ſed *Stoica* examinata ad Virtutem ducunt, directa iudicio quod Pietas formauit. Acceſſit nunc & meus *Seneca*: & iure mirabaris, ſiquid poſt multos & magnos illos poſſem. Potui, & ad ſcripta ac Notas meas appello. Etſi nihil in iis quod circulum, id eſt populum ſpectet: breuia & adducta ſunt, nec niſi examinanti laudanda. Te aliquem lectorem, non è pullatâ turbâ, poſcunt. At ego deinceps etiam tuum amorem: hoc magis, quòd frui diu fortaſſe non erit; ita valetudo hæc præcipitauit caſu nupero: at tuam ego firmam opto, ô Italiæ tuæ (parere me ſic loqui) Homere. Louanij, poſtrid. Idus Octobr. ∞.IↃCV.

Sciſne Epiſtolarum tuarum libros ante annum in Germaniâ recuſos? Vides iudicia, & confide de famâ.

EPISTOLA LXXII.

HENRICO VANDEN EEDE, *cognato ſuo.*

IAMANTE triſte fatum optimæ matris tuæ acceperam mi cognate, & in animo meo ſenſeram dolorem. Mihi crede, iacturam feciſti in tali parente, tam induſtriâ, probâ, piâ, & tui amante. Quid tamen eſt? communem legem habere in oculis oportet, & illi ac diuinæ voluntati non refragari. Omnes eò imus, & ordine non ſine variamus. Benè etiam, & magna vobis conſolatio (tibi ac ſorori, dico) quòd piè vixerit, aſſidua in ſacratis occupationibus, precibus, locis: vt fiducia eſſe debeat receptam eam ad beatas ſedes, in quibus diuinâ viſione fruitur, ubi eſt omni felicitate. Hoc ſperamus. & precibus eam magis quàm lacrymis proſequere: ita facturus pij filij officium, & quod ipſa à te ambit. Ceterùm ab illâ etiam oculos ad te reflectes, & vitæ ac ſtudiorum curſum moderaberis, vt eius & amicorum voluntas tulit: hoceſt, ad Virtutem ſimul & Doctrinam ibis. Non propone tibi ambitionem aut quæſtum è ſtudijs, qui plurium hodie finis: ſed prudentiam propone, & conformationem ingenij, ad publicos & priuatos vſus. Adiunge deinde finium finem, honorem Dei, & tuam ſalutem. Hæc obiter nunc moneo mi cognate, vberiùs aliquando in ſermonibus facturus, cùm res tuæ ferent ad nos redire. Nunc animum à luctu compone, & ad vetera ſtudia diſpone; & memoriam tamen & exempla optimorum parentum (nam & pater talis fuit) in animo habe, & imitare. Louanij, poſtrid. Non. Octobris. ∞.IↃCV.

EPIST. LXXIII. *Bruxellam.*

PETRO PANTINO V. R. S. D.

PRO chartis meis nummos à te accepi, & quidem probos, veteres: adeò non gratus ſolùm, ſed promptus es, & ſtatim tibi viſum ἀντιδῶναι. Laudas editionem Senecæ, modum & formam, & chartam: ſed quàm mallem ipſas Notas, & quæ à me, non Typographo, eſſent! Mallem dico, ſi merui: neque aliter. Et ſcio in frontem quædam tenuiora videri: ſed examinata fortaſſe pondus habeant, aut certè vſum afferant lectori. Denique illuſtria quædam & à nobis eſſe, poſt multos & grandes cenſores, id quoque, οὐδὲν ἀλαζονευόμενος, dicam. Sed tu, & qui poteſtis (pauci in Belgicâ) iudicium feretis. In publicis percuſſit equeſtris clades iamnuper accepta ad Rhenum: etiam Principis morbus, etſi remiſiſſe nunc, imò dimiſiſſe, dicebatur. Audiſtine & claſſem iterùm ex Hiſpaniâ aduentare? ſi non aliam, aut maiore inſtructu, & addam conſilio, quàm hanc priorem: vbi mens eorum eſt? Nam hoc quidem planè videatur * ὗς ὑπὸ ῥόπαλον, quod Græci tui dicunt. Vale V.R. & nobis care. Louanij, Idib. Octobr. ∞.IↃCV. * Sus ſub fuſtem.

EPISTOLA LXXIV.

BONIFACIO BEVILAQVAE S.R.E. *Cardinali, Legato Vmbriæ.*

GALLICAM audaciam vide, & hominem, niſi de nomine fortaſſe (& hæc tua benignitas eſt) notum, ad reſcripto adeuntem: ſed à cauſſis, vt meus animus dicit, iuſtiſſimis impulſum. Dignitas tua eſt, quam

quam ſcimus; genus, opes, & quod caput eſt, virtutes: ijſque cultum noſtrum merebare, &, quamquam in ſilentio, venerationem. Sed acceſſit in me beniuolentia, quam M. Antonius Bonciarius, merito rarioris doctrinæ carum mihi nomen, aperuit & litteris affirmauit: quæ vocem ſiue ſtilum iſtum elicuit, & ſiſtere me velut coràm iuſſit. Quid dicturum? quod facerem, ſi adeſſem; ſed vultu, oculis, toto geſtu affirmatiùs; me nomen inter cultores tuos profiteri, & rogare admittas, fide & officio nemini vel veterano ceſſurum. Sincerè, & ſine moris aut æui noſtri verbis, ſum animo & affectu inter tuos clientes: gaudebo recipi, & magis, ſi vſus aliquis mei eſſe (quî ſperem in tam longinquis locis?) eſſe inquam poteſt? Scripta & libellos noſtros non improbare te audio, & in manus interdum ſumere: honos mihi eſt, & addam, ſtimulus mihi eſt, ad decurrendum porrò hunc curſum, quem vos plauſu & fauore incitatis. Sicut hiſtrio, aut alius actor, gaudet coram Principibus viris ſpecimen operæ atque artis edere: ſic nos ſpectari à vobis, quid approbari? Teſtor hoc igitur, & gratiam hîc conſigno; & quod antè dixi, officium defero & cultum. Louanij, poſtrid. Idus Octobr. ∞.IↃCV.

EPIST. LXXV. *In Caſtra.*

IOANNI GAVERELLIO *I^ti* *& Iudici Legionis.*

QVOD in feruore illo rerum memoriam mei retines, gratum eſt: & merui in parte, amore meo tui. Scribis diſtinctè quæ adhuc euenerunt, & ſanè læta: atque initia iacta eſſe, & velut fundamenta melioris Fortunæ, ego tecum ſpem concepi. Ducem ipſum noſtrum video, bonæ Famæ auidum, Deo & Regi addictum, intelligentem, diligentem: cui nihil deſit, ſi occultâ æmulatione quorumdam à Rege ipſo (quod abominor) non deſeratur. Scis factiones in potentiorum Aulis, ſuſpiciones, delationes: neque ſemper recto iudicij oculo res aut homines æſtimatos. Si tamen iſta ſpes & fulcrum nos deſerit; ego nihil video niſi funus nos eſſe. Placet, bellum tranſlatum in hoſtilem limitem: & diu ſic oportuit: non honoris & decori ſolùm cauſsâ (quia turpe eſt, tam potentem Regem & Principes, non inferre bellum, ſed propulſare & defendere:) non, inquam, ideò tantùm, ſed quia ſic expedit, & nil niſi clad[em] in noſtris finibus exſpectemus. Multa c[on]ſideranda in eâ re, quòd hoſti ſubſidia belli imminuimus, nobis augemus; quòd militem alacriorem, & animi fidentiorem, habemus; quod diſtinemus illorum copias, & ad multiplicem ſumptum & impendia adigimus; denique quòd ferociam illorum atterimus, & docemus ſuis timere. Mihi ita videtur (& puto in opinatione non falli:) ſi biennium tantùm, in illorum finibus copias habemus, cum diſciplinâ, & à ſeditione expertes; hoſtes valdè frangimus, neque aut ipſorum, aut occultæ aduenticiæ vires ſubſiſtent. Sed hactenus confuſio apud nos, bellum aut rebellio inter nos quomodo non partes illorum erigat & attollat? Quòd ſi claſſis deinde, bonis viribus & naualibus ſocijs iuſtructa, ab Hiſpaniâ accedat: mihi crede, non inclinationem ſolùm, ſed finem belli videamus, & ſeditiones à nobis in ipſos ire. De Regum occultis conſilijs, aut pactis, nihil diſſero: omnia tamen me fallunt, aut Rex Britanniæ amicus illis eſſe non poteſt, qui regna tollunt; non item Daniæ, & quicumque magnitudinem ſuam & ſecuritatem amant. Sed longiùs eo. capiatur Wachtendoncka, tum Meurſia, & Cracouia; denique alius tranſitus in Rheno fiat; res illorum in arctum eunt, & Fortuna quæ riſit, vultum vertet. Marchioni dumtaxat robore opus & fortitudine animi, contra occultas fraudes: & ſciat multos eſſe, qui bellum belli cauſsâ gerunt; qui dolituri ſint in deuergio rerum, & vbi plena victoria ad noſtros ibit. Hæc tabes in ciuili diutino bello: intelligat, & ſe muniat, & felici pede porrò ad gloriam eat. Vale mi Gauerelli. Louanij, v. Kal. Nouembr. ∞.IↃCV.

EPIST. LXXVI. *Antuerpiam.*

HENRICO VWENO *I^ti*.

FILIVM tuum vidi, & amplexus ſum, & porrò amplectar: ita affectus meus in te poſcit, ita adoleſcens ipſe meretur, & magis magiſque merebitur cum ætate maiore. Spero patri ſimilem futurum, atque vtinam ſupra patrem, te volente! Quòd Senecam noſtrum probes; parum eſt de noſtro, id eſt quæ ego attexui; ſed valdè cupio & hortor vt ipſe auctor placeat, optimus Dux, ſi quiſquam veterum, ad bonam Mentem. A naturâ eò duceris, cape dire-

ctorem

ctorem contra vulgi iudicia & voces, quæ ſæpè interpellant. Significas ad primarium iuſtitiæ tribunal te vocari, & iam audiueram: ſed competitorem habes, quicum ſcio non libenter te concurrere, & pænè malle vinci. Vis meum iudicium? Gaudeo te vocatum, & laudo Senatores recti ſenſus: opto Princeps eò eat, & homines muneri, nō hominibus munus donet. Benè factum, quòd ad Præſidem modeſtè, & in eam ſententiam ſcripſeris: hoc ſatis eſt, cetera Deo & Principi permitte. Tuus honos fortaſſe agitur, res non agitur: & illo augente, hæc minuetur. Scis, quid dicam. Sed puta & conſtantiam tuam & æquanimitatem ſpectari: nos in te vertimus oculos, & videbimus ambitio, an reſpublica ducat. Si illa, dolebis in repulsâ: ſi iſta, facies quod olim Cato, & vel pilâ eodem die ludes. Non enim reuerà tu, ſed illa repelletur: & hoc vir ſibi, & donis à Deo, fidens cogitabit, tempeſtiuum nondum eſſe admoueri. Ad rempublicam optimi & ſeueriſſimi ſapientum, inprimis Stoïci noſtri, mittunt. quidni? animal ſocietati natum, ratione & conſilio præditum, & quibus plures poteſt debetque iuuare Hoc magis, cùm inſtitutio & doctrina, & addam, vſus acceſſit: quæ omnia in te, mi Vwene, ſcimus eſſe. Itaque tu te idoneum ciuem patriæ dediſti, & in promptu ac velut procinctu es, ſi vocat: vltrò ingerere, non modeſtia, non mos item volunt. Amo autem valdè, quod de magnâ republicâ & mundo, pro intimo meo ſenſu addis. Ita eſt. ô illam colamus, ſi ab hac minore ſpernimur: & quantò grauiores, atque etiam ſuauiores, curas habebimus? Venient in conſpectum diuina & humana: nec de terræ glebâ, aut ſtillicidio, ius dicemus; ſed cælum, aër, terra, maria, & quidquid Geniorum aut animantium hæc colit, conſiderationis & arbitrij noſtri erunt. Tollere in hunc currum potiùs, & in æthetem ſubuola; quàm ſellam aut tribunal aſcendas, vbi cùm ſederis & caput tolles, videbis quàm in humili eris. Satis philoſophiæ. quam modeſtè tractari & haberi, præſertim à vobis patribusfamilias volo, & cogitari etiam quos in terrâ habetis & relinquitis, a Deo datos. Non renuntiat iis curis philoſophia, ſed temperat: tu fac, & me ama. Louanij, III. Idus Nouembr. ∞.IↃCV.

EPISTOLA LXXVII.

GASPARI DIEMENO.

AB epiſtolæ tuę lectione voluptatem, admirationem, iram etiā concepi Omnia hæc vno tēpore? vno. Voluptati fuit amor; quem ſeriò & candidè præfers, & verbis ita exprimis, vt animo huic imprimas, & perſuaſus ſim nō vulgariter à te amari. Admirationi, ipſa ſcriptio: à taline talis? Mercurialium te virorum cenſebam, & ſic profiteris: ego Cenſor titulum mutem, & Muſicis ac litteratis iure adſcribam. Profectò non libaſti in iuuentute hæc ſtudia, vt coràm dicebas, ſed combibiſti, & è pleno eorum pectore manant quæ ſcribis. At hoc ipſum eſt, quod Iræ fuiſſe dico. tene ad me venire, & ſic callidè tegere & diſſimulare? O vulpio, non impones poſteà: veni, veni, & amplectar te & vinciam, & ſermonibus tuis ſuauiùs, atque etiam diutiùs, fruar. Non, inquam, ſic vt vnum aliquem τῶν τυχόντων, vel accipiam, vel dimittam. Nam amare te deinceps certū eſt, mi Diemene, & ſcriptis amorem fouere, ac factis, vbi opus aut vſus, teſtari. Hoc dextrâ iſtâ fideliter ſcribo, & do eam animi huius teſtem. Iam ad tuas litteras. Scribis de bulbis quibuſdam ſelectioribus mittendis: fac te quæſo, & voluptatem hanc meam, quâ paſcor, inſtrue vel auge. Poſt libros, duæ ſunt auocationes, vel ſolatia: Hortus, & Canes. De fructibus autem ab Hiſpaniâ, nihil vrgeo: tantùm, nec illos ingratos vxori fore à nouo amico. Habebis & à me breuî donum magnificum, regium: quod illud? opidum totum, & LOVANIVM noſtrū, quod iam typis cuditur, intra paucas ſeptimanas mittā. De noſtro ibi Vellerio (nec enim amare deſij) porrò curare perge, & ne magis in præceps etiam ruat. Siſte, ſi non poteſt reduci. Quòd Senecam habeas, & ames, ô quàm gratum! Mihi crede, non eſt auctor aut dux certior (de profanis loquor) ad bonam mentem: da te illi, & Mercurio tuo Mineruam iſtam iunge. Senſum meum interiorem tibi dicam. amo valdè hoc genus veſtrum, qui curas externas internaſq; miſcetis, & vulgi bona iſtis veris ſolidiſque temperatis. Non alia vita Pomponij aliquius Attici, & veterum illorum equitum Romanorum fuit. Vale, & litteræ etiam tuæ me adeant, donec tu iterùm; & culpam dictam purges. Louanij, prid. Idus Nouembr. ∞.IↃCV.

EPIST. LXXVIII. *Tornacum.*

DIONYSIO VILLERIO.

SENECAM accepiſſe te gaudeo, magis approbaſſe. Nam quid te celem? In hac ætate ingrauescente, in continuâ inualetudine, timere de iudicijs incipio, & ne ſcripta mea non ſint pro famâ priore. Tu aliter dicis, & cum cygno me componis; benè eſt, ſi affectui hoc non dones. Ordines Brabantiæ ſcribi ad me iuſſerunt, gratum ſibi fore ſi de Hiſtoriâ patriâ cogitarem: & ſuſcipienti liberalitatem ſuam promittunt. Quid tibi videtur? nondum reſpondi, & tamen inclino: imò ſponte iam me cœpi ad iſta dare, vt videbis in LOVANIO noſtro. Quod Duci Croyo & Arſchorano inſcripſi, & per occaſionem nuptiarum iſtarũ (aliter numquam) conſcripſi. Quibus nuptijs an & tu intereris? Ille me ſertò vocat, & iubet: ſed alibi paruero, hîc valetudo vetat, & pompa minimè Lipſiana. Malim apud te mi Villeri ſabulari, conuiuari, ambulare. & fiet, vbi Ver primum carceres aperiet ad excurrendum. De publicis equidem ſilui, & quamquam te excitante, etiam ſileo. Quid enim magnę rei, aut vel ſpei, poſſum? Nos in limite aſſultamus, & hæremus: & vereor vt lenè perrumpamus: & ſic quoque bellum inexplicabile habeamus. Longiùs enim progredientibus maiora & munitiora occurrent. Ego in veteri ſententiâ maneo, de claſſe: & ſine eâ finem aut inclinationem non ſore huic bello. Sed claſſem mei ſenſus atque arbitrij velim, non qualem Iberia nobis miſit, aut mittit. Nam & nunc in eo eſſe dicuntur. Multi aliquid ab occulto conſenſu Regum ſperant, quibus placere vix poſſunt qui regna tollunt: ſed lentum eſt, & multa interueniunt quæ impediant, aut mutent. Intereà Auſtriaci clades magnas in Turcico limite accipiunt, & tota regna perdunt. Auſtriaci? imò Chriſtiani. nam commune profectò periculum eſt ab immani illo hoſte. At nos ceſſamus: etiam ego, & te valere iubeo mi Villeri. Louanij, Idibus Nouembr. ∞. IↃCV.

EPIST. LXXIX. *Antuerpiam.*

AVBERTO MIRAEO V. R. S. D.

CVM apud me eſſes, optime Miræe, inter varios & delectantes ſermones, de Hiſtoriâ patriâ locuti etiam ſumus, ad quam illo ipſo tempore Ordines me inuitabant. Dixi tibi ſtatim promptè me ſuſcepturum: & quid negarem magnæ parenti meæ, id eſt patriæ? Laudem eius & vetera facta propagemus: & oſtendamus exteris, neque barbaros nos, neque in militiâ aut pace inglorios fuiſſe. Hæc magnitudo & potentia, quæ nunc eſt, & animos exterorum percellit aut vrit; tota ferè à Brabantiâ eſt, aut certè augmentum & culmen ab eâ habet. Ergo libens ſcribam: & decêre hanc ætatem meam videtur, ad propria magis quàm aliena ſtilum vertere: ac ſi quid prudentiæ aut iudicij à naturâ, vel lectione, vel etiã vſu habeo, in Hiſtoriâ promere, quam licet Practicam philoſophiam vocare. Alibi alia dicuntur, aut ſuadentur; hîc exercentur, & præter exempla ſententijs iudicijſque notantur aut ſuggeruntur. *Siquidem debent* (ait vetus Hiſtoriæ ſcriptor) *ea poni ab Hiſtoriographis, quæ aut fugienda ſunt, aut ſequenda.* Ita eſt. neque clarius ſpeculum morum, morum? etiam Fortunæ, & variæ ſortis rerum, quàm in hoc æui theatro: vbi præmia pœnaſque bonis ſiue improbis obſerues, vbi conſtantiam aut robur ab alienis exemplis ſumas, ſiue cùm in aliquo ea eſſe admiraris, ſiue eùm abeſſe indignaris. Et dic ſodes, nónne hæc meliùs ſcribere, quàm nugatori alicui aut ſycophantæ reſcribere? Nam patere me hîc affectui tuo frenum aliquod dare, qui nuper incitabas ad reſpondendum. Læſit enim Diuam & te, inquiebas. Diuam? non poteſt: illa eſt extra ictum. Me? nec id quidem; ſagittas in me miſit, ſed in aëre hæſuras, nec ad animum iſtum peruenturas. Miſeros nos! ſi talibus configi neceſſum habeamus, quoties illi Maſſagetæ aut Scythæ iaculantur. Cur non ſic appellem? imò omnibus barbaris immaniores ſunt, qui nos modeſtè, grauiter, & ſine cuiuſquam iniuriâ ſcribentes inuadunt, & laceſſunt. Atqui iniuria eſt in religione diſſentire. Itáne? & eò ventum? Illi nouitij, & nuper nati (nec ipſi negent) regnum capient, & veteranos poſſeſſione iuſtiſſimâ pellent? O LIBERTAS, quam præſcribunt, & pro quâ armantur! Indignor hæc fieri, & mecum boni: ſed mederi aliorum eſt, & à reſponſione noſtrâ fruſtrà id ſperes. Irritabimus. ſicut ignem qui gladio fodit, ſcintillas in ſe plures & ſtricturas elicit: tale in iſtis; cæde & diſſipa, acriùs inſurgunt. Eſt hoc ingenium contumaciæ, ſubijci poſſe, non domari. At enim quæ famam tuam ſpectant obijcit. Quæ illa?

lenæ fuiſſe. Publicè dudū ſum faſſus. Quid etiam? Orationes ibi habuiſſe. Vel vicenas, non nego. Tales illas improbas & impias. Hoc nego, hoc pernego: & palàm editâ Epiſtolâ oſtendi falſimonias iſtas meras eſſe. Tamen iterùm aiunt Quid ergo me vis facere? ora ijs claudere? non poſſum. Parum cauti aut probi ſunt, vt rem dicam, qui attendunt: & occultè cupiunt aut eſſe tale aliquid (nouimus ingenia) aut ſimulant ambigere, vt in Arenam me proliciant, & voluptati eorum pugnem. Ego faciam? apage, honeſtior ſum, non violo edictum Auguſti. Poſſum alioqui, fateor:

* Et mihi ſunt haſtæ, ſunt & umbo ſcuta rotunda.

* Καί μοι δούρατ' ἔασι, καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι

& oſtendi, vbi res aut vſus fuit: hîc non committar, & cum his, quos nullâ meâ gloriâ vincam. Vno verbo, & breuiter. In freto illo adoleſcentiæ (nam hæc obijciunt, & ab annis triginta quinque circiter repetunt) in illo, inquam, æſtu ac feruore ingenij aliquid fortaſſe inconſideratiùs dictum, aut factum: quid iam eſt? Ex veteri ſententiâ, *Hinc æſtimemur, cùm noſtri ſumus.* Poſtquàm curæ alienæ non fui, cùm ſolidæ mentis, ſteti in ſolido: cetera Pœnitentia defendat. cuius portus ex facili hanc cymbam admittet, quæ Reges, Principes, Eccleſiæ ipſos apices non excluſit. En meam vitam à tot annis! vbi vacillat, aut fluctuat? Neque neſcio quorumdā hodie prauam ſapientiam eſſe, frigus præferre, medios agere: vt de ijs Homericum illud iure efferas:

* Tydidem haud noſſes vtrum in partibus eſſet.

* Τυδεΐδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη:

mihi diſplicuit. Factis, ſcriptis, dictis oſtendi, * *vetera nouis, & quieta turbidis antehabere*: quid amplius poſcunt? Inimicitias conciliaui: etiámne lites, & quidem perpetuas, volunt? Nam hic finis non ſit, & oriantur *Tuſca iurgia*, quod vetus verbum dixit. Ama me, hæc omitte: de DIVIS noſtris ſecurus, quæ fremente impietate viuent, & noſter in Numen cultus. Louanij, poſtrid. Idus Nouembr. ∞.IↃCV.

* Tacit. 11 Annal.

EPIST. LXXX. *Mediolanum.*

IO. BAPTISTAE SILVATICO S. M. D.

LIBROS à te accepi, etſi non litteras: quid etiam ijs opus erat? nam ipſa Præfatio epiſtola eſt, quâ labores tuos (vtiles & doctos, ita me Deus) mihi dedicatum is, & nomen meum tuâ etiam luce illuſtratum. Ita ſentio, ita accipio: & quamquam in hac ætate ambitioni alienior, gaudeo vel in teſtimonio vel in beniuolentiâ, quæ vtraque erga me promis. Remotus à vobis ſum locorum ſpatijs: atque vtinam nunc propior ſim, & Pegaſo aliquo poſſim ſubuehi! videres mi Siluatice in vultu, oculis, voce affectum erga te, & tuo merito ſuſceptum: qui non, vt alij, elicere amorem meum, ſed pignerare voluiſti. Obligor, hoc fateor: pande viam quâ reſoluam, videbis Ingrati dicam ſcriptum mihi iure numquam iri. Dum id fiat, affectu gratus certè ero, & te in animi iſto ſinu geram & fouebo: tu quæſo, quem vltrò amplexus es, ne dimitte, & litteris me appella. quoniam eæ, in hac locorum intercapedine, ſermonis vicem debent poſſuntque obire. Fac, & te rogo. Louanij, XII. Kal. Decembres. ∞.IↃCV.

EPIST. LXXXI. *Antuerpiam.*

BALTHASARI MORETO *ſuo* S. D.

REMITTO, quæ miſiſti. De numeris in Icone *Heuerlea*, videbo ſi pictor poterit: & dubito, quia breue eſt tempus. Parum refert: præcipua modò ſint notata & inciſa. Cenſes tu tam accuratè hæc examinari? Vtinam faciant! & magis illa, quæ ſcribimus: & ſemper candidè, ac bonâ fide. Hanc quoties in multis requiro? Occaſio & cauſſa eſt, cur dicam. Incidi nuper in nouellum librum, in quo mei perhonorifica mentio: ſed alibi nota, *Lipſium Orchadas & Stœchadas inſulas confundere*: quod non puto vſquam in ſomnio me feciſſe. Alij etiam oblique aliquid: *Vir doctiſſimus in Tacitum.* Non tu cenſeas me eſſe? neque ob elogium, ſed auctorem. Quære tamen, notam aut veſtigium non reperies in meis ſcriptis. Talia plura peccant, & præſertim iſti nouelli, & vt ſic dicā, multei Critici: qui feruent, qui erumpunt, & laudem ſuam alienam criminationem cenſent. *Adde, quod Lipſius non vidit.* Quis tibi dicit, non vidiſſe? & iudicio fortaſſe, cùm ſatis teſtium eſſet, omiſit. Sed non viderit: quæ culpa eſt, aliquid non feciſſe? Omiſſum hîc poteſt eſſe, non commiſſum: nec magis culpandum, quàm ſi à te exigam & conſciſcam, in Homerum non ſcripſiſſe. O vanitates, ô ambitiunculas! At ego ad hæc talia ſileo, & ſilui; & magno animo oſtendo tales iniurias vel calumnias intra me ſtetiſſe. Eſt quidam, qui in Scholis, vt audio, materiem etiam me fecit, & in verba ac litteras, quid? accentus etiam inquirit. Ille ipſe, vt rem magnam, ter quatet in ſcriptis iterauit, *Lipſium* cen-

cenſuiſſe teſſeras frumentarias è plumbo, aut tali metallo, fortaſſe fuiſſe: ô flagitium! è *ligno*, inquit, *fuerunt*, & Dio dicit. Dic ô bone, vbi hoc Dio? Ille de teſſeris ludorum aſſerit, nuſquam de iſtis: & diuerſa ſanè ratio eſt: cur vtgeminum aut idem obiectas? Cur etiam obiectas? nam ego diſertè ſcripſi, *potuiſſe & è ligno eſſe*. Ecce in his talibus docti & arguti ſumus: vetus ſimplicitas vbi es? *Sceptici* olim ſectam fecerunt: faciant nunc *Pſectici*, & magna manu ſerit. Ego illud ſeriò poſteros rogem, ſiqui mea aut aliena legent, vt etiam conferant; nec fidem ſtatim habeant, hoc aut illud obiectanti aut refellenti. Aliter ſæpè ſcripſi, & mente aut verbis alijs; ſæpè & non ſcripſi. Et fac, age, in tam varijs opuſculis meis & materie aberraſſe: quid magni, aut noui eſt? Fecerunt veteres, nouitij iſti magis; & in Criticis certè, ac diuinatorio genere, pænè eſt neceſſum. Sicut ij qui rete iaciunt, ſortem exſpectant, & ſæpè truncum aut lapidem, pro piſce adducunt: tale in iſtis opinio imponit, & addam cupiditas aliquid præter alios dicendi, aut iudicandi. At in ſcriptis meis ſtili aut argumenti, vt *Conſtantiâ*, *Politicis*, talibus, audacter dicam paucos næuos aut næuulos eſſe: ſi ſunt, culpari nihil abnuo, imò & mulctari. Quidquid eſt (& hoc ſine ſcribo) modeſtiam amo & teneo: numquam ad reſcripta veniam, nec remedia amabo periculis peiora. Quiſquis me carpit, vel hoc ipſo ſentiat bono viro iniuriam ſe feciſſe. En, mi amice, pluſcula, quæ calor iſte ſcriptionis ſubiecit: tum & cogitatio de quibuſdam, quos in hoc genere non ſtare ſcio & auferri. Nominaſti, nec repeto: ſapiamus, & pro dignitate litteras tractemus. Vale. Louanij, XII. Kal. Decembr. ∞.IↃCV.

EPIST. LXXXII. *Mechliniam.*
NICOLAO OVDARTO.

QVAESTOR hodie denique ad me miſit (anteà abſurdè reſponderat) pecuniam aliquam paratam fore, mitterem vxorem. Fiet iam à prandio. Quod ad hiſtoriam patriç, non miror illum veſtrum haud nimis probare: quia nec inſtitutum ſortaſſe meum nouit; atque ego iſta nouitia nunc quidem non tangam. Diuiſi in duas partes. veteres noſtros Duces; tum iſtos Auſtriacos, qui à Maximiliano ſucceſſerunt. Vſque ad illum, quid periculi aut ſuſpicionum eſt? imò pleraque laudum plena, & generoſi ac minimè Tiberiani imperij quod ſine fuco aut metu denarres. Ego, cum Deo dicam, in ſcriptis cautionem & prouidentiam, ſi quiſquam, habeo: & in hac certè ætate, & ſtatu etiam rerum, habebo. Sed res geſtas fideliter poſteris tradere, diuinum ſi non præceptum, exemplum eſt; & Moyſes alijque Pontifices aut ſacerdotes, pace ac bello fecerunt. Vide libros ſacros. Quid etiam regius Vates? *In memoriâ æternâ erit iuſtus: iniuſtus autem cum maledictione & ignominiâ recitabitur.* Hi ſunt ſtimuli bonis Principibus, fræna improbis: & fuêre ab æuo, atque erunt, nec vlla ſæuitia tollet aut abolebit. Equidem inclino in hac ætate, quæ aliquid prudentiæ habere debet, & poteſt ſcriptis inſpergere: atque ego Hiſtoriam veram & legitimam, ipſam eſſe prolem & fœtum Philoſophiæ cenſeo, quod priſci illi ſcriptores dicant. Nam iſti nouitij meras nugas agũt, & vmbram pro re habent. De Riuio, ſpero: te amo mi optime Oudarte. Louanij, IX. Kal. Decembres. ∞.IↃCV.

EPIST. LXXXIII. *Antuerpiam.*
IO. WOVERIO *meo.*

GAVDEO, gaudeo, melius iam tibi eſſe. Sit longùm, ſit poſt me ætatem, & in te viuam. Quid deſtinaueris de Imagine meâ, & adſcriptione, vidi. An intercedam? non faciam: do fræna affectui, & in me Honeſtum à te amari orbis ſciat. Si non ego tantus, quid refert? eſſe volui, & in bono conatus etiam ſufficit, cùm occaſio deficit aut facultas. Prochnicij illius ardentem etiã animum agnoſco, & videbo vt liquore aliquo infuſo non exſtinguam, ſed alam. Intra duos aut tres menſes ſermonis copia inter nos erit; & aut ego ad vos veniã, aut te iſtuc inuitabo. Tum de eo quod ſuggeris, alijſque. Sed heus, his diebus fui in ſcriptore ſuperioris, nec * remoti nimis æui, *Matthæo Pariſienſi*, qui Hiſtoriam Anglicam ſcripſit, induſtriè & inquiſitè, ſi non eleganter aut ſcitè. Sed multa in eo bona & libera iudicia: mireris, ſi legas. Vnum, quod volui ad te referre ſuper ſtudijs hodiemi æui:

* *Deſiit ſcribere & viuere in anno* CCLXIII.

Papa conſiderans (Innocentius Quartus) *liberales artes iam in mechanicas pænè fuiſſe conuerſas, propter lucrum; vt verè poſſit dici de Philoſophiâ,* „

Proſtat, & in pretio pro meretrice ſedet: „
& quòd iam ferè omnes ſcholares, intactis „
Gram-

„ *Grammatices rudimẽtis, Auctoribus, & Philo-*
„ *ſophis, ad Leges properant audiendas, quas con-*
„ *ſtat non eſſe de numero artium liberalium. Artes*
„ *enim propter ſe appetuntur, Leges autem vt ſala-*
„ *ria adquirantur. Imò etiam, vt omnibus liquet,*
„ *adoleſcentes ætate & ſcientiâ ſatis ſimplices, ex*
„ *quo nouerunt in paucis Sophiſmatibus, perſtre-*
„ *pentibus palmis congarrire, cathedras aſcendunt*
„ *magiſtrales, vt nomine illo vſurpato tumeant ele-*
„ *uati: & facti venerabiliores, ſine fundamento*
„ *ſcandunt ad culmina celſiora: cùm melius eſſet*
„ *& vtilius, Scholarum priùs imbui experientiâ,*
„ *& ſic tranſcendere ad præmiſſa.*

Addit deinde, *Papam elegantem ſuper hac re epiſtolam ſcripſiſſe*, quâ remediũ adferret: ſed eam non intexuit, quod doleo, & velim vidiſſe. Examina, te autem quæſo, verba illius Monachi: putes de ſuo, an noſtro æuo ſcripſiſſe? Sanè eò ventum eſt, mi Woueri, vt omnis verus doctrina logi ſint, & deſipere cenſeantur qui ſectantur. Robore opus eſt contra iudiciorum hos fluctus, & clauo recti iudicij, qui dirigat inter vndas obſtantes. Ordines patriæ mecum agi iuſſerunt de Brabantiæ Hiſtoriâ ſcribendâ: neque abhorreo, & vtiliter ac more veteri fortaſſe poſſim. Tamen nihil etiam addixi, & ἐπέχω. Vale mi optime. Louanij, III. Kal. Decembres. ∞. IɔCV.

EPIST. LXXXIV. *Neapolim.*

IO. ANDREAE PROCHNICIO,
Legato Ser^mi Regis Poloniæ.

SI vlla epiſtola ex animo ſcripta eſt, hæc erit: rogo te audi. Accepi & legi tuas (binæ enim fuerunt) quibus, præter beniuolentiam, etiam benificentiam adiungis, & munera mittis à ſui pretio, ſed quantò magis ab animo æſtimanda! Lectis tuis litteris, non aliud ſubijt mihi, quàm exclamare, O amicum pectus! ô animum priſci & aurei illius æui! Et rem dixi. Quis hodie virtuti & doctrinæ aut affectum aut pretium hoc ponit? Et habeo amicos tamen fateor, atque etiam beneficos: ſed officijs nempe prouocatos. De te autem, quid ego priuatim merui, niſi quia publica beneficia tibi inſcribis, & alienum æs tuum facis? Sed profectò magis deinceps animus hic meus & affectus ſe exſerent, & poſteri ſcient talem virum vixiſſe, talem in me & Litteras ac Sapientiæ ſtudia fuiſſe. Hoc fine iamnunc concepi, quod publicabo, ſi Deus vitam in paucos menſes mihi donat. Sed ad tuas litteras. Scribis te illa & illa mittere, diſtinctè: nondum habeo, & via longa eſt, & prædonibus etiam ac periculis expoſita: ſed tamen vt ſi habeam gratias ago, & referam: quia non ipſa munera, ſed animum pendere ſoleo & referre in acceptum. Edidi iam denique *Senecam*, & Summo Pontifici noſtro inſcripſi: vt vel ſic orbi conſtet, quem caput Religionis in orbe eſſe velim. Diu me tenuit, & grande ac diffuſum fuit, addo & intricatum, præſertim ſi *Stoïca* noſtra adiungis. Illum per Woueriũ meâ manu inſcriptum mitto: miſſurus & hæc, ſi ſcirem non habere. Publica noſtra paullò meliora ſunt, per diligentiam Spinulæ. At vobis in Poloniâ omnia plauſu & lætitiâ perſonant, partim ob nuptias, partim ob victoriam de Sueco inſignem. Deus longùm ſic eſſe velit, & te, Ill^me & Reu^me Domine, valere & viuere, vel in æui exemplum. Louanij, poſtrid. Non. Decembres. ∞. IɔCV.

EPIST. LXXXV. *Moguntiacum.*

STANISLAO KRZISTANOWICIO S. D.

AMOR tuus V. C. & dona grata. Ille, quia à tali, id eſt amando & æſtimando: iſtæc, quia talia, & pretium profectò ac bonitatem in ſe habent. O pulchra illa olim mei Demetrij! ô pulchriora pænè dicam magni Zamoſcij! Semper mihi ille vir inter Europæ lumina; nunc magis apparet, cùm in vltimo illo efflato, vbi ſimulatio & ambitio ceſſant, tam claris certiſque verbis ſolidam probitatem, veram pietatem expreſſit. Exoſculatus ſum voces & ſenſus ab omni vanitate & pompâ ſuũ reuocantis, in priſcis moribus, in priſcâ religione, confirmantis. Quàm forte illud, quàm ſanctum! *Non naſci ſatius, quàm in hac non mori.* Dicam iterùm, ſciui ſemper & habui Zamoſcium inter prima virorum: nunc magis certiuſque habebo, & à paucis verbis vltimis ad primam lineam eum ducam. De filio, opto imbibere hæc præcepta aurea, & illinc petere vitæ exempla. Sanè pater docuit quid litteræ & doctrina poſſint, vbi in bonam naturam cadunt: & quàm vtiles eæ ad pacis bellique artes. Epiſtolam meam ibi editam non nimis gaudeo: & diſplicet exemplum. Munus libri gratum; & remuneror ecce, ſi non pretio, affectu pari. Ama me V. C. ego te deinceps. Louanij, III. Idus Decembr. ∞. IɔCV.

EPIST. LXXXVI. *Antuerpiam.*
IOANNI WOVERIO *ſuo* S. D.

CREDE mihi optime Woueri, animo meo malè factum eſt, cùm audiui iterato te vulnere percuſſum: & in illo fratre, qui familiæ velut columen erat, & quem noui à probitate & induſtriâ, atque ideò amo. Doleo tecum: quid ergo? etiam iaceo, aut, quod tu, langueo? Abſit mi amice, erigere mecum, & ne ſupra humanam ſortem aliquid velis aut tentes. Quid vis? hominem Deum eſſe. Soli illi æternitas: nos ex quo nati ſumus, non dicam mori poſſumus, ſed morimur; & omnis hora, omne momentum ad metam illam ducit. Alijs eſt alia, ſi tempus ſpectes; eadem, ſi finem. Et quod tempus? rideo cùm cogito. diſcrimen eſt dierum, menſium, paucorum annorum: & pone plurimos, ſæculum dices. Quàm breue iſtud? quàm citò abijt, quàm citò aliud aduênit? Sed minuti animi, & qui magna non cogitant, qui Naturam rerum, quod caput eſt, non peruident; hæc habent in magnis. Pueri Saturnalia celebrant, & Reges aut Antiſtites imitantur & agunt: breue ludicrum eſt, & nos ridemus; ſed illi ſic amplectuntur & æſtimant, vt longus annus ſit, donec dies ille illuceſcat. Quid non ſimile facimus? nati ſumus; ſpes & vota diſponimus, in vxorem, in opes, in honores: & dum ſcæna inſtruitur, ecce Mors ſuperuenit, & obliquo oculo ridet & interrumpit. Ita eſt. illâ damnamur; & cui naſci contigit, reſtat mori. O noſtra imbecillitas! Homeri verſum Pyrrho Philoſophus in admiratione & ore ſemper habebat iſtum:

* Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.

* *Talis vita atq; hominum eſt, qualis foliorum.*

Meritò nihil potuit aut verius, aut euidentius dici, in hanc ſortem. Vides arborem illam, quæ vere primo folia induit? Pulchra eſt, & viret, & vmbram, & ſpeciem gratam ſui præbet: quid tamen eſt? mox ventus aut ictus folia pauca decutit, tum æſtus aut ſiccitas, denique hiems omnibus ſpoliat & nudat. En humanum genus! virent, vigent: ille atque ille moritur, morbo, vi, fraude; & cùm hiems ſenij ſuperuenit, omnes naturæ lege. Miſerias noſtras narras, inquies: ego ſolatia exſpecto. Iam accipe, & feria. Non dicam illa ex Epicuri delirio,

Poſt mortem nihil eſt, ipſaque mors nihil:

hoc ſapienter & piè dicam, *Mors intermittit vitam, non eripit: veniet iterùm, qui nos in lucem reponat dies.* Agnoſcis Senecam, ſed Chriſtianum eius ſenſum (quò verba ducunt) etiam adde. Quid eſt hæc vita? nihil, niſi ad illam aditus & præparatio, illam æternam, beatam, & cui vni vita hæc viuit. Sacra tibi non ingero, protrita ſunt: ſed Brachmanes illi Indi, veteris Philoſophiæ, cenſebant; *Vitam habendã eſſe, quaſi conceptorum in vtero ſtatum; mortem autem, partum in veram vitam, & felicem quidem ijs qui rectè ſint philoſophati.* Strabo lib. xv. Eſt mira ſententia, & ex arcanis noſtræ religionis prompta. Quid hæc vita? velut formamur in vtero, & præparamur ad illam æternam. Itaque Mors nomen tantùm eſt nobis: & illam timeat, qui non ſperat viuere poſt mortem. Audis hæc mi Woueri? admitte etiam: & vis aliquid pro caueâ? Cogita abiiſſe amicos, ſed & habere te hîc amicos. Parẽtes omitto, alioſque fratres: en conſortem vitæ & rerum duxiſti vxorem: & (vt alios ſileam) me inter amicos habes, cui ſolatium, conſilium & auxilium est: & à me eadem exſpectes. Cur, quaſi conclamatis rebus te abijcis, & iſtuc oculos non reflectis? Ille abijt? nos ſuperſumus: engete vel noſtrâ cauſſâ, & ſcito in hac graui iam ætate, & dudum valetudine, vſum mihi tui eſſe. Sincerè dicam, patientiùs ego diem meum exſpecto, quia te ſuperſtitem deſtino, & eorum etiam quæ poſt mortem volo curatorem. Hoc cogita: & ſicut Seneca noſter de Paullinâ, *ego tibi valetudinem meam commendem:* & ſcito in hoc iuuene ſenem etiam viuere, cui fatum ſine culpâ non acceleres. Hæc ex animo ſcripſi: animi & corporis vires tibi reddi, Deum precor. Louanij, Idib. Decem. ∞. IↃCV.

Ad Prochnicium noſtrum has mitto, qui valdè de te etiam amicè ſcripſit. An non Senecam vnà placet? & quomodo reſoluam me vinculo iſto beneficiorum, quæ indies accumulat? O virum ab aureo æuo! Iamnunc parata eſt *Centuria Epiſtolarum ſelecta*, quam, ſiquid mihi contingêt, in arcâ meâ reperies à te edendam, & illi ex meâ deſtinatione inſcribendam: quod ſine fraude rogo te facere, itemque nullâ epiſtolâ inſertâ aut immutatâ. In Præfatione dic, quæ ego deberem.

EPISTOLA LXXXVII.
FRID. TAVBMANO S. M. D.

PLAVTVM tuum veteres noſtras delitias accepi, ſed nunc tuum, nouâ & decorâ iſtâ facie à te perpolitum. O gratum acceptúmque

pt umque donũ? non dicam dolo. Certè induſtriâ & elegãtia ſimul ingenij tui in concinnando hoc Opere ſic apparent, vt alij omnes, qui conati, ad tuam accurationẽ & lucem luſcitioſi videantur. Non percutio te palpo: ne verere: expers eo more ſum, & apud amicũ amicè, id eſt, verè loquor. Debeo tibi pro hoc dono & dicatione: & quid verbis opus eſt? cum ipſo Comico;

Ego tibi omnia facta cupio, cupiamq; quæ voles.

Sed dic ſodes, quis iſte ſacer & Germanicus liber eſt, de quo peruiàm memoras? Vidi equidem annò, niſi fallor, editũ, ſed Anonymũ, qui calumnioſè & inclementer multa in me dicit. Talis iterùm aliquis pilũ inijcit? contemno: & delirent, ſæuiantque iſti laruarum pleni homines, ſtabula malitiæ & columina audaciæ, non hilum me concutiunt; & ſuſque deque habebo, quod ſcribant, non ſcribant. Modeſtiam natura mihi conciliauit à vitâ abire cupiam, cùm ab hac abibo. Quid meus SENECA, quàm quietum de iſtis me eſſe iubet! huic ego in ſiſtam credere potiùs, & res alias præ Sapientiâ relictas habere. Quem tu Senecam in breui, me mittente, videbis, & habebis in fronte amicitiæ teſſeram inſcriptam. Nundinis proximis fiet, neque antè video tutò poſſe. At tu homo hominum in illo tractu litteratiſſime, quoniam hoc Plautinum negotium ſic ſub manus ſucceſſit, adde porrò operam conſimilem, & in alio argumento vel ſcripto iuuentuti benè conſultum eas, & optimas artes productũ atque illuſtratum. Præſens igitur & poſterum æuum debebit, & nos meliùs nati aut facti fauebimus, & plauſum, vires, animoſq; addemus ad candidam calcem currenti. Delphis hoc tibi dictum credito, & dicentem ama. Louanij, Idib. Decembr. ∞. IↃCV.

EPIST. LXXXVIII. *Mediolanum.*

FREDERICO BORROMAEO S. R. E. *Cardinali.*

IAM denique feriò intellexi ex benignis tuis ad me litteris conſilium quod vſui publico ſuſcepiſti, neque tale & tantum id eſſe animo præſumebam. De Bibliothecâ ſuſpicabar, eaque ſelectâ & ſimul copioſâ: ſed addis etiam Collegium, atque id noui generis, in quo non iuuenes, ſed grandiores alantur, & qui facti aptique iam ſint ſcriptis, conſilio, voce alios iuuare vel docere. Sanè iamdiu eſt cùm hoc inſtitutum apud me approbo: atque adeò publicè aliquod teſtimonium dedi, in laudando & aperiendo Muſeo Alexandrino. Nam & illud viros admiſit tantùm & habuit, vel benè meritos iam de republicâ litterariâ, vel mereturos. Itaque vtrâque manu & toto animi ſenſu conſilium tuum approbo, & gratulor hunc animum, & Deum rogo ſucceſſum & fructum pro eo eſſe. Erit autem ſi legibus bonis firmiſque inſtitutum tuum alliges: ſine quibus diffluet; & vt te viuo maneat, functo metuendus eſt lapſus aut ruina. Ego in ſimilibus ſæpè vidi fraudes aut frigora, quæ interueniunt, maximè à Conditoris morte: & ad cauendum, omnis opera danda, vt electio fiat prudens eorum, qui ſimillimum tui animum & iudicium adferre poſt te poſſint. Nam, mihi crede, in prioribus vix ego laboro, & prudentia tua ac tuorum facilè inſtituet ac gubernabit: poſtuma cogitanda ſunt, & vt maneat inſtitutum, & vt idonei beneficio tam grandi fruendo eligantur. Idonei, inquam, & quantus his fructus, ſi tales? Vnus alterque quot præſentes & poſteros iuuare poterunt, & prælucere inſigni aliquâ doctrinæ face? Atque huic rei, etſi grandiores illæ ſcientiæ principatum tenere videantur, Theologia, Iuriſprudentia, Medicina: tamen paucos è prioribus eligam, nullos ex vltimâ, quia vulgo ſatis grande pretium vel æſtimatio ijs eſt, & commodis excitantur. At non idem in linguarum litterarumque ſcientiâ, non item in Philoſophiæ: quarum artium, quæ verè pabula animorum ſunt, & grauiorum item illarum adiumenta vel fundamenta, ſuadeam rationem & adſpectum maximè te habere. Negliguntur paſſim: & quis exitus erit? barbaries & tenebræ, quas magno opere diſcuſſerunt boni prouidique maiores noſtri; vtinam nos faciamus, vt ne fruſtrà! Sed tu facies pro tuâ parte Ill^me & Reu^me Domine: ſequantur duo, tres, in Europâ, ô magnum breuî & diffuſum lumen! Enimuerò ſæpè miratus ſum, cùm tam multa paſſim Collegia aut Scholæ inſtituantur pueris aut iuuentuti formandæ: neminem adhuc fuiſſe, qui propriè ſolicitus eſſet & curaret de doctoribus: ſine quibus cui vſui omnis illa inſtitutio eſt? Speciem non rem habet, & multi in curſu ſunt, pauci ad metam veniunt & verum ſtudiorum finem. Cauendi proſpiciendique ratio aut hæc eſt, quam inis, aut nulla: & ipſi eligen-

di, alendi, formandi ſunt, qui forment. Ill^me et Rev^me Domine, Dcum rogo proſperare conatus tuos tam laudabiles, teipſum firmum & validum diu ſupereſſe ad conſummandum. Louanij, x. Kal. Ianuar. anni noui inſtantis ∞. Iↄcvi.

EPIST. LXXXIX. *Auguſtam.*

Marco Velsero V. I. S. M. D.

Senecam noſtrum à te acceptum, & verè acceptum, id eſt gratum, fuiſſe gaudeo. An nō eſſet ſcriptor optimus viro optimo? Quod ais deſiderare quoſdam reliqua: pauca ſunt, & hodie mos obtinet reliquatores eſſe, imò conturbatores. Detur venia, aut certè mora aliqua, valetudini: & fortaſſe altera editio dabit. Sunt & in illis libris, quæ volenti haud petibunt. At tu de elogio debere profiteris. Et ſic loqueris? iudicio, dicere debebas: & ideò nihil debere. Mihi crede, vt ſi iuratus in Senatu ſententiam dicerem, ſic dixi. Amo te iamdudum mi Velſere, ſed affectus illam animi lucem non obtenebrat. Sed heus, eſt quod communi litteratorum nomine commendemus, vel petamus. Andreæ Schotti, magni amici noſtri, Photivs Latinus iamdiu apud vos eſt, & quando ipſe lucem, nos eum videbimus? Certè inter paucos ille ſcriptor meretur: qui ſolus tot clariſſimorum ingeniorum monumenta à fato eripuit: toto dico fato, & ſaltem nomina & ſcriptorum velut membra ſeruauit. Quàm multos ille legit, ex ijs elegit, &, vt ſic loquar, defflorauit, quos noſſe nobis aliter non eſſet? E ſactis, profanis; tractatoribus, hiſtoricis, oratoribus, poëtis; & nihil eſt iu Græcâ omni litteraturâ, aut vt veriùs dicam, librariâ, quod ille vir non libarit. Pulcherrimus mos in menſâ legendi, vel audiendi: ſed iſte pulchrior vtiliorque, annotandi, cenſendi, excerpendi. Photivs fecit, & qui ad nos peruenerint ſolus. Dauid Hœſchelius veſter, & veſtris etiam auſpicijs, Græcum primitus & variè atque induſtriè caſtigatum dedit: ſed noſti quò ventum ſit ignauiâ æui; pauci hæc legunt aut capiunt, & niſi Latina addantur, pænè dicam non dediſſe. Ergo A. Schottus, vir bono publico natus, allaborauit, & Latinum totum dedit, & tibi commiſit: ecce iure te flagitamus, fac quod ſoles & natus es, rem publicam vel priuatæ tuæ damno iuua. Mi Velſere, da hanc operam: etſi quàm trepidis & pænè deſperatis Europæ rebus? Pannonia, & iam Illyricum finitimum, ſolicitoſnos habent: *Quò pondus iſtud verget? vbi ponet minas?* Vbicumque, ſtemus; & in Honeſto firmi, omnem Fati vim excipiamus, imò vincamus, id eſt feramus. Vale. Louanij, poſtridie Natalis Dominici, anno ∞. Iↄcv.

EPISTOLA XC.

Ioanni Miraeo *Epiſcopo Antuerpienſi.*

Meritò ſcriptionem iſtā amplector, tam benigni animi, & à tali viro, teſtem. Lovanivm non diſplicuiſſe ſignificas, & hortaris porrò ad patriam Hiſtoriam vniuerſam ſcribendā. Magnus mihi ſtimulus, fateor, vel ab auctoritate tuâ, vel à iudicio: & ſentio ſponte hunc animū meum inclinare, in magnā parentem, vt debet, affectum. Cùm tamen vacillanté valetudinem video, cùm etiam ſeculum & iudicia (neque enim omnes Miraei ſunt:) frigus aliquod ſubit, & pænè reſiſto in curſu, cui carceres iam video apertos. Nam & ipſe collegi quędā, & Comes Bauſſigniacus tradi quædam iuſſit, etſi adhuc per alias manus obertātia; & R^ma D. tua offert Dinterum ſuum, magnum adiumentū ad rem emoliendam. Videbo an D. Prelatus Parcenſis hîc ſit, & tradet eum: ſi non, rogo verbo vel ſcriptiunculâ velis admonere. Ego ſine iactantiā proferam, poſſe me & ſtilū & iudicium ad hiſtoriam adferre, atque eam veteri more & exemplo ſcribendā. Si ex vſu & gloriâ Patriæ eſt, Deus mihi vires donet; te autem, Reu^me in Chriſto Pater & Domine, longùm Eccleſiæ atque eidem Patriæ noſtræ ſeruet. Louanij, v. Idus Ianuar. ∞. Iↄcvi.

EPIST. XCI. *Græcum.*

Carolo *Archiduci Auſtriæ, Imp. nepoti & pronepoti.*

Ser^me Princeps,

Placvit humanitate iſtâ in me vti, vt non ſolùm ſalute impertiri iuberes, ſed etiam manu tuâ eam conſignares. O benignitatem ab alto animo! & cui vnū fontem video, amorem erga res honeſtas & Doctrinam. Dignus ille tali Principe, tali ſtirpe. Si audaciam meſumere vis, quam ætas grandior donat, ſic perge magnæ ſpei Princeps, & cum Pietatis ſtudio (id primas habet) iſta iunge, quæ menti lumen infundunt, quæ clariùs res videre & arbitrari faciunt, quę hominem ſupra communes iſtos homines tollunt. Maximilianvs Auguſtus inter proauos tuos exemplum præbeat,

qui

qui audire ſemper doctos aut percunctari, qui ipſe legere, ſcribere & commentari ſolitus: idque æuo illo, quo caligo adhuc ferè in Germaniâ, nec clara iſta fax litterarum ſatis illata. Doctores, Dei beneficio & Parentum tuorum, habes ad vtraque omnium maximè idoneos: obſecro, vtere: & hoc iuuentutis tempore fructus velut in horreum collige, quibus reliquum æui ſuauiter fruare. Significas & à noſtris libris non abhorrere, & Diſcipulum meum profiteris: ô magnum mihi & gaudium, & honorem! equidem ſcripta mea publicè prodeſſe multis (eo fine pangimus) cupio & voueo: ſed Principes etiam legere & affici, ſuper modeſtiâ voti mei eſt. & tamen gaudeo meritò, ſi fiat. Nam è Principe erudito ſcio quantus in vniuerſam rempublicam manare fructus aliquando poſſit. Vnus peritus gubernator nauem regit & ſeruat, vnus Imperator exercitum: tale in vobis, & vnius prudentia ac virtus populo eſt ſalutaris.

Ser^mi Princeps, hæc pauca expreſſit mihi humanitas tua: benignè interpretare; & ab eo profecta ſcito, qui eſt Ser^mæ gentis tuæ, & priuatim tvae Ser^tis deuotiſſimus cliens. Louanij IV. Idus Ianuar. ∞.IↃXCVI.

EPIST. XCII. *Antuerpiam.*

Balthasari Moreto.

Hem, hem, quid hoc eſt mi Morete? gratiæ conciliandæ ego illa ſcripſeram, & affectui in patriam reſtando: aliorſum vertit, & inuidiam aut cauillos (vt tu quoque audis) Lovanivm mihi concinnat. Quâ culpâ? aut merito? rogo te audire paullùm, & æquâ iudicij librâ penſirare. Parcè enim, neque omnia dixiſti, inquiunt. Libens fateor, neque hîc neque alibi omnia dicere amo: ſelecta tantùm & præcipua: & credo tamen inſignia pleraque ad laudem (is finis noſter fuit) attuliſſe. Panegyrica quædam, vt ſic dicam, iſta ſcriptio, non propriè Hiſtorica: & hoc ſtilus ipſe dicet, qui florem, colorem, non vigorem ſolùm habet. Et vbi tamen hiſtoriæ locus fuit, in pugnis, in ſeditionibus; à lege eius abiiſſe me non cenſeo, imò vel iuxta veterum exemplum tractaſſe. Atquin alia nos etiam habemus, aiunt. Aiunt, proferant & applaudam: ſi tamen pondus habent, & rei momentum aliq[illegible]dunt. Sed non diſſimulo, quoſda[illegible] curioſos & peritos ſe ſimulant, [illegible]agorico quodam exemplo tacitos: & minantur aut iactant aſſiduè edere, nihil edunt. Edunt? nec communicant quidem edentibus: & ſi quid petis, obliquo oculo, aut renidentes, abnuunt: &, Pluris ſibi eſſe; denique, Sibi eſſe. Per me habeant, premant: nos non premant, qui ſiquid notitiæ noſtræ eſſe potuit, iuimus perquiſitum. Petrus Diuæus triginta, opinor, annos, aut circiter, à ciuicis hîc Regeſtis fuit: vidit eadem excuſſitque Io. Molanus Theologus eximius, idemque hiſtoriarum cupiens & ſciens. Hos conſului, Annales vicinarum etiam gentium adiji: quid vltrà volunt feciſſe? In Veſtalia illa ſecreta penetrare non potui, nec inuitis æditius excutere Capitolinas iſtas Flauiſſas. At quædam etiam aliter dixi. Sanè ſequi me tutò in pleriſque dictos auctores cenſui: & ſiquid erratum, veniam illis mihique vnâ operâ peto. Mihi etiam ſeorſim, quòd approperatum hoc opuſculum (in occaſione illâ, vt tu optimè ſcis, Nuptiarum) nec limam aut exactiorem curam admiſit. Itaque in numeris corrigendum alibi erat: poſteà factum. Poterant & accuratiùs vel vberiùs quædam de Lotharingiâ, vel Brabantiâ dici: & à me exigunt. Iniqui! & nónne meliùs aptiuſque in ſuo loco ea dici? Et profiteor apud te ac clamo, animum mihi tunc fuiſſe tractandæ Hiſtoriæ Patriæ: eoque, ex conſilio multa omiſſa, aut certè dilata. At, inquiunt etiam, familias noſtras veteres parùm diſtinctè tangis: ipſum oppidum haud annoſum ſatis facis. De familijs; meum non eſt, faciant *γενεαλόγοι, quorum hodie manus eſt, & huic ſtudio vel [* familiarum ſcriptores.] *περίεργοι operantur. De vetuſtate; ſi erro, doceant, & bono auctore aliam æuitatem [* Curioſi, vel nimii.] oſtendant: fauebo. De nomine ſanè non abnuimus, non item de conuentu aut digniore aliquo loco: & palàm hoc *ſcripſi: ſed [* Lib. I. cap. VIII.] nihil etiam nunc magis *εὔλογον οὐδὲ πιθανὸν occurrit, quàm hunc ambitum & clauſuram [* rationi aut fidei conſonum.] origine illâ eſſe, quam dixi. Quid verbis opus? aliud, inquam, doceant, & ſileo: aut ſi non, ipſi ſileant. Quod ad fabellas aut opinatiunculas attinet; ſciant nos exteris poſteriſque iſta, & ideò firmiter, ſcripſiſſe: ſciant etiam, neque apud ipſos populares noſtros fœnum omnes eſſe. Incaleſco, & melius eſt deſinam. alioquin & illi accurrent, qui ſingula Collegia deſcribi, etiam ipſas alimonias (noſtro ſermone *Burſas*) deſiderent, imò iam deſiderauerint. Heu Lipſi, heu Lipſiane ſtile, quò vocamini? Otium agere, aut certè alias res agere meliùs, nec ad ple-

plebeia argumenta aut iudicia vltrà venire. Audis?audio: & cum Homero,

* Ἤδη δή μοι καὶ θυμῷ ἀρίστη φαίνετο βουλή.

* *Hoc mihi conſilium præſtare in poſtere viſum.*

At ex iſtis, mi Morete, vides quo præmio ſcribimus: & alibi fortaſſe in gratiâ, domi frigeınus. Sic ſolet, fero, & Geniũ meæ patriæ (ſi Deo viſum) elegantiorem votis expoſco. Louanij, III. Idus Ianuarias. ∞. IↃCVI.

EPIST. XCIII. *Mechliniam.*

PETRO PECKIO *Conſiliario.*

BENEFICIVM ſanè mihi tribuiſti miſſione nouitij huius libri è Galliâ. quem ego hiſtoricis an politicis magis accenſeam, ſententia hæret. Vtraque habet, & flore præterea ſermonis aſpergit; qui omnem ſeueritatem tereret & diffundat. Non ſic veretes, fateor, & magis reſtricti atque aceiſi ſunt: & tamen delectat, doeetque hæc vbertas, & meo iudicio gratiam atque vſum ſuum habet. Sunt in quibus fidem tamen requiras, & partium ſtudium aut adulationes deprehendas: ignorantiam etiam aut alucinationem interdum in extemis. Sed interdum; & compenſat alijs virtutibus. Ego pro vſurario libro, libellum hunc ecce mancipio mitto, à me donum. Leuis res & ſcriptio eſt; & cùm leges, animaduertes calamum alas habuiſſe. Nam quid diſſimulem? Seriò hoc argumenti numquam cogitaueram: alio fine aliquid in Aduerſaria coniecceram: & incidit vt in nuptijs iſtis (rogatus eram) concinnarem, & vulgarem. Prædico, vt remiſſiore animo ac iudicio legas, nec acrimoniam tuam vbique adhibeas, aut meam requiras. Sunt tamen, præſertim vbi materies tauit, in quibus ad altiorem ſtilum aſſurgo, & hiſtoriæ veteris faciem conatus ſum referre. Auctores mihi quidam ſunt, vt in rebus Brabantiæ idem faciam: ego delibero, & ætatem meam & valetudinem, ſed & ſæculum in alterâ lance pono. Sæculum. nam quàm pauci hæc capiunt, ſiue legunt? Quò igitur pondus verget, neſcio: & verum fortaſſe tempus dicet. Tu vir Clar^me^ & Prud^me^ vt me ames, qui te ſeriò, rogo. Louanij, poſtrid. Idus Ianuarias. ∞. IↃCVI.

EPISTOLA XCIV.

HENRICO HALMALIO V. N.

LEGISSE te Louanium meum libens audio: etſi cùm in tales manus venit, vellem accuratiore limâ perpolitum. Nam verè dixi, & ſubitum & feſtinatum etiam, ob inſtantes Nuptias fuiſſe: atque ideò ingenuè fateor, aut quædam mihi non dicta, aut aliter dicta. Sed medebitur aut ſupplebit ſiue ſequens Editio, ſiue ipſa Brabantiæ Hiſtoria, ſi tamen ad eam ire & pergere valetudo patietur. Alia quidem res (hoc tibi ſpondeo) non auocabit, & vltimos iſtos annos Patriæ libens ibo conſecratum. Quod cùm fiet, non omittam rogare te, vt id quod ſponte & benignè offers, re exſequare, & me ſubſidijs tuis & apparatu vario inſtruas, in communem vſum. Scio iamdiu te induſtrium & ſedulum conquiſitorem atque inquiſitorem talium fuiſſe: potes igitur te, potes & conſilio ac directione nos iuuare. Coràm, vbi Antuerpiam noſtram venero, plura & diſtinctiùs licebit: nunc nobilis & Clar^me^ Domine valere te, & nos amare, opto. Louanij, poſtrid. Idus Ianuar. ∞. IↃCVI.

EPIST. XCV. *Antuerpiam.*

ANDREAE SCHOTTO V. R.

NON indelectatum te *Louanio* noſtro, benè eſt mi Pater, & gaudeo in tuo iudicio: ſed plebeiæ apud nos voces non ſic conſonant, & ad nugas ſuas aut ineptias multi me conuicio trahunt. Cur vetuſtius opidum non fecit? cur familias illas veteres non inſeruit? meam cur omiſit? Quid collegia? hæc nominat, illa tranſilit: denique priuati vellent & ſuum alibi nomen legi. Hæc pati neceſſum eſt eum, qui res in omnium ſenſibus oculiſque ſcribit: & iſta cogitatio nonnihil à Brabantiæ rebus me abſterret. Noui ambitionem multorum, qui ſe aut ſuos volunt eſſe argumentum. At altior animus Hiſtorico eſſe debet, & cauſſam æui agere duplicis, eius quod fuit, & quod erit. Illud vt ex vero repræſentet; hoc vt vtilibus narrationibus, ſiue monitis interdum, inſtruat, nec ad vana aut futilia, & pueriles animos oblectatura, declinet. Videbo vt modum teneam, ſi opus aggredior, & ſcribam ex patriæ, ex hiſtoriæ, & mea dignitate. Adulari, calumniari, nugari non lubet. Hactenus Muſas virgines habui, non proſtitui pretio aut pellaciâ inductu: perſeuerabo honeſti animi, recti iudicij (Deus adiuuet) eſſe. De Cantipratano benè mones, & iam vidimus, & corrigi in alijs exemplaribus iuſſimus. Sanè ſci[illegible]iſcipulum Alberti Magni fuiſſe: f[illegible]erantia & calor, quæ in hoc opuſcu[illegible]bita pænè neceſſariò, mentem obnu[illegible]lant, aut certè manum

num faciunt delirare. Sunt & alia quædam, in quibus nnto, aliàs corrigenda. Felix recitatio veterum, & aduocati in conſiliũ amici: nunc deſerunt, & Typographia nec pœnitentiæ locum; aut ſi illi, non emendationi relinquit. De Idolo Hallenſi, lumbos nugatori impio frangam, ſi fuſtem, id eſt calamum ſumo. Sed adhuc tempero, & inhibeo, & Modeſtiam ingenitam vſurpo. Caueat à calore. P. Leonardus noſter etiam illic? dimidium noſtri habetis, remittite, aut (ſi auraadmittat) me habete. P. rectorem & illum ſaluto. Louanij, ad lumen veſpertinum, XVI. Kal. Febr. ∞. IↃCVI.

EPISTOLA XCVI.

IOANNI MIRAEO *Epiſcopo Antuerpienſi.*

IN amici cauſsâ breues has litteras ſcribo, quem mihi inſtitutio (diſcipulus enim mihi fuit) & morum probitas, & magis conſtans pietas, commendarunt. Is eſt Io. Hemelarius gente Batauus, inſigni ingenio & doctrinâ: ſed qui patriam deſeruit maculoſam & infectam. Romam igitur ſe contulit, & cùm ad Eccleſiaſticum ordinem adſpiraret, à S. Pontifice impetrauit Canonicatum in veſtrâ Eccleſiâ Antuerpienſi, in locum defuncti Iacobi Antonij: defuncti, inquam, in menſe Pontificiæ collationis, vt ſcribit. Itaque ius putat clarum & certum eſſe; petit tantùm inſinuari R^{mæ} D. tuæ, & ſignificari qualis eſſet. Reuerâ ſpondere audeo gratum acceptumque futurum R^{mæ} D. tuæ & Collegis: ita non ſolùm dotes habet, quæ ornamento ſint, ſed mores ſuaues & mites, qui delectationi. Nihil tribuo affectui, Reu^{me} in Chriſto Pater & Domine, Deum teſtari poſſum: quem rogo & veneror, vt te talem Antiſtitem Eccleſiæ & nobis diu velit ſupereſſe. Louanij, IIX. Kal. Februar. ∞. IↃCVI.

EPIST. XCVII. *Bruxellam.*

IOANNI RICHARDOTO *Præſidi.*

ET iterùm iterumque Fortuna te petijt, & vix cicatrix à priore ictu obducta eſt, aliam plagam inflixit? O ſæuitiam! accuſare eam libet, & tecum dolere: ſi tamen hoc remedium ſit, habere comites in querelâ aut dolore. Præſtaret qui alleuarent & erigerent: & iam conor: ſed dicta aut monita vbi reperiam? Solita conſumpſi, & eadem dicere nec ex decoro, nec ex more meo, poſſum. An vnum hoc nouum, & magni animi, ſuccurrit? in Fortunam Fortunæ exemplo repugna. Pertinaciter te incurrit, nec dignitati, nec ætati tuæ parcit: indue item pertinaciam; & non ratione ſolùm, ſed irâ quâdam honeſtâ pedem in eam firma. Quid tibi vis? ideò deſtinor vincendus, quia non viciſti? Hoc ipſo ſumo animos, & prior victoria de ſequenti ſpondet. Nepotulum amiſi: ſed anteà liberos. in paruâ hunc ætate: anteà plenæ ætatis & roboris, & qui propinquam de ſe ſpem, aut præſens gaudium, dabant. In iſto quantulum perdidi? Flos, non fructus fuit: vix etiam flos; & in paucis non menſibus, ſed diebus, natum amiſi.

Monſtrarunt terris hunc tantùm Fata:

atque ecce, firmum ſolatium, ſi attendis. Fata, inquâ, dederunt, eadem abſtulerunt: quid iuuat, aut decet queri? Non iuuat, quia non mutabis, ſemel abijt: non decet, quia lex à Deo eſt, in quem impius qui repugnat. Ille firmiter ſanxit, quidquid natum eſt mori, & alternante tempore ac vicibus mori, ſenes, viros, iuuenes, pueros: nullum diſcrimen eſt, & cæca illa Dea per omnes furit, & datum ius exercet.

Poma vt in arboribus pendẽt, ſic corpora noſtra
Aut matura cadunt, aut citò acerba ruunt.

Vetus poëta hoc ſcitâ & veriſſimâ imagine ſcripſit: auellimur, deijcimur, ſponte cadimus, & hæc omnia ex fatali lege. O pareamus Deo, imò aſſentiamur! & hoc Chriſtianum pectus decet. Sed ante omnia vrgeo quod tetigi, paruulum hunc fuiſſe. Vix limen vitæ ingreſſus erat, & ablatus eſt: id eſt, vix habuiſti. In alijs grandioribus reminiſci licebat facta aliqua aut verba laudanda, ſiue amanda; in paullò etiam grandiuſculis iocos, blanditias, geſtus, & quæ parentum affectus exoſculatur & notat. Quid in iſto? ſpem modò oſtendit, germen & propago futurus vetuſtæ ac nobiliſſimæ ſtirpis, ſi Deo viſum fuiſſet: ſed non eſt viſum, quid contra æternum curſum molimur? Nondum gaudia alia ex illo erant: vix oculo, aut tenui riſu matrem, non dicam auum, agnouit: quid ergo firmæ aut ſolidæ iacturæ eſt? Excute ipſum te, videbis vmbram & imaginem adhuc amaſſe. Si initio concepti fœtus parens abortiſſet, minùs doleres: eadem ratio valeat, & infirma adhuc proles non gignat dolorem aut deſiderium firmum. Hæc ex communi etiam Sapientiâ: quid illud ex Chriſtianâ? Puram hanc animulam, & omnis adhuc labis expertem, an non palàm in pura & beata illa loca miſiſtis? Ne reuocate: ipſe doleat, &

tot

tot periculis, addam etiam curis moleſtijſque, iterùm exponi. In ſpem eos educamus bonam: ſed quàm ſæpè fallacem? Optimè nati, quàm degenerant, nec gaudium aut decus (vt leniſſimè loquar) ſuis donant? Dehoneſtamenta maiorum multi, propudia publica: & exempla in iſto atque alio æuo videmus. En, in certâ ſecuritate, in gloriâ, in gaudio nunc agit: ponite ſpem metumque, & applaudite potiùs ac ſuſpicite ſublimatum. Oblectare parentes poterat, nunc iuuare: precibus eius votiſque locus eſt, & apud Numen fundit. Enimuerò apud te, non loco magis quàm prudentiâ Præſidem, etiam hoc ſolatio vtar. Vide non dicam Belgicæ, ſed Europæ, hodiernum ſtatum: quid læti aut firmi poſteris polliceris? Sunt turbæ, erunt turbæ; mutationes priuatæ & publicæ; & niſi Deus pacatiore oculo reſpiciat, exitia ſtatuum & rerum. Quis in talia libenter ſuos educet, aut mittat? Sunto & maneant, quos Deus dedit, habituri ſuam ſortem: alios voto ne adſciſcamus, imò gratulemur euocatis. Hæc apud te breuiter, Ampl^{me} & Nobil^{me} Domine: & vides quò fiducia me impellit? Ipſe ſolatij iam compos, filiam tuam ſolare, ſexu infirmam, & grauiore ictu percuſſam: & verba robuſta aut ex corde profer, aut ore adſimula & vultu. Debes illam erigere. maritus non eſt, nec alius affectus propior: patrem illa ſpectat: ſi amas, fac vt per te vires recipiat animi corporiſque, quod opto. Vtraſque, Ampl^{me} & Nobil^{me} Domine, etiam tibi. Louanij, XII. Kal. Martij, IↃCVI.

EPISTOLA XCVIII.
PAVLLO V. PONTIFICI O. M.

BEATISSIME PATER: Accepi BREVE, quod S. V^{RA} dignata eſt mihi ſcribere; & ipſum, ac benedictionem, interiore mentis gaudio & omni veneratione ſum complexus. Inter ſuprema beneficia, quę Deus mihi contulit, hoc recenſebo ſemper, quod à Vicario eius manauit. Hortatur me in eo S. V^{RA} vt ſtilum & ingenium ad ornandam Eccleſiam, & magnitudinem eius propagandam, velim conferre: quod ego velut diuinitus imperatum ſuſcipio, & promitto S. V^{RAE} me operam omnem huic rei daturum, quam valetudo mea tolerabit. Incalui enim meritò ab hoc ſtimulo, & oſtendam paterna admonitio quantum apud verè filium ponderis habeat & robuſtæ auctoritatis. Etſi, BEAT^{ME} PATER, iamanè hunc animum cœpi oſtendere, & publicè militem agere in Eccleſiæ caſtris. Nam ſcripſi & emiſi hoc anno libros duos, priorem, quo MIRACVLA & laudes DIVAE VIRGINIS HALLENSIS continebantur; alterum, quo DIVAE SICHEMIENSIS. Non poſſumus aliâ re, credo, efficacius frangere & calcare hęreſim, quàm hoc Miraculorum fulmine: vbi non verbis, ſed factis diſputamus, & impudentiſſimorum etiam oculos atque animos perſtringimus iſtâ rerum maieſtate. Si dignum cenſuiſſem donũ, quod oculos S. V^{RAE} ſubiret, miſiſſem ad arbitrandum, & ſaltem promptum & apertum meum pro Religione ſtudium conſpiciendum. Quod porrò etiã dignatur ſcribere VESTRA S^{TAS} cogitaturam ſe de Pace publicâ procurandâ, & bellorum apud nos motibus ſedandis; ego eam flexis mentis genibus iterùm precor. Neceſſitas poſtulat, & diſcrimen grande quod toti Eccleſiæ (ita loqui audeo) tramontanæ imminet, ſi Hæreſis & Rebellio limitem hunc Belgicæ perrumpunt, qui adhuc reſiſtit. Reſiſtit, ſed validè concutitur, & vicini etiam aliqui Principes oleum in hanc flammam conferunt, priuatâ æmulatione aut ſpe, vtinam auctoritate S. V^{RAE} comprimendi! Atque vtinam etiam fidâ inter eos pace, arma contra communes & Eccleſiæ hoſtes vertant, feliciùs & glorioſiùs triumphaturi. Sed hæc Sapientiæ veſtræ, cui cæleſtis ille Spiritus ſemper adſiſtit, & inſpirando dirigit, diſpicienda & gubernanda permitto, precatus ab illo longæuam tuam Eccleſiæ præſidentiam & tutelam, atque ego,

BEATISSIME PATER,

tuam ſanctam mihi benedictionem. Louanij, III. Kal. Martias. ∞. IↃCVI.

EPIST. XCIX. *Leodicum.*
HADRIANO FLERONTINO I^{ae}

TRISTEM, inquis, nuntium adfero. Certè triſtem, & magnum in a... o iſto ictum. Ita Carolum Billéum amiſimus, rarâ laude, prudentem, parit... probum, pium, & vno verbo, optimum Aulicorum? Amiſimus nos amicum, vos præſidium, Princeps conſ... n: & mihi crede, faciliùs reperietur q... locum f... abit, quàm implebit. Ecce mortalitas! Scripſeram ad eum ipſâ h... â, q... a t... as accepi, epiſtolam, quâ de filio promeba... quid videretur: ſcripſeram, & ſtatim diſco... on ... c

eſſe ad quem ſcripſi. Vis & aliud philoſophiæ? amare eam ſoles; & vt ſapias, ama. Intraui cœnaculum meum ambulaturus, & in cogitatione ſuper Billéo meo defixus. Conijcio oculos in vitreas; quę octodecim, vt ſcis, locum illuſtrant: atque ibi amicorum aliquot nomina & inſignia, amoris vel doni monumentum. Conijcio; & ſtatim animum tangit, illum atque illum mortuos eſſe. Numerare incipio: & ecce vndecim ex inſcriptis Parca viuorum numero expunctos mortuis adſcripſit. Hem quid hoc eſt? intra annos nouem? Progredior etiam in atrium adiunctum: ſex feneſtras numero, & è donatoribus quinque fatum ſuum obijſſe. Vides, inquam, quàm densè morimur? Atque iſti ex amicis tuis Belgis: quid in exteris quot amiſiſti? quid ex ignotis quàm multi cottidie pereunt? innumerus hic numerus. Solari me cœpi: & quid in vno dolemus, vbi tam frequens vel aſſidua iactura eſt? Huc naſcimur: & ipſum naſci, eſt non niſi partus in mortem. In caueâ te claude, ferro & ære conde:

Mors tamen incluſum protrahet inde caput.

Cogitemus mi Florentine, & præiuiſſe amicum noſtrum, quò certo gradu ſequimur: non error abducet, non vis ſubducet. Benè precemur mortuo, & gratâ mente ac linguâ, cùm vſus, memoriam eius proſequamur: — τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων, vt ille ait. Vale, & me ama: parentem etiam tuum, & Timpelium Canonicum à me ſaluta. Louanij, Prid. Idus Martij, ∞.IↃCVI.

Patruus tuus Prouincialis heri in prandio mihi aderat, & multa locuti ſuper Billéo eramus, & de litteris communiter mittendis. Ille inter primos dolet, ſcio.

IOANNIS WOVERI Antuerpienſis ad æquum & amicum LECTOREM in IVSTI LIPSI V. C. Orationem de CALVMNIA PRÆFATIO.

VLTIMAM *hæc pagina epiſtolam tamquam ſuam expectabat. ſubtrahi tamen iſtam nemo æmulus tam indignabitur, quàm boni omnes exultabunt, Calumniæ crimen, paruis hodie & magnis commune ingeniis, protrahi, imò proſterni. Quod quamuis vitium neque nouum, neque veteribus inſolens, in ætatem noſtram influxerit; tantò tamen iniquiùs nunc exercetur, quantò caritatis & diuinæ legis præſcriptum ſceleſtiùs violatur.* Amicos enim (*immenſæ eruditionis Afer ſcripſit*) diligere omnium eſt, inimicos autem ſolorum Chriſtianorum. *Sed aduerſus iſtos ita vindicta hodie obtinuit, vt nec præſenti planè narrationi deſint, qui pro laudibus criminationes, pro beneficijs iniurias etiam amiciſſimis reponunt. Ah! vel tali furore plebeiam furere ſcurrilitatem, vtinam Erebi ipſis furijs placuiſſet! nunc augetur immenſum hoc dedecus primariæ claritudinis deſignationibus; & litteræ olim ornamenta ingeniorum cùm Sapientiæ ancillarentur, ita auctoratæ ad has pugnas accedunt, vt à paucorum libidine inſaniaque ſi æſtimentur, nihil obſtet, quò minùs vanitatis & inhumanitatis nouis nominibus innoteſcant. Inuiſum meritò bonis vitium, quod homini ſeipſum eripit.* Nec feris inter ſe bella ſunt; nec, ſi forent, eadem hominem deceant, placidum, proximumque diuino genus. *Auget prætereà remediorum deſperatio ſic præſens hoc malum, vt nec mecum calumniæ abſtinentiam à ſe impetraturos arbitrer, qui recidiuæ iniuriæ malignitatem citiùs oſtendunt, quàm vomici huius morbi curationem admittunt. Religiosè enim dicent; pro Epiſtolâ non bonâ fide Orationem editam. Sed his, ne interni vlceris purulentiam obijciam, dico; integrum eſſe, vt primarium apud Saxoniæ prætorem dicam ſcribant, Ienenſis, ſed non germanæ fidei declamatoribus; quibus ad calumniandum tantum otij ſuperfuit, vt iniurioſiores* LIPSIO *eſſe non poſſent, niſi infantiæ ſuæ macie, totoque inuidiæ pallore, bonam chartam malè commacularent. Tamen & operæ quoque huius vt compendium faciant; ſatis ipſe olim noſter* μακαρίτης, *vegrandem hancce, apertiſſimiſque mendaciis inſtructam expunxit iniuriam. Cùm hoc quoque ſatis conſtet, neminem non modò melioris, ſed vel ſani ſenſus eſſe, qui ſcholaſticorum plumbeas has paginas cum illius componat; qui vnus temporibus noſtris monetam aurei eloquij in vetuſtatis incude ſic finxit, vt non immeritò optimorum iudicio habitus fuerit (vti Symmachus alibi ſcripſit)* IVSTVS heres veterum litterarum. *Nam nuperam illam putidiſſimi liuoris inſcitiam, ſolâ dignam miſeratione iudico, quâ quiſpiam Latinè parum* LIPSIVM, *nec aptis ſatis imaginibus cæleſtis ingenij opera texuiſſe, oſtendere cœpit. Sed quoniam illi homini inſanire, & in omnes paſſim incurrere doctos, tralaticium eſt; ego reponere oraculum maximi naturæ Myſtæ ſolum hoc poſſum:* Homines quoſdam

vt venena naſci, qui nullum aliud abominati ſpiritus præmium nouere, quàm odiſſe omnia. *Tu contrà amare optima, & ſic* LIPSIANA, *beniuole Lector, perge; ac ſalutare iſtud aduerſus calumniam eiuſque carcinomata quaſi alexipharmacum accipe, & vale.*

IVSTI LIPSI DE CALVMNIA ORATIO.

De Calũniâ dicturus hodie, & hoc quidquid eſt vitij in lucem protracturus ſum. Tu DEVS qui bonitas, candor, amor totus es, dirige & prçluce mihi aduerſus inimicum tibi vitium; & mentem ac linguam moue, vt generi humano innocentiam inſtillem, & in vitâ, dictis, ſcriptis probitatem, pacem & caritatem. Calumniã hîc definio occultam læſionem, imminutionemque alterius in ſermone aut ſcripto, mixtam fraude. dicta ea eſt à caluendo, quod priſco verbo fruſtrà habere & decipere ſignificabat. Omnis enim calumnia mentitur & fallit, vt mox dicam, & mendacium aut fucum auctorem habet. Græci διαβολὴν dixere. item appoſitè, quòd quaſi traijciat ac penetret, & noxio linguæ ſuæ telo defigat. Finis ſcilicet illi primus, fallere; quod Latini conſiderarunt: vltimus, lçdere; quod Græci. O vitiorum vitium! & tamen quod hodie crebrius eſt? quod cum maiori pernicie coniunctum rei priuatæ & communis? Addo etiã, quod neglectum magis à nouis ſcriptoribus & antiquis? Quare cùm nemo ſtudioſiùs paullò, quod ſciam, de illo aut in illud dixerit; ita ſpero vt tractatio eius non ſolùm fructuoſa futura vobis ſit, ſed nec mihi in gloria: qui primus ingredior aperire id & diffundere ſtilo. De iſtâ igitur tria hæc dicam. Quàm fœda ſit: Quàm pernicioſa: Quomodo cauenda. Hæc ſingula dum ſubtiliùs paullò & vberiùs perſequor, quæſo vos Auditores, adhibere mihi non aures ſolùm ſed animos: & vela hæc, vt ſic dicam, orationis meæ, Zephyro beniuolentiæ veſtræ afflate atque dirigite.

Et fœditatem quidem Calumniæ, quo clariùs vobis argumento oſtendam, quàm iſtoc duplici? Quòd & in fœdiſſimas ea perſonas cadat: & quòd fœdiſſima ſit ipſa. Perſonas quidem triplici hac notâ inſignes, Viles, Ignauas, Loquaces. Viles: adeò verè à me dictũ, vt negem, non dicam bonam, ſed mediocriter bonam altamq; indolem, vmquam hac labe fuiſſe aſperſam. Vetus, & noſtrum, æuum excute. non aliter leges, videbis, audies; quàm triſtes quaſdã malignaſque naturas, quas ſidere ſuo Saturnus afflauit, alijs inuidentes, ſibi diffidentes, pronas ad hoc vitium & factas. Videtiſne minutos illos canes & degeneres, qui hoſpites allatrant, feras non tangunt? tales deteriores iſti hominum, qui lædere tantùm innoxios nati & vexare. Nati, inquam, quia reuerà ad hoc vitium ita vergunt & inclinant, vt quies ijs non ſit niſi alijs inquietis. Tum Notâ alterâ, Ignauos feci. quid clarius? prima ſcintilla & fomes Calumniæ otium eſt: nec vnquam aut vacabit aut lubebit in alienas res inquirere, quem ſuæ diſtinebunt. Apud deſides & ignauos mala Diua habitat, & apud eos ſedem poſuit ſui regni. Negat quiſpiam? Forum & Baſilicas noſtras paulliſper adeat: in quibus vberrima cottidie calumniarum ſeges ſeritur, non niſi ab iſtis quibus vnum hoc opus eſt, Ambulare & Fabulari. Publica illîc & priuata vapulant: Princeps, & adminiſtri peccant: alius hoc fecit, alius hoc dixit: denique nulla de quoquã fabula eſt, quæ apud eos ſtet, vt cum poëtâ dicam, talo recto. Atque hæc ſi periti ipſi rerum facerent, minùs indignarer. nunc homines non ſolùm ignauiſſimi, ſed & ignariſſimi, rebus ijs calumniando ſe miſcent, ad quas cogitatione & ſenſu non pertingunt. Vt in naui nemo vectorem ferat qui nautas moneat identidem aut culpet, ipſe intereà imperitus manum non dicam clauo admouere, ſed remo: ita meritò importuna nobis & moleſta vaſcula hæc inania; quæ maximè tinniant, & liquoris minimum habent. Denique Nota tertia, Loquaces. & quî poteſt aliter? Naturâ hoc lingulacis inſitũ, vt non multa ſolùm loquantur, ſed mala. Siquis veſtrûm adfuit indomitis iſtis, & quibus, vt Pindarus ait, os ſine frçno: nónne prçcipuus illorum ſermo, non ſolùm de aliquo, ſed in aliquem eſt? certè. Audita enim & non audita efferunt, quæ vera, quæ vana. & vt in Iudææ lacu Aſphaltite nihil mergitur, ſed ſupernatant omnia iniecta: ſic in iſtorum pectore nihil conditur, ſuperfluunt imo effluunt cuncta. Et quid alijs parcere eos credas? nec ſibi. quoniam huic morbo id quoque proprium, vt ſi in alienos dicere nihil habeant, in ſuos dicant, atque adeò in ſeſe. Vt in longâ fame, corpora noſtra alimento defecta, ipſa ſe depaſcuntur: ſimile euenit in iſtis.

Atque ecce perſonas habetis, quibus gaudet

det & aſſidet Calumnia : quod ordo nunc iubet, producam ipſam. & quidem in vero ſuo vultu. Omne ego vitium deteſtandum & fœdum fateor: verùm hoc eximiè. quod non ſolùm in fœdis, ſed natū & conflatum è fœdis. Poëtæ Chimæram ſuam è triplici corpore fingunt : ſed fingunt. hîc ipſa res eſt, & ad hoc monſtrum Calumniæ conſtituendum cœtus & mixtio concurrit trium vitiorum. Nam architecti eius præcipui & quaſi parentes ſunt, Mendacium & Inuidia: Curioſitas autem nutrix. Cogitate ipſi, quàm bella hæc proles ſit, à bellâ hac vitiorum trigâ. Mendacium inquam, ei pater. quidni ? quod animat ſcilicet & inſpirat omnem Calumniam; quæ iaceat, nec vitam aut ſanguinem habeat ſine illo. Quis calumniator ſimplici vero contentus vmquam fuit ? quis ficum, dicere ficum ? nec poteſt quidem. quia aliter vim nocendi non habeat, nec finem ſuum aſſequatur niſi abeat extra veri fines. Itaque auget malitioſè omnia & attollit. atque vt conuallium ille ſonus, quem Echo dicimus, pro vnâ voce acceptâ duas treſque reddit: ſic iſte geminat viſa & audita. Verbulo de quopiam queſtus ſum ? grauiter accuſaſſe me dicet. Leue aliquid notaui? carpſiſſe omnia. Ambiguum ſermonem habui ? quod deterius eſt, eliget. & ad ſummam, quod medici de cucurbitis dicunt quas corpori affigunt, non niſi prauum eas vitioſumque ſanguinem educere: verius de iſto ego, qui adtrahit ad ſe non niſi mala. Atque vtinam adtrahat tantùm ! ſed ſæpè à ſe addit & inſpergit : & vt dicta, vt facta refert, quæ nec in ſomnio nobis cogitata. Sicut araneæ caſſes & filamenta mirâ arte è ſuo corpore gignunt : ſic iſte fraudium argutos laqueos ſuopte ingenio nectit. Iure igitur Mendacium ei pater : ſed mater etiam Inuidia : quæ in illo maligno ingenij vtero concipit, geſtat, parit denique hanc infantem. E moribus & factis calumniantium quis id non approbet? Rarò enim in viles & ſui ſimiles telum hoc armant aut exerunt : ſed in eos quos virtute, doctrinâ, aut quâ aliâ laude alios vident anteire. Athletæ in curſu, non eos reſpiciunt quos reliquerunt, ſed intendunt ſaltem in priores: ſic Calumnia dirigitur in meliores. In ludis olim & arenâ obſeruatum fuit, tauros purpurâ & rubore maximè concitari, qui tamen pulcherrimi ſunt colorum : ſimile in iſtis licet dicas, quorum virus prouocat ipſa virtus. At poſtremò Curioſitatem etiam, Nutricem Calumniæ addidi. veriſſimè : quia ſcilicet fouet & nutrit hanc puellam quæſito vndique rumorum & ſermonum cibo. Tolle eam à Calumniâ: quid poterit ? imbecilla, ieiuna, vacua ſedebit: & quæ nocere velit potiùs, quàm poſſit. Nam hæc eſt quæ materiem ſuppeditat, quæ domi numquam, foris ſemper, imò in foris habitat ; omnium ædes, omnium animos penetrat ; vigil aſſiduè & ſine ſomno. Hæc rumores paſſim colligit: &, Heus tu da dexteram. ecquid noui? in Aulâ quid fit? Qui ſtatus in Angliâ ? quis in Galliâ? Titius quid agit, quid Seius ? Talia ac plura ſcrutatur atque excipit : numquam tamen plena & ſatura. ſed vt pædidum ac membrum ſcabioſum fricari ſemper vult: ſic iſta ſermonibus, & præſertim aſperis maliſque, aſſiduè ſcabi. Nec verò aures ſolùm huius prurientes & auidæ ; ſed acres quoque & acuti oculi. quos cùm ſemel aperuit, quid ea non videt? etiam quod non videt. Quid non ſcrutatur? aperta, & operta: Tiberium Impᵉʳᵃᵗ. eâ oculorum indole fuiſſe ferunt, vt noctu pariter atque interdiu cerneret : de hac appoſitè dixerim, quæ etiam ea quæ in tenebris & ſolitudine geruntur explorat? Domum tuam claudis? penetrabit. Linguam contines ? pectus inſpiciet. Homines fugis? ipſa te inueniet. & vt muſcas atque eiuſmodi minuta animalia nullâ curâ ſubmoueas: non item vllâ cautione iſtam. Hæc Curionum illa gens, quam poëta Comicus ſcitè depinxit:

Qui res alienas curant opere maximo:
Qui omnia ſe ſimulāt ſcire, nec quidquā ſciunt:
Id quod regina rex in aurem dixerit,
Sciunt, quod Iuno fabulata eſt cum Ioue.
Quæ neque futura neq; ſunt facta, tamē ſciunt:

Atque ex his palàm videtis, quanta fœditas ſit Calumniæ. quæ in turpibus, quæ è turpibus: quam Mendacium genuit, Inuidia peperit, Curioſitas educauit.

Agite, ſequimini me ad Perniciem: quam alterum velut ſpatij eſſe volui mei curſus. Quod tamen priuſquam ingredior; reficite paulliſper animos, & mecum reſpirate.

Perniciem ego in Calumniâ Validam & Variam inuenio: quantam nec in vllo (verè hoc, non oratoriè dicam) vitiorū. Validam ideò : quia Acutè imprimis & Occultè lædit: Variam, quia in pleràque omni re, & pleroſque omnes. Singula hæc breuiter videamus. Acutè dico lædere. & mecū ſacer ille Vates, qui exclamat : *Dentes eorum tela &*

ſagittæ, & lingua eorũ gladius acutus. Nec longè à mente aut verbis diuini viri hic Spartanus: qui interrogatus de gladio, *Satiſne acutus eſſet?* *Acutior*, inquit, *Calumniâ.* videlicet hoc ſignificans nullam è chalybe aut ferro aciem eſſe, quæ conferri poſſit cum acie hac linguæ. Quid enim ea non tangat, aut tactum non penetret? vt fulminis ſubtilis illa vis omnia peruadit: ſic hęc quamuis ſepoſita & clauſa perurit. Idque eò efficaciùs, quoniam Occultè, vt addidi, & ex inſidijs id facit. Quî vites telum, quod nec vides? Tempeſtatẽ nobis nubes denuntiant, incendium fumus, hoſtem explorator: at ſubita & improuiſa pernicies eſt à calumniante. Minari eum credis? blanditur. Hoſtem præferre? amicũ. & eâ ipsâ linguâ quâ te ſauciat, verborum priùs, imò & laudum illecebris demulcet. Vt ſcorpium ſi manu teneas, ludere paullisper videtur, mox ferit te obliquâ caudâ: tale imò amplius in iſto eſt, à quo cùm lædi nihil timeas, iam læſit. O fraudem deteſtabilem! & ex oraculo ab Hiſtorico meo ſcriptum, *Peſſimum inimicorum genus, laudantes.* Venena mihi nuda & aperta porrige, vitabo: ſi cibo aut vino callidè mixta, quî poſſum? non aliter de Calũniâ cenſeo: quam bono iure dixerim, Mel venenatum. *Hoſtem aduerſum*, ait egregiè Salluſtius, *deprimere bonis ſtrenuo haud difficile eſt: occulta pericula neque facere, neque vitare, bonis in promptu eſt.* Itaque Validam ab eâ perniciem eſſe (primò à me poſitum) ſatis vobis liquet: nunc quàm Varia eadem, audite. Lædit enim & tangit in pleráque omni re, vt dixi, & pleroſq; omnes. quod ſanè eximium in Calumniâ adnotes, & præter ſortem aliorum vitiorum. Quæ noxâ nocere non negauerim: ſed quid niſi vni? ſed quid niſi vni alterí ve? Nempe libidinoſum me fac: duos impuritate contamino. Pone auarum: tres, quattuor, peculiolâ defraudo. Ebrioſum cenſe; vnus aut alter obuius verbera manuum mearum excipient aut linguæ. At in Calumniâ res habet aliter: quæ in omnem ætatem, ſexum, ordinem debacchatur; calamitas publica, & Phaëthon quidã, vt ſic dicam, orbis-terræ. Quis tam felix aut ſapiens, qui iactet ab eâ eſſe liber? nemo. Paratum enim ſtrictumqué liuidum illum dentem in omnes habet: ſed tamen in eos maximè, qui magni. Quicumque, quacumque in re, excellit: hunc it depreſſum. & vt ij qui ruere ædificia volunt, columnas primò ſubtrahũt: ſic hæc cui perdere genus humanum libido ſit, perdit eos quibus innixus publicus hic ſtatus. Prudentes, probos, doctos, hoſtes omnes habet: & eos modò criminationũ machinis violentè concutit, modò ſuſpicionum cuniculis callidè ſubuertit. Varios igitur lædit: ſed & variâ in re lędit. nec quidquam homini carum acceptumqúe eſt, quod non eripi, certè imminui, videas per calumniæ technas. Te opes delectant? ſi poteſt, exuet. Aliũ honores? priuabit. Amici quempiã? hîc verò vim ſuam arteſque exeret: & Lęlium à Scipione, Pyladem ab Oreſte diuellet. Iam quid rerum humanarum carius famâ? quæ iure eſt bonis, ante bona omnia & ipſam vitã. Nam hæc vtraque caduca & fluxa ſunt: & opes quidem ante nós ſæpè, vita nobiſcũ ſemper abit: nomen autem & Fama ęternant, eaque ſola, cùm non erimus, hîc eruut. Atqui hác, vnicum Sapientum theſaurum, puriſſimam vitæ gemmam, appetit calumniator aſſiduè; & ſubtrahere aut maculare conatur omni fraude. Virtutem enim ipſam quia lædere non poteſt (ſummum in nobis propriumqúe bonum:) hanc lędit; ſplendorem, lucem, & quaſi imaginem virtutis. Et quid de hominibus queror, aut rebus humanis? Proh ſumme DEVS! nec tibi quidem parcit, & tuo cælo. In rebus enim diuinis & religione inuenit iam quod exagitet; per quod nos, imò te lædat. Tua enim illa vox decretumqúe eſt; tua ſanctio, ABDITA MENTIVM CAELESTI MENTI RESERVANDA; nec pectoris huius fibras pulſandas cuiquam aut reſerandas, niſi qui eas fecit. At Calumnia aliter. & paſſim iam (ô labem noſtri æui!) oculos, linguamqúe illuc conijcit, & adyta interioris huius templi ſcrutatur & calcat. Ille in religione parum purus eſt, ille parum fortis, tertius parum apertus. Et quid iam ſupereſt, niſi vt palàm & per præconem animi noſtri ſenſa citentur ad Calumniatorium hoc tribunal? Homerus ille, me quidem iudice, non vatum ſolùm ſed hominum (de profanis loquor) ſemper-Princeps, Aten quampiam deam finxit: à quâ in populos deriuatæ omnes noxæ. quo fabulæ inuolucro calumniã eum tegere & tangere voluiſſe tam mihi certũ, quàm loqui me nunc & ſpirare. Nam ita deſcribit,

Pernicioſa dea (verba eius preſsè interpretor) *quæ omnes offendit:*
Quæ terram non tangit, incedit autem per capita virorum:
Quæ Iouem ipſum læſit.

Per veſtram fidem, vllúſne pictor artifice ſuo

ſuo penicillo, aut orator vbere ſtilo, clariùs expreſſiuſque ſignauerit germanam Calumniæ formam? non opinor. *Quæ omnes*, inquit, *offendit*. nónne hoc ipſum eſt quod doceo, paſſim & omnes ab eâ lædi? *Terram non tangit*. certè. rarò enim in viles aut humiles incurrit: ſed, quod addit, *incedit per capita virorum*: id eſt, ſumma petit, & ſummates. Denique *Iouem ipſum lædit*. quippini? ſiue quia diuinas quoque actiones calumniatur & carpit; ſiue quod iam dixi, nec religionem immunem habet improbi ſui dentis. Atque hæ noxæ illæ ſunt, quas priuatim adhuc ludit. verè ludit: ſi cum ijs compares, quas publicè patrat & in Principum aulis. Hîc enim ei ſedes: hîc admiſſis equis laſciuit & currit, vt in ſuo circo. Non mihi fas ſingillatim perſequi; (tempus vetat:) breuiter hoc accipite. Quidquid fraudium, oppreſſionum, ſcelerum vſquam aut vmquam in aulis fuit: id manaſſe ab hoc capite, ab hoc fonte. Alexandrum illum Magnum in tot amicorum neces quid niſi Calumnia impulit? Socratem vitâ, Rutilium ciuitate quid niſi Calumnia expulit? Tiberios, Caligulas, Nerones, & tot portenta tyrannorum, quid niſi Calumnia peperit? & ne vetera tantùm cogitemus: hoc, hoc, miſerrimo tempore, fugas, clades, cædes, & maria calamitatum quas patimur, natę primò non niſi ab riuulis iſtis in Aulâ calumniarum. Doleris hærere in reip. viſceribus diſcordiarum hæc tela? Calumnia iniecit. Ardere tot iam annos facem hanc ciuilium bellorum? Calumnia accendit. Nec quidquam malorũ videmus aut vidimus, quod non ab hac ſcaturigine diffuſum. Populi in reges, reges in populos, non aliâ re excitati primò atque irritati ſunt, quàm hoc linguario flabello. vt maria ſuâ ſponte quieta vento intumeſcunt: ſic Principes naturâ ſæpe boni aut mites, per incendiarios iſtos inardeſcunt. Perniciem igitur Validam, & Variam, in Calumniâ nunc habetis. quam Chriſtiani noſtri veteres præclarè intellexiſſe mihi videntur, cùm patrem omnis vitij, imò ipſum vitium, monſtrum inquam illud ab inferno, Græcâ voce Diabolum, id eſt calumniatorem, propriè dixerunt: arbitrati ſcilicet, nocentiſſimum hoſtem, non alio nocentiori nomine potuiſſe deſignari. Nec minùs indomitam eius vim legiſlatores priſci conſiderarunt. qui cùm vitia cetera legibus aut pœnis coërcerent: huic vni, quod miremur, apertos carceres & velut liberum campũ reliquerunt ad nocendum. Ite enim per omnes hominum gentes: fallor; aut nullam mihi dabitis, vbi vitium hoc legum frœno aut ſanctione comprimatur. Apud Athenienſes quidem mulcta pecuniaria calumniatoribus fuit, fateor: apud Romanos frons ijs inuſta K litteræ notâ: ſed nemo erret; non iſtis meis ſuſurrionibus, dumtaxat illis qui in iudicio & publicâ accuſatione calumniabantur. Quid ergo? aut tam cæci illi, vt perniciem hanc non viderint: aut tam fatui, vt viſam approbarint? Nihil horum. ſed ſcienter & iudicio vitium extra pœnam habuerunt, quòd eſſet extra medicinam. Mediocribus amnibus repagula ſua ſunt: communi alicui diluuio qui aggeres reſiſtunt? Orbem terræ Calumnia inundauit; hæret & habitat in peſſimæ huius naturæ medullis; nec iam inter culpas cenſetur, ſed mores. Quid facerent? opinor, quod prudentes & pudentes medici, qui nec cancro manum temerè admouent nec tabi. Itaque mali magnitudo & diffuſio aſſeruerunt hanc in libertatem: nec comprobata ea, cùm deſperata eſt.

Sed ne longiori oratione me fatigem, vos detineam: flectere hanc nauim ad portum incipio, & venio ad tertiam, vltimamque partem, quæ eſt de Calumniæ cautione. Quam ſiquis ita accipit, vt immunem tutumque ab omni calumniâ futurum ſe ſperet: næ ille errat, & exigit à me quod non eſt virium humanarum. Prodeat, non dicam Thales ille alumnus Sapientiæ, ſed Sapientia ipſa: numquam eum dabunt. Quid ergo eſt? duos tantùm velut clypeos ſuggerere poſſum, qui vim aciemque eius incurrentis frangant & retundant. è quibus priorem, Innocentiam; alterũ, Patientiam appello. Innocentiâ inquam ante omnia te muni, quiſquis effugere vis malæ & hiantis huius diuæ morſum. Nam certè qui vitâ integri, linguâ cauti, actione modeſti: quid ab eâ timeant? Vt locis læuibus & politis ægrè ſordium aliquid adhæreſcit: ſic maledictum ſedem vix inuenit in vitâ puriore. Itaque ſæpè tegmen hoc profuit: mentiar tamen, ſi dicam ſemper. Ciceronem ſcio ſcribere: *Vt ignis in aquam coniectus continuò reſtinguitur: ſic falſum crimen in caſtam vitam.* Vtinam tam verè, quàm diſertè! quàm multos enim vel puriſſimæ & penè ſupra hominem vitæ Calumnia læſit, & lædet? & efficaciter læſit: adeò vt ſanguinem omnem ab ijs ſuccumque duxerit bonæ Famæ. Nec

mitemur. Calumnia enim, vt docui, mendacio ferè graſſatur; & id tutò: quia apud iudicem vnum; & qui non quærit plerumque, ſed credit. Itaque rem hanc præ magno Oratore vidit meliùs magni Regis adulator & copria: qui identidem monere ſolitus, *Quidvis in quoſvis eſſe confingendum. Vt enim*, aiebat, *vulnus maximè ſanet, manebit tamen cicatrix.* Peſtilens, ſed, ita me Deus amet, ingenioſum dictum: & cui origo, atque item fides, ab ipſâ noſtrâ naturâ. Inſitum enim pleriſque hominum, non ſolùm patulas ſed etiam credulas aures delationibus habere: & id magis, ſi ad læſos ea pertinent, aut lædendos. Et cùm ſemel aſperſus ſis, vix eſt vt plenè eluas hanc labem. Suſpicio inquam manet, vbi non crimen. Ergo altero etiã clypeo meritò te muniui: quem Patientiam dixi. Eius vim & vſum hunc eſſe volo, vt calumnias quas vitare non potes, fortiter & erectâ ceruice feras. Varronis argutum olim dictum fuit de malâ coniuge: *Ferendam eam, aut tollendam eſſe:* tu vſurpa in peſſimâ hac viperarũ, & tolera, quod non tollis. Feras autem? imò & ſpernas. Vt bonus & animoſus miles leuia & circum galeas crepitantia tela contemnit: ſic vir robuſtus & ſapiens dicteria. Quid enim tibi tollunt? Famam? bona ea ſemper erit apud bonos. Virtutem aut Sapientiam? non ſubiacent ea arbitrio humano. Denique cùm omnia carptores iſti fecerint, dixerint: vero altoque animo clamabis, *Omnia mea mecum porto.* Quòd ſi infamiæ tamen ſpecie moueris: benè, ſi verâ; ſin autem falsâ, quid ad te? Ne applica tibi, non eam habes. Diogenes ille Cynicus altæ ſapientiæ vir, & qui non vicit ſolùm hominem, ſed exceſſit, dicere ſolitus cùm turbæ ſubſannarent: *Illi me rident? ego non rideor.* Tu idem fac: & dicta illa omnia ſiue ſcommata ſic audi, quaſi iacta in alienum. Nemo ab iſtis conteritur aut contemnitur, niſi qui antè ſe cõtempſit. M. Cato, Romanus ille Socrates, in os percuſſus à quodam, cùm idem ſatisfaceret deinde & deprecaretur: *Non hercules*, inquit, *animaduerteram.* O eximium & ſupra viros virum? qui altius meliuſque putauit non agnouiſſe iniuriam, quàm ignouiſſe. Et verò, ſi iudicio examinamus, quantula iſta ſunt, quæ nos turbant? rerum plerumque nihil, ſed verborum aliquot nugæ: quorum maior etiam pars conſtat vitio interpretantis. Noli ea intelligere, periit conuiciatori contumeliæ ſuæ fructus. Hæc vera, Auditores, hæc ſolida in Calumniam arma ſunt: non illa quæ vulgus vſurpat, reponere & vindicare. Vt in viâ, ſi canis aut equus luto me adſpergat; non excandeſco ſtatim & viciſſim in illum regero, ſed potiùs me purgo: ita hîc faciendum, & omnes iſti pro caniculis aut equuleis habendi, qui non iudicio ſed impetu & proteruiâ lædunt.

Sed iam deſino, & complico, vt ſic dicam, Orationis meæ vela. Tria hæc audiſtis, Fœditatem huius vitij, Perniciem, Cautionem. Oro, obteſtorque vos Auditores per Deum immortalem, ſpernite à vobis longiſſimè hanc peſtem; nec à linguis ſolùm, ſed ab auribus etiã veſtris. Peccat enim hîc non modò qui dicit calumniam, ſed qui excipit: & vt ferrum ignitum tangere ſine noxâ non eſt, non item aſſiſtere amburentibus hiſce linguis. Blandiuntur & inſinuant, ſcio: verbis comitatem, vultu amorem præferunt. vos mihi credite: aſpides illæ ſunt, & venenum ſuum inſpirant ſopiente quodam & fallente morſu. Quod ad ipſos attinet, nihil eos moneo. voueo & imprecor cum Dauide potiùs: *Muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur aduerſus* IVSTVM.

CENSVRA.

Hæc ſelectarum Epiſtolarum Centuria, ex ſupremis penè lucubrationibus IVSTI LIPSI *V. C. collecta, & in ordinem digeſta, quòd virum Clariß. pridem ereptum, Orbi reſtituat, & quàm magnus ſemper inter Magnos fuerit, luculenter oſtendat; meritò typis excuſa, diuulgabitur. Actum Antuerpiæ* XII. *Kal. Iulij.* ∞.IↃCVII.

Laurentius Beyerlinck Antuerp. S. Theolog. Licentiat. Librorumque Cenſor.

IVSTI LIPSI

EPISTOLARVM SELECTARVM

CENTVRIA SINGVLARIS

AD ITALOS ET HISPANOS,

QVÍVE IN IIS LOCIS.

ILL^MO^ ET REV^MO^
FREDERICO BORROMÆO
S. R. E. CARDINALI ET ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI.

ANIMVS iamdiu me impulit, munus aliquod ad te mittere: & cauſſas habui à beniuolentiâ, imò & beneficentiâ tuâ. An non ſic interpreter humaniſſimam ad me ſcriptionem, cùm in hæc loca primitùs veniſſem, quâ me non dicam in Italiam, ſed in domum tuam inuitaſti? Et iteraſti hanc benignitatem ſæpiùs: vt iure obligatũ me fatear, nexu quem profiteri magis, quàm ſoluere ego poſſim. Et ecce profiteor animo, ore, ſtilo: & hoc nomen in fronte huius libri proſcribo. Quem non donum, ſed ſyngrapham ad te mitto. qui autem donum, quod nec meum quidem dixerim? niſi collectione fortaſſe & ordine: cùm ſingulæ Epiſtolæ ſingulos ſuos iamdiu dominos habeant, ad eos miſſæ & inſcriptæ. Hoc tamen meum, quòd ſparſas vel errantes redegi in numeros & CENTVRIAM: ſi vel eo nomine ac titulo leuis hic miles dignus: qui adeò arma aut ornamenta non habet, vt vix veſtimenta. Simplex totum genus eſt, à cultu omni nudum: & quod ſola extemporalitas vel commendet, vel excuſet. Prodeunt tamen tuis auſpicijs in lucem, imò in aciem: & quidni aciem? ita multi, velut famæ prædunculi, in ſubſeſſis hodie ſunt, vt properos & incautos iſtos ſermones excipiant. quid ad me? imò ad te iam Ill^me^, cui perire eos deinceps aut viuere proclamo, domo ac manu meâ ſemel miſſos. Tibi militent. & quam à viribus ſuis non ſpondeant vitam aut victoriam, à tuâ virtute & prudentiâ conſequantur. quæ vtraque in te clara ſunt, &

— quæ nec ventura ſilebunt
Luſtra, nec ignotâ rapiet ſub nube vetuſtas.

Viuit etiamnunc in te, & heroicâ iſtâ indole, vel PIVS QVARTVS Pontifex Maximus, proauunculus tuus; vel patruus CAROLVS BORROMÆVS, magnum vterque æui noſtri ſidus: cui alteri

Con-

Concilium Tridentinum, abſolutum promulgatumque, Chriſtianus orbis æternùm debebit: alter ea pietatis & virtutis eximiæ ſigna impreſſit, vt non cum noſtræ ſtirpis hominibus, ſed

(Fas mihi ſanctorum veniâ dixiſſe parentum)

cum illis è primâ & purâ Eccleſiæ luce comparandus, multis & præponendus, videatur. Itaque Mediolanum veſtrum talem Antiſtitem optat ſemper, numquam ſperat: niſi in te fortaſſe, qui vt nomine & ſanguine, ſic virtute accedis. nam vt contingere te dicam, bonâ tuâ gratiâ non poſſum. Sed illum & te omitto: quia, vt poëta cecinit,

Fucati ſermonis opem mens conſcia laudis
Abnuit:

& vna ac veriſſima hæc illius laus eſt, ex vero non poſſe laudari: tua, nec velle. Ad me & munus meum redeo: quorum vtrumque tibi cōnſecro. iſtud vile aut leue, vt dixi: me, vtinam talem, qualem aut iudicas, aut optas! Louanij, pridie Kal. anni noui ∞.IↃCI. quem felicem tibi, alioſque, ire voueo, vt ex bono publico,

Iliacos æquare ſenes, aut vincere poſſis.

AD

AD LECTOREM.

EN *tibi, Lector, hanc* CENTVRIAM, *nouo exemplo ad duarum regionum populares tantùm ſcriptam. Cauſſa mihi huius abiunctionis fuerunt, tum vt confuſio tolleretur, in omni miſcellaneo populo timenda; tum ne iteratio ad varios, eâdem de re, eodem tempore, nauſeam gigneret in animo Lectoris. Eſt & alia cauſſa, quam ego ſcio, alius ſuſpicetur: & tres iſta effecerunt, vt eligerem diſparare. Nec ſanè omnes etiam ad eáſipſas duas gentes edo. qui poſſim? perierunt meâ aut amanuenſium incuriâ multa, & quadam feliciùs fortaſſe nata: nec magis recolligam, quàm vates illa ſua folia,*

Quæ diſperſa volant rapidis ludibria ventis.

Quî etiam debeam? ſunt quadam graues, ſeria, & in quibus de rep. aut conſilia ſunt, aut iudicia: qua ſubmittere hodiernis linguis aut cenſionibus, non dicam parùm tutum eſſe, ſed & hominis parùm tuti. Ego in his paucis ſi puncta ſuffragij tui feram, excitabor ad colligendas reliquas: tui, inquam, ſuffragij, qui inter bonos doctoſq́ue es, & cuius mentem liuor aut imperitia non habet. Nam de talibus, quid ad me? ſcio & Momum cùm Venerem carpere non poſſet, ſandalium eius obtrectaſſe: ita hîc tales tale aliquid, quod in factioſo iſto auo non ſit ad huius aut illius guſtum. Equidem inter eos eſſe me fateor,

— quos nec

Falſus honos iuuat, aut mendax infamia terret:

tamen ſi bonis etiam iſta non bona, deſino, nec ſcopum me vltrà propono. Euripidem magis audio:

* Ἁπλᾶς δὲ λύπας ἐξὸν, οὐχ οἴσω διπλᾶς. ** Simplex malũ cum liceat, haud feram duplum.*

INDEX
EPISTOLARVM SELECTARVM
CENTVRIÆ SINGVLARIS
AD ITALOS ET HISPANOS.

AENEAE *Viſanio Doctori Medico* xxij.
Alfonſo Ciaconi Doctori Theologo vj.
Andreæ Schotto è Soc. Ieſu xxxvj.
Angelo Spanochio, Patricio & I^{tio} xxvij.
Antonio Couarruuiæ vuj, lxxvij.
Antonio Poſſeuino Soc. Ieſu lxij.
Aſcanio Columnæ, Cardinali xl, lxix, lxxxvj.

B

Balthaſari de Zuniga, Legato Regio lxxxiij, lxxxiix.
Benedicto Ariæ Montano Theologo iv.
Bonauenturæ Calataieronenſi, Sodalium D. Franciſci ſupremo Præfecto lvj.

C

Cæſari Baronio ix, Cardinali lxxi, xcv.
Carolo Laſaillio lxxxj.
Cynthio Aldobrandino, Cardinali xcvij.

E

Emanueli Correa Luſitano xcvj.
Emanueli Sarmiento de Mendoza, Doctori Theologo lxxxix.
Erycio Puteano lvij, lxxix.

Fer-

F

Ferdinando Diazio Luſitano ij.
Flaminio Moro xviij, xxviij, xxxv.
Franciſco Bencio xj.
Franciſco Honio lxxvj.
Franciſco Leonino xxj.
Franciſco Orano, XII. *viro litibus iudicandis* xxxix.
Franciſco Sfortiæ, Card. lij, lxiv.
Frederico Borromæo, Cardinali xix, lxxiij, xcij.
Fuluio Vrſino xlvij.

G

Gabrieli Palæotto, Cardinali xliv.
Garziæ Figueroa, Regi à cubiculo lx.
Gaſpari Schoppio lxxxv.
Gaſtoni Spinulæ, Gubernatori Limburgenſi xlv, lxxx, xcj.
Guilielmo Scarbergero ſuo c.

H

Hieronymo Mercuriali j, vij, xlij, lxviij.

I

Iacobo Mariæ Campanacio xxv.
Iacobo Sirmondo Soc. Ieſu iij.
Innocẽtio Maluaſiæ, Nuncio Apoſtolico xx, xxxj.
Ioanni Baptiſtæ Hanſenio xc.
Io. Baptiſta Sacco xiv, xlix, lviij, lxv, lxx, lxxij.
Ioanni Coſtæo, Doctori Medico xxix, xxxviij.
Ioanni Ferdinando Velaſcio, Comeſtabili Caſtellæ xlviij, lxj.
Ioanni ab Hollandt lxxv.
Ioanni Idiaqueo, *ab interioribus conſiliis Regi* xxxij, xlvj.
Ioanni Michaëlio, *Equiti*, *Procuratori ſancti Marci* xvi.
Ioanni Ramirezio ab Arellano lij,
Ioanni Veraſtegui, *Præſidi Cenſorij tribunalis* xliij.
Ioanni Vincentio Pinello lxvj, lxxviij.
Ioanni VVouerio xciv, xcix.
Iulio Cæſari Velio lxxxij.

L

Ludouico Perezio l.
Lupo Dionyſio à Caſtella liv.
Lupo Soärezio, Epiſcopo Portalegrenſi v.

M

Martino Idiaqueo, Regi à ſecretis xxxiv.
Matthiæ Ouando, Doctori Theologo lj.
Melchiori Zoppio xxiij.

N

Nicolao Damantio, Brabantiæ Cancellario xxx.
Nicolao Micaultio lix, lxxxviij.
Nuno Mendozio Luſitano, à cubiculo Principis lxxxiv.

O

Octauio Epiſcopo Tricaricenſi, *Nuncio Apoſtolico* xxxvij.

P

Paulo Moneliæ Genuenſi Patricio xiij, lv, lxvij.
Petro Enriquez Comiti Fontano, *Gubernatori Belgicæ* xlj.
Petro Pantino Decano Bruxellenſi lxxiv.
Petro Pendaſio xxxiij.
Philippo Pigafettæ xciij.

R

Roberto Bellarmino Cardinali xcviij.

S

Staniſlao Reſcio, Legato Regis Poloniæ xij.

T

Thomæ Segeto lxiij.
Triumuiris Inſtauratoribus Academiæ Patauinæ xv.

V

Valenti Acidalio x, xxvj.
Vlyſſi Aldroando xvij, xxiv.

IVSTI LIPSI
EPISTOLARVM SELECTARVM
CENTVRIA SINGVLARIS
AD ITALOS ET HISPANOS.

EPISTOLA I. *Piſas.*

IVSTVS LIPSIVS HIERONYMO MERCVRIALI S. D.

CERTE rarò inter nos ſcribimus, & id pro affectu meo in te dolet. Quid mihi gratius, quàm te affari & alloqui, quem amo & æſtimo vnum nunc pęnè Italorum? ſed loca nos ſeiungunt, vt vides; atque etiam miſeriæ iſtæ temporum, & diſſidia animorum. Cui rei tamen medicina nunc in parte. Nam ego me abduxi à locis, in quibus vixi hactenus, & transtuli in Germaniam ad loca puriora. Puto me capis: atque occaſio erit non ſolùm ſæpiùs inter nos ſcribendi, ſed etiam liberiùs, remoto omni metu illo ſuſpicionum, quæ me fruſtrà premebant. Ego bonus ſum, fui, & magis palàm ero. Tibi, pro amicitiâ noſtrâ, liberè hoc indicatum volui. De Magni Ducis Etruriæ honeſtâ conditione, quam mihi defert; nihil adhuc accepi, præter ea quæ litteræ tuæ ſtrictim delibant. Tamen, vt nunc valetudo & res meę ſunt, parere & obſequi vix poſſum, etſi benigniſſimè vocanti. Italiam veſtram amo ſupra omnes terras, ſed frui eâ & vobis multa nunc vetant: vtinam tamen vel curſim iterùm poſſem inſpicere, & vos tales amplecti! digito videar mihi cælum tangere, & beatus eſſe ſupra omnes beatos. Videbo quid valetudo feret, in quâ curandâ nunc totus ſum, & ad fontes acidulos me confero, ad intemperiem hanc mitigandam aut (ô vtinam Deo viſum) tollendam. Vale vir maxime, & ſemper mihi care. Francofurti ad Mœnum, XVIII. Kal. Maijas, ∞. IↃ. XCI.

EPIST. II. *Hamburgum.*

FERDINANDO DIAZIO LVSITANO.

SICVT ij qui in ſuaui concentu Muſico fuêre, ſonores & harmoniam in auribus ſecum ferunt; ſic nobis à tuo ſuauiſſimo conuictu Hamburgi ſactum, & te, ſermones, conuiuia loquimur etiam, non ſolùm cogitamus. Nam, per Deum, quæ tua in nos comitas, quæ liberalitas? quæ vita & mores? Cepiſti me, è pectore dico: & æternùm inhabitabis hoc ipſum pectus. Enimuerò hominem ignotum ignoto eam benignitatem & prothymias, vt cum Plauto hoc dicam, exhibere, mihi hactenus ignotum: & adſcribam meritò occulto alicui aſtro, quod me tibi temperat & iungit. Iam mores tui, quales? non meliùs quàm Poëtæ verbis deſcripſerim:

——fœcunda quies, virtusque ſerenâ
Fronte grauis, ſanusque decor, luxuq; carentes
Deliciæ.——

Habes opes, induſtriam, litteras: ſine iactantiâ, procaciâ, vanitate. Felicem animi & iudicij! mane in hoc limite, & inoffenſo pede ad calcem decurre. Nec patria te moueat, de quâ in vltimis verbis tuis querebare, & triſtiora præſagiebas, quàm in re ſunt aut erunt. Audi me. nihil noui ei factum. rediit à quibus auulſa eſt, & poſt annos CCCCLX. ampliùs, reliquo Hiſpaniarum corpori eſt inſerta. At decus eius & imperium periit! regna alia conſidera, non nouum. Illud Syriæ, Ægypti, Iudææ, Macedoniæ vbi eſt?

——quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura leuat.

& ſapiens ille veriſſimâ imagine: *Πάντα τὰ ὄντα ἀτεχνῶς, ὥσπερ ἐν Εὐρίπῳ, ἄνω καὶ κάτω στρέφεται.* Hæc meditemur, philoſophemur. & ſicut nube ingruente ſub tectum confugimus: ſic in calamitate ad Sapientiæ hanc arcem, quam fortuna nullis machinis euertit. Mihi quoque opus, ô amice. & priuatim calumniæ, incommoda, damna circumſtant: ſed vt gubernator fluctus aſſilientes neglegit, manum in clauo habet, oculos in aſtris: ſic nos oportet, quod benè agimus agere, & mentem ad Deum referre. Ego in eo ſum, & conſilium meum noſti. neque profectò decebat, cui natura cum bonis eſſet, vitam vltrà

* *Omnia quæ ſunt, velut in Europo, ſurſum ac deorſum vertuntur. Plato.*

vltrà cum aliis eſſe. Vale, & nouum quidem, ſed ex aſſe amicum habe. Aquis Spadanis, XVII. Kal. Iul. ∞. IↃ. XCI.

EPIST. III. *Romam.*

IACOBO SIRMONDO *Societatis Ieſu.*

GRATIAS tibi mi Sirmonde habemus & dicimus. quo nomine? inquies: hoc ipſo, quòd tam grata illa ad me miſiſti. Etſi enim non à te, tamen per te accepi. & vt in digniore munere, etiam grati aduerſus baiulos ſumus, & munuſculo proſequimur; ſic ego te iſto litterarum, cuius operâ & curâ ſacra illa donaria accepi. Eſtne cauſſa ſcribendi alia? etiam, ſimpliciter enim agere debeo. Audiui à noſtro Delrio ea de ſtudio non virtutis ſolùm, ſed eruditionis tuo, quæ excitarunt me ad amorem. Eum ſeriò nunc deſero: ſi reſerte placet, fiet amicitiæ nexus & copula, quæ ante extremum diem metuat ſolui. Vrbem vrbium, in quâ nunc agis, à Bencio meo deſertam, tenui ſamâ acceperam. cur non autem ipſius litteris? niſi ſi ſubitum hoc iter fuit, vt ſolent veſtra. Nos breuî, niſi fallor, Louanium, idque habitandi cauſsâ: nec aliâ re magis aut ſpes aut ſermones inciderimus improborum. Niſi enim decreto bonus eſſem, an ſic me darem in ipſam bonorum arcem? Et poſſent nos reuocare aliqua: vt quòd locus nunc infrequens, quòd limitaneus & parum tutus: ſed Pieraris illo aſpectu omnia ſpernimus, & cum Pindaro, * Θεῶ δείξαντος ἀρχὰν, οὐδὲν δὴ τὸ κωλύον. Vale mi Sirmonde, & vota pro me interpone. Leodici, poſtrid. Idus Iulias, ∞. IↃ. XCII.

* *Deo dirigente, nihil eſt quod arceat.*

EPIST. IV. *Hiſpalim.*

BENEDICTO ARIAE MONTANO *Theologo eximio* S. D.

MIRA & ſagax tua beniuolentia. ego vix has oras attigi, & litteras tuas video, aduentum gratulantes. Quis indicium fecit, niſi ſama illa, cui adſtipulari nunc poſſum celeritatis, vel ab hoc exemplo? Sed ita me Deus & omnes cælites, vt iucunda mihi hæc tua gratulatio. illa tantùm? beneficentia adiuncta, & munus vnà mittis. Nec hoc, ſed offers etiam alterum, & inuitas me in Hiſpaniam, & tuam vrbem, imò domum: nec vt hoſpitem, aut amicum, ſed (eo verbo vtendum eſt) quaſi filium. &, quis mihi credet? te viuo rerum tuarum conſortium, mortuo ſucceſſionem ex aſſe offers. O pectus benignû, effuſum, & cui quid aut quomodo reſpondeam? Profectò redigor ad ſilentium, non excitatus beneficiis tuis, ſed oppreſſus. Atque hæc delatio mihi maior, quia à tali viro. Inter vetera ſcitè dicta, Criſpi Paſſieni, opinor, hoc eſt, *Malle ſe à Claudio beneficium, ab Auguſto iudicium:* at à te ego ecce vtrumque accipio, cuius vel iudicij vnius elogio cenſuerim me beatum. Sed age mi Aria, tu illum imitare ad quem accedis. da beneficia, offer beneficia: non aliter quàm arbor pomis grauida, quæ ramos demittit, & quaſi inuitat ad carpendû. Ego me communiter olim tuum, qui totum nomen Belgarum opitulando & ſubleuando in aſperis illis temporibus deuinxiſti, nunc propriè ſic obſtrictum ſentio, vt non dicam paria facere, ſed nec linguâ, ſtilo, mente concipere poſſim. Sicut aqua multa per exiguum canalem, quæ vult egredi, impetu ipſo ſiſtitur & ſe includit: ſic mihi fit, qui copiâ beniuolentiæ ſimul & beneficentiæ tuæ obtuor: atque hanc remitto, illam intimis votis, vt in me ſerues, depoſco. De rebus noſtris, pauca adhuc ſcripſerim, recens etiam de viâ: ſed aut bonæ erunt ſpero, aut ego bonas ſaciam interpretando. Vale vir optime, maxime: & æternùm me ama tu, pænè dixerim, æterne. Certè ingenio iam effeciſti, vt mortalitas tua finiri poſſit, non vita. Louanij, Nonis Septembris, ∞. IↃ. XCII.

EPIST. V. *Vlyſſiponem.*

LVPO SOAREZIO, *Epiſcopo Portalegrenſi.*

QVID hoc eſſe dicam non affectus, ſed vero verbo ardoris, quòd nulla à te epiſtola ad Plantinum, quin de me & ſolicitè quæras, & benignè iudices, & amanter ſalutes? Diu ſuſtinui manum, pronam ſcribere, & affectum reponere (quid minus poſſum?) ſic prouocanti: donec hæc vltima epiſtola tua laxauit, in quâ eò deſcendis, vt vota & cupidinem etiam interponas mei videndi, atque amplectendi. Significans dignitate auctum te, & opes non animum tantùm eſſe ad benè faciendum. Itaque etiam inuitas. Macte ô Antiſtes! cui vtinam ſimiles (nam pares nolo dicere) plures Europa noſtra habeat, feliciùs tranquilliusque regenda. Sed pretium quod artibus iſtis apud nos ſit, pudet vel patriæ cauſsâ dicere: iacent profectò, atque ij qui eas præferunt & profitentur. Sicut pueri trochos, pilas, pupas

&

& leuia rerum admirantur, ſecuri vtilium : ſic plerique è noſtris ad vana diuertunt, honeſta non negligentes ſolùm , ſed illudentes. Sed & publicè oleum huic lucernæ parcè infunditur : quod dicere tamen magis me ſcito , quàm queri. Nam ego cum illo veteri,

Felicem ſciui, non qui quod vellet haberet,
Sed qui per fatum non data non cuperet.

In hoc æuum nati, in hanc ſortem ſumus : apto me ad illud, & hanc fero, ſublimi animò, vtinam corpore tam valenti! Sed illud me deſerit, lentum, languidum, & abiungi palàm minatur. Quid nouum?

—— ibimus omnes,
Ibimus, omneſq; ſuis vrnam quatit Æacus vmbris.

Atque hæc talia in Thraſeâ noſtro incluſa; de quo quæris, & elicis fruſtrà. Ille caput non profert, & in vtero abortit hîc infans. Vale Vir Reu^mo & magis tuo merito, quàm Regis beneficio magne. L. Bat. x. Kal. Ianuar. ∞.IↃ.XC.

EPIST. VI. *Romam.*

ALFONSO CIACONI *Doctori Theologo,* S. D.

SVADET affectus meus, ſed & tuus, vt ad te ſcribam. De meo; quomodo non is ad te inclinet, qui me ignotum beneficio , & quidem in re ſummâ, affeciſti? nec enim ignota nobis ſunt , quæ Romæ geſta . De tuo; illum ipſum amicum mihi eſſe, tum ſermo quorumdam , tum propugnatio ea famæ ſcriptorumq; meorum, palàm oſtendit. Quam etſi iudicio datam arbitror, & cupio; tamen quòd tam prompta , quòd tam ſolicita, adſcribo etiam certè amori. Gratum me eſſe dicam? ſum animo: verbis ægrè poſſum, minùs factis. Delego hoc nomen ſuperis, & illos voto conuenio, vt pro me ſoluant. Sed tamen iudicij, & actionis tuæ, quò minùs te pæniteat, hoc addo: eſſe me corpore, vt antè animo, apud bonos: & manſurum, quamdiu hæc vita. In ſcriptis ipſis meis, ſi quid minùs lucet aut liquet; non offero ſolùm interpretationem aut emendationem, ſed promitto. Hæc puro animo ad te: atque etiam illud, ſi minuta quædam offendunt quoſdam (ita intelligimus) ea ipſa paratos aut corrigere, aut potiùs delere. Audio eſſe, qui de Bembo aliquid liberiùs dictum impatienter ferant. Atqui virum eum depreſſum non iuimus, ſed iuuentutem retractam voluimus ab imitatiunculis quibuſdam, vt nunc quoque cenſemus, ineptis. Scimus in verſâ & proſâ oratione virum illum valuiſſe: ſed in vtraq; extra omnem iudiciorum aleam poſitum eſſe, non conſentimus. Quid ſi eum modo & modeſtiâ illapſa diximus? mihi videor: & ſi ab iis abiui; nihil recuſo liberâ admonitiunculâ intra limites compelli. vtinam tu vſurpes! audis enim iudicia illîc & voces nationis, quam nolo equidem offenſam. Sed vellem iudicia ſemper, & nequid affectus officiat. quia vt oculus, in quem humor illapſus eſt, parum clarè videt: ſic mens, in quam ille. Ego hactenus ita cenſui. vt in muſicâ concentus quidam diſcors probatur; ſic eſſe in ſtudiis, nec liberum aliquem diſſenſum improbari, ſi citra conuicium aut litem. Sed vno verbo, tu iudex hîc atq; alibi eſto: & ſiue mitiùs ea dici, ſiue non dici voles, fiet. Librum tuum de *Signis crucis* vidimus, libenter & opportunè, vt qui in ſimili iam argumento verſamur, *De ſupplicio crucis.* Baronius ſi notus, aut potiùs quia notus, velim à me ſaluet, vir quem meritò boni & docti amant. Idem de *Conſaluo Pontio Leone,* cui iamdiu in pectore iſto locus. Vale Vir eximie, & nobis care. Leodici, poſtrid. Nonas Iulias, ∞.IↃ.XCII.

EPIST. VII. *Piſas.*

HIERONYMO MERCVRIALI S. D.

EXCVSARI me ante omnia meritiſſimò cupio, quòd ad litteras tuas ſiluiſſe ais: quas teſtor ſanctè, præter illas de Etruſco negotio, vidiſſe nullas. Atqui ad illud reſpōdi, & ex Wittendellij litteris video meas quoque perlatas. An ego Mercuriali meo reſpondere grauarer, qui de plebe hominibus operam hanc defero? abſit. Vtique in ſeriâ iſtâ & graui re, & quę ab eo profecta, quem caput agnoſco Reip. Chriſtianæ. De quâ vt breuiter & candidè reſpondeam (ita ingenium meum, & amicitia noſtra poſtulant) ſic habe. Ego me honore ſummo affici, quòd à ſummatibus illis viris dignus loco illo in primâ vrbium iudicer, intra me ſentio, & gaudeo: cum triſtitiæ tamen illo morſu, quòd nec eorum voluntati, nec meæ inclinationi, fas mihi, hoc quidem tempore, parēre. Hæremus enim, mi Mercurialis, & implicamur veteri noſtro morbo: qui meliorem hunc vitæ vſum mihi adimit, & non ſinit eſſe earum rerũ, ad quas aptus videor, & vos vocatis. Tu ſcis, quæ vis & effectus

Atræ illius bilis ſit: quam nos diluere & mitigare (tollere, vix auſim ſperare) conamur, vſu fontium acidorum, qui ſunt in hoc tractu. Iuuare aliquid videntur. ſi plenè & bonâ fide, tum denique ſeriò agere & deliberare mihi libeat, de honeſtiſſimo munere, quod defertis. Ego Italiæ amorem non exui, parentis olim & nunc ingeniorum, & altricis: nec ſtimulos volo qui illuc impellant alios, quàm internum hunc affectum. Quid etiã, quòd auctoritas, imò nutus ſummi mortalium, mihi pro omni illicio & ſuaſione ſit? meritò: qui ignoſco obnoxium & ſubiectũ eſſe debere, quidquid in terris eſt, capiti huic diuino. Sed cauſſa illa magna, & verè ſontica, valetudo, efficiet nõ vt negem, ſed vt differam obſequi: donec Deo viſum, firmiorem commodioremq́; me reddere, & parem muneri, cui deſtinatis. Id eum rogo, ſi mihi ex vſu & ſalute eſt: teq́ue Clariſſime Mercurialis animo amplector & ſaluto. Leodici, XI. Kal. Iul. ∞. IↃ. XCII.

EPIST. VIII. *Toletum.*

ANTONIO COVARRVVIAE S. D.

O MI Couarruuia, quàm lætum lubentemq́ue Lipſium tuum feciſti! oculis opus ſit vt credas, manus hæc non eſt exprimendo. Ergo tam amicas, poſt tam longum interuallum, litteras? ô candorem, ô fidem! Atquin ego nec eſſe te, nec talem certè in me eſſe, in omnium illîc amicorum ſilentio, iam ſciebam. Cauſſam dicis candidè, & gaudeo, atque etiam approbo. Quid enim excuſem? offendimus diuturnâ illîc morâ: & cùm fluctus iſti magni nos eieciſſent, ſtationem illam habere fortaſſe licuit, non licuit portum. Sed purgat animus inprimis iſte, Deo teſte, propior ſemper bonis: tum etiam fortis hæc mea diſceſſio, fortis? imò pænè violenta. ita me eripui iis, quà vi quà aſtu, qui arctis lentisq́ue vinculis detinebant. Deus mi Couarruuia fuit, Deus qui adiuuit. Ego & mea (mea, id eſt ſcripta & libri) iam ſalui ſumus: nec Leodici vltrà, ſed quod gaudeas, Louanij in ipsâ bonorum arce. Numquid magis palàm poſſum oſtendere me eſſe, qui ſum? id eſt, pietati & regi conſecratum? Atque ego (Deus faueat) hanc mentem habebo, quamdiu vitam. In ſcriptis noſtris ſiquid obſcuri aut ambigui eſt, aut ſiquid etiam praui; declarabitur, affirmabitur, corrigetur. Crede firmiter,

* Τοὶ γὰρ ἐγώ τοι ταῦτα μάλ' ἀτρεκέως ἀγορεύσω.

* Nam tibi firmiter hæc, animique ex mẽte profamur.

De me hactenus. Illud in litteris tuis & nouum & iucundiſſimum, de viro Principe Ioanne Siluâ Comite Portalegrenſi: quem non amicum ſolùm litteris, ſed etiam nobis ſignificas, ratum in illuſtribus illis hodie bonum. Atque is, quòd meas etiam ad te miſerit, quàm me deuinxit? Si occaſio eſt, ſignifica: & non moris dicisq́ue cauſſâ, ſed ex pectore, pectus hoc illi dona. Amamus veneramurq́ue meritò tales, olim in veſtrâ gente crebros: cur non nunc? & ad laudem militiæ, quâ per omnes, imò ſuper omnes, gentes florent, hanc quoque adiungunt ſapientiæ & litterarum! Fiet paulatim, ſpero; vtique cùm Principem noſtrum ire hanc viam audio, & inſtitui fingiq́; optimis artibus, quæ cumen illud ornent. De ſtudiis noſtris ſiquid quæris; paramus ordine dare Hiſtoricos pleroſque priſcos: & nunc velut extra ordinem damus tres libellos de *Cruce*. quo argumento? inquies. mixto, & partim ſacram, partim profanam hiſtoriam iis illuſtramus. Quidquid in ſupplicio illo olim fuit,

* Ἐκ τῶν ποδῶν ἂν εἰς τὴν κεφαλήν σοι πάντ' ἐρῶ.

vt cum Ariſtophane dicam. Videbis breuî, ſalucbis, & me amabis. Louanij, III. Idus Octob. ∞. IↃ. XCII.

* A pedibus vſque ad verticem tibi dicam.

EPIST. IX. *Romam.*

CAESARI BARONIO S. D.

IAMDIV eſt cùm animo feci, quod re nunc præſto. Scripſi inquam ad te, & coïre volui amicitiæ quoddam fœdus. & nónne me inuitet virtus & erudirio tua multiplex, & clara per Chriſtianum orbem? Addo iam & beniuolentiam, quam nuper oſtendiſti palàm, in re meâ curâdâ & commendandâ. Quod ad famam meam pertinere viſum, id vltrò ſuſcepiſti, & laboraſti pro me, quaſi pro amiciſſimo, aut ipſo te poſſes. Ego hæc non ſcribo in obliuionis aquis: amo te iam olim magne Baroni, & deinceps magis magisq́ue volo. Sum nunc denique purus, inter puros: & hoc quod agitatum de *Politicis* meis corrigendis, ipſi fecimus, vti amicus noſter (nam & tuus certè) *Henr. Cuyckius*, eximius Theologus, dicet aut ſcribet. Ad ſummam, amo te & colo: vt alterum mihi facias, te rogo. Louanij, III. Kal. Iun. ∞. IↃ. XCIII.

EPIST.

EPIST. X. *Patauium.*

VALENTI ACIDALIO S. D.

Tv verò quid facis mi Acidali? Amicitiam meam ambis? abi, abi, fruſtrà: quid ita? iam diu habes. Teſtor Kalendas anni huius auſpices, & ita mihi felix ille ſit, vt te amaui cùm primum fætum illum ingenij tui vidi, *Vellceianas Notas*. Leuiculas, inquis. Audacter dicito, & in hac modeſtiâ conſta. O ornamentum iuuentutis, pudor: ſeges veræ gloriæ & doctrinæ! Alij, inquam, omnes meliùs de te, quàm tu ſentiant: & ſic parua tibi videantur quæ feceris, vt maiora cottidie poſſis. Vix autem faciet, qui facere ſe iam putat. Sed ad amorem. in clauſulâ illius libelli tui, quàm veri & viui ignes? ſenſi, tetigi, & me quoque iamtunc accenderunt. Quid nunc, cùm ventilas eos velut flabro ſuauiſſimarum epiſtolarum? vno veroque verbo, Amo: & velut ad atas tibi, cum poëtâ, ſpondeo:

* —— σέθεν οὐκ ἐπιλήσομαι, ὄφρ' ἂν ἔγωγε
Ζωοῖσιν μετέω, καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρει.

* tui haud inmemor ero, quamdiu in viuis fuero, & mea cara hæc membra mouebo.

Certè, naturâ ipsâ duce, amo ingenia, quæ rectiora video, & ire ad bonam famam. Ianum Gulielmium, popularem tuum, quanti fecerim, ipſe ſciuit, atque etiam poſteri, ſi vita aut gratia meis ſcriptis. Tu ſuccede. quoniam Deus illum eripuit, optimum ǫuo peſſimo, & conſtituit in felici illâ ſede. Nos quoque (an aliquid vaticinabor?) breuî illuc imus, vt valetudo hæc dictat, vacillans, tenuis: tu viue noſtri memor, & vale. Louanij, Kal. quas dixi anni ∞. IↃ. XCIII.

EPIST. XI. *Romam.*

FRANCISCO BENCIO S. D.

Mihi verò exclamare magis lubet, O negligentiam, ô perfidiam! & nondum meas tibi redditas eſſe? tibi vni? imò & Baronio & Bellarmino, ad quos vtroſque ſcripſi. Quid autem ſcripſi? benignè & candidè, quod in animo ſentio, rem totam me permittere arbitrio ipſorum. Miſi tamen & notas, vti hîc correximus, cenſore publico Henrico Cuyckio approbante. Mi Benci, alibi molles fortaſſe ſimus: in re pietatis, ſic vt ferrum. Prima illa & ſumma opinio eſt, nihil hîc ſapere præter id quod Eccleſia priſca, id eſt noſtra. Nam qui aliquid libauit è Patribus aut Concilus (nos fecimus) ſcit illam eſſe vnam. Sed fruſtrà, opinor, hæc iterò, & noſtras iam accepiſtis: noſtras, inquam, nam Cuyckius adiunxit. Accepi nûc nuper epiſtolam à Staniſlao Reſcio, Deus bone qualem, & quàm nô eleganter ſolùm, ſed nouiter ſcriptam! Me in Politicis imitatur, & fruſtula ſumit ex auctoribus priſcis, atque ea nectit. me imitatur? imò ſuperat, & coronam hanc è capite meo illi dono. Ecce ad eum litteras vicarias, virum & titulum probè non noui (ſcripſiſti Legatum Regis Poloniæ eſſe) ergo tu pro me inſcribe, & decôrum hoc ſerua. Idipſum proximis tuis ſignifica, quia percolere amicitiam cum illo viro mihi eſt in votis. Salue mi Benci, & per te quoque tuaſque preces fac me magis ſaluum. Louanij, XIII. Kal. Septembres, ∞. IↃ. XCIII.

EPIST. XII. *Neapolim.*

STANISLAO RESCIO, *Legato Regis Poloniæ.*

Obstvpvi ad tuam epiſtolam, & vt legere cœpi, ſtatim non renui (rem narro) ſed reſilui & retroceſſi. Tene, aut quem alium, in hoc genere tam ſubtiliter, tam ſcitè, & tam familiariter etiam loqui? Cecidiſti me in meis caſtris, fateor; & aut triumphum de me cape, ſi pergis: aut ciuicam, ſi ſeruas. Non hæc ſunt verba. quis tu in alio trito genere, qui in hoc ſubito & inopinato ſic excellis? Sed in laudes tuas parco, quas in me quidem congeſſiſti nimis benignè. O vim amoris! nam is elucet in tuâ epiſtolâ, & video eum vt ſi in ipſo corde. Ille eſt, qui hæc iudicia tibi dictat, ille qui ad me mittit, & iubet petere, quod debebam deferre. Sed in ordine peccatum ſit: in te non præuertes, & pati paſſu tecum decurram ſtadium hoc amoris. Nam eum quoque affectum in me cadere, Bencius tibi dicet, qui de religione non celauit. Ea priſca in nobis eſt (ſepone omnes curas) & erit, auctore ipſo fidei adiuuante, quamdiu ero. Enimverò quem modicè peritum antiquæ hiſtoriæ & eccleſiæ, in Græcis Latiniſque Patribus verſatum, ceperit hæc nouitas? quæ ſurrexit ad turbas, vtinam non exitium, Europæ. Nos abhorremus, & claro ſortique exemplo docuimus, auulſi à locis in quibus ea erat. Ad bonos venimus, etſi iacentes & exhauſtos: quia finis mihi non ditiori, ſed meliori eſſe. Gratia tibi magne Deus eſto (tuum hoc munus:) numquam alacrior aut erectior fui, quàm in iacente hac publicâ & priuatâ

uatâ noſtrâ fortunâ. Sed publica, vt ſpero, reſurget:& à quâ parte æquitas ſtat,felicitas etiâ ſtabit. Ego intereà in quiete, libris ſcriptiſq; noſtris inuolutus; quæ voluptati mihi ſunt,vt pietas ſaluti.Hanc ſalutê toto animo tibi voueo, & meipſum deuoueo deinceps tuum.XVII.Kal.Septemb. ∞.IↃ.XCIII.

EPIST. XIII. *Antuerpiam.*

PAVLO MONELIAE *Genuenſi Patricio* S. D.

ANTVERPIA veſtra plures amicos mihi dedit & nuper oſtendit,quoſdam veteres, quoſdam nouos; atque inter hos te, mi Monelia,animo planè meum. Affectus tuus in me, & bonas artes, ita clarus & ardens eſt, vt Pyrrho ſi ſim vix dubitem, & redamare cogar ſic amantem.Facio profectò,& hoc in chartâ iſtâ conſigno & teſtor. Italia veſtra plura ingenia ab omni æuo dedit,& aluit: fac vt tuum inter ea cenſeatur, & Ligures quoq; veſtri veniant in hanc famam. Habes inter tuos,qui eminuerunt, aut eminent: atque inter eos ſcriptorem hiſtoriæ Luſitanicæ, mihi prudentem & probum. Tua quoque vidi ad ius ſcripta, laudanda profectò,ſed hactenus,vt gradus tibi ſint ad maiora,non vt meta. Ætas adeſt,ingenium, induſtria,opes etiam;id eſt,omnia quæ ducere te ad alta aut ad ſumma poſſint. Hortor & faueo; ſiquâ poſſum,etiam iuuo. Experire.Louanij,Nonis Nou. ∞.IↃ.XCIII.

EPIST. XIV. *Mediolanum.*

IO. BAPTISTAE SACCO S. D.

QVOD te non fugit,varias, & à ſummis etiam viris dignitate aut doctrinâ,litteras accipio:ſed tuæ me inter primas delectarunt, & voluptatem inopinatam animo infuderunt, Ioannes Baptiſta Sacce. Quid ita?non ob cauſſas, quæ tibi cum aliis communes, ſed ob vnam hanc eximiam,& in te propriam; quòd in eâdem domo & familiâ egeris magni illius viri, heu quondam noſtri. Pectus meũ mouit ea lectio. quia mortuum etiam nunc colo & veneror,& manes illius æternùm mihi ſancti. Benè fecit mihi, fateor: mihi, parùm eſt,ſed etiam reipublicæ,& toti, vt verbo dicam, Chriſtiano orbi. O conſulta eius conſilia!quibus vtinam aut ſemper, aut non tardè vſi eſſent magni reges! Prudentiæ imaginem in terris ſi quis pingere aut cernere voluiſſet, credo eundum fuiſſe ad hunc noſtrum. Iam animus quantus, & quàm altus? pariter vt corpus. Quid probitas & benignitas: ſumma. quis amor in artes & litteras? magnus: & eò minùs mirandus, quòd pleraſque illas ſciebat. Pulchritudinem peruiderat, & ideò amabat.Sed vide, quàm in ipſo initio eam extra calcem: te alloquor, & de alio loquor. Hoc ipſo diſces, quàm magni mihi illa cauſſa, quam amicitiæ noſtræ prætendis, quòd ille apud me tam magnus. Seriò & ex animo loquor. Amauit te? te amo. Amaſti illum? magis etiam amo.Et accedũt hæc alia,quòd mea & me æſtimas, & vltra pretium ſuum (cur rem non dicam?) dilaudas.dilaudas tamen cum iudicio, & liberè etiam aliquid mones. Hoc eſt, non dicis te amicum, ſed probas. Illa ipſa quæ de religione ſuggeris, iam aut vidimus,aut moniti ab aliis ſumus; & *Politica* noſtra recuduntur,cum immutatione aut lenitione, quâ erat opus. Tibi nihilominùs gratia. & tales mihi ſint amici, qui vtroque calculo vtantur, albo & nigro etiam cùm eſt opus. Nam laudare in promptu eſt, & ſine labore peragitur: iudicatio cum intentione & peritiâ eſt,& vitiũ quærit. Scribis deinde de iudicio quodam noſtro, quod ſuper *Conſolatione* feci, falsò (ita ſentio, & ſenſi) Ciceroni inſcriptâ. Moueri te auctoritate meâ ſcribis,ſed requirere tamen cauſſas, quibus eò ſim inductus. Prompſi eas,mi Sacce, iam olim, & publicè vulgauit Plantinus noſter in eo ipſo libello, quem excudit. ſi voles, pete. Etſi fortaſſe quædam etiam illîc calida: vt eſt ratio mea ſcribendi, præſertim in epiſtolis, nec nego: ne excuſo quidem,ne bis peccem. Verè hoc quoque notas in epiſtolâ, vbi de eâ re * παρέργως: * *obiter* ſed quid faciam? candidè hoc apud te promo,talia iſta impetu & calore quodam ſcribimus. Neque id peccatum fortaſſe; ſed illud,quod vulgamus. Amici inducunt & trahunt, mollem naturâ, & facilem ſequi. Sed & illud audi liberè.miror vos viros tales,qui & iudicij maturos; eruditione perpolitos (talem enim & *Folianum* habeo)ambigere in iſtâ re, quæ mihi extra litem videtur. Affectus aut præſumptiones ponite: quid in eo libello,re aut dictione dignum Tullio? vulgare aut frigidum totum negotium.nec excuſet vir doctus,quòd in dolore.Ille verò faces etiam admouet,& facit omnia magis excitata. Quis auctor tamen ſit, haud temerè dixerim,ſuſpiciunculas moui.& vos vel nũc dicite, vbi vetus illud & primogeniũ exemplar?

plar. vbi repertum? à quo? quis aſſeruat? V[illegible]um id argumentum commenti, niſi profertur; vna teuictio noſtra, ſi profertur. Alias, nemo ab animo hoc impetrabit, vt Tullij eſſe cenſeam, in quibus vim & ſpiritum Tullij non ſentiam; & nihil pro illo vito, cui in facundiâ ſimile non natum, non naſcetur: poſt quem, vt ille verè canit,

Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ.

Sic ego ſentio: nec aſſentiendi cuiquam legem pono. Vltrà in hoc certamen non deſcendo, nec habeo tanti. Iam in fine, quo magis amorem promas, inuitas amanter in tuam patriam, & in Italum illud ſolum: laudatum & amatum nobis ſemper, ſed patria hæc tenet, in quam redij, & ſcito Louanij, in priſcâ Academiâ (vt nũc appellamus) publicè me docere. Rex, & patriæ Ordines, honeſto auctoramento me habent. Inuitarunt nuper & Veneti, & ſummus noſter Pontifex; ſed excuſaui, & valetudinem etiam prætexui, vtinam nõ verè. Illa nobis vacillat mi Sacce, firmanda cùm Deo videbitur, & tum quoque in ſcriptis à nobis exſpecta aliquid magis firmum. Vale V. C. Louanij, prid. Kal. Feb. an. ∞. IↃ. XCIV.

EPIST. XV. *Venetias.*

Ad III. *viros Inſtauratores Academiæ Patauinæ.*

MAGNO me honore afficitis, cùm in locum & ſucceſſionem magnorum illorum vocatis, *Sigonij, Robertelli, Bonamici,* luminum non Italiæ ſolùm veſtræ, ſed Europæ noſtræ. Agnoſco non beniuolentiam modò, ſed hoc ipſo beneficium; quoniam, quod in vobis eſt, datis, cùm capere ſit in manu noſtrâ. In manu? addo etiam in mente, & voluntate. Cur non igitur fit? quia vires, & valetudo, negant: iſta quidem pertinaciter triſtis, & illæ imbecillæ. An decipiã & fruſtrer vos? Lipſium vocatis & exſpectatis, & adferam eius vmbram? bonâ fide hæc profero. Si benignus, & in omnia potens ille Deus, iſta duo ex voto mihi daret, omnia eſſent pro voto veſtro. Scio equidem apud vos medicos eſſe, peritiâ primos; ſcio benignum Patauij aërem; fontes in viciniâ & thermas: & quid non ad ſanitatem, aut voluptatem? Sed chronici & diuturni iſti morbi, quàm remediis nullis aut peritiæ cedant, periti veſtri medici ſciunt. Ad ſummam, vnum hoc excuſo: in cetera vtimini Lipſio, Ill[mi] & Clar[mi] Domini, tu nominatim Ioannes Michaëli, vt veſtro. nec vulgi more prolatum hoc ſcitote. Louanij, prid. Kal. Mart. ∞. IↃ. XCIV.

EPIST. XVI. *Venetias.*

IO. MICHAELIO, *Equiti, Procuratori Sancti Marci,* III. *viro inſtaurandæ Academiæ Patauinæ.*

MVLTA ad me ſigna beniuolentiæ tuæ perferuntur. Amici, qui inuiſunt ab iis partibus, loquuntur; litteræ alienæ teſtificantur: quid opus eſt? tuæ ſic palàm præferunt, vt manu tangere & tenere videar hunc affectum. Benè ſit litteris, quidquid earum in me eſt: quæ tales viros inclinant & iungunt. Atque vtinam votis tuis fas obſequi, quæ in Italiam & ipſam Scholam veſtram ducunt! Perhoneſtum mihi in eâ luce ſpectari: & quiuis etiam tenebrio, pænè dicam, ibi illuſtretur. Quid tamen me tenet? quæ publicè dixi, & priuatim candidè, imò ſanctè, apud te reuelo. Valetudo mea eſt, quæ incitatum hunc animi curſum inhibet: mala & præceps, non ſolùm anceps, & deterior etiam quàm in primore fronte exhibeo & oſtendo. Sicut ſtruthionẽ aiunt volandi ſpeciem habere, non volare: ſic de me dixerim, in adſpectu ſanum aut medium, in re non eſſe. Miſerare. & vbicumq; ſum, tuum cenſe: tuum tantùm? imò & tuorum cenſe: quia certè hoc agimus, vt quidquid poſſumus, diffundatur ad plures & proſit. Sicut in publicam popularemque viam omnes ſemitæ conueniunt: ſic ſcribentium noſtræ ſtipes, in commune generis humani ærarium inferuntur. Itaque vſu etiam me veſtrum interpretare: animo quidem, VTI IS OPTIMVS MAXIMVSQVE EST, do me vobis ac dico. Ill[me] Domine ſalue, inclytæ Reip. tutela & decus. Louanij, prid. Kal. Mart. ∞. IↃ. XCIV.

EPIST. XVII. *Bononiam.*

VLYSSI ALDROANDO S. D.

NOMINE & famâ mihi notus fuiſti, vir eximie, priuſquam ſcriptione. Etſi enim abſumus, locorum vaſto ſpatio disiuncti; tamen commeantium multitudo eſt, & eorum præſertim, qui è noſtra iuuentute ad vos ſe conferunt, optimarum artium cauſsâ. Ex eo numero Hadrianus Romanus, & Thomas Fienus, vterque nunc medici titulo donatus, ſæpè mihi laudes tuas prædi-

carunt, & ſeriam atque ab ambitione remotam doctrinâ. O mi Aldroande, quàm ſuaue eſt, variis præſertim his epulis paſci? & animum permittere ad res ſuperas, medias, inferas, & quidquid ſpirituum aut animantium iis continetur? Tu cottidie facis, & arcanum illum naturæ ſinum excutis, fructus quoque effuſurus aliquando in publicum & noſtrum bonum. Atque vtinam ſint Reges & Principes, qui fuerunt! non teneret te cauſſa illa ab edendo, quæ nunc tenet, & theſaurum hunc redimerent vilioribus his theſauris. Sed bonâ fide, languet optimarum rerum artiumque amor, vt ipſæ res optimæ; & quidlibet in pretio magis eſt, quàm quod pretio nullo digno æſtimetur. At nobis ignoſcendum eſt noſtriſque, quos ciuilis iſte Mars vexat, & auertit ab omni honeſtâ atque altâ cogitatione: veſtri Dynaſtæ, in gremio ipſo pacis, cur neglegunt? cur Italiæ hanc famam detrahunt, non coluiſſe ſolùm ſemper, ſed excitaſſe ingenia & artes? Sed eſt curſus hic nunc rerum, & lex quædam, niſi fallor, mundi: vt honeſti honeſtaq; iaceant, & exſurgat quidquid turbidum eſt, aut prauum. An ea quoque lex, vt optimæ artes à nobis vobiſque abeant, ad orbem ſecretum magis & longinquum? Mihi crede, incipiunt, & frigidus ille Septentrio excolitur, & nouo hoc amore inardeſcit. Quid ad iſta me diffundo? amoris eſt, & iamnunc familiariter apud te loquor. quem amorem firmum apud me futurum polliceor tibi, vir eximie; & te, qui tuum aperuiſti, eôdem hortor. Vale. Louanij, IV. Kal. Sextiles, ∞. IↃ. XCIV.

EPIST. XVIII. *Bononiam.*

FLAMINIO MORO S. D.

VNDE, quis, & quare, ad me ſcripſeris, ſtatim in fronte epiſtolæ tuæ vidi. Locus, Bononia, vetus & vera ſtudiorum mater; tu, minimè omnium quod * diceris, ſed ſcientiæ & ſapientiæ alumnus; cauſſa, amor in me & mea, quem acrem profectò præfers. Hæc omnia, an grata mihi, quæris? ſunt mi More, ſunt: & vel vna quælibet iſta res traxerit me ad redamandum. O Italia, quam olim inſedi, ſi nunc videam! ſi oculis vſurpem inſignes aliquot viros, mei ſic amantes! profectò exſultem, & non capiam gaudij mei modum. Vnde tamen hic in me fauor, niſi à numine? Deus eſt qui impellit, & benigni cælites: quos ſcito mi More, piè

* *Morus, id eſt ſtultus.*

& purè à me coli, id eſt rit[u] priſco. Opinionum hæc aura peſtilens, quæ cælum noſtrum infecit, me non afflauit: & inter ęgros multos & cauſſarios ſanus ambulo, in hac quidem parte. Argumentum tibi dabunt libelli noſtri de *Cruce*, quos vel hac cauſsâ ſcripſi, vt pręcones teſteſque eſſent, non doctrinæ meæ, ſed auitæ pietatis. Et o tu non ſolùm ita ſenti, ſed vt alij ſentiant facito, pro virili quidem tuâ parte. En manum meam, en affirmationem. non fallimus in his talibus, in quibus ſe primùm fallit, quiſquis alios conatur. O miſer, qui aliam hîc linguam habet, & mentem! Sed vt, quę cauſſa ſcribendi tibi fuit, in eâ deſinam, amo te amantem, & id quoque fide priſcâ. Vale. Louanij, IV. Kal. Sextil. ∞. IↃ. XCIV.

EPIST. XIX. *Mediolanum.*

FREDERICO BORROMEO *Cardinali* S. D.

GRATAM tibi fuiſſe ſcriptiunculam noſtram, id verò lætor, nec tamen miror. Pro ceterâ humanitate tuâ eſt, quâ me amplexus & amaſti, & vltrò ad ſcribendum prouocaſti. Ego verò illi reſpondeo, amore tantùm? imò & cultu: quorum alterum aſfectui debeo, alterum dignitati. O Italia ſemper hoc nomine felix, quòd non ingenia ſolùm habuiſti, ſed etiam qui fauerent, & fouerent! Nobis hoc deeſt, liberè dico, qui diuturno iſto bellorum æſtu inuoluimur, & perit apud nos, quidquid elegans aut honeſtum. Vtinam illa tantùm! ſed maieſtas imperij, & ipſa pietas periclitantur: ſi vmquam, rebus noſtris infirmis, & ſpectantibus lapſum. In Deo ſpes eſt, atque eo ſolo. nam humana, nô dicam auxilia, ſed & conſilia valdè labant. Vos auditis haud dubiè, nec lubet hæc publica & triſtia in epiſtolâ ediſſertare. Illud me in tuâ pupugit, de Bencio: de quo iam anteà audieram, fateor, ſed parùm certò, & ſpes adhuc aliqua frænabat dolorem. Qui nunc erumpit, & agnoſco ac toto animo profiteor, amiſiſſe me inter amicos tempore, fide, ingenio primum, aut certè iuxta primos. Mi Benci, quæ tibi mens ſic abeunti? me præeunti, qui tot iam annos langueo, & fatum meum exſpecto? Sed ſcilicet plus impuri & terreni in me, quod deputandum ſit; te ille Deus, in ſanctitate iſtâ vitæ, vocauit ad puras & æthereas ſedes. Salue, ſalue, & vt nos tales aliquâdo, aut potiùs breuî, precibus tuis adiuta.

Quò abeo? abſtrahor à te Illuſtriſſime, ſed per te, qui pectus mihi fodiſti Bencij mei mentione. quod ſic apertum tibi confiteor, & quidquid Lipſius, aut in Lipſio, tuus eſt & tua. Louanij, Kal. Sept. ∞. IↃ. XCIV.

EPISTOLA XX

INNOCENTIO MALVASIAE, *Nuncio Apoſtolico.*

VT legi litteras, quas ad me dediſti, variè fateor me affectum, & velut diſtractum. Gaudiũ mihi fuit, in vocatione tam honorificâ, & iudiciis talium virorũ de me benignis. Quid ad gloriam mihi amplius, ad commoda vtilius, quàm in vetuſtiſſimam & celeberrimam Academiarum venire? quæ non falsò ſe dicit, & inſcribit, *ſtudiorum Matrem*. Ego totam Italiam veſtram amo, & veneror: tacitâ quadam inclinatione naturæ, tum etiam ob illa ipſa ſtudia quæ colimus, quibus fons illinc & ſedes. Quòd ſi voto meo dirigenda vita ſit (ſed Deus, & id quod fatũ vocamus, ſuperant:) Italia me videat, teneat, cineres etiam meos condat. At enim multa obſtant, quæ pro prudentiâ tuâ, me tacente, vides. Et poſſum fortaſſis reliqua vincere: vnum illud de valetudine, forte & decretorium eſt, vt ita dicam. Ego ille imbecillus, in decennali ampliùs languore, atque eo peſſimo, & qui pertinaciter ſpernit curam, quî veniam in Italiam veſtram? & ſi venerim, quid faciam? Par eſſe muneri impoſito poſſum? par opinioni conceptæ? diffido. Hæc cauſſa vna eſt cur tardem & abnuam, & votis veſtris nõ iungam mea vota. Deliberabo tamẽ etiam, & Deum in conſilium, imò & in auxilium, aduocabo: ſi fortè ſub vernũ tempus vires aliquas maiores mihi donet, aut ſpem de valetudine firmiorem. Interea priuatim, gratias equidem habeo pro benignitate in me tuâ, quam ex ipsâ ſcriptione veſtigiis totis colligo: & ex animo addictum me eſſe & fore, veraci calamo conſigno. Ill^me & Reu^me Domine in bonum publicum, & tuum, vale. Louanij, VIII. Kal. Mart. ∞. IↃ. XCV.

EPIST. XXI. *Bononiam.*

FRANCISCO LEONINO S. D.

QVOD me compellas, nobiliſſime iuuenis, proficiſci video ab amore virtutis & litterarum. Ideò te iure amo, qui ſic iſta. Vnâ in re nolim te falli, ſi eximia illa duo in me eſſe cenſes: non ſunt: ſed cupido tamen eximia, & omnem vitam hoc egi, vt eas mihi parte aliquâ conciliarem. In Italiâ veſtrâ (felice artium virtutumque parente) illi viri ſunt, quos meritò admireris, quos ad imitandum proponas, generoſi & honeſti omnis exemplar. Siquid tamen aut ego cogitatus, aut ſcripta mea lecta eò faciunt; gaudeo, & perennem mihi hunc fructum ſtudiorum opto. Vnus enim ille mihi finis, non vt maior, ſed vt melior fiam, & alij per me tales. Vale nobiliſſime iuuenis. Louanij, poſtrid. Kal. Mart. ∞. IↃ. XCV.

EPIST. XXII. *Bononiam.*

ÆNEAE VIZANIO *Doctori Medico* S. D.

DVO me fateor in ſcriptione tuâ miratum, & quòd ſcribis, & quòd ſic amas. De iſto magis, quia me & mea qui noui, vix reperio quidquam magni, quod conciliet mihi viros iſtos magnos. At benignitas veſtra eſt (non enim iudicij error) quæ impellit ad amandum etiam eos, qui alta & honeſta amant: & cupido apud vos gratiæ locum inuenit, non ſolùm effectus. Longùm mihi hæc alloquia, hęc teſtimonia ſint: quæ velut ſtimulos habeo, ad pergendum in duplici hac viâ Scientiæ & Virtutis. Iungo enim quâ poſſum: nec Deus ille velit, poſteriorem hanc à me vmquam diſiungi. Prior illa voluptatẽ in animis gignit, hęc fructum; illa dum viuimus, hæc cùm viximus etiam vtilis opportunaque eſt. Vtramque in te eſſe Vizani, vel hinc colligo, quòd ſtudioſos & candidatos earum ames. Fac mihi ſemper, & cum fœnore affectum eumdem à me refer. Louanij, poſtr. Kal. Mar. ∞. IↃ. XCV.

EPIST. XXIII. *Bononiam.*

MELCHIORI ZOPPIO S. D.

QVOD me & mea amas, ſed cum iudicio, id verò amo, & in animo iſto laudo. Etſi enim me fortaſſis ſine exceptione amare poſſis, & toto, quod dicunt, pectore: tamen in meis profectò aliud eſt, imò clamo, cum iudicio, & alibi notâ, legenda eſſe. Nam mi Zoppi, quid ſumus nos omnes, qui aliquid eſſe videmur? homulli, & in quibus æthereæ illius partis aliquid emicat fortaſſe, ſed non ſine adiunctâ terrenâ ſuâ fæce. Itaque caligo, hæſitatio, error, agnata ſunt nobis: & nihil tam eximium ab homine eximio, in quo nõ ea deprehendas. Atq; ego vt

vt liberè iſta fateor, ſic libenter inſpici ac rangi ab aliis patior: nec ſum ille mei admirator (ah, abſit) qui extra iudiciorum aleam me ponam. Subiicio, ſubiicio; & ſi vlla virtus placita mihi vmquam aut placet, ea Modeſtia eſt, & apud te teſtor. Si corãm me videres, & ſermonis morumque meorum arbiter eſſes: idem diceres, nec aliud mihi magis vindico quàm iſtud. Itaque de Plauti altero loco, liberè fateor, me quoque iam aliter ſentire: de altero hæſito, nec firmum video cui innitar. Tuum ſtudium rerum Italium & inquiſitio grata fuit, amor & affectus in me gratiſſimus; quem ita mihi ſerua, ſi meum tibi reddo. Louanij, poſtrid. Kalend. Mart. ∞.IↃ.XCV.

EPIST. XXIV. *Bononiam.*

VLYSSI ALDROANDO S. D.

QVOD libente animo ad vos ſoleo, dolente & tardante nunc ſcribo. Cauſſa, quia quæ vultis velle non poſſum, & cogor nunciare, quod ſit præter animi veſtri ſenſum. Quid id eſt? fruſtrà circumeo, me non venire. Mirum & pænè dixerim miſerũ negotium, volumus vtrimq;, nec fit quod volumus: quia aliquis ſupra nos & contra nos vult, cui non repugnamus. Rex eſt, & eius Conſilium, qui me hîc ſiſtunt, qui ſuum eſſe habitatione volunt & incolatu, vti ſum natiuitate. Succumbimus, mi Aldroande, tam grãdi auctoritati, etſi Italiam, & Bononiam veſtram, in intimis iſtis ſenſibus amamus. Addo valetudinem, ſic affectam (non mentior) vt credam me, Homeri verbo, μινυνθάδιον & breuis vitæ ac moræ in hac terrà eſſe. Quid me commoueam, quid vos alioſque excitem, & mox deſeram, vix à vobis viſus, aut certè non benè inſpectus? Externa mea, facies, verba, habitus, modica ſunt, nec pro exſpectantiũ opinione: in ſcriptis, & publicâ actione, fortaſſe aliqui ſumus, & oſtendit ſe illîc, ſiquid in nobis melioris auræ. Ah, cur non licet mihi theatrum illud ſano celebrare & vegeto? ſpernerem omnia, & aut ſoluerem vincula aut rumperem, quæ me ligant. Nunc vetus illud fiat & ſapiens, * ἕπου θεῷ, & quò ille ducit aut abducit, ſequamur. Quæſo, ac per ſanctum Amorem rogo te, mi Aldroande, ne aliter interpretare: & ſcito me affectu veſtrum eſſe, cùm te non poſſum. At tuus ſum priuatim etiam, inter primos: ne deſine amare me, qui aliam & interiorem amandi cauſſam habuiſti. Louanij, XI. Kalend. Iun. ∞.IↃ.XCV.

* *Deum ſequere.*

EPISTOLA XXV.

IACOBO MARIAE CAMPANACIO, *Bononienſi Senatui à Secretis.*

QVOD litteris tuis beneuolè & prudenter ſcriptis (fateri debeo) me affaris, gratiam habeo mi Campanaci; & ſentio quantum obliger vobis, qui velut conſenſu & conſpiratione ſic me amatis. Amatis tantùm? imò & honoratis. Vocatis enim in locum, quem primarij Italiæ, vel Europæ potiùs, viri inſederunt: quod magni equidem facio, & (teſtor Deum) iubet hic animus & impellit parère. Quid tamen diſſimulem? teneor & obligor à rebus meis, ab vxore & familiâ, à Rege & Ordinibus patriæ, denique à valetudine: vt non ſim expediendo. Trahitis vos abſentes, iſti præſentes validiùs retrahunt, & aſſertum eunt ſibi. Obſecro te Vir prudentiſſime, tu quoque hæc conſidera, & cogita rumpere iſta non fortis ſolùm viri eſſe, ſed felicis. Hoc poſtremum Deus fortaſſe mihi abnuit: quem alioqui teſtor, cumulum me felicitatis habiturum, inter inſignes iſtos viros & Italiæ apices, ſi in vrbe veſtrâ conſeneſcam. Senatui tuo ſi in occaſione hoc indicas, beneficium mihi dederis: & maius, ſi pro meo non tuo ſenſu, id eſt fortiter & ad ſuadendũ, hoc dices. Scio enim & te inter cupidos mei eſſe, eoque minùs aptum cauſſæ approbandæ. Louanij, VII. Kal. Iun. ∞.IↃ.XCV.

EPIST. XXVI. *Patauium.*

VALENTI ACIDALIO.

QVID tu ais? redire te? at vix etiam viſa tibi Italia eſt: certè non eius præcipua pars, & inclyta illa Roma. Faciam tranſiens, inquis. Meo conſilio, inſideas potiùs & inhabites, & fieri cum tuo bono. Scito certò, neſcio quem genium loco illi eſſe qui ingenia poliat, iudicia formet: & in iuuentute experti nobis videmur. Præmia etiam ingenio tuo vis? illinc pete, & aureum vellus Iaſon refer, ſed ſine vllâ Medeâ. Addis de quodam qui *Politica* noſtra carpat, & minetur contrà ſcribere. Itáne? faciat. ego ſolidum hoc corpus puto, & quod non metuit Saturnium aliquem dentem. Sed mi Valens, ita res eſt. vbi melior fama ſurgit, adhæret ſtatim altera: & ignaui atque ignoti tantùm ab eâ immunes. Vt piratæ in mari onuſtæ naui inſidiantur, vacuâ negle-

neglegunt: ita hîc fit. Poëta hoc pulchrè:

* *Τοὺς ἀγαθοὺς ἄλλος μάλα μέμφεται, ἄλλος ἐπαινεῖ·*
Τῶν δὲ κακῶν μνήμη γίγνεται οὐδεμία.

* *Nam probos alius carpit male, laudat at alter; Prauorum porrò mentio nulla hominum.*

Hoc ſolemur nos, & illum mittamus: certi, nihil placere omnibus, *præter placentam* (veteri verbo) *& vinum*. Sed heus, de *Martiali* quid tu monſtri? edi illum in viciniâ veſtrâ cum meis *Notis*? Numquam ſcripſi, numquam miſi: & miror te quaſi ambigentem quærere. Nónne hîc ad manum familiares mei Typographi ſunt, quibus commendarem? Fraus aliqua eſt, & fortaſſe è libris meis collectanea, quibus titulum hunc imponunt. Quæris in iſtâ occaſione de Poëtæ eiuſdem loco, in Corylum quemdam, qui ſcitus & bellus videri affectabat:

Qui ſcit, quam quis amet, qui per convivia currit:
Hirpini veteres qui benè novit avos.

Quis iſte, inquis, *Hirpinus*? non è familiâ aliquâ Romanâ, ne erres, (etſi ea quoque fuit) ſed equum hîc intellegit in Circo nobilem, & multarum palmarum. Nam ea etiam inſania, vt ſtemma & proauos equorum talium quærerent factionarij, atque inter ſe celebrarent. Statius in Siluis:

——Romulei qualis per iugera Circi
Cùm pulcher viſu, TITVLIS GENEROSVS AVITIS,
Exſpectatur equus: cuius de STEMMATE LONGO
Felix emeritos habet admiſſura parentes!

Ecce. vides *titulos auitos*, & *ſtemmata* ſpectata in his equis? De *Hirpino* etiam propriè Iuuenalis: *—Corithæ poſteritas & Hirpini*. ſed clariſſimè lapis vetus, quem Romæ olim vidi & exſcripſi, iſtc:

AQVILO. N AQVI		HIRPINVS. N. AQVI
LONIS. VICIT CXXX		LONIS. VICIT. CXIIII
SECVND. TVLIT	*Hic in medio vir eſt*	SECVNDAS. TVLIT
LXXXVIII	*(conditor factionis*	LVI. TERT. TVL
TER.	*Ruſſatæ) qui dextrâ ba-*	XXXVI.
TVL.	*culum, ſiniſtrâ pabulum*	
XXX	*tenet: & vtrimſecus duo*	
VII.	*aſſiſtentes equi.*	

Habes ipſum hîc *Hirpinum*, atque adeò eius auum *Aquilonem*. Nam illud N. in lapide *Nepotem* notat. Vides & palmas vtriuſque, & plures etiã in auo. Sed accipe & vltrò locum alium in eodem Poëtâ. Lib. x. Epitaphium eſt matronæ cuiuſpiam, atque ea loquitur:

Bis mea Romano ſpectata eſt vita Terento,
Et nihil extremos perdidit ante rogos.

Quid vult? vixiſſe ſe & vidiſſe binos Sæculares? nihil magni aut memorandi, in illo Domitiani æuo. Nam Claudius ecce Sæculares dederat anno vrbis DCCC: iterumque Domitianus, quaſi erroris illum arguens, DCCCXLI. Itaq; anni interſint tantùm XL. Puto litterâ additâ ſcribendum, *vitta*: quod valdè ſententiam mutet, & ad matrimonium ducat. Nam vitta, vt ſcis, maritarum. Itaque glorietur, ſe tot illos annos nuptam, & in theatris vittam ſuam ſpectatam. Vale mi Acidali, & de manſione aut reditu tuo (ſed ſi me audis, illâ) fac me ſcitiorem. Louanij, IV. Kal. Octobr.

EPIST. XXVII. *Bononiam.*

ANGELO SPANOCHIO, *Patricio & I^to primario* S. D.

NON venio mi Spanochi, ne per ambages te ducam, & ſtatim effundam, quod tibi (addo & mihi) moleſtiæ eſt aut dolori. Cauſſæ ſunt, vtinam ne tam iuſtæ, & quas ſonticas antiqui veſtri conſulti iuris appellabant. Valetudo enim, valetudo, vt alias omittam, inprimis vrget; & hæc venire me non vult, cum exiguo veſtro aut nullo vſu. Arqui melior ibi fiet, inquis. poſſet profectò recreari aliquid ab aurâ non tam Italiæ, quàm beniuolentiæ veſtræ, qui ſic palàm & ex animo amici eſtis: ſed recreari, non firmari, & ego (nequid celem) de eâ pænè deſpero. Ad aquas acidulas iam imus, ſiquid iuuabunt: ceterùm mens, corpus, manus, omnia à tam lento & longo morbo languent. Tu vale illuſtris Spanochi, loci & profeſſionis tuæ decus. Louanij, VI. Kalend. Iun. ∞.IↃ.XCV.

EPIST. XXVIII. *Bononiam.*

FLAMINIO MORO S. D.

IN dolorem me das amicis tuis litteris, mi More. Identidem vocas & reuocas, amorem & pænè iram miſces, & non ſpem ſolùm, ſed etiam metum proponis. Ah, quàm non opus iſtis, ſi quod volo liceat mihi velle, dicere, facere! Non licet mi More, crede. nec aliud me tenet aut terret, quàm quæ nuper diſtinctè & largè tibi indicaui. Fidem non habes? ſupremum numen iuro & aduoco, ita eſſe. Valetudo quidem ſic affecta eſt, vt iamnunc ad Spadanas acidulas eam, vix inſtaurandæ illi (qui ſperem?) ſed fouendæ. Atqui alij, inquis, aliter credent, & loquentur. ſcio pænè quid velis. Sed cuius ſapientiæ, aut etiam fortunæ ſit, omnibus placuiſſe? omnium iudicia aut ſuffragia meruiſſe? Vt in mari alij aliàs venti, gubernator tamen rectum curſum tenet, nec deflectit men-

mentem aut oculos à propoſito portu: ita nobis eſſe debeat, rectâ petere, proſequi, nec eiici viâ, aduerſante aliquâ iudiciorum aut ſermonum aurâ. Caput rei pietas, ſalua mihi eſt, & (ſpero) erit: nec tu cenſe eam, vbi nunc ſum, ambiguam eſſe, aut intutam. Louanium mihi ſedes, ipſum eius domicilium, arx, aſylum. Quidquid turbatum in his locis, hæc firmiter ſtetit, & vicina omnis contagio aërem hunc non infecit. Ibi ſumus, ibi erimus: & ſi vſquam pedem mouemus (quid tempora ferent, neſcio) ad te & Italos imus fortaſſe, etiam inuocati. Hæc ex animo More: tu me in tuo geſta. Louanij, VI. Kal. Iunias, ∞. IↃ.XCV.

EPIST. XXIX. *Bononiam.*

IO. COSTAEO, *Doctori Medico.*

TARDA & pigrâ manu ſcribo, me vobis negare, quod ſic honeſtè & amanter vultis. Quid enim faciam? ſum in alienâ manu, nec frontis meæ eſt reſiſtere meo Regi, & Ordinibus patriæ, qui ſiſtunt & tenent. Quid hîc ſit, quid apud vos mihi futurum ſit, non ignoro: ſed cogor cum Vlyſſe Homerico, ſi commemini, deplorare,

* Ὡς ὕ μοι τοῦτον ἐπέκλωσαν θεοὶ ὄλβον.

*Quòd non ſic mihi Dij felicitatem decreuerunt.

Patiamur. vobis quidem exigua iactura, qui & alios viros facilè nanciſcemini; & quod caput eſt, validiores, eóque diuturniores ad hoc munus. Nam mea vita (ne ominis quidem cauſsâ ſilebo) breuis eſt, & valetudo hæc indies afflictior, parùm de eâ promittere iubet aut ſperare. Te intereà amare cogor, mi Coſtæe, mei ſic amantem, & hunc affectum mecum feram ad meliora & ſupera illa loca. Vidi Ill[mi] Cardinalis *Palæoti* honeſta verba de me, & iudicium. Obſtringor ſummo viro, & verè inter magna lumina Italiæ veſtræ. Vale. Louanij, VI. Kalend. Iun. ∞. IↃ. XCV.

EPIST. XXX. *Madritum.*

NICOLAO DAMANTIO, *Brabantiæ Cancellario, Præſidi & Curatori rerum Belgicarum.*

MILITIAM meam cùm Principi inſcripſiſſem, nec offerre eam eſſet in meâ manu: ad te confugi Vir ampliſſime, quem ſubire has vices meas & decere arbitrarer, atque adeò (ignoſce fiduciæ) debere. Quis neſcit te eximium ibi inter Belgas eſſe, & patriæ noſtræ res publicâ auctoritate & miſſu curare? Atqui inter Belgas etiam ego ſum, & corporis illius commiſſi tibi membrum. Suſcipe me, aut potiùs hoſpitem meum librum, & ad illas aras ac ſacraria te myſtagogo inducatur. Placere adſpectum ſtatim poſſe, non aſſero: fortaſſe inſpectum. & certè inſunt, quæ in materie Principibus digniſſimâ, primi produximus & miſimus in claram lucem. Cetera Præfatio mea dicet. Ego te rogo, per communis patriæ iura, vt huic Telemacho verecundanti quaſi Minerua eſſe velis, & apud magnum illum Neſtorem ſiſtas. Cuius iudicij libram ſi teſtimonij tui momento in fauoris partem inclinas: tibi ego, & meum litteræ debebimus, quæ nimis diu eſt cùm apud nos, per ciuica hæc bella, iacent & languent. Erige & attolle: ita Deus te hîc felicem ad illa alta & æterna. Vale regi & patriæ, Vir Ampliſſime. Louanij, prid. Kal. Sextil. ∞. IↃ XCV.

EPISTOLA XXXI.

INNOCENTIO MALVASIAE, *Nuncio Apoſtolico.*

HVMANITATEM tuam, quâ præſens in me vſus es, ſæpè ruminor, & dolorem aliquem in animo hoc reliquit. Quid velles cum tuis & deſiderares, vidi: & idem me velle, nec tamen poſſe, hoc doleo & in animo queror. Quid faciam? multa occurrunt & interueniunt, quæ non ſinunt nos eſſe arbitrij noſtri ac ſpontis. Sumus ſub imperio alieno, in eo nati & educati: addo vires & valetudinem non ad omnia aptam: addo vxorem & familiam, denique & patrimonium & amicos: quæ omnia in oculis habere debemus, cùm de migratione, præſertim tam longinquâ, deliberamus. Et primum, quod ad imperium attinet; Regi meo ſubſum, potenti, magno, & in triplici iam orbis parte timendo aut verendo. Ille me retinet, imò liberalitate nouâ inuitat: quæ frons mea aut pudor ſit abnuentis, aut ſpernentis? Certè ante omnes illi me ratio, & mos etiam, obligat: nec ſoluimus eiuſmodi vincula, niſi neceſſitas aut ſumma ratio impellit. Quid patria? manus mihi iniicit, & iunctis ſuffragiis vetat deſeri & abire. Alterum quod poſui, Valetudo eſt. Teſtor æternum, & quod omnia videt ac ſcit, numen, me ab vndecimiam annis in aduerſâ eâ fuiſſe, lento ac tabente morbo affectum; nec corpore ſolùm, ſed animo & his ingenij functionibus laboraſſe. Atqui ad eas exſerendas à vobis

vobis vocor. Quid ſi breuis & paucorum menſium, an dierum, vita mea ſit? Non ludo, ſeriò ita ſentio, decurriſſe me pænè hunc curſum. Cur vobis ſumptum, mihi moleſtiam addam, ſine certiore aliquo fructu? Tertium, Vxor, res meæ, & amici. Obſecro te, patiaris & hæc me inſpicere, etſi priuata, in publico negotio: ſed ita, priuata, vt ſine iis, aut aduerſantibus iis, haud commodè ſatis & tranquillè viuamus. Vxor igitur ætate iam decliui, & corpore parùm valido; ipſa ignara ſermonis illius & rituũ, ægrè transferri & inſeri velit in nouitium illud ſolum. Addidi res meas, ſiue patrimonium & agellos, quæ à maioribus habeo: curam & inſpectionem meam iſta deſiderant, præſertim afflicta per nimbum hunc ciuilis & inteſtini belli. Denique cognati & amici non queruntur ſed increpant, & pænè impietatis me accuſent ſi relinquam. Iſta ſunt, quæ quiſque rerum humanarum & ciuilium gnarus, per ſe conſideret, & cauſſæ meæ ac decreto ſuffragium fortaſſis nolens etiam addat. Sed mihi opponetur aut opponitur, Cur ſpem igitur feciſti? cur non abhorrere te à locis & conditione eâ oſtendiſti? Agam ſimpliciter & ingenuè, vt mos meus poſtulat: ideò ſpem aliquam feci, quia mihiipſi ſpes aut votum erat; & quia nulla vocatio (plures habuimus) ſic delapſa in animum hunc, non ſolùm aures. Viri primores in eâ ciuitate, qui ad me ſcripſerunt, valdè vel auctoritate vel affectu ſuo commouebant: & vno verbo, ipſa Bononia, vetus & fida ſtudiorum mater & cuſtos, incitabat. Non ego cogitarem locum amœniſſimum pænè Italiæ, & vberrimum (vidimus enim, & his oculis vſurpauimus:) tum etiam viros & anteceſſores, qui locum eum docendo ſcribendoque illuſtrarunt? Cogitaui & velut faces ſubdi mihi & admoueri ſenſi ab hac memoriâ, & trahi, vt pedem ponerem in veſtigiis clariſſimorum & perennium ingeniorum. Itaque inclinaui, non nego, & nunc profiteor: ſed in litteris tamen meis ac ſermone (ad te Ill^me Domine appello) cauta omnia & adſtricta fuerunt, & deuincta ad duplex caput, Regiæ voluntatis, & Valetudinis noſtræ. Velle oſtendimus, ſed ſemper cum duplici hac exceptione, ſi aut ille vellet, at hæc pateretur. Repugnant vtraque, vt dixi: atq; ita veniam mihi tribui à vobis etiam puto, ſi voluntati & petitioni veſtrę non do manum. Conſigno hoc iam nunc & teſtor, Italiam à me amari, & in Italiâ Bononiam: ſed incoli à me & inſideri, ob cauſſas iam dictas, non poſſe. Quas vt Ill^me Domine bonas æquasque iudices, votum meum eſt: & per te inclytus ille Senatus, cui etiam abſens cultum omnem defero & affectum. Vtraque hæc ſeorſim tibi, qui me priuatim humanitate tuâ & comitate deuinxiſti. Louan. Kal. Iun. ∞.IↃ.XCV.

EPISTOLA XXXII.

IOANNI IDIAQVEO, *ab interioribus Conſiliis Hiſpaniarum Regi.*

IN aquis Spadanis cùm eſſem, bonæ ſorti refero acceptum, quòd notitia mihi cum Gaſtone Spinulâ fuit, viro genere & prudentiâ illuſtri. Multus & cottidianus inter nos ſermo: ſæpè etiam de te (cur diſſimulem?) vt eſt ille vir & cognitor virtutum tuarum, ideoque mirator & præco. Is me impulit vt ad te ſcriberem, & faciliùs perſuaſit, quia occaſio etiam eſſet: quod nunc nuper libros DE MILITIA Principi noſtro inſcripſiſſem, & miſiſſem. qui à ſe minùs fortaſſe commendabiles, iuuari producique poſſent gratiâ & auctoritate tuâ. Scimus enim quem locum apud magnum Regem noſtrum meritiſſimò teneas: cui conſilium & leuamen es, & Ioui illi, vt ſic dicam, Pallas. Felicem Regem talibus miniſtris! qui præter prudentiam & fidem, probitatem etiam adfertis & modeſtiam in ſublimi illâ fortunâ. Quod Catoni ſuo poëta adſcribit, tibi conuenit:

Iuſtitiæ cultor, rigidi ſeruator honeſti,
In commune bonus.

Priuatim vt etiam in me bonus ſis, & trepido aut hærenti libro noſtro manum porrigas, te rogo. qui multos iam annos ſtudia hæc honeſtiſſima colo & orno, nec magnâ, niſi à conſcientiâ, mercede. Vale vir illuſtris, & virtuti tuæ addictum, beneficio etiam obſtringe. Louanij, VIII. Kalend. Sextil. ∞.IↃ.XCV.

EPIST. XXXIII. *Bononiam.*

PETRO PENDASIO S. D.

QVOD tu quoque me affaris, ô eximie, & non animum ſolùm in me aperis, ſed coniunctionem appetis, & corporibus quoque iſtis vis vnà eſſe; id mihi verò gratum, vel potiùs volupe fuit, & intimos iſtos ſenſus diffundi ſenſi, ac [illegible] quadam vi tentari. Tunc ille, quem norunt & laudant,

quicumque Virtutem & Sapientiam norunt? qui non ſolùm es -* πεπνυμένα μήδεα εἰδώς, ſed cum eodem poëtâ vt dicam, -* παντοίης ἀρετῆσι κεκασμένος. Debeo deinceps tibi priuato hoc nomine, mi Pendaſi; & ſi faſtus aut iactantia me tangant, videat aliquis mihi eſſe, quia tibi ſic placemus. Sed non hoc irrepat. humanitatis tuæ ſit, laudaſſe & æſtimaſſe: mei iudicij, eadem tibi, ſed ex vero, rependiſſe. Proh Deus & omnes ſuperi, cur non videre mihi fas iſtas puriores animas? cur non amplecti, & ab amplexis non diuelli? Fata vetant, & manere me volunt in hoc natali ſolo, nec aliâ fortaſſis re (venia dicto ſit) nunc laudando. Noſti illud vetus,

* sapientia plurima noſcens. * Omnibus excellens virtutibus.

* Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος.

* Quàm nil ſuauius eſt patriâ.

& accedit auctoritas ſiue iuſſio magni Regis, qui cogit. Breuiter & verè tibi iſta, vir amice (talem enim habeo, & habiturus ſum:) ac precor, vt etiamſi collegij veſtri futurus non ſim, ſim tamen in amore conſors & affectu. quem tibi fideliter offero & voueo, ita me ipſa Fides & Amor ille æternus ament. Louan. XII. Kal. Iun. ∞. IↃ. XCV.

EPIST. XXXIV. *Madritum.*

MARTINO IDIAQVEO, *Regi à Secretis.*

MIRABERIS cùm hanc manum vides, nomen legis. Quid mihi tecum? inquies. Repono, Quid tibi cum optimis artibus? quarum, omniũ elogio, cùm & amans & intellegens ſis: mirum tibi & inſolens, ſi ego adeam earumdem ambitor & cultor? Iungit nos hoc vinculum: nec vt in profano amore, diſſociamur & æmulamur, qui ſumere geſtimus ex vno riuo. Itaque ea cauſſa fidenter me ad te miſit: atque adeò cum munere, quod Principi inſcriptum, id eſt Regis filio & futuro Regi, debetur in parte etiam Regis miniſtris. Accipe, inquam, noſtra DE MILITIA: accipe me auctorem vnà, nouum clientem ſiue amicum dici voles. quem, ſi non aliud, amare vetera & honeſta ſtudia, eadem è tenebris & caligine educere, pro virili vides: atque igitur ſi illa amas, me ama. Ita te Deus & Rex, iſte in ætatem, ille in æuum. Louanij, V. Kalend. Sextil. ∞. IↃ. XCV.

EPIST. XXXV. *Bononiam.*

FLAMINIO MORO S. D.

MEVS es mi More, & ſemper eris. Poſterior epiſtola tua amorem & benignitatem pariter adfert, priores ſpirabant & iram, ſed illam quoq; ab amore. Acquieſcis in conſilio meo: magis faceres, ſi ſcires quàm iuſtæ eius mihi cauſſæ. Nihil in ſpeciem, aut pro tempore, dicimus: ſed valetudo cauſſa, cauſſa illa ſontica, vtinam non ſit qualem deſcribo! Ecce ad Acidulas iui (audi triſtem noſtrum caſum?) Nuncium illic Pontificium repperi; globus prædonum è Batauiâ inopinatò inuaſit, & pæniſſimè omnes nos abduxit. Quàm illa excuſatio legitima futura, ſed nõ pro meo guſtu! Deus ſolus fuit, qui eripuit, & vires atq; alacritatem non ad curſum, ſed ad ſaltum, addidit, vt Centauros illos euaderemus. Nam & equites erant. ſed trans ſepes aliquot ego cum comite vno ſalij, & contra quadrupedum impetum repagulo illo me muniui. Nuncius ipſe in templo aſylum habuit, non ſanctimoniâ defenſus, ſed foribus & munitione obiectâ. Ecce fortunas. Cur ad nos non venis, inquies, vbi hæc non eueniunt? Vellem, ſed cauſſam nunc, & cauſſas aliàs apud te dixi. nec ſuſpicare aliud in hac re eſſe. Candor in me eſt, atque is pro æui huius moribus nimius: & priuatim ſæpè læſit. Quod quæris de Libro quem iuſſi diuulgari, is eſt de *Militiâ Romanâ, ad Polybium*: opus minimè pro vulgari guſtu. Totum in antiquitate eſt, & ſcis quàm omnia tot ſæculis immutarint. Quæ tunc bella & valida, hodie ridicula aut imbecilla ſunt: ſed vſum habeat tamen, vt volui, in hiſtoriâ & ſcriptoribus illuſtrandis. Velim ad te mittere liceat, tanto interuallo: profectò hoc & alia à me haberes inter amicorum primos. Ceterùm, apud alios illic, vt offers, me excuſa, & fac vt me ſentiant virum eſſe (de ceteris non laboro) probum. Omnia mihi detrahantur: Pietas & Virtus maneant, quæ mecum feram in ſepulchrum. Eôdem & tui amorem, mi More. Louanij, poſtrid. Kal. Sext. ∞. IↃ. XCV.

EPIST. XXXVI. *Romam.*

ANDREAE SCHOTTO è Soc. Ieſu S. D.

ITALIAM & vrbem dominam te retenturam, mi Schotte, non opinabar; & videbaris ſpem feciſſe non litterarij huius colloquij, ſed mutui adſpectus. Sed ab alieno nimirum arbitrio cùm pendes, res iſta in tuâ manu non fuit: nec aut diſſuadere aut triſtari poſſum, te eſſe in luce illâ loci ac hominum, ſeiunctum à nobis veteribus quidem

dem amicis tuis, ſed & à turbis & ciuilibus diſſidiis, quæ ſine intermiſſione tot annos adfligunt nos & vexant. Quid quòd ipſi homines per ea mutati ſunt? non eſt priſca illa humanitas aut comitas Belgarum, non honos aut amor meliorum artium; ferocia eſt in pleriſque, & contemptus, & barbari quidam ac Martiales ritus. Vtinam ille, qui exſpectatur, ALBERTVS AVSTRIACVS, vt animum, ſic vires habeat medendi! nam de illo non dubito, & fuit egregiè etiam in ERNESTO defuncto: quo Principe nihil melius aut benignius Sol vidit: denique qui totus Pacis proles erat; eamque fortaſſe nobis reddidiſſet, niſi eum eripuiſſet

* Μοῖρα ἀπεκλώσατο διαπρύσιος ἀλλοδαπῆς.

* Parca hæc, Lachesis quæ domina ipſa cœli eſt.

Pantinum noſtrum cum Heroë illo venire, id mihi volupe; & ſolatium vel auxilium erit. Quod ego etiã tibi eſſe velim mi Schotte, in iſtis ad Senecam: quæ vidi nondum, nec temerè per viam iuſſerim ad me deferri, & ipſe Antuerpiam cenſeo me iturum. Ego verò cùm videro, quid cenſeam, perſcribam; & quidquid opis meæ erit, fiet, *Vt non diſpereant tui labores.* Sed Faber multa egregia notauit, & nos tamen quædam habemus: ſed ita nunc toti in MACHINIS tum & POLITICIS ſumus (nam & hæc cùm Notis recuduntur) vt alij nulli curæ vacemus, imò vix has ſuſtineamus. Sed vt dixi, videbimus, & omnia pro amico & publico (id quoque agitur) faciemus. Vale Reuerende in Chriſto Pater & amice. Louanij, XI. Kal. Nouemb. ∞. IↃ. XCV.

EPIST. XXXVII. *Bruxellam.*

OCTAVIO *Epiſcopo Tricaricenſi, Nuncio Apoſtolico.*

IAMDIV in tuo ære me eſſe fateor, & inter eos quos iudicatos habes & nexos. An non ſic obſtrinxerit me eximia benignitas, quâ Coloniæ in nouum tibi, nec niſi nomine notum, es vſus. Vſurpaſti eam iterùm Leodici, nuper Bruxellæ: & quid ad conciliandum ego attuli? præter cultum, & egregiam de virtute & prudentiâ tuâ opinionem, nihil: quæ imputare non poſſum paſſim & ab omnibus delata, quibus guſtus aliquis & notitia eſt tui. Itaque in ære iſto maneie, fortaſſis & immori, debere me ſentio: tamen, vt boni animi ac ſanguinis debitores, confeſſionem, cùm non ſolutionem, offero, & debere me ac debiturum hac velut ſyngraphâ conſigno. Cui & libellum iunxi, DE CRVCE, nuper à me editum: non ita vt dem munus, ſed vt accipiã, ſi benignâ fronte admittis, & in vacatione aliquâ à curis legis. Spondet tua ingenita benignitas, atque eadem conſtantiam in me tui affectus. Da ô Deus, & idem tibi, Ill^me & Reu^me Domine, ea quæ merita tua, & vota noſtra poſcunt. Louanij, X. Kal. Ianuar. ∞. IↃ. XCV.

EPIST. XXXVIII. *Bononiam.*

IOH. COSTAEO S. D.

O TE virum probum! deſideraſti me, & inuitaſti calidè, ſiquis vmquam: excuſationem tamen accipis, & amici rationem habes, non ſolùm affectus tui. Exoſculor te abſentem, ſed animo, qui ſolidè ſe copulat tibi & iungit. Per fidem te rogo, ama in Lipſio, quod vbique, quod ſemper eſt: & corpus, non niſi ob illud. Iſto quoque iungi volebam, & nunc vellem: ſed quæ prætendi, res fuerunt, non fucus aut color. Valetudo & vires exiguæ, & in diutino languore ipſe animus, lingua, ſtilus (quid diffitear?) non qui ſolent. Tuis hæc, non tibi ſolùm imprime, & vnà cum Moro meo ito me excuſatum aut defenſum. Ego mi Coſtæe, vir Illuſtris, animo perſeuero tuus eſſe, & ætherea iſtâ parte in æthere ſpero iungi. Louanij, poſtrid. Kal. Sept. ∞. IↃ. XCV.

EPIST. XXXIX. *Romam.*

FRANCISCO ORANO, XII. *viro litibus iudicandis in ſacro Tribunali.*

ANTE biduum litteras tuas accepi, quibus gratum tibi votiuumq́ eſſe oſtendis, Franciſcum tuum apud me agere, litteris, moribus, & omni bonâ diſciplinâ imbuendum. Quem ſuſcepiſſe me haud promptè initio, fateor, & ſcit eius parens: non quin veſtrâ cauſsâ omnia vellem: ſed quia vetus meum decretum & mos erant, mihi viuere, nec ſolitudinem, & ex eâ quietem, conſortio adoleſcentium interpellare. Quos bonos modeſtosq́; caſus dare poteſt: ſed idem alios. & præſertim in noſtrâ hac Belgicâ, in quâ, per hęc bella, mores à priſcis illis valdè demutarunt, & proteruia, vanitas, ferocia ſæpe habent iuuentutem. Hac cauſsâ, vt dixi, abſtinui & renui. ſed peruicit denique tuus, & pænè dicam meus, frater (talis & tam arctus inter nos amor eſt: tum & tui aſpectus, quem valdè hoc velle, idem

mihi ingerebat. Feci, nec pænitet. apud me eſt, ex meo veſtroque voto, adoleſcens tranquillus moribus, ſtudiis induſtrius: nec quod deſiderem reliquit, niſi vt perſeueret. Quidni faciat, & naturæ bonitate, & à tuo illuſtri exemplo? quem ille & cogitat adſiduè & ſæpè loquitur: meritò, familiæ vniuerſæ decus, & propriè ipſius ſpem & præſidium: quem ego (vide quò eam) commendatum mihi à te, vltrò commendo, & vt in gratiâ tuâ firmiter pònas, rogo. Meretur, magiſque cum annis merebitur: atque vtinam diem videam, quâ te educente & attollente, ad faſtigia honoris veniat, quò deſtinaſtis. Deum precor, vt rata hæc vota ſint: te autem, Vir Ampliſſime, vt me tuum atque Oranorum cenſeas in omne æuum. Louanij, prid. Kal. Nou. ∞. Iↄ. XCV.

EPIST. XL. *Romam.*

ASCANIO COLVMNAE, *Cardinali.*

TETIGIT meum pectus tua ſcriptio, & effodit intimos iſtos ſenſus. Tene illo genere, illâ dignitate & famâ, ſic benignè, ſic vltrò, ad me ſcribere? beniuolentiam tuam teſtari, & offerre? hæc omnia honeſtiſſimis iudiciis cumulate? Verè dixi, commouiſti totum Lipſium, qui non neſcit & maiorum tuorum, & tuas dotes. At enim argumentum etiam totum ſumis, & amoris & honoris in me plenum. Hortaris vt veniam in Italiam, propior vobis ſim, & ſpem atque occaſionem dem mutui etiam affatus. Quæ vna tes, vt fatear, obnubilat ſerenum illud tuæ ſcriptionis, & triſte aliquid adſpergit lætitiæ iam conceptæ. Examino & libro omnia, ſedeo iterùm ad conſilij, vt ſic dicam, calculos: ſed cùm diſpunxi & ſubduxi, negans illa pars potior eſſe videtur. Quæſo te, Illuſtriſſime Domine, mecum paulliſper conſidera (ſi à feriis magis vacas:) & te iudicem in cauſsâ hac ipsâ ſumo. Ætas iam mea inclinat & deuergit in ſenium, ac proximo Octobri ingrediar eum bono Deo annum quadrageſimum nonum. Mutare aërem, ſedes, mores, difficile eſt; & ſæpè, in huiuſmodi ætate, infauſtum. Pono hoc, & vicerit, agè, meus affectus: ſed valetudo ſubſequitur & excipit, quæ negat quaſſari & commoueri. Nec recens ea, aut ſubitò triſtior nobis eſt, ſed ab annis vndecim aſſiduo languore, aut tabe, afficit nos & premit. Quæ ſpes hîc vincendi, aut emendandi? ipſi medici veſtri dicent, commotientes quoſdam eſſe lentos iſtos internoſque morbos. At demus etiam venire me, morbum ſpernere: quid, cùm venero, fiet? vmbram mei ad vos adſeram, & hominem, vt ille ait, *monogrammum*? quî par ero ſuſceptæ functioni? conceptæ opinioni? atque ea res, non nego, animum iſtum mordet. Aiunt ab Alexandro Magno inuitatū quempiam, in magnâ famâ peritè ſagittandi, vt ſpecimen coram ſe ederet: atque illum recuſaſſe. motum autem obſtinatione Alexandrum, iuſſiſſe duci hominem, vt ſui contemptorem. Illum in viâ dixiſſe, non pertinaciâ, ſed ingenuâ verecundiâ deterritum, ne fortè in ſenio manus aut arcus aberraret, & coram tanto Rege dedecoraret veterem famam. Idem ſi ego dicam & prætendam, an peccem? Scio alacritate quadam & vigore opus ad docendum dicendumque, ſcio memoriâ & eloquio: nec nego fuiſſe in me aliquas iſtas partes: atquin morbus etiam eas libauerit, non auſim ſperare aut profiteri. Totum me reuelo & retego apud tam fauètem arbitrū: & addo minora iam alia, quæ extra me, ſed me circumſtant. Ecce vxor mihi, annis me maior, quæ pedem patriâ ſuâ numquam extulit: quâ ſuadâ effecero, vt audiat me & ſequatur in terram cælo, moribus, linguâ diuerſam? Deſerere autem hanc comparem, non diuina, non humana lex dabit. Quid amicos & cognatos dicam, quibus ſolatij aliquid in me, aut conſilij? quid res & patrimonium meum? perdo hæc omnia, ſi deſero: & vincula hæc etiam ſunt in animo purgato, & ſapiente. Denique Rex & patria etiam retinent, imò tecenti liberalitate ligant. Quæ frons mea erit abeuntis, & exteros vel in ignominiam vtrorumque præponentis? Enimuerò extra honeſti fines, imò & æqui, abire me cenſeam, ſi in cauſsâ pari & commodo, iſtos non anteponam. Hæc in meâ parte ſunt præcipua: in aliâ, ea quæ tu, Illuſtriſſime, diſertè ponis. Italia, quæ vocat; frequentia & ſplendor auditorum; res pacatæ; & quod ſuper omnia mihi eſt, Pontificis ſummi ditio & tutela, ad quam vocor. Ex animo fateor, duo hæc magna apud me eſſe, Pontificem & Italiam: & vt ſemel decidam, rumpam alia omnia, ſi valetudo ſola commeatum det & permittat. Quid denique tua auctoritas? ſuades enim, & penè togas. Suffundor rubore in hac parte, & iam ſcutum illud valetudinis penè abiicio, quod ſumpſi. Sed enim te rogo, cuius non benignitas minor eſt quàm auctoritas & virtus,

ne

ne eò me compellas, quò non dicam commodè; ſed honeſtè vix eam. Vires enim identidem examino, quas dare aut reddere ſolus ille Deus poteſt: etſi animum erigere & excitare auctoritas tua. Non mentiar, plus me mouerunt binæ litteræ tuæ, & collegæ Illuſtriſſimi Palæori, quàm omnis vocatio, ſcriptio, machinæ, quas priuatim aut publicè adhibuerunt. Sum enim is qui proceres reuerear;& præſertim Eccleſiæ;& præſertim iſtos, qui in eâ eminent virtute, prudentiâ, eruditione. Talem te eſſe, Illuſtriſſime & Ampliſſime Cardinalis, & me hoc nomine cultorem tuum ac clientem, coram ſupremo illo numine teſtor. quod ipſum rogo & veneror, te talé ſibi, Eccleſiæ, Italiæ diu ſeruet. Louan. v. Idus Sextil. ∞. IO. XCV.

EPISTOLA XLI.

PETRO ENRIQVEZ COMITI FONTANO, GVBERNATORI BELGICAE.

ETSI coràm me breuî ſiſtere,& ſermone gratias agere tibi conſtitui; tamen profectò animus me adegit, ſtilo & ſcriptione quoque id facere, & teſtari deuinctionem quam in magnitudine noui huius beneficij haberem. Quid enim honeſtius aut aptius dari mihi potuit? atque ego fateor, etſi numquam id egi aut ambiui, tamen in animo & voto habuiſſe ſemper id munus, cuius nunc compotem benignitate tuâ video & gaudeo me factum. Quòd ſtudia mea deinceps quieta & libera à curis erunt; quòd res geſtas tradere & ſcribere potero in vſum poſteritatis; id totum tibi ego acceptum refero, fortaſſe & illa ipſa poſteritas, ſi Deus vitam & famam meis ſcriptis dabit. A magno iſto FONTE ingenij mei riuulus manabit, & fructus quos aſſidua hæc irrigatio gignet, iure merito ſibi vindicabit Regis liberalitas & tua. Id teſtari breuiter nunc (ita mos meus eſt) ſed fideliter volui, EXCELLENTISSIME & ILLVSTRISSIME PRINCEPS, quem Deus ſeruet & dirigat in ſuam Regiſque gloriam, & in publicum bonum. Louanij, XI. Kalendas Februar. ∞. IO. XCVI.

EPIST. XLII. *Piſas.*

· HIERONYMO MERCVRIALI S. D.

NON feſellit te noſter Monelia, qui de affectu meo in te & honeſtis vbique ſermonibus eſt teſtatus. Nihil nimium potuit dicere, ſiue ad amorem, ſiue ad iudicium: & in vtroque ſumus inter primos, qui te vel diligunt, vel colunt. Tu verò Mercurialis, ille es qui Romæ mihi in adoleſcentiâ primâ innotuiſti, paullò me maior, ſed virtus tua & doctrina etiam diſparem me cepit, & arcano lentoque vinculo tibi iunxit. Variè poſteà peregrinatus ſum, variè etiam in his patriæ meæ turbis iactatus: ſed vetus ille amor firmiter hæſit, nec Mercurialem meum vlla tempeſtas mihi excuſſit. Ego verò iam ante menſes aliquot in eo eram, vt Italiam veſtram, & te viderem; repetendum mihi & complectendum, vbicumque in eâ fuiſſes. Nec enim tu lates, illuſtre in eâ ſidus, & exteris quoque cura & notitia eſt tui. Sed id conſilium cùm valetudo temorata eſt, tum Rex meus abrupit, qui hîc eſſe voluit, & vt honeſtiſſimè poſſem effecit. Præter enim munus lectionis publicæ, Hiſtoriographi me ſui titulo donauit, addito in hanc rem ſalario annuo, in quo vel cupidior aliquis acquieſcat: quid nos modeſtiæ & continentiæ amantes? Enimuerò res laxas aut ſplendidas numquam appetij, nec id vilitate aut abiectione animi; ſed iudicio & decreto, quod ſapientia mihi [illegible]auit. Quid iſta externa omnia, niſi in vſum meum habeam? & ſcio virtutis & bonæ mentis ſæpè naufragium factum, cùm ſuperfluunt & redundant. Adduco vela, nec totis ſinibus ea pando, aut fortunę adſpiranti permitto. Delectatio autem nobis, ſed & occupatio, quæ ſolet, in honeſtiſſimis ſtudiis: quæ & tu quàm ames, etiam inter tua ſeria, non diſſimulas, cùm de locis quibuſdam conſulis me, & quæris. de quibus ſeorſim, quid ſentiam, hîc habes. Vt me quoque porrò ames, inter faſtigia eſt votorum meorum. Louanij, XII. Kal. Mart. ∞. IↃ. XCVI.

EPISTOLA XLIII.

IOANNI VERASTEGVI, *Præſidi Cenſorij Tribunalis.*

LAETVM ſimul & triſte mihi fuit, audire de munere, quod magnus Rex noſter benignè tibi donauit. Lætum ſanè tuâ cauſſâ, quia dignitate augeri te videbam; triſtem meâ, quia diuelli à nobis, & ad loca ire quò non niſi litteræ noſtræ peruenirent. Sed in pugnâ tamen iſtâ affectuum, prior longè vicit: quia verâ amicitiâ inducor, tuum commodum ſupra meum habere: tum etiam, quia ad honeſtiſſimum locum &

& functionem vocaris, quò & ego nuper & nunc iterùm liberaliſſimè inuitor. Eſt enim ibi Cardinalis Borromeus, decus ordinis ſui, qui in cohortem familiamque ſuam adſcriptum me cupiat, largo & inſolito ſanè honorario: ſed addictum iam & alligatum Regi, quod eũ nõ fugit. Sed & alios inſignes viros vrbs ea & Senatus habent: gratulor igitur, gratulor quòd è noſtris turbis, ad quietem & lucem illam ibis. Quod autem petis à me de Oratiunculâ, libens fecero, ſi capita breuiter ad me miſeris dicendorum. Nam in talibus parùm vſu doctum eſſe me, non nego. Qui has tradet cognatus meus eſt, cui aliquid negotij apud Comitem Fontanum: ſi id tale eſt, vt à te decorè poſſit iuuari, aut ſaltem admiſſionem impetrare, rogo facias: ſi aliter eſt, non rogo. Deum autem, vt felix & tutum iter tibi tribuat, & iu optatâ illâ metâ ſiſtat. Ego memoriam abſentis ſeruabo, & per litteras etiam renouabo: meritò, hominis tam candidè mihi amici. Louanij, VII. Idus Mart. ∞.IↃ.XCVI.

EPIST. XLIV. *Romam.*

GABR[illegible] PALAEOTO, *Cardinali.*

LITTERAS tuas & vnà librum, ſcripta aut miſſa ad me Decembri ſuperiore menſe, nunc denique hoc Iulio accepi: quod non quia mitter ſcripſi, (grande locorum interuallum eſt) ſed vt excuſer, ſi cogitatio fortè incidiſſet ſilentij mei, aut tarditatis. Ego verò, Ill^me ad tales epiſtolas, ad talia munera, non ſileo: quæ & honorem, & gaudium, mihi adferunt. certè tuus liber, quem in ſerio illo & graui argumento, non libenter ſolùm, ſed auidè equidem legi. Eò ſanè iam veni, & Deus, ætas, iudicium hoc mihi dederunt, vt vana aut curioſa multa ſtudiorum incipiam ſpernere, & animum oblectare maximè aut paſcere iis, quæ propria animi ſunt: id eſt, quæ Virtutem, Sapientiam, & ipſam immortalitatem ſpectant. ad quam occulto niſu, etiam in vanis iſtis, adſpirat. Omnis gloria, quæ ſcribendo quæritur, quid niſi poſteros etiam cogitat, & monumentum ſui? Atqui abeunt, ne diuturna quidem ſunt, non dicam æterna: ſola illa nobiſcum perennant, quæ animus ſibi è tribus illis induit, & fideliter adſciuit. Ergo, vel hoc nomine, gratus iucundusque mihi tuus liber: ſed etiam argumento, etiam tractatione: quorum illud in me quoque conuenit, ſi non annis, valetudine ſenem; iſta, proba & compoſita eſt, bono ordine, bonis verbis. Nam & hæc bona appello, non quæ fucum aut quæſita ſciramenta habent, ſed quæ rebus apta, grauia, ſignificantia: cuiuſmodi attuliſti. Didici non ex libro ſolùm, ſed ex ipsâ ratione tuâ ſcribendi, falſum illud Lucretij de ſenibus:

Claudicat ingenium, delirat linguaque, mensq;.

Imò contrà veriſſimum illud alterum, boni Poëtæ veteris,

Quòd periti ſumus in vitâ, atque vſu callemus magis.

Ita ſanè eſt in ſenectute, quam iuuentus non debilitauit, nec vitiis ſuis effœtum corpus illi tradidit. Ego me tibi Ill^me & Rev^me Domine trado, deuinctum reliquæ virtutis tuæ cauſâ, tum hoc dono: & habe me inter fidos tuos clientes. Louanij, XII. Kal. Sextil. ∞.IↃ.XCVI.

EPIST. XLV. *Bruxellam.*

GASTONI SPINVLAE, *Gubernatori Limburgenſi.*

GAVISVS ſum in conſpectu tuarum litterarum: dolui in primâ ſtatim lectione, vbi conquereris memoriam me tui depoſuiſſe, & argumentum capis à ſilentio meo ad iteratam tuam ſcriptionem. Primùm hoc teſtor, nec ſi ſileam quidem, amorem aut cultum tui à pectore hoc migraturum, in quo radices ſatis altè iam egit: deinde nec ſiluiſſe me, & nullas omnino tuas, nullas inquam (verè hoc repeto) ſine reſponſo omiſiſſe. An ego quid te, quid me deceat ignorem? & ſi tu non graueris appellare me, in illo gradu poſitus, ego reſpondere parcus aut tardus ſim, qui vltrò omne officium tibi debeam? Ne cenſe; ſed hoc potiùs, malè traditas litteras per incuriam aut fraudem (nam nec ea his temporibus rara) periiſſe. At illud deinde in epiſtolâ tuâ gratum, valere te, tuam, & tuos: atque etiam auctam familiam eſſe acceſſione filiolæ, quam vxor tibi peperit, Deus dedit. Iſte idem ſeruet, & inter publicas curas & ſæpè mæſtitias, domeſtica hæc gaudia firma tibi eſſe velit. Equidem in rebus non Belgicæ ſolùm, ſed Europæ noſtræ ſolicitor interdum, & mecum diſputo: Quis exitus erit? quò fœdera hæc erumpent palàm aut occultè (ſcis quid velim) in nos inita? Sed & auxilia, ſiue militaria, ſiue pecuniaria, tarda ſunt, & ſæpè poſt occaſiones. Audimus ſanè Regem claſſem magnam inſtruere, vnicum finem

finem belli, ſi portum & ſucceſſum deinde habeat: ſed quando id quoque erit? Apparatus adhuc ſunt, nec vltrà: niſi quia retardant fortè, quæ ſcire nos nihil opus eſt, & quædam inter Reges occulta. Licet hæc in melius interpretari: & de N. neſcio quid non ſolùm fama, ſed litteræ ex Italiâ palàm iam ſcribunt, à partibus noſtris eum ſtare. O rem optandam, ſi ita ſit! ô velis remiſque in auxilium eius properandum! Nam ſi deſeritur aut differtur, metus eſt ne à vicinis & ſuis etiam opprimatur. Nam partes, vt ſcis, in eâ gente, & à religione factiones: quam nouam qui fouent, in nos vtique non propendent. Sanè, niſi tale aliquid ex inopinato interuenit, conſilia inquam, & auxilia occulta: res regis noſtri in arctum eunt, ſtipatæ à tot hoſtibus, ſed tamen vi Fati & numinis (ita ſemper mea ſpes & opinio fuit) explicandæ. Speremus in fauore cæleſti erga Auſtriacam Domum, tam claro, tam recenti; ſperemus eò magis, quòd cauſſæ bonitas & iuſtitia ſuſtentat. In Hungariâ tamen vulnus accepimus, & ſatis grande: ſed benè quòd hieme, alioqui metus à progreſſu maiore erat. Etſi in Agriâ amiſsâ damni ſatis eſt, & maioris ferè quàm in ipſo exercitu. quia hic reparari, illa recuperari haud facilè poteſt. Et eſt ſanè limen atque aditus in Poloniam, Morauiam, Sileſiam & vicina. An non ea res Polonos excitabit, vt in tempore ſe iungant? Sed nec Itali, ſpero, ceſſabunt: quorum rem in Hungariâ & Auſtriâ agi, ſatis ſcimus, atque etiam Venetorum. Illum ignem vicinum habere qui vult aut patitur, quid niſi comprehendi & comburi ab eo vult? Nam hæc natura magnorum ſemper imperiorum, proxima amplecti. Sed, vt rem tibi dicam, ego nec Turcam & Aſiam totam metuo, ſi res modò Regi noſtro pacatiores aut firmiores ſint: ſi & militia inſtauretur, à quâ ſic diſſolutâ & turbidâ vix magni aliquid contra magnum hoſtem ſperes. Germania te ipsâ diſcit, & in aſſiduis exemplis, nihil collectitium & ſubitum hunc militem eſſe, malè ducibus & inter ſe notum: nihil, niſi cædem hoſtilem aut prædam. Sed ſatis de publicis, in ſcriptione quidem: plura & liberiora in ſermone vellem. De priuatis meis, quod ais te ex Hiſpaniâ nil audiſſe: nec ego quidem, niſi quòd litteras commendaricias ad Cardinalem accepi, ſed ſine vllo effectu. Res magnæ & arduæ facilè excuſant Principes & qui iis adſunt, ſi ad hæc minuta nunc non attendunt. Litteris & doctrinæ laus & fama ſit, præmia rara, & vt verum fatear, nec nobis ſperata. In tranquillitate animi ſi exigere vitæ hoc ſpatium licet, cæleſtia meditari, humana intelligere & ſpernere; beatus ſum, nec Regibus inuideo, aut omnibus purpuratis. Hic meus ſenſus, ſed priuati hominis: vobis alius & altior eſſe debet, quos ad alia & altiora Deus vocauit. Illuſtriſſime Domine valere te & familiam opto, atque hanc à me ſaluere. Louanij, VI. Kalend. Februarij, ∞. IↃ. XCVII.

EPIST. XLVI. *Madritum.*

IOANNI IDIAQVEO, *à Conſilus magno Regi.*

Etsi ſcio rarò, & niſi in magnâ cauſsâ, vos tales adeundos; tamen beneficium à Rege nuper acceptum, qui mille aureorum congiario me donauit, impulit vt ſcriberem: & per te gratias maximo Regi agerem, quem humilior noſtra conditio decorè non compellat. Per te? imò & tibi gratias agerem: quia neque hoc neſcio, tuam auctoritatem, & in me benignitatem, hoc totum vel promouiſſe vel confeciſſe. Quo autem meo merito? priuatim nullo: quo magis obligor, & animus ſeriò auet aliquo gratitudinis ſigno id teſtari. Sed viam vitæ quam ingreſſi ſumus, vides: remotam à rebus, actione otioſam, nec niſi in lectione aut ſtilo occupatam. Neque pænitere poteſt, cùm pretium aliquod iis apud Principes meos quoque eſſe videam. Nam de te vir Illuſtriſſime quî poſſim dubitare, qui & ipſe largiter guſtaſti, aut potiùs imbibiſti, optimas artes: & hunc quoque gradum ad culmen illud prudentiæ tibi ſtruxiſti? Vetus autem eſt, *Qui non intelligunt artes, non amare artifices*: & contrà. quod in te equidem expertum me, fateri debeo: atque vtinam tibi & bonis ſtudia mea approbem! quæ dirigere deinceps in honorem Principum meorum, & bonum iuuentutis ac publicum, voluntas largiter mihi eſt, faxit Deus vt & facultas. Exemplar vnum MILITIAE ROMANAE, correctæ nouiter & auctæ, ad te miſimus: ſpero perueniet: miſſuri breuî, ADMIRANDA, ſiue de MAGNITVDINE ROMANA. Deum precor, vt te Illuſtriſſime Domine Regi, Reip. & nobis ſeruet. Louan. IX. Kal. Maias, ∞. IↃ. XCVII.

EPIST. XLVII. *Romam.*

FVLVIO VRSINO.

LAETVM mihi fuit à te, Fului, amico peruetesi, nouum beniuolentiæ teſtimonium adipiſci. Quid magis optem, quàm à magnis viris amari, & in loco aliquo haberi? Quod mihi contingere, etiam ſupra merita, in animo iſto fateri debeo, & capio aſſiduè exempla. Vel nunc, cùm de beniuolentiâ Ill^mi Sfortiæ Cardinalis ita ſeriò ſignificas, & veterem etiam tuam addis & renouas: in vtraque exſultare me fateor. illâ, ob magnitudinem & ſplendorem viri: tuâ, ob eruditionem & virtutem, quæ vt fax vnica in Italiâ nunc lucet. Vnica, inquam. nam vbi alij illi noſtri Muſarum antiſtites nunc ſunt? abierunt, & paucos ſupereſſe credo, quos ego aut fama nouit. Etſi quoſdam tamen eſſe, qui has cum grauioribus artibus miſceant vtiliter ac temperent, non neſcio: ſed omnium ſcilicet rerum ſuus quidam orbis, & vt ſic dicam, tranſitus eſt: etiam ſtudiorum, ingeniorum, quæ aliàs alibi florent, aut viuunt. Sed de Illmo illo viro, equidem iamnunc deſtinabam ad eum ſcribere, & huic beneficio (ſic interpretor iudicia hæc & teſtimonia) non gratiam, ſed confeſſionem ponere: niſi reuocaſſet me, quod melius viſum cum munere adire, id quod breuî MILITIA mea recuſa dabit. Hanc mittam, & ſimul deuincti animi mei teſtes litteras; quarum loco vocem tuam nunc aſſumo, & rogo vt velut legatiunculâ iſtâ apud eum fungare: Clientem eius eſſe ac cultorem, ac fore in reliquam iſtam vitam. Tibi quoque, Fului, de fide & amore meo recipio, quæ cœpta ante triginta annos, non niſi mecum deſinent & monentur. Vale vir Cl^me. Louanij, XVI. Kal. Iunias, ∞.IↃ.XCVII.

EPIST. XLVIII. *Mediolanum.*

IOANNI FERDINANDO VELASCIO, *Comeſtabili Caſtellæ, Gubernatori Mediolanenſi, Præfecto ſupremo militiæ Regiæ per Italiam.*

ILL^MI & EXCELL^MI PRINCEPS,

ME verò non gaudio ſolùm, ſed admiratione adficit hæc tua tàm ingens in me (ita loqui debeo) beniuolentia: quam non ſcriptis ſolùm, ſed rebus oſtendis. atque id in immerentem, certè inopinantem. Non delector ambitione aut ſplendore iſto externo, quod ſciunt qui interiùs me norunt: delector tamen, fateor, & in animo iſto paſcor, tuâ iſtâ benignitate, & propenſione. quid ita? quia ſolida & vera in te bona miramur, & ipſum te, non ſolùm ea, quæ circum te ſplendent. Rarum in hac potentiâ & altitudine; ſed eò pulchrius, & maiori à ſapientibus laude ferendum, cùm tot externa adſint, ad interna te conuerti, & cenſeri velle à virtute, ſapientiâ, doctrinâ. Nihil tibi è coniecturâ damus, ſunt in hac ipsâ Vrbe oculati olim arbitri & teſtes, qui te: ſed hæc apud te omitto. Ad epiſtolam autem tuam ſic benignè ſcriptâ, & ad munus illud adiunctum è bibliothecâ Ducis Allobrogum depromptum, quid dicam, niſi quod res eſt, gratias & agere me, & cùm egero, debere? Certè publicè etiam proderit tua cura iſta & liberalitas, cùm POLIORCETICA noſtra hoc additamento ibimus ornatum: quod breuî fiet, opinor, & MILITIA noſtrâ (quæ iterùm cuditur) abſolutâ. Habemus & alia quædam noua in manibus; ſed quod verè apud te depono, valetudo nimis ſæpè interpellat & ſiſtit: tum & cottidianæ occupatiunculæ, quas in lectionibus publicis, aut priuatis ſcriptionibus, cogimur collocare. Mihi verò vtinam vita ſuppeditet, donec teſtimonium aliquod dare mihi fas tuæ virtuti, non aliâ quàm æui & exempli cauſſâ. Nam velle & debere me ſcio, & adamantino, vt ſic dicâ, vinculo obſtrictum manere tibi, Ill^me & Excell^me Princeps. Louanij, III. Non. Iun. ∞.IↃ.XCVII.

EPIST. XLIX. *Mediolanum.*

IOH. BAPTISTAE SACCO.

EN, quàm verus auctor tibi de valetudine meâ confirmatâ Puteanus! ego iam dies ſedecim in morbo fui (omitto veterem meum languorem) & à quo periculum tabis non abeſſe medici muſſant. Homo ſum mi Sacce, & ex quo natus ſum huc ibam. Quamdiu etiam hæſi in viâ? ſanè præter meam & aliorum opinionem, quibus ſemper, in tenui corpuſculo & viribus, * ὀλιγοχρόνιος viſus ſum eſſe. Sed adhuc tamen ſuſtinui, & nunc quoque omnia potiùs, quàm animus relinquet: qui ſecurus vitæ aut fati, Deo ſe permittit. Habes hîc libros de MAGNITVDINE ROMANA, lege & cenſe, ſi me amas. Certè argumentum pro veſtrâ gente eſſe debet, quam laudatum

* breuis æui.

datum iuimus & cælo penè inſertum. Sed heus, noſter Puteanus quid, aut vbi agit? poſt vnas litteras nihil de eo auditum eſt. Probus iuuenis eſt, litterarum amans, & ſciens quoque pro ætate: ſed nondum *πολύπειρος, & multa ei in communi vitâ & moribus diſcenda. Vale mi Sacce, & valetudini breuiorem ſcriptionem fer acceptam. Ad heroëm veſtrum librum miſi, itemque epiſtolam, Principem ſemper mihi ſuſpiciendum. Louanij, XI. Kal. Maij, ∞. IƆ. XCVIII.

* morum gnarus.

EPIST. L. *Antuerpiam.*

LVDOVICO PEREZIO.

AH telum, quod quaſi catapultâ miſſum in me venit, de morte optimi Ariæ, communis illius noſtri. In quo etſi priores partes iure tibi tribuo amicitiæ (diutiùs enim, & arctiùs iuncti eſtis:) tamen vix amoris, ſi meum hunc animum conſulo, mirificè in virum illum affectum. Meruerat ita ipſe amore, etiam beneficiis: quæ, etſi illo mortuo, æternùm apud me viuent. At tu ſolatium à me exſpectas. ignoſce, non poſſum: mens, cogitatio, voluntas etiam, excuſſa aut certè concuſſa mihi ſunt. & quamquam recepi & collegi me nonnihil à primo illo nuncio: tamen vt in mari poſt vehementiorem ventum, commotio &, vt ſic dicam, criſpatio adhuc manet. Quid tamen ſolatio opus eſt? de quo, & apud quem? Ariam noſtrum libenter, & penè dicam auidè ab his terris turbiſque abiſſe auſim dicere: & diſſenſum hunc veſtrum, fortaſſe primum, voluntatum fore, ſi reuoeas aut retentas. Diu ille vixit, & ad vltima humanæ ætatis venit: vixit in bonis, in aſperis rebus: & guſtauit abundè è duplici dolio, quod ille ſupremus Sympoſiarcha nobis miſcet. Quid illum in rebus humanis delectauerit, ſic gnarum earum & peritum? ventum, fumum, nugas eſſe ſciebat: atque vtinam non verè addam, fraudem, fucum, ſcelus. Inter hæc haberi eum placet, iactari inter diſſimiles: & te ſi non polluì, tamen aſpectu vel contactu? Abeat, cum bono Deo ſe ſubducat, ab iſto carcere in liberum illum & lætificantem locum. Quem nunc inſidere eum, beatum inter beatos, vitæ integritas & candor ille ſpondent. At apud nos bonam famam, & in templo Memoriæ ſcriptis ſuis conſecratam reliquit: alteram ſcilicet & diuturniorem vitam. Hoc de ipſo cogites: de te, quid? virum eſſe, cui cum omnibus cõcordia, cum Fortunâ ſemper contentio fuit, ne vi deiiceret, ne fraude ſupplantaret. En, magnus & celebris hîc agon. compoſitus es cum ingenti luctu, qui inuadit & ſtringit: eripe & eluctare, & Rationis auxilio nexus illos nodoſqu eſolue. Hanc niſi aduocas, & totum affectui te permittis: quis Deus adiuuerit? Imò vt in tenebris ambulare & currere qui amat, impingit & ruit: ſic in te, niſi præfers & præpandis lumen hoc mentis. Ea te docebit, vt folia toſas, ſic vigorem & vitam nos relinquere: atque adeò non hominem, ſed nec elementa & mundum eſſe æterna. Cogitemus, & ipſi paremur, quandocumque Deo viſum, ad caſum ſimilem: quis ſcit quando ſubeundum? Non anni, menſis, dies, hora excepta ſunt: non hæc ipſa, quâ ſcribo,

Et certam præſens non habet hora fidem.

Tu vale vir Nobilis & Cl^mè^, & animo, vt ſoles, conſta. Louanij, XI. Kalend. Iulij, ∞. IƆ. XCVII.

EPISTOLA LI.

MATTHIAE OVANDO, *Doctori Theologo, Principi à concionibus.*

EPISTOLAM tuam quídni libens viderim, à tali viro teſtem rari in me adfectus? In gratiâ & famâ eſſe velle hominum, homini eſt inſitum: ſed magis apud illuſtres, & eos qui vtramque ſuo merito habent. Tu is es eximie Ouande; quem virtus, eruditio, addo & eloquentia commendant, & in gratiâ apud Principes, in famâ apud omnes ponunt. Itaq; oblationem amicitiæ tuæ ſic amplector, vt Amicitiam ipſam vellem, ſi conſpiciendam ſe mortalibus oculis daret: ſed tu habitaculum & ſedes eius eſto, & in te venerer hanc & colam. Vis dextram fidei meæ teſtem? habes hîc impreſſam: etſi coràm ipſam etiam dare & iungere mihi ſpes eſt, cùm Aulam veſtram videbo. Intereà librorum meorum Indicem (ita petis) mitto: quos ab Hiſpaniâ tuâ æſtimari & appeti quòd ais, gratum eſt: cur abnuam? imò hoc fine ſcribimus, vt appetantur. Sicut gloriam mercedem boni operis habere boni non debent: ita poſſunt comitem, & hîc in terris eo velut melle temperare quod in virtute eſt amarum. Dico gloriam, id eſt teſtimonium bonorum. nam vulgi famam & auram tantùm, quis ſapiens captat? Sed iſta præter

rem

rem omitto, te in animo teneo, & tuo teneri voueo ac rogo. Louanij, III. Non. Iul. ∞.Iↄ.XCVII.

EPIST. LII. *Romam.*

FRANCISCO SFORTIAE *S. R. E. Cardinali.*

BENIVOLENTIA & inclinatio tua in me, quam è Fuluij Vrſini, & aliorum litteris certò cognoui, duplicem affectum in animo iſto genuit; & gaudium ſimul, & tui cultum. Nam quomodo non gauderem in iudicio & affectu talis viri, quem & dignitate, & ſtirpe, & animi ingeniique dotibus, inter primos auguſti illius Senatus eſſe ſcirem? Ego verò gauiſus ſum, & velut ſtimulo incitari me ſenſi ad porrò colendas eas artes, quæ commendabilem me vobis reddunt. Iam de cultu etiam & veneratione tui, verè dixi. quem iam antè fama melior, imò & adſpectus, notum in noſtro quoque orbe fecerant: vbi & nomen & gloria tua viuunt: & nunc benignitate tuâ allicior, vt propiùs inſpiciam, noſcam, colam. Hoc enim virtutem & prudentiam ſequitur, & rapimur ad eas ſuſpiciendas, eosque qui habent. Quod iamantè indicare & ſcripto profiteri, in votis mihi erat: ſed repreſſi & ſuſtinui, donec poſſem cum *munuſculo. quod nunc mitto, & ſpero ab argumento non ingratum Italici ſanguinis atque animi Principi fore. Certè affectum meum in Romam & Romanos abundè teſtatus ſum: & ſiquid omiſi aut minus feci, non illius, ſed ingenij deliquium ſit & culpa. Ill^me & Reu^me Domine, vt me deuotione tuum cenſeas, rogo, & locum aliquem vel inter infimæ claſſis clientes tuos adſignes. Louanij, x. Kalend. Maij, ∞.Iↄ.XCVIII.

* *De Magnit. Rom.*

EPISTOLA LIII.

IOANNI RAMIREZIO AB ARELLANO *Ic^to.*

SVAVE mihi fuit, non mentior, & ipſum te nuper videre, & nunc à litteris tuis adiri, quæ idipſum quod ſermo, id eſt affectum in me, cum niueo quodam candore, præferunt & oſtendunt. In me tantùm? in optimas etiam artes noſtras: à quo velut fonte, ſcio, manat ad me hic riuus. Amo, laudo. hoc magis, quòd haud multi hodie ill... ; & non dicam imbui, ſed tingi Heliconiis aquis ſpernunt. At tu vel mergi, vt ſic dicam, velis: & ideò ad nos quoque, id eſt Louanium, veterem illam Muſarum ſedem adſpiras. Quod vtinam tibi liceat Ramirezi! mihi libeat, & iuuet verſari tecum ſæpiùs, & ſermones miſcere animis vtriuſque noſtrûm vel formandis, vel recreandis. Optem ego: quid poſſis, tu vide, & quocumque tamen loco nos ama. Louanij, VII. Idus Sextil. ∞.Iↄ.XCVII.

Ad diſcipulum tuum hîc habes, vtinam ad bona calcar.

EPIST. LIV. *Bruxellam.*

LVPO DIONYSIO A CASTELLA, *nobiliſſimo iuueni.*

LITTERAS tuas, præſertim ſic Latinas, exoſculatus ſum; & animum, qui impulit ad ſcribendum. Quid enim ille, niſi beniuolentiâ mei æſtuat, qui aperire hanc ſtam hanc flammam voluit, & per litteras reuelare? Quas (iterùm dico) exoſculatus ſum: & maximè ob elucens in iis ſtudium tuum, & ardorem in res artesque honeſtas. O mi iuuenis, genus tuum cogita, ætatem tuam, ſæculum noſtrum; nihil dignius aut aptius videbis generi, ætati, ſæculo, quàm tingi te & formari his artibus, quæ non ſcientiam ſolùm, ſed prudentiam, imò & ſapientiam donant. Ecce genus tuum illuſtre, & ab ipſis Regibus: quid magis huic conuenit, quàm non cenſeri in reliquo nobilium grege, & dotibus ornamentiſque ingenij, non ſolùm fortunæ, eminere? Vide & ætatem; flos ipſe eſt, & anni iſti faciles & ad omnem diſciplinam ſequaces. Vide ſæculum; turbidum eſt, res magnæ in motu & exſpectatione. quid tam neceſſarium, quàm rebus magnis magnos item viros admoueri, qui adminiſtrent feliciter & gubernent? Mihi crede autem, felicitas illa ex prudentiâ oritur, & diuinus ille fauor ſemina & cauſſas in nobis habet. Neque ita tamen hæc diſſero, quaſi ad ſcholas aut libros tantùm te vocem: abſit: memini tui loci & generis, & ſpei ad quam educaris: ſed inter illa externa, & militaria vel aulica, locum etiam te facere ſuadeo optimis artibus, quæ animum excolant & forment. Eæ imbibuntur per lectionem & libros: & habes rectorem & doctorem idoneum, qui infundet. Felicem te, qui ſub tali etiam Principe educaris! vide & nota omnia in exemplum: quia nihil ille facit aut dicit, quod non ſit

ſit exemplum. Sed monendi nec hîc locus eſt, nec meum munus: niſi quòd amor impulit, quem iamnunc in pectus hoc vnâ ſcriptione tuâ, velut philtro, immiſiſti. Itaque ſiquid eſt in toto LIPSIO, quod totum aut in parte ſeruire vſibus tuis poſſit; habes promptum volentemque. Vale Nobiliſſime iuuenis, & animo ac corpore creſce, Deo, Regi, Tuis. Louanij, VI. Idus Sextiles, ∞. IↃ. XCVII.

EPIST. LV. *Genuam.*

PAVLO MONELIAE, *Patricio.*

MEMOREM te noſtri eſſe, nec mentem diuidi etſi multi montes & terræ diuidunt, gratum eſt, mi Monelia, vt cum Plauto dicam, vel contra aurum. Video firmiter fundatam amicitiam noſtram, nec ex leui verborum aut blanditiarum arenâ ſurrexiſſe. Pergamus inædificare, & officiorum & litterarum etiam commerciis; quas equidem iſtas crebrò dabo, & illa vbicumque vſus erit. Sermonem & ſpem illîc eſſe de meo in Italiam aduentu, non nolo mi Monelia: etſi quis ſparſit? nihil enim decretum etiam. Iuuat tamen & me ea cogitatio; & bonâ fide inclino, ſi aut valetudo mea, aut ij permittent, qui ius in me habent. An ego non libens amatam ſemper, & guſtatam aliquamdiu, Italiam reuiſam? tot in eâ præclaros viros & ingenia? tot monumenta præclarorum operum, aut virorum? Sanè quàm libenſ, & non potui temperare, quin hunc affectum bis terque exprimerem in ADMIRANDORVM libris, quos nunc vulgaui. Ij ſunt de MAGNITVDINE ROMANA: quam ignotam aut non creditam hodie adſtruxi, & benè meritum me cenſeo (ſine ſuperbiâ dicam) de gente & ſolo veſtro. Certè illa ſuſtuli & laudaui:- & quàm ex animo, ſcriptio ipſa mea tibi dicet. Exemplar, Deum teſtor, nullum mihi ad manum eſt quod mittam: ſed recudetur mox liber, & malo te correctiùs vberiusque habere. Suſtine igitur paullisper, & me ama, vnà cum Clariſſimo Mercuriali: cui breuî item exemplar. Louanij, XIV. Kalend. Iun. ∞. IↃ. XCVIII.

EPISTOLA LVI.

F. BONAVENTVRAE CALATAIERONENSI, *Sodalium* D. FRANCISCI *ſupremo Præfecto.*

INOPINATA mihi accidit heſterna humanitas tua: inopinata, ſed grata. Hominem certum vltrò ad me mittis, viſendi à te & ſalutandi cauſâ: & quid ampliùs? munus etiam adiungis eius generis, quod ſani & pij homines iure æſtimamus. Beneficia mecum communicas ſparſi vbique terrarum tui cœtus, & ex tot virtutibus mercedes vis ad me in parte redundare. Quid ego hîc dicam, niſi non habere me quod dicam? Vt oculi, in quos ſubita & magna lux venit, conniuent & clauduntur: ſic mihi pectus, largâ iſtâ humanitate perfuſum, & pænè addam confuſum. Quid tamen eſt? aperit illud, & me erigit hic animus, conſcius ſibi ſemper eximij in Sodalitium veſtrum affectus: atque eo ſaltem metuiſſe videor aliquem hunc à vobis. Iure eum habui. quidni in eos, qui pietatis omnes numeros perſequuntur, aut habent: & eam in aliorum animis excitant aut depangunt? Eſt hæc communis laus veſtra: illa tua propria, quòd in afflicto hoc rei Chriſtianæ ſtatu, nuper maximos duos Reges pacificaſti: atque vtinam inter ſe iunctos, religioni & reipublicæ inſtaurandæ! Quæ felicitas ſit? quis ſplendor ex his tenebris illuceat? Neque deſpero fore: & Deum calido ac ſuſpirante animo precor. Eumdem etiam, vt te Reu^mum^ Patet ſacro tuo cœtui diu præeſſe, & vniuerſo populo Chriſtiano prodeſſe, patiatur. Louanij, VI. Kal. Iun. ∞. IↃ. XCVIII.

EPIST. LVII. *Mediolanum.*

ERYCIO PVTEANO S. D.

FAVSTVM & felix ſit te in Italiam veniſſe, te apud Illuſtriſſimum illum Principem agere, loco & lege quam ſcribis. Quem Principem magnum eſſe ſcire debes, non à genere tantùm aut externis: ſed à veris illis internisque bonis, quæ Deus aut induſtria largiter ei dederunt. Tu place, & demerere: quod mihi quoque ſtudium eſſe fateor, etſi non alio fine, quàm vt cerni à nobis virtutem illam & coli ſciat. Itaque MILITIAM meam recuſam ad illum miſi: in quâ recenſui quædam, vt ſolet, & clariùs aut firmiùs

miùs dixi. in quibuſdam tamen etiamnunc ſuſpenſo pede iui, & quaſi ſuper oua, vt ille ait, & ariſtas. Quid mirum in rebus æuo, & paucitate ſcribentium, obſcuris? Sed alius addet fortaſſe, & illuſtrabit, & volentem me atque alios docebit. An non iamnunc facere intellego quemdam,

* Ὅς μοι ἄμα κρείσσων, ἢ φίλτερος ἀθανάτοισιν;

* *Qui mihi præſtas, & eſt diuis quoque carior ipſis?*

Faciat, liuor aut calumnia in me non cadet. Oriabar nunc aliquid poſt ADMIRANDA noſtra edita. ſed fortaſſe vt qui ſaltum cogitant, recedunt; ſic ego, & maior poſt otia hæc virtus. Saccum ibi amo, pro meo ingenio virum, & doctum ſimul & candidum, ſi quid litteræ animum reuelant. Et quidni reuelent, certus illius (à veteri verbo) character? Te etiam amo mi Puteane. quem hortor & oro, dignum præſtare elogiis & teſtimoniis, quæ dedi. Vt enim maior dolor eſt, cùm nauis onuſta perit, & in ipſo portu: ſic nobis [illegible]re, ſi tu ad alia eas aut mutes, qui in virtute & litteris ſic promouiſti. Sed non facies: ita Deus te ſeruet, & honeſtum magis magiſque reddat. Louanij, Nonis Septembrib. ∞. IϽ. XCVIII.

Exemplar Teſtimonij, quod huic dedi.

QVICVMQVE HAEC LEGITIS,

TESTOR *apud vos ex animo*, ERYCIVM PVTEANVM, *benè honeſteque natum, educatum, inſtitutum: ingenio ad optimas artes facili & tenaci, in vtrauis linguâ Græcâ & Latinâ peritum, verſu & proſâ bonum, vitâ moribusque modeſtum: & plura etiam reperienda in eo, ſiquis pernouerit, quàm hic dicam. Habet Matheſim, Philoſophiam, Muſicam quoque: & planè digniſſimus eſt, cui benè velit, ſiue benè faciat, quiſquis Doctrinam, Elegantiam, aut Virtutem amat. Commendo vobis talibus hunc iuuenem, à meâ quoque inſtitutione & manu profectum: ac ſpero, vel confido potiùs, gratiam me debiturum quidem ſiquis meâ cauſâ benè fecerit, ſed & habituros mihi ſiqui propiùs aut familiariùs ſibi iungent. Rogo, fides mihi ſit ſincerè ſcribenti; rogo, ipſi gratia aliqua & ſubſidium, in meâ ſcriptione. Louanij, III. Nonas Sextil.* ∞. IϽ. XCVII.

I. Lipſius, Profeſſor & Hiſtoriographus Regius ipſe ſcripſi.

EPIST. LVIII. *Mediolanum.*

IOH. BAPTISTAE SACCO.

ANTE menſem ferè ſcripſi ad te & Puteanum: nunc iterùm, vno hoc argumento, vt hunc quem vides Nicolau[illegible] Micaultium, libenter videas: quia & ipſe meretur, & ego rogo. Vir eſt inter digniores Belgas, ſtirpe & opibus: doctrinâ & vitæ inſtituto Theologus, & ritu noſtri æui LICENTIATI titulum adeptus. Fuit mihi amicus, & plures annos ſedulus auditor. Porrectâ fronte eum excipe: & ſi quid viſendum apud vos, oſtende. Ipſum Principem videre & affari ſi poſſet (certè vel à me ei notum) in voto haberet: ſed non temerè peto, nec illius benignitate erga me abutor. miſi ad illum & te nuper ADMIRANDA noſtra, per curſus publici præfectum: accepiſtiſne? verbo ſignificatum velim. Ego & langueo etiam mi Sacce, & ſeneſco: atque annum quinquageſimum primum ordiri parabam (ſi peruenio) hoc menſe Octobri propinquo. Intereà epiſtolas meas aliquot colligo, & editioni apto. Vale, & ſalutabit noſter Puteanus, à quo ad meas exſpecto. Louanij, prid. Kal. Sept. ∞. IϽ. XCVIII.

EPIST. LIX. *Romam.*

NICOLAO MICAVLTIO.

ROMAM enim inſcripſi: & noſtro voto atque opinione iam perueniſti. Si ita eſt, gratulor: & vt ea manſio iucunda, honeſta, fructuoſa tibi ſit, Deum veneror & animo precor. Sed ecce, quæ te velut aduenticia excipiat, Diſſertatiunculam noſtram ſuper CVRSORIBVS: quam in ſermone, per occaſionem diſceſſus tui, agitatam miſi te petente in ſcripta: & ſi vacas, hîc lege. Vides & fidem, & diligentiam? tu obſequium aut ſuffragium etiam adhibe, nec, vt in ſermone, ambige aut repugna. Etſi quî poſſis? habes omnia diſtinctè hîc, & per ſuos auctores: quibus vulgus fortaſſe aliquid abnuat, tu rerum artiumque veterum, non debes. Audi igitur. *Curſorum* tria genera facimus, hominum *Peditum, Equitum, Animantum.* De peditibus præmitto, qui antiquiſſimi, & quos Græci (verba Liuij) * *Hemerodromos vocant, ingens vno die ſpatium emetientes.* Quantum? inquies. Iam dicam, ſi priùs aliquid de ipſis ſpatiis, per quæ veteres aut nos metimur. Niſi enim iis cognitis,

* *Diurnos curſores.* Lib. XXXI.

&

& comparatis etiam aut pariatis; fruſtrà, & apud ſuſpenſum te aut vacillantem, cetera addam. Græci per *Stadia* ferè computant: atque ea etſi alibi alia, tamen communi more & vſu, *ſexcentorum pedum* hîc ſunto. Pes autem Græcanicus Romano ſemiunciâ eſt maior. Romani per *Milliaria* metiuntur, quibus à mille paſſibus eſt nomen. Paſſus autem *pedes quinos* continet: & pes Romanus vulgari noſtro paullò eſt maior. *Octo ſtadia* paullò minùs (ita Plutarchus) in Milliare vnum imputantur: etſi Suidas ſeptem cum dimidio diſtinctiùs profert. Nos hodie per *Leucas* ferè computamus: atque eas horario ſpatio finimus. Nunc quæritur, quot priſca ſiue Romana milliaria in Leucam noſtram veniunt? vulgo *tria* aſſerunt: nec malè, ſi hodierna Italica aut Romana ſpectemus. Si vetera, vereor vt errent. Antonini Itinerarium qui inſpicit, & comparat, videbit palàm, milliaria illa vinci ab hodiernis. Qui lapidum interualla, qui hodieque in veteribus viis, ſigna milliarium, cum numeris ſuis exſtant: idem cenſebit. Idem, qui hæc noſtra mox producenda comparabit. Si enim tria tantùm milliaria in vnum noſtrum ſumes: ſurgent ſpatia diurna ab homine confecta, ſupra omnes humanas vires. Sed illud de lapidibus, per mihi firmum eſt: & exſtant cùm alibi hodie, tum in Luſitaniâ, viâ militari ad Emeritam Auguſtam, vbi ſingula milliaria ſingulæ ſuæ columnæ inſcriptæ diſtinguunt. Qui ſpatium dimenſi ſunt (inter alios, amicus noſter Carolus Cluſius:) certò aſſerunt, *quattuor* ea venire *in vnam Leucam*. Hoc igitur ſequemur, ne nimia mira dicamus: & narrationem iam ordimur. Curſores pedites ingens ſpatium feciſſe dixi, & exemplum primum ſit in *Philippidâ* quodam: qui bello Perſico ab Athenienſibus Lacedæmonem, auxilij petendi cauſsâ, miſſus, *confecit biduo ſtadia mille ducenta ſexaginta.* Ea ſunt Romana milliaria *centum quinquaginta ſeptem & ſemis*: ergo noſtræ Leucæ, circiter *quadraginta.* Fecerit in diem eas *viginti:* rem haud nimis magnam aut mirandam. Magis in *Euchidâ*, qui ignis ſacri petendi cauſsâ, ab iiſdem Athenis Delfos miſſus, vno die iuit rediuitque, *ſtadia mille emenſus.* id eſt, Romana milliaria CXXV: noſtra, XXXI. & quod excedit. Magis iterùm, in *Aniſti Lacedæmonio curſore, & Philonide Alexandri Magni, qui à Sicyone Elin, vno die, mille ducenta ſtadia cucurrerunt.* Sunt Leucæ noſtræ, XXXVII. & ſemis. Sed in ſtuporem me dat, quod alibi idem Plinius, de hoc ipſo Philonide: *Ex Sicyone Elin, mille & ducenta ſtadia, nouē diei confeciſſe horis: indeque, quamuis decliui itinere, tertiâ noctis horâ remenſum.* Tótne illa ſtadia, *nouem horis?* curſores noſtri equi non faciunt. Sed fuiſſe æſtiuas & longas horas, ponendum eſt: & de reuerſione (quod rem auget) capiendum: quinque dumtaxat horas quieuiſſe, iterumque ſic rediſſe. Stupebam, ſed excitat Plinius, qui vt rem notam & vulgatam tradit: *Nunc quidem in Circo quoſdam* CLX. *millia paſſuum tolerare non ignoramus.* Audin' tu? *quadraginta noſtra milliaria* vno die, in illis Circi ſpatiis remetiendis, præmij cauſsâ, confecêre quidam. Quid ampliùs? *Nuper* (addit idem) *Fonteio & Vipſtano* COSS. *annos octo genitum puerum, à meridie ad veſperam,* XLV. *millia paſſuum cucurriſſe.* Hem! itáne tantillum puctum? itáne à meridie? Quid dicas aut cenſeas, niſi Genij alicuius ſubleuantis operâ factum? Etſi profectò hoc non fuit: ſed vſus & exercitatio, & præmij acris cupido. Enimuerò & poſteriore æuo, ſub Leone Imp. Byzantino, *Iudacus* quidam fuit, homo & robore & celeritate præſtans. *qui in eundo conſpectus* (veteris ſcriptoris verba, apud Suidam) *ſubitò euaneſcebat fulguris inſtar, nec currenti magis quàm volanti adſimilis. Certè quod iter homo, mutatis equis, vno die conficere non poterat, hoc ipſe ſuis pedibus, &* SINE MOLESTIA, *conficiebat.* Licet his mirandis adnectere ſingulare exemplum *Philippi*, nobilis iuuenis in cohorte Alexandri. *Is pedes (incredibile dictu) per quingenta ſtadia vectum regem comitatus eſt, ſæpè equum ſuum offerente Lyſimacho: nec tamen vt digrederetur à rege effici potuit, cùm* LORICA *indutus* ARMA *geſtaret.* De ſpatio, non nimis miror: de armis, magnum eſt & pænè *incredibile*, vt Curtius dixit. Atque hi Curſores Græcanici. quibus vſu, non operâ ſimiles, quos reges *Ingæ* nuper habebant, in vaſto illo noui orbis Perüano tractu. Iis caſulæ diſpoſitæ, per publicas regni vias, erant, dimidiati milliaris quæque interuallo. In caſulis duo curſores, cum ſuâ quiſque vxore agebant. Re igitur aliquâ nunciandâ, ad primum illum voce (nam litteris carebant) deferebatur, quidquid hoc erat. Ille curſu intento, à ſuâ caſulâ ad proximam pergens, iam vicinior altâ voce hoc ipſum inclamabat: atque alter accipiens, item pergebat ad proximam: ac ſic per manus ad fines regni. tantâ celeritate,

Plin. lib. VII. & Aemil. Prob.

Plutarch. in Ariſtide. Plin. VII. cap XX.

Lib II. cap LXXI.

Suidas in Ἰνδακός.

Curtius lib VIII.

P. Cieça 1. cap XLII. Auguſt. Sarat. 1. c. XIIII.

tate, vt Hiſpani ſcriptores fateantur, omnium equorum curſum ab iis ſuperatum. Neque diſſimilis ratio, quam maiores noLib. VII. ſtri Galli vſurpabant. de quâ Cæſar: *Vbi maior atque illuſtrior res incidit, clamore per agros regioneſque ſignificant: hunc alij deinceps excipiunt, & proximis tradunt, vt tunc accidit. nam quæ Genabi Oriente ſole erant geſta, ante primam confectam vigiliam, in finibus Aruernorum ſunt audita: quod ſpatium eſt millium paſſuum circiter* CLX. Nihil nimium eſt: & miror eſſe, qui diffidant. Quid? nónne longè mirabilius, quod Diodorus Siculus, in rebus Eumenis, tradidit: cùm ille milites & Lib. XIX. arma expediret, *quoſdam Perſarum, qui* XXX. *dierum ſpatio abeſſent, eodem illo die hoc cognouiſſe?* Fide maior res videtur: ſed ille ita denarrat. *Perſis*, inquit, *pleraque montana eſt & vallibus interrupta. in montibus, opportunis locis ſpeculæ ſunt, in quibus conſiſtunt homines maximè vocales: ſpeculæ autem ita diuiſæ, quantum vox ab vnâ ad alteram venire & excipi poteſt. Re igitur nunciandâ, vnus inclamat proximo, ille alteri, & ſic deinceps per omnes Satrapias, ad extrema regni.* In numero tamen illo τριάκοντα ἡμερῶν ſiue *triginta dierum*, ſubſiſto: & vereor vt τριῶν, ſiue *trium*, ſit ſatis. Habes *Hemerodromos*, & *pedites* curſores: niſi quòd Turcarum *Peichi* me etiam ſiſtunt. Hi in comitatu Principis & antecurſores, cùm opus eſt huc illuc mittuntur: tantâ velocitate currentes, cum ſecuriculâ in manu, & item phialâ odoratæ aquæ, vt adfirment eos Byzantio Hadrianopolim die ac noctu peruenire. quod interuallum eſt milliarium Romanorum circiter CLX. Ad diuerſum genus videtur quod Laönicus deLib. IX. ſcribit, & *Vlacidas* appellat. *Hi*, inquit, *citatiſſimo gradu magnum iter peragunt. & ſi fortè eques occurrit, eum deiicit, ipſe equum conſcendit: iterumque ſi alium, idem facit, & defeſſum equum ei tradit. Corpus ſuccingunt, ne doleat in curſu. Ex Peloponeſo Hadrianopolim ſcimus regios iſtos curſores veniſſe, intra quinque dies: quod iter* XV. *dierum ſpatio ægrè eques peregerit, etiam feſtinus & expeditus.* Mixtum hoc poſtremum genus, & *Equitibus* aſſidet, ad quos nunc imus. Vetus id inuentum, vt per diſpoſitos equos, & certas ſtationes currerent: quod Cyro, in Perſide quidem, XeLib. VIII. itẽ Herod. lib. VIII. nophon adſcribit. *Is conſiderans*, inquit, *quantum ſpatij vno die equus poſſet conficere, ſic vt labori non ſuccumberet: in tali iſto interuallo Equilia conſtituit, inque iis equos & eorum curatores. Tum etiam in quoque loco virum idoneum, qui acciperet litteras, & curſu ita perferret: quem nec noctu interdum intermittunt.* Nota de die, & rationem noſtram hodie diuerſam, qui diſponimus ferè per horas. Atque iſti ſunt, quos Perſæ *Angaros* appellarunt, itemque *Aſtandas.* Græci an vſurparint hoc genus, firmiter neſcio. in Liuio tamen lego: *Ti. Sempronium Gracchum* Lib. XXXVII. *acerrimum iuuenem, per diſpoſitos equos, propè incredibili celeritate, ab Amphiſſâ Pellam tertio die perueniſſe.* Quid Romani veteres? & de iis ambigo: etſi in eodem Liuio lego, *Cenſo-* Lib. XXIV. *res locaſſe curules equos præbendos*: ſed ego ad Circenſes traham. In Cæſare etiam ſcriptum: *Vibullium, omnibus opidis mutatis ad* III. Ciuil. *celeritatem iumentis, ad Pompeium contendiſſe.* Iterumque in eodem: *Nuncios, per diſpoſi-* Ibidem. *tos equites, de victoriâ Cæſaris, Meſſanam allatos.* Fuit ergo res in vſu: ſed vix publico ſumptu aut curâ. at dixerim priuatos, lucelli cauſſâ, equos ſic elocaſſe & præbuiſſe, præſertim magnatibus notiſque viris. Illud certum, Auguſtum rerum compotem, curſum denique publicum ordinaſſe. de quo Suetonius: *Quò celeriùs, ac ſub ma-* Cap. XLIX. *num, annunciari cognoſcique poſſet, quid in prouinciâ quaque gereretur: iuuenes primò* (nota Perſianam illam rationem dictam) *modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit. Commodiùs id viſum eſt. vt qui à loco iidem perferrent litteras, interrogari quoque, ſi quid res exigeret, poſſent.* Ergo in vehiculis, Auguſti inſtituto, is curſus: in quibus commodiùs molliuſque ſanè tranſuehi, quàm ſingularibus equis aut *Veredis*, qui tamen poſteà etiam acceſſère. Sed de modo huius curſus, quod præcipuè inſtitui, videamus. Liuius tradit, *M. Catonem, quinto die Hydrunto Romam*, INGENTI CVR- Lib. XXXVI. SV *perueniſſe.* Ea ſunt milliaria, opinor, paullò plus CCCC: ſed alij longè vicerunt. Cæſar ipſe Iulius, de quo Tranquillus: *Lon-* Cap. LVII. *giſſimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus meritoriâ rhedâ, centena paſſuum millia in dies ſingulos.* Nota de *meritoriâ rhedâ*: & nondum igitur publicè fuiſſe. Aſſidet huic ſpatio, quod Plutarchus vt magnum prodidit, *Cæſarem octauo die ab Vrbe ad Rhodanum veniſſe.* Nam ea ſunt milliaria circiter *octingenta.* Supra Cæſarem longè *Icelus* ille Galbæ libertus (in Plutarcho) qui vt patronum imperij nuncio, & cæde Neronis, primus lætificaret, *ſeptimo ab Vrbe die Cluniam*, (ferè in mediam Hiſpaniam) *peruênit.* Etiam vicit Cæſarem Mithridates, quem

Appia-

Appianus, *mille ſtadia vno die, mutatis equis, confeciſſe* tradit. Sunt milliaria CXXV. Supra iſtum Annibal (in eodem Appiano) qui victus à Scipione, *Adrumetum vnocomite venit, biduo & binoctio tria admodum ſtadiorum millia emenſus.* Sunt milliaria CCCLXXV. ergo in diem noctemque CLXXXVII. & ſemis. Vicit & hunc nuncius ille, qui à Maximo Romam miſſus, vt cædem Maximini narraret, *tanto impetu* (verba Capitolini) *mutatis animalibus cucurrit, vt quartâ die ab Aquileiâ Romam veniret.* Atqui, ex Antonino, ſpatium intereſt DCCLXXXXVIII. milliarium. ita in noctem diemque imputes CC. ferè milliaria: quæ ipſa iuſta confecit Tiberius Cæſar, pro exemplo (Plinio iudice) ſummi curſus. Nam is, inquit, cùm [Lib. VII.] frater Druſus in Germaniâ ægrotaret, *nocte ac die longiſſimum iter, vehiculis tribus eſt emenſus: in quo fuere ducenta millia paſſuum.* Obſerua, quod admirationem augeat, *vehiculis tribus*: id eſt, ter tantùm mutatis equis. Imò & de *Vehiculis* mirum; atque omnino expeditius videatur in equis: quod Valerius etiam vult ita factum. Nam ipſe [Lib. V. cap. V.] hoc narrat: *Iter quàm rapidum & præceps, velut vno ſpiritu corripuerit, eo patet: quòd Alpes Rhenumque tranſgreſſus, die ac nocte, mutato ſubinde equo, ducenta millia paſſuum, per modò deuictam Barbariam, Nandabaio duce ſolo comite contentus, euaſit.* Tamen Plinij dictio inſtituto Auguſti magis firmatur: & quid incommodi tunc in Vehiculis? cùm vias publicas & militares, ſtratas vbique lapide aut glareâ ſcimus: atque ita æquabiles, & ſine ſalebris, faciles & meabiles curribus fuiſſe. Equi tamen, vt antè dixi, & ex Procopio aliiſque liquet, ſucceſsêre. atque ita Socrates in Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ ſcribit, [Lib. II. cap. XIX.] *ſub Theodoſio fuiſſe Palladium quemdam, animi & corporis viribus eximium, qui tridui ſpatio, ab vrbe Conſtantinopoli ad fines Perſarum eques iret, totidemque diebus iterum rediret.* At Hercules ea ſunt (ad Eufratem ſi numeras) milliaria plus DCC. atq; eſſent in diem noſtratia paullò minus LX. Poſſitne curſores noſtri hodie, neſcio: etſi ratio iſta horariæ mutationis percommoda eſt, & maximo curſu apta. Cui auctor apud nos Ludouicus XI. Galliarum rex fertur; dum Carolo Audace cæſo, Atrebati & prouinciis noſtris imminet, & nuncios rerum in horas exſpectat. En de *Equitibus*: additur miraculum de ipſis *Equis*: quorum vnus aliquis ſpatium confecit ſenſibus fideique noſtræ ægrè inſinuandum. Probo Imperatori oblatus è captiuis equus Scythicus, (Vopiſci verba) *nec decorus, nec ingens, qui centum in die milliaria currere diceretur, ita vt ad octo aut decem dies continuaret.* Exclamas, te non admittere. Quid ergo Plinio facies, qui adauget? *Sarmatæ*, inquit, *longinqua itinera acturi* [Lib. VIII.] *inediâ pridie præparant eos, exiguum tantùm potum impertientes: atque ita per centena millia & quinquaginta, continuo curſu euntibus inſident.* Vides Pegaſos alatos: atque ab iis ad ipſas *Alites* (quid enim aliud ſupereſt?) veniamus. Eas præcipuè intellexi, cùm *Animantes* dixi currere: quidni celeriter iſtas, per liquidas & vbique peruias cæli oras? Regi Ægyptio *Marrhæ* fuiſſe comix ab Æliano proditur, ſic edocta, vt litteras quaquauerſus præpete volatu deferret, indicio tantùm loci facto. Cui etiam mortuæ ſepulchrum, meritiſſimæ memoriæ ergò, rex condidit. Columbas olim & nunc hoc officium ſubiiſſe, præſertim in obſidionibus, *alibi docui. & addo, quòd bello Sacro cùm Tyrus à Chriſtiano exercitu clauderetur, columba ſæpiùs emiſſa, immiſſa, litteras & alloquia hoſtibus ferret. [*Saturnal. II cap. V. & adde Plin. lib. X. cap. XXXVII.] Quæ obſeruata denique à noſtris, clamore tanto à terreſtribus naualibuſque copiis ſimul excepta eſt, vt trepida ales, tamquam turbine moti cæli acta, in terram delapſa, prædæ & gaudio, & mox etiam vſui eſſet. Nam demptâ epiſtolâ lectaque, cùm inſcriptum repperiſſent, *Breui auxilia adfutura, ſumerent animos, atque exſpectarent*: noſtri, Barbaricis item litteris exararunt. *Virtuti & fidei ſatis eos feciſſe, Fortunam deeſſe: nec ſpem auxilij, interclusis ab hoſte itineribus.* Ita columba demiſſa ſubditiuam chartam retulit, & dolo non ſuo vrbem reſerauit. Legi & in Bernardo quodam Bredenbachio, qui maiorum æuo Syriam atque Ægyptum perluſtrauit: *Alexandriæ præfectum* (Sarraceni tunc tenebant) *quem ipſi Amiralium vocabant, ſemper apud ſe columbas habere, ſic edoctas, vt quocumque delatæ fuerint, mox ad eius domum menſamque reuertantur. Itaque earum duas aut tres, ſpeculatores, qui emittuntur cotidie ſcaphis in mare, ad naues explorandas quæ peregrè adueniunt, ne miles aut fraus lateat; eos inquam ſpeculatores, columbas ſecum ferre: & cognitis quæ vſui, ſtatim ſcidam inſcriptam collo columbæ illigare, ac dimittere: hanc autem ad præfecti menſam bonâ fide ſtatim ſe ſiſtere. Idem fit in alterâ, tertiaque, ſi quid aliud fortè incidit: eoque inuento portum eius vrbis aditumque* egre-

egregiè tuentur. Sed à cælo ad terram iterùm redeo, & venia mihi eſto Canis etiam huic narratiunculæ inſerendi. Is quoque, inquam, defert litteras, fideliter ac celeriter, hoc exemplo. Rex Feſſæ, ſubitario milite collecto, Tingin properabat, erepturus eam, vt cenſebat, Chriſtianis. Improuiſa res erat, & Meneſius tamen per occultos indices reſciuit, qui præerat Arzillæ. Quid faceret? volebat, nequibat, ad Tingitanum præfectum mittere, & periculi iam inſtantis admonere, viis omnibus obſeptis. Excogitat aſtum. catella relicta, proximis diebus, per obliuionem Arzillæ erat à ciue Tingitano. Hanc litteris illigat ad Præfectum illum, & ſub noctem in litore deſtituit, acriter ibi verberatam. Catella iam libera curſum, quantum poteſt, Tingin intendit: manè peruenit, litteras oſtentat, & ciues militesque periculi admonet, liberatque. Hoc ſpatium eſt milliarium circiter LXXV. niſi me Io. Leo Afer fallit. Sed hem, hem, quò eo: hoc eſt epiſtolam ſcribere, an Chimæram pingere? Triplici facie certè habes, è *Pedite, Equite, Alite:* tu lege, nec lege, vt voles. Vale mihi ſaltem, & in beatâ Italiâ benè beatéque age. Louanij, prid. Kalend. Octobr. ∞.Iↄ.XCVIII.

Oſorius Luſit. Hiſt. lib. 11.

Carmen, quod honori tuo ſcripſeram, hîc habes.

Reuerendo & Nobili viro
NICOLAO MICAVLTIO
NICOLAI F.
cùm SACRA LAVREA donaretur,
ODE SYNCHARISTICA.

QVISNAM *hic, quis nouus occupat*
Ardor? quis trepidum rapit
Docti ad culmina montis
Phœbo operatum?
An verus vetus eſt amor
In te clare MICAVLTI?
Clare à ſtirpe, opibus, magis
A probitate.
Ille eſt, ille meum ferit
Thyrſo pectus, & intima infundit gaudia, cùm videt
Inclyto honore
Augendum. date lilia,
Flores ſpargite duplices,
Sertos ſiue ſolutos,
Thura adolete.
Iam ſcandit Sophiæ arduas
Arces, iam capiti decus,
Æternum veniet decus,
LAVREA SACRA.
Qualis Scipio, murice
Inſignis, Capitolia,
Victis hoſtibus Afris,
Aurea ſcandit.
Plebes atque patres fremunt,
Hic cingit, ſubit, hic præit:
Illius noua tentat
Gloria pectus.
Perge ô tu quoque numine
Dextro victor, & aſſere
Antiquæ fidei ſacra,
Heu violata.
Quæ non flagitia adſpicis?
Quas labes ſcelerum? ruit
Doctrina illa vetus patrum, &
Patria virtus.
Vt cum præcipiti iugo,
Currus non reuocabilis
Impete fertur, equi negant
Obſequi habenis.
Nec ſpes vlla ſuper, niſi
Noſtra ô Belgica, bellicis
Tandem libera curis,
Munia pacis
Amplectare. cape, ô cape,
Quam CLEMENS *hominum pater,*
Quam Regum ille PHILIPPVS
Maximus offert.
Quæ mora vos Batauis tenet?
Quæ vos Mattiaci? date
Dextras, & veteri iugo
Subdite colla.
Tunc triſtes ſuperûm minæ,
Tunc Mars & Furor impius
Ibunt, atque redibunt
AVREA SAECLA.
I. L.

EPIST. LX. *Madritum.*

GARCIAE FIGVERÖA, *Regi à cubiculo.*

DVPLICI dolore, & quaſi ictu, ſum affectus, cùm tuam epiſtolam accepi. Etſi priorem non tam intulit ipſa mihi, quàm illatum renouauit, mentione mortis Ariæ Montani noſtri, ô magni rarique viri, & nobis etiam longinquis & exteris ob virtutem & doctrinam cari! Imò credo nobis in pretio penè maiore, quàm vobis fuiſſe: vt ferè ſolent in leui (nō dicam in vili) haberi viri magni, apud notos & populares. Certè

Certè ego à multis annis amabam virum, amatus etiam ab ipſo: & in iſto animo ſentio doloris hanc plagam, prudentiâ tamen & conſtantiâ minuendam, aut ſanandam. Quod idem & te facere hortor, Illuſtris Garcia. qui ſine fructu vllo lugere eum potes, at cùm magno fructu non lugere. quo illo? roboris, quod animo tuo indues, & paullatim aſſuefacies ad humanos iſtos caſus. In theatro hoc magno ſedemus, ſpectatores aut actores; & eximus alij, inimus alij: nec mirari aut indignari debemus, in communi & receptâ ab æternitate lege. At vulnus alterum, quod cum epiſtolâ tuâ venit, non tamen in ipsâ. Is enim qui tuam mihi mittebat, idem de fato maximi regum Philippi nunciabat: quod me perculſit, vt quod publicam Chriſtiani orbis ſalutem, aut certè quietem, ſpectaret. Videbatur enim ille Rex, certo iam & fixo conſilio, ad Pacis metam ſua omnia dirigere: & in parte effecit, magis pleniusque fortaſſe, ſi vita etiam aliqua ei fuiſſet. At ô clare Sol occidiſti, & nos in caligine iſtâ reliquiſti & nimbis ciuilium bellorum. Etſi non occidiſti, ſed in filio tuo iſto PHILIPPO TERTIO viuis & luces: quem vouemus ſalubrium conſiliorum tuorum, vt potentiæ atque opum, heredem. Quidni autem erit? tali ſtirpe, educatione, indole: imò vt nouum & ſalutare ſidus exortum eum ſperamus, ad illuſtrandum & vegetandũ vtrumque orbem. Deus vota noſtra audiat: & illi conſilia atq; animos donet, benè decernẽdi, fortiter patrandi. Hæc publica, mi Garcia: quod ad me, ſum in veteri iterùm languore, id eſt in viâ quam Arias noſter decurrit. Etſi paullò tamen nunc meliùs: ſed æſtas hæc valdè me affecit, & pænè adeò confecit. ADMIRANDA iamdiu ad te miſi, & ad vtrumque Idiaqueum: nec culpa noſtra eſt, ſi litteræ aut libri non ſunt perlati. Curauimus per bonos & fidos amicos Antuerpiæ: ſed caſus maris, & manus vbique ſparſas prædonum, non ignoratis. Nunc parabam me dare ad MONITA ET EXEMPLA POLITICA: ſi Deus tamen æuum & otium dabit. De imagine aureâ noſtri tunc Principis, nunc Regis, quam ſignificas ad me miſſam, non equidem accepi: & per quem ea miſſa, ignoro. Si videtur, vno verbo indicabis. Scire etiam percupiam, quo loco nunc ſis apud nouum Regem: ſpero equidem bono & virtutibus tuis digno: atque eo nomine (ſi ita eſt) iamnunc tibi gratulor, & amici bona, mea puto. Vale Illmo Domine, & in animo te geſtari à nobis ſcito. Louanij, XII. Kal. xbres, ∞. IƆ. XCVIII.

EPISTOLA LXI.

IO. FERDINANDO VELASCIO, *Magiſtro equitum Caſtellæ, Gubernatori Mediolanenſi.*

MINVS mirari, aut indignari debeamus, ſi noſtræ plebeiorum litteræ peccant, aut tardiùs reddantur, cùm ea ſors per hæc tempora veſtras Principum etiam tangat. Nam priores quidem quas miſiſſe te adſignificas, vnà cum libro Puteani noſtri, planè perierunt; alteræ ſuccedaneæ tardiùs etiam ad me venerunt. Quod præmitto, ne accuſari tacitâ cogitatione ceſſatio mea poſſit: cui apud talem Principem nullum alioqui velum ſit aut color. Vidi autem poſtmodum *Puteani Reliquias*, & cultum illum tui ſanè amaui. Adoleſcens eſt, ſed ſpecimen ingenij præfert, ad magna ſurrecturi, ſi ætas & peritia rectum dirigunt etiam & formant. Ego ab aliquot menſibus ſolito languidior eram, & eâ cauſâ, tum etiam quia affectus iamdiu ſuadet, ſtatui ſeriò Italiam reuiſere, idque ſub annum iam inſtantem Sæcularem. Præter ea quæ dixi, Religio etiam vocat; &, quod non diffiteor, cupiditas tui coràm videndi, & cultum officiaque mea deferendi. Virtus tua in meo animo maiora meretur, & id ſine omni blanditiâ vel adulatione ſcribo. Inuitant me etiam Romam viri in ſacro ordine Principes: quibus parebo, ſed dumtaxat vt peregrinatio non emanſio ſit, & mei me Principes ac patria habebunt. Itaque ſi viuo, & vel modicè valeo, in proximo Autumno me vobis ſiſtam. Deus faxit, vt te, Ill^me & Excell^me Princeps, ſaluum, atque in iis locis reperiam: alioqui deſiderium hoc peregrinandi valdè minuatur, & langueſcat. Louanij, XII. Kal. Feb. ∞. IƆ. XCIX.

EPIST. LXII. *Mantuam.*

ANTONIO POSSEVINO *Soc. Ieſu.*

VIDI iamnunc epiſtolam, quam ad P. Sallium dediſti, & in eâ benignam honeſtamque mentionem noſtri. Non eſt nouum. publicè oſtendiſti quid de me & religione meâ ſentires: quæ poſtrema atteſtatio pergrata mihi fuit. Nec eius pœnitentiâ ages, ita Deus me ſeruet. ſum enim, & ero

in veteribus militiæ ſacræ caſtris, nec tranſfuga vmquam ad nouitates vllas ibo. Tranquillo animo hîc viuo, Deo & ſtudiis me conſecrans. ſtudiis, quæ pro ingenij mei copiâ adiutum, aut illuſtratum eo, etſi non in arduo illo genere, quod vos tractatis. Tu verò nunc etiam ingraueſcente ætate non omittis: ô laudabilem conatum, atque operam! nam ſpeciem, & ideam operis vidi, quod paras, varij, laborioſi, vtilis, quod ab interiore animo teſtor. Deus tibi vires, annosque ad emoliendum det; & mihi largiatur non ſcripto ſolùm, ſed ſermone te affari. Id enim meditor, &, ſi valetudo patitur, ſub annum ſacrum Sæcularem in Italiâ veſtrâ me ſiſtam, & vel de viâ flectam, vt te complectar. Optime Pater ſalue, & me precibus tuis apud ſuperum numen velis adiutum. Louanij, IV. Kal. Febr. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. LXIII. *Patauium.*

THOMAE SEGETO.

GAVDEO in Italiam incolumem veniſſe, gaudeo in domum magni Pinelli admiſſum: quem virum, æuo & gloriâ iam veterem, Italia vel inter veteres ſuos præferat & iactet. Quod id beneficij à me habes, & imputas, iucundum eſt: & libens equidem adiutum eo iſtos, qui cultum aliquem animi nobis debent. Sed & libens audio, agnoſcere eos & fateri. Tu fac & enitere, vt quem te promiſi præſtes: nec abripiant te aut vana illîc aut praua, quorum copiam etiam beata illa regio donet. Sed vt in vrbe, vbi lues eſt, ſi agas, vites domus aut vias totas eâ infames: ſic hîc moneo, fugere te homines & loca vitiis nota & infecta. Ætas tua allicit? fræna. Populares abducunt? reſiſte. denique te & poſteritatem cogita: nec poſſe, quin illa infamiam cum noxâ pariter apud te relinquant. Ah, quàm ſuaue animo iam maturo erit, meminiſſe pugnæ & victoriæ: integrum ſeſe à labe, & corpus ab ægritudine aſſeruaſſe! Hæc moneo, mi Segete, non quia opus fortaſſe: ſed quia amor inducit, cui agnatam curam aliquam, imò & metum eſſe, non ignoras. Quídni autem in ætate iſtâ ſit?

* Ἥ[illegible] καὶ νεότης [illegible]:

ait poëta ille ſapiens. Quídni etiam in regione eâ ſit? ſuaui, bellâ, diuite: ſed in quâ deliciæ aut luxus ſui hærent. Vita, vita, & horridulam virtutem & me ama. Deum ita precor, & eumdem in ambagine omni aut caligine ducem tibi & lucem. Louanij, v. Kal. Ianuar. ∞.IↃ.XCVII.

* *Mens [illegible].*

TESTIMONIVM.

QVI HAEC LEGETIS,

TESTOR *apud vos ſeriò, hac meâ manu,* THOMAM SEGETVM *gente & domo Scotum, notum mihi à pluribus annis fuiſſe; imò ab ipsâ primâ eius adoleſcentiâ; meum vel diſcipulum, vel auditorem. Eũ omni tempore, probus ſe probaſſe, ac mihi in primis, ob acre & excellens ingenium, ardorem ſtudiumque diſcendi: atque ita profeciſſe, vt in meliori omni litteratura, paucos ſibi æquales habeat, in æquali æuo. Addo & moribus modeſtum ingenuumque eſſe, & dignum quem tales omnes æſtiment atque ament. Peto igitur atque abſens rogo, vti hunc in occaſione adiutum velitis, fauere animis, conſiliis, factis: benè locaturi beneficium, quodcumque in eum conferetis. Stirpes iſtæ fouendæ & attollendæ ſunt, in commune reip. bonum, cui boni omnes ſtudemus. Louanij, VI. Kalend. Sext.* ∞. IↃ. XCVII.

J. L.

EPIST. LXIV. *Roman.*

FRANCISCO SFORTIAE, *S.R.E. Cardinali.*

EGO verò tertiùm ſcribo, nec indecorum eſt in tantâ tuâ benignitate. Nam & Micaultius iamnunc indicium mihi fecit ſermonis & curæ, quam de me & itinere meo habes. Quod iter, ſi me Deus ſeruet, ſuſcipiam, religionis quidem primùm, ſed & tuâ cauſsâ; qui vltrò hanc prolixam beniuolentiam in me oſtendis: quâ niſi capi & molliri me fatear, ſim profectò lapis aliquis aut ferrum. Quamquam & ipſum ferrum vt à magnete trahitur, & occultâ vi allicitur; ſic me à tuâ virtute teſtor. O verè magnum, & vt verbo dicam, ROMANVM tuum animum? qui vel hoc argumento valdè virtutibus abundas, quòd alienas ſic excitas aut amas. Nihil blandè aut apud te tuâ cauſsâ dicam, ſed numen ſupremum appello, eſſe me & fore cultorem tuum, quamdiu terræ me huius eſſe idem numen volet. Sed vt de re dicã, ad iter me paro in Autumnum proximum, & Septembri (cum bono Deo) dabo me in viam. Ideò enim paullò maturiùs, quia & amici in viâ alibi tenebunt fortaſſe: & exigua ſpatia conficere ſuadet hæc valetudo. De eſſedo quod offerebas, planè

planè opus non eſt mitti. Hîc enim facilè paramus, & comites item honeſtiſſimi non deerûnt, atque adeò quidam etiam è contubernio aut diſciplinâ noſtrâ. De ratione itineris totâ, certò nondum dixerim: quia incidere aliquid poteſt quod turbet. tamen, vt nunc eſt, cenſebam per Germaniam me iturum, & Alpes Tridentinas, quæ molliore cliuo eſſeda & currus etiam tranſmittunt. Si non; Galliam tranſiero & obiter videro, vbi amici item plures qui inuitant. Sed Romam cùm venero, certum mihi eſt rectà ad te Illuſtriſſime. & vt Iuno illa Homerica, in concilium Deorum veniens, à nemine poculum niſi à Themide accepit; ſic ego tuo inter omnes hoſpitio & beneficio vtar, quod mihi comiter & liberaliter offers. Tum denique in ſermonibus ea, de quibus ſcribis. Deus modò Ill^mus & Reu^mus Princeps te ſeruet, & me voti mei duplicis damnet: priſci illius, Romam reuiſendi; & huius noui, te viſendi, quod animus iſte (vt vero verbo dicam) ardet. Louanij, XII. Kalend. Maias, ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. LXV. *Mediolanum.*

IOANNI BAPTISTAE SACCO S. D.

AVDI rem lætam, vt eſt tuus amor, cui fideliter equidem reſpondeo amore. Rem, inquam, lætam, meum in Italiam aduentum. Quando? inquies. ſub Autumnum proximum, ne longiùs etiam hoc producam. Lubet eſſe in anni Sæcularis initio Romæ, quò magnates aliquot inuitant; & inter eos Cardinalis Sfortia, haud dixerim quàm in me pronus. Audis tu iſta? crede firmiter, niſi Vita, aut Valetudo prorſus deſtituit, ſic futura. At illum Principem, & heroëm noſtrum ante omnes videbo, qui in ditione veſtrâ præeſt. Præſit etiam tunc modò, nec in mutatione rerum iſtâ aliquid mutetur. Sanè id mihi triſte eſſet, quia acre deſiderium concepi eius videndi, ac venerandi; atque id merito ſolo virtutis. POLIORCETICA noſtra recuſa ſunt, cum figuris additis, quas ille Princeps mihi ſubmiſit, quem breuiter, ſed fideliter laudaui. Micaultium, quem cōmendaueram, ſic benignè & honeſtè à te habitum (ipſe largiter ſcripſit) quidni lætet? At non hoc, ſilere noſtrū Puteanum, à quo iam à pluribus menſibus ego nihil. Viuit, valet, apud vos agit? per te ſciam, ſi tardat etiam ipſe. At tu vale, mi Sacce, & ſalutet a me Clariſſimus Septalius, qui meliùs de valetudine iſtâ ominatur, quàm ego. Sed viuam, valeamque in paucos menſes modò: videbor, & videbo. Louanij, XII. Kal. Feb. ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. LXVI. *Patauium.*

IO. VINCENTIO PINELLO.

SI quis in Italiâ hodie veteri & meritâ famâ eſt, eum ego te cenſeo Vincenti Pinelle: & ideò iam à pluribus annis tacito quodam affectu & colo & amo. Non fuit occaſio ſermone aut litteris declarandi: vtrumque fortaſſe erit, certè nunc alterum; & ſtilo te vt conuenirem, duplex mihi cauſſa fuit. Prior, vt gratias agerem pro benignitate quam in Thomam Segetum, ex communi quâdam commendatione meâ, contuliſti: quod ex eius litteris intellexi, & eâ re debere me tibi obſtrictumque eſſe, & ſentio & teſtor. Altera etiam cauſſa, vt hunc adoleſcentem Franc. Saſſenum, in vrbe iſtâ natum bonis honeſtiſque parentibus, ipſum benè educatum & inſtitutum, hactenus tibi inſinuarem, vt videndi adeundique tui copia aliquando ſit, & conſilio, ſi opus ſit, etiam iuues. Nam cetera ei non deſunt, & dumtaxat ſtudiorum & rei medicæ cauſſâ, ad loca illa venit. Sed de ſermone quod initio dixi, nec id quidem deſpero, & valdè certè opto. Spero autem ideò, quia pænè decretum mihi, ſub annum inſtantem Sæcularem in Italiâ me ſiſtere: & abſit, vt eâ exeam, niſi vt te videam & amplectar. Quid exeam? imò cùm inibo hoc fiet, opinor: & inter prima & calida deſideria mea eſt, vt hoc reddam effectum. Viue, viuam: niſi caſus aut vis impedit, videbo. Louanij, VI. Kal. April. ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. LXVII. *Genuam.*

PAVLO MONELIAE S. D.

SILENTIVM aliquod fuit, mi Monelia; ſed quod ego vnicâ iſtâ ſcriptione, & nuncio penſauero, & dabo te in gaudium, ſi amorem tuum noui. Quid igitur nuntio? venturum me in Italiam, ante annum hunc Sæcularem, ſi Deus vitam, & aliquas vires donet. Ita planè decretum eſt, idque ſub Autumnum proximum, vt otium ſit Italiæ ipſius, & amicorum videndi. Atqui non domicilij cauſſâ, ne erres, ſed pietatis primò, tum etiam animi cauſſâ veniemus: & inuitante item Cardinali Sfortiâ, qui in

me ſe exhibet valde benignum. O quàm libens te quoque inter amicos complectar! etſi tu à viâ procul: ſed aut ego deflectam, aut tu excurres, & omnino fruemur mutuo aſpectu ac ſermone. Eâ ſpe pauciora verba faciam, de rebus aut ſcriptis meis nihil addens: quid opus, cùm tibi me ſiſtam? Ita faxit ille Deus, & te meque in paucos illos ſaltem menſes ſeruet. Scribe autem intereà de ratione itineris optimâ, ſi quid habes, & has ad Mercurialem noſtrum mitte. Louanij, Kal. Febr. ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. LXVIII. *Piſas.*

HIERONYMO MERCVRIALI S. D.

CONSTANTEM amorem tuum amo, quem numero inter Italiæ veterrimos, ſuauiſſimosque. Et hortaris vt ſcriptione eum excolamus: quod lubens fecero. ſed quid ſi aliud etiam epos tibi cantem? inopinato tibi fortaſſe, & hoc gratius erit. Ego, mi Mercurialis, ſtatui certò (Deus modò & vita velint) in Italiam veſtram venire, non habitandi, ſed viſendi, & reguſtandi cauſsâ. Vultum tuum videre, & verba audire videor exclamantis, Quando? Iam breuî, iam intrà quinque aut ſex menſes ad iter me dabo, & lubet eſſe in fine æſtatis in aditu Italiæ veſtræ. Annus ſacer Sæcularis me vocat maximè, ſed etiam viri quidam principes qui inuitant; & vos amici trahitis, omnino ante exceſſum videndi. Tum de valetudine, tum de ſcriptionibus, & ſtudiis, ſermo nobis ſit vel in multam noctem, ſi dies non exſatiat: & certè explere oportet deſiderium, & famem, vt ſic dicam, diu ieiuni & auidi amoris. Ergo pauca nunc ſcribo, tuas ad Wittendellium miſi, tuas item ad me exſpecto, ecquid conſilium noſtrum probes. ſed quid ambigo? ore, ſtilo, pectore, ſcio, probabis. Vale. Louanij, Kal. Febr. ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. LXIX. *Romam.*

ASCANIO COLVMNAE S. R. E. *Cardinali.*

MICAVLTIVS ſignificauit mihi de honeſto & beniuolo pariter ſermone, quem de me habuiſſes. Etſi quid opus fuit? ipſæ tuæ litteræ hoc mihi dicunt, quas ante biennium ad me, illuſtri teſtimonio vel iudicij vel affectus, dediſti. Quaſo ego, non mentior, vt Palladium aliquod Romani olim, aut ſacrum depoſitum, aſſeruo. Itaque non credere ſolùm me par eſt; ſed affectum aut potiùs cultum rependere, quod dignitas tua poſtulat & fortuna. O beatam, ô illuſtrem Romam bis, vt ſic dicam, ſideribus: quæ non ſplendore generis ſolùm, ſed luce propriâ virtutum & laudum micant. Ac mihi iamdiu animus eſt & cælum illud Italiæ (liceat manere in hac imagine:) & vos in eo aſtra intueri propius: ac fiet ſanè breuî, ſi vitam mihi in paucos menſes proroget ſupremus ille rector. Nam annus ſacer Luſtralis, cùm inſtet, occaſio ſiue cauſſa eſt veniendi: & ſimul ſacris, ac deſiderio meo, litandi. Quod ſignificare me tibi illuſtriſſime Princeps cultus hic animi adegit: animi, æternùm virtutibus tuis deuoti. Ita propitius mihi ſit ille Æternus. Louanij, XII. Kalendas Maias, ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. LXX. *Mediolanum.*

IOANNI BAPTISTAE SACCO S. D.

NIHIL ambigebam, mi Sacce, quin lætificaſſem te nuncio mei aduentus: ita mihi notus & feriò creditus eſt ſerius tuus amor. Et tu quàm eum oſtendis? nec celari ſanè ſolet hic ignis. Inuitas in domum tuam; & hoſpitium molle, vbi ego curer, tamquam Regi Antiocho oculi ſolent (liceat iocari) offers. Accipio mi Sacce, accipio: & vbi ſim libentiùs, addo etiam liberiùs? Accipio tamen ita, niſi imperio aliter cogimur, cui leges non damus. Scis me de Principe intellegere, qui perbenignè certè in nos eſt affectus: & fortaſſe apud ſe etiam volet eſſe, aut ex eius metatione accipere domum. Quidquid erit, vtinam tuam! Sed in paucos tamen dies, quia in amatâ illâ Italiâ plura loca hominesque videndi nobis ſunt: & ante omnia, inclyta illa Roma, in quâ etiamnunc animi & virtutes Romanæ. Nam percurrere Italiam nobis decretum tantùm, non hercules inſidere. Cuius rei ſi vel ſuſpiciuncula proceres noſtros tangat; non dimittat profectò, nec vllo titulo impetrem commeatum. Atqui nihil tale eſt. facta & amici trahunt, & ipſe meus Genius, qui loca ea & homines neſcio quo naturæ ductu amat. Tu mi Sacce, & hunc etiam adoleſcentem libens aſpice, mihi auditorem & amicum, in litteraturâ, & Poëſi præſertim, inter paucos præſtantem. Louanij, VII. Kal. Maias, ∞. IↃ. XCIX.

EPIST.

EPIST. LXXI. *Romam.*

CAESARI BARONIO *S. R. E. Cardinali.*

QVOD animo & voto ſæpè facimus, vt te alloquamur, & quaſi coràm videamus; id nunc ſtilo vſurpo & repræſento, in occaſione quam NICOLAVS MICAVLTIVS mihi præbuit, iſte quem vides. Putat gratię mihi aliquem locum apud te eſſe(nec diffido, in animo iſto conſcius, quanti te faciam Chriſtiani orbis ſidus:)putat, inquam, aliquid apud tè commendationem meam poſſe, eò libentiùs dandam, quia tali. Nam vir eſt, & claris apud nos maioribus, & ipſe planè probus, induſtrius, & vetus auditor meus: etſi illum Deus & animus ad diuina ſtudia traxerunt. Nam in Theologiâ eò iam peruênit, vt etiam titulum & teſtimonium publicè acceperit: & nunc in Italiam & vrbem ſacram ſe contulit, videndi diſcendique cauſsâ. Beabis eum, ſi & tuo interdum aſpectu ſrui, & vel breui colloquio, liceat: quod longum, ſcio, occupationes tuæ non donant. Hæc pro Micaultio: de me an aliquid addam? addam. Pietate impulſum, & cupidine vos illuſtres viros videndi, in Italiam venturum ſub annum hunc ſacrum & Luſtralem, qui inſtat. O Deus mihi det caput illud Eccleſiæ, non dignitate magis quàm meritis inclytum, vel eminus intueri & venerari: vos autem propiùs adire & alloqui! quod inter præcipua meà vota eſſe fateor, & animus mihi dicit, FIET. Illmo & Reu^mo Domine, idem Deus Eccleſiæ ſuæ lucem & tutelam te ſeruet, cui ſincerè teſtor me toto animo addictum & conſecratum. Louanij, VI. Kal. April. ∞. IƆ. XCIX.

EPIST. LXXII. *Mediolanum.*

IO. BAPTISTAE SACCO S. D.

NE ambige, ego venio, cum vnâ exceptione Fati. Si publica mortalitas, aut priuata mea, Italiam non inuidet; ipſam videbo, vos amplectar. Ad Illuſtriſſimum Principem parco nunc ſcribere, donec de tempore & totâ viâ meâ certò ſcribam. Etſi de tempore propemodum ſcio, & ſtatui ipſo menſe Septembri: ſed de viâ aut limite mutant turbæ, contagia, & eiuſmodi euentûs. Quacumque viâ, certum eſt Mediolanum vel per ambages deflectere, illius Heröis & veſtrâ cauſsâ. Statui & Antuerpiam breuî ire, & ſcripta mea quædam apud Typographum deponere, vel mortuo me edenda, ſi quid humanum contingat. Miſi litteras nuper ad te alteras, ſed per adoleſcentem noſtratem N. N. quem commendaui obiter, neque nimis, velim, & ambigo (vt apud te liberè) de moribus & vitâ. Etſi certum nihil, ſed ex ſuſpicionibus habebam, quibus vir probus non nimis indulget. Idem ille ad Puteanum à me habet, cui in ſtudiis commilitauit. Cardinales Romani, inter eos Sfortia, in me ſunt benigni: videbo illa lumina, niſi Deus hæc mihi claudit, vt initio dixi. Vale mi Sacce, cui iamnunc animo circumfundor. Louanij, Pridie Kalend. Maijas, ∞. IƆ. XCIX.

Noſtri hîc ægrè me dimittunt; tamen temporarium hunc commeatum à præcipuis Aulæ iam impetraui, in ſenos dumtaxat menſes.

EPIST. LXXIII. *Romam.*

FREDERICO BORROMAEO *S. R. E. Cardinali.*

ANIMVS me iuſſit, & hic cultus quem tibi deuoui, ſignificare conſilium, quod In te meâ cepi. Statui enim ſeriò, inſtante iam anno ſacro Sæculari, Italiam veſtram & in eâ vrbem Dominam inuiſere: quò pietas me primùm, ſed & cupiditas aliqua (non nego) vos illuſtria orbis lumina videndi, inuitat, & trahit. Inter ea cùm clarâ luce fulgeas, & iam olim honore me beniuolentiæ & litterarij affatus tui affeceris; iure inter primos ad oſculum manus tuæ veniam, & domicilium oſtendam, cui animus includitur virtutibus tuis ſeriò deuotus. Deus mihi det perficere, & te Illmo & Reu^mo incolumem diu Eccleſiæ ſupereſſe. Louanij, Prid. Kal. Maijas, ∞. IƆ. XCIX.

EPIST. LXXIV. *Mediolanum.*

PETRO PANTINO *Decano Bruxellenſi.*

GRATVLABOR? animo feci, & nunc ſcripto: etſi veniſſe te Mediolanum, fama adhuc, non litteræ tuæ mihi dicunt. Sed gratulor, & veram hanc famam, quia valde cupio, puto. Ah mi Pantine, quàm Principes illos nouos patria deſiderat! quàm brachia aduenientibus, vt ſic dicam, pandit? Non illeipſe Albertus ſic nuper ad ſuam ſponſam; quàm nos ad illum & illam anhelamus, tot malorum medicinam & leuamen. Venite, & nouam lucem Belgicæ in-

infundite, tu Sol, tu Luna, & diem noctemque noſtram pariter illuſtrate. Quàm calida vota noſtra ſint, potes ſcire, quia ſuprema. Quæ enim ſpes, præter hanc, vltra ſupereſt? Iacta eſt è faniſcente naui noſtrâ ſacra hæc anchora: & ea duplex niſi ſiſtit, cum Tragico exclamo,

Heu me, malorum quanam abyſſus panditur!

*Ὤι μοι, μέγας θησαυρὸς ὡς ἀνοίγνυται
Κακῶν;*

vno verbo, perimus. Sed abire malè ominata verba: illa quoque Iunonia auis nobis cecinit, *Ἔσσεται πάντα καλῶς. Et profectò erunt,

Erũt omnia recta.

ſi noſtri illi bonis prouidisque conſiliis vtentur: quibus nimis eſt opus. Nam affectus & obſequia noſtra non adſunt, ſed ſuperſunt: adſit ille auriga modò, qui peritè moderetur & temperet, & cui Minerua aliqua (illa illa, vt ſpero, Iſabella) in conſilio adſiſtat. Sanè prudentiâ opus, & ſi diſtinguere placet, prouidentiâ, in hoc articulo temporum. quia vt iis qui è puteo extrahuntur, tunc maximè periculum lapſus eſt, cùm ad oras ſummas venerunt: ſic nobis, qui educi iam incipimus, ne à ſpei culmine ad barathrum *δυσελπιστίας relabamur. Veta ô magne Deus, & benigno ſemel oculo Belgas tuos vide. Sed vtcumque cadet, magni animi hoc regis vtriuſque factum: illius, qui dedit, huius qui approbauit. & ingens gloria, non eſſe ſolùm magnos & felices, ſed feciſſe.

deſperationis

Habere regnum, caſus eſt, virtus dare.

Sed publica ſepono, de quibus coràm affatim, quia tu prudens eorum es, quæ ibi acta: nunc audi & priuata. Valemus, vt ſolemus: id eſt, viuimus magis quàm valemus. ſed quî noſter Couarruuia, ille ſenex ſenis Homerici æuo dignus? ſed non etiam Homeri fato, quo tamen audio & doleo cum affectum. O virum corde mihi, non ab annis, ſed à luſtris iam amatum!

*Ὃν δ' αὐτὴ πολύμητις ἀνέτρεφε χερσὶν Ἀθήνη.

Quem manibus propriis ſinxit cordata Minerua.

Inuideo tibi, qui vidiſti & amplexus es, vtinam medio me pat illud diuellerte! Sed heu, quàm diuulſus à nobis Winckelius! ô ſpes & deſtinationes humanas! Ille diu luctatus cum ſuâ ſorte emerſerat, & iam terram non videbat, ſed tenebat: in ipsâ terrâ ſpei ſuæ ac noſtræ naufragium fecit, atque adeò ipſius vitæ. Nam Genuæ fato ſuo functum audiuimus, & ſuſpiriis proſecuti ſumus: quid iuuat? magis hæc vota, vt vir quietiſſimi animi, in quietis illis locis, fruatur æternâ & beatâ pace. At tu de me etiam audi *ῥήματα ἢ θαύματα? vt ait Orator. In eo

verba, an portenta?

ſum, ſi vel leuiter moramini, vt vos in locis iis opprimam. Quî poteſt? inquies. poteſt. quia ſtatui ad vrbem ſacram ſub ſacrum hunc annum ire, & ſimul animum à noxis luſtrare; ſimul perfundere eum ſpectandi illa honeſtiſſimâ voluptate. Spectandi, inquam, & illuſtres aliquot viros (in iis Io. Ferdinandum Velaſcium, regiâ ibi vice Gubernatorem) & loca regionesque, antiquitatis gratiâ, ſic amata nobis & culta. O quàm deſidero! nec mei aut mea teneant,

——— *οὐδ' εἴπερ τε σιδήρεα δέσματ' ἔχῃσι: ſi tamen valetudo non ſiſtat, illa mea Ate, quæ in turri aëneâ incluſum iamdiu me habet. Quis Iupiter liberabit? an ille ſummus, & ſub nouo Principe nouum vigorem dabit? O fiat, & ego te hîc, aut ibi, ſaluum ſaluus videam!

non ſi me vel vincula ferrea ſtringant.

Da pater omnipotens, atq; iſthæc omnia firma.

Vale vir Reuerende & amiciſſime. Louanij, III. Nonas Sext. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. LXXV. *Bononiam.*

IOH. AB HOLLANDT S. D.

LITTERAE tuæ loquuntur multum te in libris, atque etiam Senecâ noſtro eſſe: quod ex animo gaudere me fateor, & gratulari tibi hanc bonam mentem. Si ab vllo haurienda ea eſt (ſacra ſemper omitto:) eum Senecam eſſe certum habeo. quem ego nunc meditabar illuſtratum & correctum edere, & hunc quoque fructum dare (pro ingenij mei copiâ) præſenti & futuro æuo. Totus in eo ſum. Valetudo autem ſemper anceps, plurimùm aduerſa; & vincula hæc euolanti ingenio ſummus arbiter dedit. Quid niſi feramus, & ferendo adeò vincamus? quia in pugnam hanc compoſiti cum Fortunâ ſiue Fato ſumus: atque vna hîc victoriæ ratio eſt, arma ſubmittere, nec pugnare. Næuius olim:

Pati neceſſe eſt multa mortalem mala.

Te in florenti Italiâ eſſe, gaudeo: florenti ingeniis, pace, opibus: vide, vt vidiſſe te olim iuuet: id eſt, quæ bona, & in rem tuam, excerpe, cetera nec tange, nec delibâ. Nam & roſis ſuæ ſpinæ adhærent: atque illas legere licet, & ab his non lædi. Animus mihi erat, & acris cupido loca ea reuiſendi hoc anno Sæculari: Deus vetat, vt verbò dicam. Vale, mi amice. Louanij, IX. Kal. Octobr. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. LXXVI. *Bononiam.*

Franc. Hovio S. D.

Testimonivm hîc tibi curauimus, quod ad parentem miſimus, atque ad te per illum. Finem impone, meo iudicio, & ad nos tuos ex longâ peregrinatione redi. Quod familiariter mihi ſcribis de iudiciis ibi aut ſermunculis, gratum eſt, quod ad tuum affectum: nam quod ad me, ne ſcire quidem cupio, adeò non diluere aut excuſare. Tantùm ſi quid in Religione erit, fortiter purga & pugna, vti debes. Scis enim falsò & inſidiosè me peti. de aliis, permitte Famæ & Poſteritati, quæ Genius meus mihi ſpondet non iniqua. Illi, qui ſe opponunt, aut ſiſtere conantur benigniorem hunc curſum, nihil agunt: ſeſe edunt aut atterunt, me aut mea non delibant. O quietem in hac parte noſtram, & ſecuritatem! Optimo animo feci, dixi, ſcripſi, quæ vſui reip. aut iuuentuti fore cenſui: ſi quis meliora ſe putat poſſe, largiatur & promat. ego ſum inter eos, qui ſinum pandent, & ſupinis manibus excepta in eum recondent. Illud tantùm riſi de Ariſtotele. non legiſſe me? à puero pænè, verè ita dixerim: & ſcripta mea vbiq; habent notas. Sed mittamus, illud modò dicito, POLITICA illa iam recuſa ante triennium, probata non noſtris modò Cenſoribus, ſed Romanis. An & eos culpant, aut ſuſpiciunt? Improbos, non ſolùm inuidos, ſi ita faciunt: & quos ego non magis curo, quàm, vt cum Homero hoc dicam, *——εἴ με γυνὴ βάλοι, ἢ πάϊς ἄφρων. Quod ad iter meum omiſſum, Valetudo ſola eſt in cauſſâ: nec aliam tu aut alij quærite, non reperietis. Rob. Titium amare me puto, ex quibuſdam publicis eius teſtimoniis: ego eum video ſedulò niti ad attollendam rem litterariam, quæ certè in iis locis (ò mutationes à Leonino ſæculo!) nunc ſquallet & iacet. Fata velint, tu mi Houi ſalue, & per te Io. ab Hollandt, quem amo. Louanij, VI. Kal. Octobr. ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. LXXVII. *Toletum.*

Antonio Covarrvviae S. D.

Beneficam tuam naturam, ô Couarruuia, qui nec petenti, quid petenti? nec cogitanti beneficium offers: quod & cupiebam maximè, & vſui futurum ſtudiis meis cenſebam. Accepi enim Græcanicos libros manuſcriptos, quos per noſtrum Pantinum miſiſti: quo nomine quantum & animo huic tuo & muneri debeam, lingua & ſtilus mihi hærent efferre. O cur non pax Europam reſpicit! cur non maria & terræ apertæ commeantibus ſunt! profectò interius votum meum ſit, Hiſpaniam veſtram curſim ſemel, & te in eâ, viſere: te *(μάλ' ἀτρεκέως ἀγορεύσω) Hiſpaniæ tuæ magnum lumen. Pantinum ipſum à reditu nondum conueni: haueo valdè, & de te tuiſque audire, quæ opto. Ego nunc in Annæo Senecâ eram, & *perpetuum Commentariolum* ad eum ſcribebam. Scis quid voueam? apud te & in tuâ bibliothecâ paullisper eſſe. Nam habere te vel à libris, vel ab ingenio, rariora & ſelectiora, conſtat, præſertim in *Senecam patrem*, mihi conſtat. Hoc nunc agebam: poſteà ad alia me daturus, ſi vita & valetudo erit. Tibi illam longam, & hanc bonam, merenti à Numine poſco. Louanij, XV. Kalend. xbris, ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. LXXVIII. *Patauium.*

Io. Vincentio Pinello S. D.

Malo fato & raro factum eſt, vt vna epiſtola bis miſſa nec ſemel perueneriт. Haud magna alioqui iactura, niſi quòd teſtimonium cultus mei & affectus tardarit, non tamen oppreſſerit, vel nunc ecce reuelandum. Nam ego tuum nomen ab adoleſcentiâ primâ & noui, & amaui, & veneratus adeò ſum: vt debui eius, qui virtutem & doctrinam eximiè coleret, & in ſe haberet, in aliis excitaret. Sunt iſtæ breues, ſed veræ tuæ laudes: quas in his annis & maturiore æuo quia penoui, magis etiam amo. Si aliqua ſimilis affectus tui ſcintilla in me; triumpho, non ſolùm gaudeo: & eſſe cum aliorum litteræ, tum tuæ loquuntur, ante duos menſes plus minùs ad me amârer ſcriptæ. Ergo amare amatum me poſſum dicere; & vt ſemper poſſim, te per genium tuum Virtuti & Honori ſic amicum, rogo. Louanij, Kalend. Decemb. ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. LXXIX. *Patauium.*

Erycio Pvteano.

Ita eſt. fraudes aut iniuriæ in noſtris litteris mittendis interueniunt, & pereunt, aut certè eunt, quò non mittuntur. Per amicos inprimis vide ne vmquam, quas ſaluas quidem voles. Nam illi aut neglegunt, aut

* ſi me mulier, vel verberet infans.

* valdè has veraciter edam.

aur reſignanr & abiiciunr, aut vr optimè cedat, tardè reddunt. De meis ad Pinellum, inprimis dolui. nam diu eſt, quòd virum illum inter primos Italorum, & qui verâ virtute nitent, habui; eoq́ue amari ab eo, ſicut amabam, hauebam. Benè tamen de affectu cecidit, quem meo parem ais, & ego ex litteris etiam eius vidi. Itaque iterùm nunc ad eum ſeribo, feliciùs, ſpero, dandas. Quod ad ſtudia noſtra, ſum totus in Senecâ Philoſopho, quem perpetuo Commentariolo, ſed manu facili, illuſtro aut emendo. Spero grauibus cordatisq́ue viris haud illaudatum hunc laborem, & publicè nec infructuoſum fore. De meâ hîc manſione dolere quoſdam ibi, non doleo: affectus ſignum eſt. obloqui alios fero, etſi ſcio quòd iniuſtè, nec niſi valetudo me tenuit toto animo eò anhelantem & propendentem. Quid autem nunc tu? apud illum virum vides, vt dignum aliquid; tum & illud, vt in gratia eius eſſe perſeueres. Mihi crede, verè & ſine fuco, magnus vir eſt. Principes noſtri noui hîc fuerunt, iurauimus in verba, publicè coram iis diximus: ſed pænè ex tempore, cùm ipſi paucis horis antè ita imperaſſent. De ſucceſſu tamen non queror: tu vale mi Puteane. Louanij, Kal. Decemb. ∞. IↃ. XCIX.

Carmen mitto, ſubitò etiam mihi hîc natum inter gaudia publica.

IN IGNES STRVCTOS INGRESSV PRINCIPVM, ALBERTI ET ISABELLÆ, LÆTITIÆ ET AVSPICII INDICES.

EPIGRAMMA.

AEMVLVS *aſſurgat Pharus vel turribus ignis,*
Igne fora, igne viæ, templa quoq; igne micent.
Quæ cauſſa? ignis, amor: flagrant nunc omnia amore,
Princeps, ipſa vxor Principis, & populus.
Ille atque hæc, vtriuſque; atque vltimus ille, vtriuſque.
Dij facite, æternùm mutuus hic ſit amor.

IDEM πλατύτερον.

QVÒD *latis flagrat ignis in plateis;*
Quòd fora occupat, & domus ſacratas,
Quòd domus ſimul occupat profanas:
Non miraberis hoſpes. ecce flamma
Multa huc venit. & ipſe flamma Princeps,
Vrit, vritur: idem & eius vxor.
Ille hanc, hæc magis illum, vtrumque Belgæ.
Nam ſuos amat ille & illa Belgas,
Suos obſequio & fide perenni.
Quid Belgæ? ij quoque amant & illum & illam,
Et colunt ſibi cælitùs dicatos
Principes Dominosq́ue. flamma felix!
Vre atque vrere tu caterua triplex,
Donec machina dædala iſta mundi
Fatali ruet & peribit igne.

I. LIPSIVS calore deuotionis effudit.

EPISTOLA LXXX.

GASTONI SPINVLAE S. D.

AFFECTVS quoque meus ferebat, vt tibi valedicerem, & ratio decori impellebat: ſed vterque excuſamur (ego certè. nam de te nihil opus) cùm ſubitus tuus, & iuſſu Principis diſceſſus, eripuerit hanc facultatem. Atqui animo officium hoc præbui, & eodem defero tibi & deferam omnem cultum. De PARVTA ego iam compingi iuſſi, vt commodè poſſit legi. Opus grandiuſculum eſt, nec habeo adhuc quod de eo in alterutram partem dicam. E Senecâ quæ publicè dixi, ea decerpta fuerunt è lib. I. DE CLEMENTIA, Cap. III. verbis, quorum initium: *Illius demum magnitudo ſtabilis fundataq́ue eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe*, &c. Exemplar eorum quæ dixi (etſi ſubitanea ea, me iudice, non tanti) dedi D. Petro de Toleto, atque etiam Illmo Legato Regio, quem virum cum gaudio meo noui: & tibi quoque in parte beneficium hoc debemus. Vtinam Hiſpania plures tales mittat! Quod autem de Senecæ libris quæris, quem excellere ſentiam? ſunt ſanè plerique omnes eximij & vtiles: ſed EPISTOLAE tamen, meo animo, eminent: deinde DE CLEMENTIA libri duo: tum DE TRANQVILLITATE ANIMI, & vno verbo ceteri vix infra iſtos. Magnus & magni animi ille vir fuit, & hunc certè lectoribus ſuis infundit. Spero me breuî publicaturum eum, cum noſtro Commentariolo, qui vobis lucem pleriſque locis dabit. Nam adſtrictum ſcribendi genus habet, eoq́ue ſubobſcurum. Ill^me Domine, tuum me cenſe & tuorum, quibus obſequia mea defero, nominatim Dominæ & liberis. Louanij, IV. Non. Decemb. ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. LXXXI. *Bononiam.*

CAROLO LAFAILLIO S. D.

QVAE à Titio miſiſti, lubens vidi: ſed vidi adhuc tantùm, & celeri oculo libaui. Placent. & ego pariter mea miſero, cùm noui aliquid erit. Senecam in manibus habebam, Commentariolo perpetuo illuſtrandum: & intra paucos menſes videbit lucem, ſi tamen tamdiu ego. Quod ad imaginem noſtri, ego Velio eam mitto, cum breui epiſtolio. Sed heus tu, nos hîc in triumpho. Principes Louanij fuerunt, ſolennia auſpiciorum fecerunt, Scholas quoque viderunt, & me audiuerunt dicentem. Rarum exemplum & nobile in feminâ. nam & ea interfuit, & tota illa * γυναικωνῖτις. Subita tota res fuit, nec meditationi noſtræ ſpatium: ſed Deus adfuit, & illo propitio, Principes habuimus propitios & volentes. Houius noſter mihi ſcribit de quorumdam ibi parùm dextris iudiciis aut vocibus, & præſertim ſuper noſtrâ hîc manſione. Nolim vos contendere, nec protectores mihi eſſe: quid enim opus? nec ſentio illa tela volatica, & nec lædar, ſi ſentiam. Qui in publicâ aliquâ famâ ſumus, aut vtramque excipere debemus, aut nullam: & ſatis, ſi melior præponderet. O ira ſit, & hactenus certè ſenſi. Vale mi amice. Louanij, poſtrid. Nonas Decembr. ∞.IↃ.XCIX.

* muliebris cœtus

EPIST. LXXXII. *Bononiam.*

IVLIO CAESARI VELIO S. D.

AMOREM tuum video, mi Veli, & parùm ſim qui ſum, id eſt, humanitatis & virtutis ſtudioſus, niſi eumdem tibi reddam, & æquâ, niſi fallor, lance. Non nego erga plures mihi hunc affectum eſſe: ſed vt ſol radios latè emittit, & lucis nihil amittit: ſic ego amoris, vt ita dicam, hos radios variè ſpargo, & lucere aut ardere ipſe non deſino. Petis imaginem meam mitti, inter illuſtres viros ponendam. illud facio, hoc non poſtulo, imò nec mereri me planè ſcio. Sumus aut erimus, quos fama nos eſſe & æternans ille Genius volet. at illud mihi vindico, toto putoque animo ad bonum publicum propendiſſe, & dotes ingenij mei (quas ille * δωτὴρ ἐάων dedit) huc contuliſſe. Nec queri adhuc de beniuolentiâ publicâ poſſum: etſi interueniunt etiam Aquilones aliqui aut Noti, qui ſecundantes & ſuauè ſpirantes Fauonios iſtos turbant, nec tamen pellunt. Parùm eſt, nihil liquidi in rebus humanis: in alto hoc erit, quò te meque, mi Veli, Altiſſimus ille & ὑψίζυγος ducat. Louanij, poſtrid. Nonas Decemb. ∞.IↃ.XCIX.

* bonorum dator, id eſt Deus.

EPISTOLA LXXXIII.

BALTHASARI DE ZVNIGA, *Legato Regio.*

LITTERAS quas Antuerpiâ ad me, ſanè quàm beniuolas miſiſti, lubens legi, & gratulatus mihi ſum de ſerio tuo in me affectu. Vt vtar eo, rogas. & quidni faciam, ſi occaſio ſit? Sed meæ res & vita, vt ſcis, in tranquillo conſiſtunt; nec ſpes meas aut vota ad magna aut longinqua mitto. Hæc eſt felicitas mea in paucis eſſe felicem. Studia ſolira me habent, & nunc totum SENECA: quem breui, ſed perpetuo, Commentario illuſtratum dabimus cum publico, vt ſpero, fructu. Intereà fortaſſe breuiculum aliquid ad nouos noſtros Principes: & id ex occaſione natum, quòd audiendi nuper nos honore in publico affecerunt. Concepi, ſi pergo & perago, inter primos ſcies. Gaudeo conuentum à te P. Schottum, veterem amicum meum, & ante annos XXV. etiam hîc auditorem. Sed & Antuerpiam placuiſſe, & eius pompam, gratum eſt, nec tamen nouum. Præſumebam enim animo omnia ſplendida & decora, & ab ingenio ciuium, & à genio ipſo vrbis: quâ vnâ gloriari Belgica noſtra poteſt, ocello & velut gemmâ in hoc orbe terrarum. Librum, cuius mentio in ADMIRANDIS, hîc adiunctum Ill[mo] Domine habes. Illo meiſque (quidquid erit) vtere; & me, ſi non ex merito, ex benignitate tuâ ama. Louanij, x. Kalend. Ianuar. anni noui, ∞.IↃC. quem votiuum decurrere tibi, Numen precor.

EPISTOLA LXXXIV.

NVNO MENDOZIO *Luſitano,*
à cubiculo Principis.

AFFECTVM tuum, qui ad ſcribendum impulit, quomodo non gratum habeam? Ego verò valdè ab humanitate, & iis ſtudiis quæ profiteor abeam, niſi & illum amplectar, & meum viciſſim tibi reponam: quod facere me, hac ſcriptione ſedulò reſtor. Pauci profectò ſunt, & præſertim è veſtrâ nobilitate, qui optimis honeſtiſſimiſq; ſtudiis ſe applicant: & veſtra etiam gens magis adhuc armorum gloriam æmulata eſt,

quàm Muſarum. Itaq; eò magis amplectendi & æſtimandi nobis ſunt, qui veſtrûm amplectuntur eas & æſtimant: etſi fructus vobis eſt, etiam ſine approbatione aut iudicio noſtro. Te & animum tuum appello. ſcio internâ & ſolidâ voluptate perfrui, cùm ad amœnos illos hortos, vt ſic dicam, Muſarum diuertis: atque ibi lectione aut meditatione paſceris rerum vel elegantium, vel ſublimium, & à profano iſto vulgo remotarum. Nam de prudentiâ, imò & ſapientiâ, quid dicam? quæ originem & fontem iſtum habent: ſicut & ipſa probitas, & honeſti amor, ſiue à præceptis illis ſaluberrimis manat, ſiue à pulcherrimis exemplis. Itaq; gratulor tibi, Vir Ill^me^, verâ nobilitate dignam hanc mentem: & felicem prædico, qui præceptorem habueris melioris mentis ac iudicij virum, qui ad meliora & altiora hæc duxit. De me verò ſic ſtatue, & amantem viciſſim tui eſſe, & cupidum etiam videndi ac fruendi, vbi prima occaſio erit: quam poſt iſtas peregrinationes Principum aut inueniam, aut faciam. Vale. Louanij, x. Kalend. Februar. ∞. IↃC.

EPIST. LXXXV. *Romam.*

GASPARI SCHOPPIO S. D.

ROMAE te eſſe mi Schoppi, & gratulor & gaudeo: Romæ, id eſt, in luce illâ gentium, in arce olim imperij, nunc pietatis. Quam pietatem veterem & puram te amplexum eſſe, quis non in tali indole atq; ingenio gaudeat? Macte adoleſcens, decurre hanc viam, quæ & hîc gloriam tibi pariet, & poſteà illam æternam. Quòd calamum autem ſtringis in illos qui deflexerunt; facito, ſed (meo monito) cum modeſtiæ ſemper, imò & amoris, erga eos notis: vt allicias magis quàm alienes, & docere videaris non pugnare. O vtinam plures è tuâ Germaniâ æmulentur hoc exemplum! regione ſemper mihi amatâ, ob gentis ingenium naturâ rectũ, probum, & virtuti candidæ amicum. Deum ex animo precor eam reſpiciat, & caliginem hanc nebulaſque nuper offuſas diſpellat. De ADMIRANDIS meis illîc recudẽdis, fiat vt vobis & magnis ibi viris (ita ſcribis) viſum: ſed exemplar ſecundæ editionis tamen ſequendũ ſit, in quo & mutaui aliquid, & auxi. Mutaui autem de Frumentatione, in quâ fortaſſe aliquid parũ *ex modo. *μετρίως dixeram, nec firmo auctoritatũ fulcro nixum. Sed & quædam alia infirmiora ſtabiliui: & omnino ea vobis habenda, atq; vulganda ſit. De rebus tuis ſcire aueo, ſatiſne ex voto ſint? ſpero, neque Romæ certè defuerunt vnquam, qui ingenia talia fouerent attollerentque. Raphelengium vtrumque noſtrum, ſi illic, ſalutere velim: & te longùm, mi Schoppi. Louanij, in acri frigore & inſolenti. VII. Idus Febr. ∞. IↃC.

EPIST. LXXXVI. *Romam.*

ASCANIO COLVMNAE S.R.E. *Cardinali.*

TARDE admodum in manus meas Oratio tua venit, in Hiſpaniarum regis funere ſcripta; & ideò excuſandus ſum, ſi tardiùs de eâ ſcribam. Gratam fuiſſe & ipſam, & hunc animum in me tuum ſiue iudicium, quidni fatear? & legi auidè, & quid cenſeam, breuiter & apertè dicam. Video inuentione fœcundam eſſe, ordine diſpoſitam, verbis figuriſque politam, numeris rotundam, membris & periodis ſuis plenam: atque vno verbo, magno vel Oratore, vel Rege dignam. Hoc magis, quòd à te ſcripta. id eſt, viro loci generiſque dignitate inter Principes, in aſſiduis arduiſque ſemper occupationibus: vt concipere vel conari talia, admirationem habeat; quid ſic agere, quaſi vnum hoc ageres, & ſemper egiſſes? Felicem ingenij prædico, & Româ illâ vetere dignam prolem: hac quidem in parte. Nam & nouam hanc etiam ornas, & pietatis munia, quâ dote commendatur, ipſe vſurpas, atque illuſtri exemplo aliis præis. Audio iam nuper adeò, auguſtis illis ſacrariſque myſteriis initiatum eſſe: quod gratulamur, & toto animo fauſtum ac ſalutare comprecamur. Simul illud optamus, plures eiuſmodi in hoc Chriſtianæ reip. ædificio COLVMNAS: quod ſi eſſet, turbines iſti ventiq́ue parùm in illud poſſent, qui nunc quatiunt validè & mouent, præſertim in miſero noſtro axe. Deus ſedabit, cùm volet, & Te Ill^me^ & Reu^me^ Domine, lõgùm bono publico, & decori tui ordinis ſeruabit. Louanij, VI. Idus Februarij, ∞. IↃC.

EPIST. LXXXVII. *Romam.*

NICOLAO MICAVLTIO S. D.

AMARE debeo diligentiam tuam, natam haud dubiè ex fonte affectus, vel potiùs amoris. Semper à te litteræ, ſemper gratæ: etſi vereor vt paria faciam, aut facere poſ-

poſſim (noſti occupatiunculas) in reſpondendo. Nam de amando, ſecurus eſto: vel æquo, vel antecedo. N.N. litteras tandem vidi. nihil ſecreti aut magni erat, cur opus illo à Secretis tamdiu exſpectato. Sed quiſque vt volet. ego vana, aut quæ eò inclinant, aſpernari incipio, & vela minùs minusq́ue pandere non dicam ambitioni, ſed famæ. Quid hæc omnia ſunt, opinio, laudes, elogia? venti. In quiete maneamus, quæ à Deo & virtute ſit: & huic cibum litteras, aut ſapientiæ potiùs ſtudia, demus: in quibus nunc ſanè eram. Nam Senecam totum edere parabam, perpetuo Commentariolo illuſtratum, atq; ipſum & verba eius imprimis correcta & probè diſtincta. Gaudebo, ſi abſoluero. Præmiſi autem (ita volentibus amicis) *Diſſertatiunculam ad Principes extemporaneam*; & vt huic breuiculæ & leuiculæ pondus adderē, adiunxi *Panegyricum Plinij*, immortale opus, item Commentariolo illuſtratum. O legant Principes, ô delectentur, & æmulentur! Sed quando tu ad nos? iamdiu animo te reuoco, & nunc etiam hoc calamo: redi ad nos tuos. ſatis viſioni, ſatis & religioni eſt datum. Ad Card. Columnam litteris miſi per noſtrum Houium, qui ſeriò à me ad illum Principem petebat. Non dubito quin & te conuenerit (nam ad te priùs ire iuſſi, ſiue monui:) & epiſtolam illam iam deſtinarit. Quod ad Pigafettā, ſeorſum hîc habes quod ei legas. Vale mi amice, & ſalueant à me Lombardus & Desboyſius. Louanij, III. Kal. Mar. ∞.IↃC.

EPISTOLA LXXXVIII.

BALTHASARO DE ZVNIGA, *Legato Regio.*

CVM meus iſte Bruxellam iret, litteris ſalutē libari tibi libuit, & reditum gratulari ex peregrinatione, quam cum Principibus noſtris obiiſti. Quid reditum? an & abitum precari proſperum, niſi fama nos fallit? Nam ea nobis inſuſurrat, parari conuētum & actionem ſuper pace Britannicâ, atq; ei te quoque inter primos interfuturum, aut præfuturum, vt locus iſte eſt, quem tenes. Si hoc fit; toto animo precor, & exitum eius rei tibi glorioſum, & patriæ ſalutarē, quæ profectò & conſiliis & ſolatiis, ſi vmquam, eget. Ego, quod nuper ſcribebam agitare me, nunc decreui, & ad Typographum *Diſſertatiunculam* meam coram Principibus miſi, tum etiā (ne per ſe leue illud munus ſit) *Plinij Panegyricū*, breui Commentariolo illuſtratum, quem Traiano dixit optimo Principum, & claro ſideri gentis veſtræ. Rogo te, Ill.me Domine, vt vel hac cauſſâ opuſculo meo faueas; tum & illâ, quod auditorē te illius Diſſertatiunculæ merui, & poſteà approbatorem. Librum *De officiis aulæ Conſtantinopolitanæ* nuper miſi, & ſpero recepiſſe: mittam & mea, ſiue ad præſentem apud nos, ſiue & abſentem, ſi vera fama eſt, quam talem opto. Louanij, Kal. Mart. ∞.DC.

EPIST. LXXXIX. *Salamanticam.*

EMANVELI SARMIENTO DE MENDOZA, *Doctori Theologo.*

TALES ne epiſtolas ex iis oris, & à Theologo? Plures accepi, fateor, & amicos illîc alibi habeo: ſed Deum teſtem inuoco, nō aliud ſcriptum litterarius, aut terſius, & toto genere erudirius vidiſſe. O pax, cur nos non aſpicis? ego per te profectò tales viros, & doctrinæ & mihi ſic amatos & amicos. Sed iactamur veteribus illis procellis, nec duo illa ſidera adhuc ſedarunt, quæ Hiſpania veſtra miſit. Fatales & diutinæ noſtræ turbæ, inter alia mala cladesq́ue, hanc occultam perniciem intulerunt, ſpernendi Pacis omnes artes: id eſt, noſtra ſtudia, quæ, mihi crede, à paucis vel perpaucis potiùs, hîc non dicam coluntur, ſed æſtimantur. Atque vt eſt rerum omnium orbis, futurum video atque auguror, atque etiam opto (cur diſſimulem?) vt ad vos & longinqua loca migrent: loca iam olim ſic feliciter illis inſeſſa: & quis Græciæ Helicon aut Parnaſſus, ſuper priſcam Hiſpaniam fuit? Scripta & diuina illa monumēta loquuntur æternorum ingeniorum: in quibus Seneca, quem nunc cùm maximè in manibus habebam, & perpetuo Commentariolo illuſtratum ibam. Cur non audè & pænè iuſtè hoc facerem? Dederam Tacitum, prudentiæ (tuo quoque iudicio) patrem debui, certè volui, & Senecam, ſapientiæ fontem. Sed de Tacito, dici non poteſt quàm me tua elogia delectent. Nam quoſdam eſſe, qui preſſum illum eunt vel abiectum, non ignoras: à quibus ita diſſentio, vt æternæ Prouidentiæ beneficio datum, ſeruatumq́; in parte ſcriptorem illum arbitrer, ad ingenia & conſilia vel illuſtranda vel dirigenda. In eum quas Notas commentatus es vidi, & ſubtilitatem vbique, iudicium nō ſemper (verum amo dicere, & tu audire) probaui. Nam ſcalpro aut cultro nimis interdū indulgere mihi viſus, nec auſim ſic recidere veteres omnes mēbranas. Fran-

ciſcum Sanctium Brocéſem, iam anni multi ſunt, cùm noui, amo, colo. Probitas & eruditio viri merentur, & te rogo non ſalutare tantùm, ſed collum ille inuadere, & pro me amplecti. Ille Mercurius, ille Apollo eſt, Hiſpaniæ veſtræ. atque vtinam multos exciteт trahatq; ad ſplendidas veraſque artes; neque armis tantùm, vt ſemper, ſed ingeniis etiam, vt olim, floreat ille tractus! Vale vir Reu.^mе^ & Eximie, cum quo amicitiæ fœdus libens iamnunc coëo, non niſi cum animâ (ſi tu voles) diſcingendum. Louanij, prid. Idus Mart. ∞. IↃC.

Qui has defert, honeſtus eſt vir, & inter meos Auditores, nũc Licentiatus iuris. Pater eius, inter primores Aulæ adminiſtros, ad viſendam Hiſpaniá ablegauit. Amplectere.

EPIST. XC. *Romam.*

IOANNI BAPTISTAE HANSENIO S. D.

GRATVM eſt, quod ſcribis mi Hanſeni, neq; ingrata quæ ſcribis. Primùm illud, de viro ſummo (ita loquendum eſt) in cuius contubernio agis, valdè tibi gratulor, & tu diuinũ hoc beneficium habe, & fruere æterno tuo bono. Affectum autem eius quòd etiam in me nũcias, iam ex litteris eius didici, & gaudere me in eo fateor, atq; adeò exſultare. Nam is ſine meliore aliquo iudicio de me eſſe non poteſt: cui auté magis probari optauerim, quàm viro quem Deus hominesque iuxtà probant? Pluris hoc mihi, quàm Principum iſti aduentus, vel interuẽtus, in Scholas noſtras: quibus tamen quæ tunc dixi (etſi pauca ſunt) iam vulgamus, cum *Plinij Panegyrico* addito, quem leui manu illuſtramus. Ipſum opus Plinij nouo Principe dignum: atq; vtinam legat, capiat, obſequatur! Heu, conſiliis in hoc ſtatu rerum quàm egemus! Quid ſtatu dixi? fluxu debebam. ita res noſtræ labuntur, & niſi Deus ſiſtat, iam ruunt. Sed in eo, in cauſsâ, in Principum pietate & probitate (vtramque vterq; habet) confidimus: & quamquam initia vacillant, paullatim res & conſilia itura in exitum melioré. Hæc mœſto oculo ſæpè aſpicimus, & quietæ Italiæ veſtræ deſiderium redit: ſed quid dicam, niſi iniectâ manu ſiſti & teneri me à Fato? Ita valetudo, amici, alia interueniunt, quæ iam in procinctu pœnè arcuerunt vel arcent. Itaque omitto, mente & cogitatione adeò, & eâ ſæpè me oblecto. Officia quæ defers, & præſertim in Vaticanâ Bibliothecâ, non refuto, imò in tempore fortaſſe vtar. Nunc quidé in Senecâ eramus, cuius exemplaria plura vidimus, & alij alibi: nec operępretium ſit te inſpicere, niſi vnum aliquod ſit eximię notæ. Quòd autem inueis de loco honeſtiore dextro, in Electis à me ſcriptum: non muto equidem, etſi concuſſit me tamen ille tuus, & Becani hac in re, patronus. Sed quædam à nobis ita palàm ſunt, vt refelli vix videantur. ſicut illud de *Latere claudendo*, quod certò eſt Siniſterioris, & minus honeſti. Docui ibi ex Suetonio & Eutropio: & adde, ſi vis, veteré Iuuenalis Scholiaſten à Pythœo editum, qui in hunc verſum, *Diuitis hic ſerui claudit latus: Aut in medium* (inquit) *ſeruum mittit, aut in ſiniſtrâ ambulat.* Iudæos ita habuiſſe olim, Sacra docent: & Chriſtianos veteres, niſi fallor, D. etiam Maximus Epiſcopus Taurinenſis, in Homiliâ de Sanctâ Pentecoſte. Scribit ad verba illa, *Dixit D. D. meo, ſede à dextris meis: Cur autem ad dextram filius eſſe dicatur, moueat aliquem fortaſſe. Licet enim dignitatis gradus non ſit, vbi plenitudo eſt diuinitatis; tamen ideò ad dextram ſedet filius, non quò præferatur patri, ſed ne inferior eſſe credatur.* Et ſtatim: *Pater Chriſto filio thronis ſui offert* SVBLIMEM *conſeſſum, &* HONORIS *gratiá ad dextram ſuam illum æterná ſede conſtituit.* De Ouidij verſu ſcripſi in Electis, quæ viſa: & ęgrè muto ob Horatij illum, —*nec tamen illi Tu comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.* Vbi *exterior* palàm eſt inhonoratior: ergo contrà, *interior.* Alioqui valdè placeat illud Vaticani codicis, *anterior.* Sed in Electis meis recuſis, aliquid etiam refinxi, poſteà tibi videndum. Hæc, ſi tanti, diiudicet ille magnus arbiter, à quo non appello. De Gallorum in nos bello quod ſcribis, nihil equidem inaudiui: niſi quòd N N. quædam in me dicteria iampridem legi. Sed ille in me ita ex ſuperuacuo & ſine cauſsâ incurrit, vt credam hoc ipſo minùs grauem gratumque iis eſſe, quibus anteà fuit. Equidem nec læſi nec lædam quemquam. pacis ingenium habeo: ſi me alius, videbo. & in leuibus, ſilentij tenorem ſeruabo: ſi quid grauius aut dignius, fortaſſe rumpam. Vale, mi Hanſeni. Louanij, VII. Kal. April. ∞. IↃC.

EPISTOLA XCI.

GASTONI SPINVLAE, *Gubernatori Limburgenſi.*

DOLEO, & pœnè indignor, me præuentum rogatione tuâ, in re quam ſponte & vltrò faciebam. An non libri mei exem-

plar ad te mitterem, vt ſoleo, atq; etiam (ita loquor) vt debeo? Nam beniuolẽtia certè tua in me inſignis, & palàm teſtata, ita poſtulat: & mea etiã obſeruatio, & tui cultus, impellebant. Faciebam ergo vltrò: ſed cur diſtuli? ſimpliciter rem dicam, quia pauca exemplaria compacta, &, vt ſic dicam, veſtita habebam: nudum autem mittere verecundabar. Quid, quòd nec ad Principes alios viros miſi (Legatum Hiſpaniæ excipio) ad quos ſolebam? Itaque de morâ ignoſce & fac mihi gratiam: quam aliàs ſanè libens emendabo, cùm videã lucubratiunculas noſtras ſic gratas tibi eſſe, non à ſui pretio ſed accipientis affectu. Quòd porrò Spadam aut & Limburgum tuã me inuitas: mentiar, niſi dicam me velle, aut potiùs geſtire. Sed quid promittam? omnes pericula mihi obiiciunt, & liberas graſſationes hoſtium in Eburonum ſolo. Neq; nego terreri me, vt qui ſemel periculo nimis fuerim propinquus. Tamẽ valetudo mea anhelat ad illas ſalutares Aquas: etiam ad te ego Ill^me Domine, & cupiam paſci ac refici ſuauibus ſimul ac prudentibus ſermonibus tuis. Nam iſta, quæ in rep. noſtrâ video, haud ſanè vſquequaque mihi placent: & loquamur libentiùs de iis, quàm ſcribamus. Vale cum Dominâ & liberis, quos Deus corpore atque animo attollat. Louanij, VIII. Kal. Iunij, ∞. IↃC.

EPIST. XCII. *Romam.*

FREDERICO BORROMAEO *S.R.E. Card.*

SICVT Telemachus ille, apud Homerum, Neſtorem videt & affatur cum ſubductione & pudore, ſed incitat & perſuadet Minerua: ſic mihi fit in iſto alloquio, quod etſi non primum ad te, tamen cunctanter profero, nec niſi Micaultio incitante. Ille à te recèns, de puro affectu tuo in nos ea rettulit, quæ ſuauiter in pectus hoc illapſa me recrearunt: & ſimul impulerunt, gratias has & preces ad te deferre. In præteritum, gratias; in futurũ preces, vt ſic in me perſeueres, non mei meriti, ſed conſtantiæ tuæ, cauſsâ. Nam de me quid dicam? niſi aut à famâ te, aut tuâ benignitate falli: qui parùm ex propinquo me aſpicis, & in lumine claro cernis. Sicut eminus ſtannum, argẽtum, plumbum, conſpicienti eadem videantur, admotus diſcernat: ſic vereor vt in meis dotibus, & longinquitas pretium iis addat. Itaq; cautè à me factum igitur, qui venire ad vos diſtuli, & cõſpicuum me dare: manete in ſuaui mihi errore, & vel immerentem amate. Etſi quid mentior? nulla hîc cautio. ardor eſt, qui fuit: ſed valetudo interceſſit, & alas mihi iã ſubuolanti incîdit. Itaque, vt iterùm ille Telemachus, * Ἧστο μὲν ἐν μνηστῆρσι, φίλον τετιημένος ἦτορ: ſic ego iſtîc maneo, non procis tamen, ſed procacibus militibus circumuallatus, qui nos & noſtra valdè turbant. Audiſtis, ne ſentire vobis ſit, & vt tibi Ill^me Domine longùm valere, ſupremum Numen precor. Louanij, IV. Idus Iun. ∞. IↃC.

Ipſe procos inter mærens corde ſedebat.

EPIST. XCIII. *Romam.*

PHILIPPO PIGAFETTAE S. D.

LITTERAS à te legi, quas ipſa Humanitas tibi dictauit. Quidni autem benignè ita ſcribas, qui benignè in me & famam meam is conſulenti? Nam MAGNITVDINEM noſtram ROMANAM ſignificas te vulgare in Italicâ veſtrâ linguâ: quod iam aliunde didiceram, ſed libentiùs certiuſq; te nunciante. Mi Pigafetta, an mereatur à me hunc laborem, neſcio: à ſe meretur, & quamuis fidenter apud te, eius ſcientem & amantem, dicam. Ecquando tale, tam diuturnum, tam compoſitum imperium aut fuit, aut erit? Vel illa res argumento, quòd pleriſque logos & fabellas narrare videmur: nec veriſimilia quidẽ adſerre, cùm vera, & vt ſic dicam, oraculis certiora dicamus. Incomprehẽſa eſt (de vulgaribus ingeniis loquor) illa MAGNITVDO. Quid de vulgaribus? me ibidem pono. Omnia feci, culmen non attigi. ſed tamẽ vt in magnis ſignis, vbi caput non eſt tangere,

Ponitur hic imos ante corona pedes:

ſic ego ingentem illam Romam veneratus, ſertum hoc ingenij vel ad pedes eius conſecraui. Tu aut alius caput ei coronabit. Sed tu tamen iſta magnificas & attollis, & eminere inter ſcripta noſtra, vt Homeri illam Nauſicaam (eâ imagine veteris) inter alias virgines cenſes. Neſcio, & velim, pro affectu meo in Romam, ita ſit: tamen hoc ſcio, pluſculum me iudicij & diſpoſitę collectionis in hoc opus contuliſſe, quàm celeri mente aut oculo aliquis arbitretur. Qui inſiſtet & rimabitur, non culpabit. Niſi quòd quædam tamen omiſſa etiam nobis, quorum partim in ſecundâ Editione (eam habere te velim) iam addita: partim in ſequenti addenda. Sicut illud, pro ambitu magno vrbis. quod Plutarchus in Niciâ ſcribit, *vrbem Syracuſas fuiſſe Athenis non anguſtiorem:* atqui Syracuſæ CLXXX. ſtadia in ambitu habuere, Strabone

ne teſte: ergo & Roma, quam cum Athenis Dionyſius comparauit. At enim illa tot ſtadia iuſtè efficiunt XXII. *milliaria illa cum ſemiſſe*, à me adſtructa. Item de numeroſo illo populo(in quo paſſim audio abnuere, etiam qui obloqui non poſſunt:) de illo, inquam, Suetonius valdè affirmat, ſed me emẽdante. Leges in Nerone eius, cap. XXXIX. inter magnas raraſq; clades, *Peſtilentiam Romæ vnius Autumni, quâ triginta millia funerum in rationẽ Libitinæ venerunt.* Tuam ſagacitatẽ! hæccine res magna aut memoranda, toto Autumno in tantâ vrbe? Ego adſero, & res eſt, in vnâ aliquâ noſtrarũ vrbium hanc peſtilitatem, in paucis menſibus, ſic fuiſſe. Ne ambige, quin *treecenta millia* ſcripſerit: & meis, ſi voles, in fine Dialogi III. lib. III. adde. Sed & percuſſit quoſdam de laxitate domorum, quod ſcripſi lib. III. Dial. vlt. Audiant Senecam: *Non habebant* (priſci illi) *domos inſtar vrbium:* vt nos ſcilicet habemus. Iterùm audaciùs: *Ædificia priuata, laxitatem magnarum vrbium vincentia.* Pluta ſunt talia: & tu à te, atque aliis ibi fortaſſe, quædam habes, me volente inſerenda. Nam iuuari, moneri, doceri, cur abnuam? à quocumque volo: & cum Euripide,

* Παλαιὰ ποῦ 'στι τοῦτ' ἐμοὶ δεδογμένον.

* *Dudum iſta ſedet animo huic ſententia.*

Hoc etiam, te talem amare, atq; adeò colere, inter eximios Italiæ fœtus. Non enim lectio tibi ſolùm multa, ſed peregrinatio dedit: varia & multiplex, vt audio, per Europæ noſtræ, atque etiam Aſiæ oras. Faueo. tu nobis priuatim & publicẽ: id eſt, me ama, me cum aliis doce. Louanij, prid. Kal. Sextil. ∞.IↃC. Haud abſimili ſententiâ (non verbis) epiſtolam à me aliam habes: ſi tamen accepiſti. Si non, prouidè hæc ſubmiſſa.

EPIST. XCIV. *Hiſpalim.*

IOANNI WOVERIO *ſuo* S. D.

O VOLVPE mihi, te eſſe ſaluum! ô magis, te animo eſſe ſanum, nec inter inepta, vana, improba pollutum! O ſic ſemper, ô magis magiſq; ad illa puta, æterna, alta: quò melior Deus & natura tua, addam & inſtitutio mea, vocarunt. Mihi hoc nunc crede vſu perito, quò magis te in hoc ſalum vitæ penetrabis, amara pluta reperies & quę aceſcant: quid remedij? ſcire, ſpernere, & Sapientię decretis ſe munire. Vt Vlyſſi illi naufrago Leucothea vittam ſub pectore ponendam dedit, quâ tutus à turbine & tempeſtate eſſet: ſic tu hac Sapientiæ te præcinge, & audies —— * οὐδὲν τοι παθεῖν δεινόν, οὐδ' ἀπολέσθαι.

* *nil vereare pati, nec morte perire.*

Sed hæc domi olim ſæpiùs: at nunc recole, & quando iterùm licebit? quando vultus & ſermones iungere? Pænè diffido, cùm valetudinẽ meam video, quæ præcipitat & tuit ad meram. Itaque & de *Senecâ* pænè diffido, etſi medium opus peregimus: imò nihil etiam egimus (ita mea ſunt) niſi extrema hæc manus accedat. Patria videtur animam agere, ita conſilia omnia Principum & optimatum ferox miles turbat. Pluta nolo, nec te ſuadeo vltrà tam liberè quàm nuper. quid ſi recludantur? non quia improbi aliquid (abeſt ab vtroque noſtrûm) ſed quæuis liberior cenſio odium hodie habet. At nos æternum inter nos amorem, & ſic mihi vale. Louanij, III. Idus Iunias, ∞.IↃC.

EPIST. XCV. *Romam.*

CAESARI BARONIO *S.R.E. Cardinali.*

PIETAS, & quidem duplex, hanc ſcriptionem à me expreſſit: ſiue quam Deo, ſiue quam Patriæ debemus. Sacrum luſtralem annum qui obire in ipſâ Vrbe & ſanctis locis non potuere, ſiue morbo, occupatione, inopiâ, aut alio vinculo impediti: benignitas SS. Pontificum iis quoque, iam more veteri, ſubuenire conſueuit, & Iubilæum ad alias exterasque oras propagare. Opidatim ſolet inſtitui. & quia Louanium noſtrum, & inter vetuſtiſſimas Brabantiæ vrbes eſt, & religionem veram & priſcam ſemper (quod non aliæ) habuit illibatam: videtur mereri prærogatiuam iſtam, vt ſacri illius beneficij publicatio illic inſtituatur. Senatus & Academia valdè velint, & apud S^mum noſtrum agi per certos homines procurarũt. Sed quia commendatio etiam veſtra, Ill^me Domine, facere huic negotio poteſt, & me aliquid apud te poſſe cenſuerunt: rogarunt, & togo, vti ſuffragij tui calculus piæ petitioni accedat, & nos publicis meritis iamdiu obſtrictos, etiam hoc priuato artiùs velis deuincire. Ill^me & Reu^me Domine, Deum precor, te Eccleſiæ ſuæ, magnum & ratum lumen, diu lucere patiatur. Louan. VI. Idus Sept. ∞.IↃC.

EPIST. XCVI. *Vlyſſiponem.*

EMANVELI CORREA *Luſitano.*

ET epiſtola tua me exhilarauit ac diffudit (ita loquor) & is qui eam dedit Nunus Mendozius, olim in tuâ diſciplinâ. Nam epiſtolâ tuâ quid mei amantius? quid

in iudiciis honeſtius? vt ruborem mihi lectio pænè incuteret, naturâ modeſto, & gnaro alioquî non eſſe in eo culmine, in quo me ponis. Sed ponis per amorem: nec iudicij tui cenſeo hunc errorem. Iam ipſe nobiliſſimus vir qui attulit, ſcriptione mihi anteà notus, ſermone ſe, & addo geſtu ac vultu ipſo, probauit: planè melioris commatis ac monetæ, vt Græci loquuntur, & qui genus ſuum illuſtret atque etiam gentem. Gentem illam veſtram dico, id eſt, Luſitanos: iam olim armis, imò & litteris inclytos. quas primus Sertorius intulit, & Græcis iis Latiniſque (Plutarchus auctor) imbuit veſtram iuuentutem. Crede mihi Correa, ſemina eius inſtituti etiam nunc fructificant: & ardet in animis veſtris ſemel accenſus honeſtior ille ignis. Audimus certè, non in alio Hiſpaniæ tractu magis veteres artes coli: & exempla ac ſcripta ſunt, quæ ad nos quoque manant, & teſtantur. O Deus, cur bella in haud magno interuallo nos dirimunt! terras & maria intuta reddunt? Abſque iis eſſet, iamdiu in voto, nunc in leui habeam, ligneo equo ad vos currere: videre loca & homines, in quibus bona & boni, atque etiam ego ſic amor. Te mi Correa videam, pectori applicet, collo adſtringat. atque ipsâ hac cogitatione liqueſco & moueor: quid ſi re ſrui detur? Sed vt tempora fluere, vt meam valetudinem labi video: non dabitur, nec niſi ſub vmbrâ voluptatis hac ludam. Sed tamen hoc datur, animis adire, affari, iungi: id eſt, optimâ & cæleſti illâ parte noſtri, à quâ eſt, ſi quid in me amaſti. Et hanc igitur veloci alâ iamnunc ad te mitto, & pangere iubeo

Fœdera, non vllâ diſſoluenda die.

Vale vir optime & doctiſſime. Louanij, VIII. Kal. Nouemb. ∞.IↃC.

EPISTOLA XCVII.

CYNTHIO ALDOBRANDINO *Cardinali tit. S^ti Georgij.*

EFFABOR ex animo, Genium aliquem videri mihi impulſorem eſſe ad te ſcribendi. Bonum haud dubiè, ad omnium vocibus ſic bonum, & qui eximiè vnus retinet priſcam & Romanam illam non probitatem ſolùm, ſed libertatem & candorem. Ita ad me omnes qui illinc veniunt, qui illinc ſcribunt: & addunt, quod propriè me tangit, inclinantis tui animi in me affectum. Beatum me qui habeo, nec merito vllo meo conciliatum, ſed tuâ benignitate oblatum. Sicut arbores fructibus grauidæ inclinant ramos & demittunt, & offerunt carpi: ſic vos iſti verâ virtute vberes, & beniuoli & benefici vltrò eſtis, & inuitatis ad fruendum. Ego verò & coram ſrui, & videre, hoc anno ſacro ſæculari cenſebam: Deus aliter, qui tenuit, & Valetudinis hoc vinclo ligauit. Venit tamen iſte è diſciplinâ olim meâ Io. Hemelarius, gente Batauus, mente & pietate Romanus: quem ego ſeriò commendare auſim (apud viros Principes quî fallam?) & ingenij doctrinæque titulo, & edecumatæ, vt ſic dicam, honeſtatis. Rogo, Ill^me Domine, in hunc quoque fauoris tui libra deuergat: ſed in me maximè, eius ſi non merentem, certè cupientem, & fide atq; obſequio ſemper meriturum. Deum teſtem aduoco, & eumdem Ill^me & Reu^me Domine, virtutis tuæ atque æui propagatorem. Louanij, VII. Idus Septemb. ∞.IↃC.

EPIST. XCVIII. *Romam.*

ROBERTO BELLARMINO, *S.R.E. Cardinali.*

GRATVLARI non tibi, ſed nobis & Eccleſiæ dignitatem tuam & hanc purpuram, animus iamdiu fuit, nondum occaſio: & fateor me inter eos eſſe, quos Verecundia aut modeſtia continent, nec temerè prorumpunt. At nunc os & ſtilum mihi ſoluit adoleſcens iſte quem vides, olim è meâ diſciplinâ, qui inter omnes te elegit cui vellet offerri & commendari. Facio libens, & pænè dicam ſecurus de ſucceſſu. quia ingenium eius noui, induſtriam, progreſſum in optimis artibus, & addo (caput rei) probitatem morum, cum puritate religionis coniunctam: quæ omnia amari à te ſcio, & in titulis laudum ſpectari. Fac periculum Illuſtriſſime Domine, plura prædicatione meâ reperies: & in ipſo homine neſcio quid venuſtum & lepidum, quod occulto velut vinculo ad ſe ducat. Quòd ſi fortè ad alium eundum ſit, rogo vt fiat te auſpice: ego me & debiturum gratiam fateor, & fortaſſe (liberè dixerim) eum mihi, qui me tradente compos gemmulæ huius erit. Sed quod initio propoſui, ego Ill^me & Reu^me Domine, honorem hunc tibi corde gratulor, non donum, ſed præmium: & Deum rogo, velit te in eo Eccleſiæ ſuæ tutorem & vindicem diu ſupereſſe. Louanij, VI. Idus Septembris, ∞.IↃC.

EPIST. XCIX. *Hiſpalim.*

IOANNI WOVERIO *ſuo.*

TRISTE mihi (rarum in tuis litteris) quòd ſignificas meas non accepiſſe. Scripſi tamen, & bis quidem in Hiſpaniam. Ad te neglegerem? è tuo affectu puro ſinceróque noris & æſtima meum. Itaque nec excuſatione vtor, quâ iure apud alios, Occupationis aut Valetudinis: tu mihi eximius, & neſcio quomodo animo huic inſitus es & innexus. Semel dictum, ſemel crede. At gratum, quòd iam arrideat magis illa ora: gratiſſimum, quòd Sapientiæ ſtudia non deſeris, ſolum nepenthes in triſtitiâ huius æui. Perge, perge mi Woueri, alta aſpice, & vnde veneris, quid veneris, ſeriò attende. Cæleſtis tibi origo & imago: quid terrenum aliquid delectet aut teneat? Occupatiunculæ ſunt? non abiice, ſed ſubdue ſemper aliquid aut eripe: & illas tamen potiùs, quàm te relinque. Sed philoſophare maximè in ſeriis, id eſt, quæ mores, vitam, & ipſum te tangunt. Pulchrè aliquis apud Euripidem:

* Ἃ δεῖ μάλιστα, ταῦτ' ἐγώ γ' εἶναι σοφά:

tibi hoc ſit, & quæ opus eſt, non quæ diſcunt, diſce. ſeriò autem, & in facta diſce. Vt pluuia illa inutilis, quæ in lapides aut rupes cadit, & ſupernè irrigat tantùm: ſic doctrina, quæ in ore & verbis, in pectus non deſcendit. Sed heus, comésne tibi in honeſtiſſimis ſtudiis Lucianus Negronius? laudas mihi ex animo virum, & ego iamnunc in animum hunc demiſi. Saluta, amplectere: atq; vtinam in Hiſpaniâ, bonâ ingeniorum matre, plures! Ingenia certè ſuperſunt: neſcio quo fato inſtitutio aut æſtimatio deficit, ſed hæc quoque (Deus audiat) accedent. De republicâ noſtrâ, audiſtin' cladem? ſed animum viresque recepimus, Principe ipſo animosè præeunte. Heroïcum illud, & à ſtirpe ſublime, ibi oſtendit. Tamen etiam languemus, longo lentoq; bello tabeſcimus: & auxilia ab iis oris tarda, ſi non ſera.

——* Τὸ δὲ μέλλειν, ἴσον ἀπραξίᾳ λέγω: ait ille. Vale mi Woueri. Louanij, IV. Kal. Septem.

* *Quæ maximè opus eſt, hæc mihi erat Sapientia:*

* *Quod differas, non facto ſimile cenſeo.*

EPIST. C. *Romam.*

GVLIELMO SCARBERGERO *ſuo.*

IN ſilentio tuo, vt ſcribis, curam imò angorem aliquem habui; & ſuſpenſum tenuit valetudo aut fortuna tua. In longo & vario iſto itinere, ſcio qui caſus interueniant: inopinati ſæpè etiam ſapientibus, & res noſtras & noſipſos ſæpè inuoluunt, aut euertunt. Sed liberaſti me omnis ſolicitudinis hac ſcriptione: quâ ſignificas valere te, etſi minùs valuiſſe. Benè eſt quòd ſilueris, & gaudere de reſtitutâ hac malo, quàm timere in affectâ. Enimuerò mi Scarbergere, vt parens aliquą in abſente ſuâ prole; ſic ego in vobis à domo & diſciplinâ meâ afficior, & omnes in ſinu iſto pectoris circumfero ac geſto. Sed morbus ille fuerit, tu nouum robur indue, & ad nos (ſi me ſolens audis) redi. Diu inuerſari & ſedere in iis locis, quem ſolidum fructum tibi gignat? Ætas tua iam maturuit, vnus es, ſed & orbus es: veni, veni ad quæ vota noſtra te vocât, & hîc apud nos tuam aliquam cape. Cum poëtâ inquam,

Vxorem quære, firmamentum familiæ: Afran.

cuius familiæ, niſi à te propagatur, ſtemma filumque Ætas iam incîdit. In me idem, & vltimus ego (heu res humanas!) omnium Lipſiorum. La-faillium apud te eſſe gaudeo, bonum modeſtúmque ingenium: an non & ille ad ſuos? fortaſſe tecum. De bello Sabaudico, hem malè narras. ſed ſatin' vt certò? Hîc quoq; rumores; quos tamen auerſamur, & ſcintillas, vt huc etiam peruolent, timemus illius ignis. Apage, apage. vni huic lento Marti vix reſiſtimus: ille alter feruidus & δυσεμβόθυμος accedet?

* Αἲ αἲ τῆς μεγάλης ἡμετέρης ἀγέλης.

Sed fata viderint: tu vel ad res turbatas veni, ſed non (meo conſilio) per turbata ea loca. Gallia aliàs, aut non, luſtrator. Vale, mi Scarbergere. Louanij, VII. Idus Septembr. Noſtri omnes valent, Oranus & Baronius honore & titulo conſultorum iuris mox augendi. Antonius, niſi fallor, te cum fratre Legato ibi opprimet.

* *Heu noſtros luctus, heu patriæ gemitum.*

APPROBATIO.

HÆC *ſelectarum Epiſtolarum* IVSTI LIPSI *Viri Cl. ad Italos & Hiſpanos Centuria, vtiliter admodum euulgabitur.*

Gulielmus Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus & Archiducalis librorum Cenſor.

IVSTI

IVSTI LIPSI
EPISTOLARVM
SELECTARVM
CENTVRIA SINGVLARIS
AD GERMANOS ET GALLOS.

ILL^{MO} ET REV^{MO} DOMINO
D. OCTAVIO
FRANGIPANO MYRTO
EPISCOPO TRICARICENSI,
NVNCIO APOSTOLICO
CVM POTESTATE LEGATI LATERALIS.

MITTIMVS ad te exiguum munus, imò non mittimus, ſed ipſum ſpontè ad te ibat. Ad GERMANOS ET GALLOS Epiſtolæ ſunt: vtraque natio ſuum ſibi patronum aſſerebat, & lucem hanc nominis præſcribi adfectabat. Quis neſcit in Germaniâ te per plures annos, nec vno ſacrorum Principe, ſacra & religionem direxiſſe, defendiſſe, propagaſſe? Idque eâ curâ, induſtriâ, & quæ propria tua laus eſt, prudentiâ: vt exemplum à nemine accepiſſe, poſteris tradidiſſe, ab æquis peritiſque arbitris iudiceris. Et ſi arbitrio aut teſtimonio quid opus? res vociferatur, & Germaniæ ea pars confuſa antè aut tenebroſa, ſtatim vbi tuum illud lumen affulſit, mutata in melius, antiquam iam pietatem & felicitatem ſpondere ſibi audet. O regio,

Rebus opima bonis, multâ munita virûm vi:

fauemus, & tamen inuidemus: atque ecce ipſum illud ſidus ad nos traximus, conſilium & auxilium in rebus noſtris turbatis dicam, an deſperatis? Non hoc dicam, ſub optimis Principibus, & talibus adiutoribus: age Ill^{me}, tu quoque naua operam, & Summi illius CLEMENTIS auſpiciis, praua hæc & nouitia opinionum pelle, calamitatem & cladem non Belgicæ tantùm, ſed Europæ. Mone, doce, perſuade: vis ingenij & oris adeſt: adeſt auctoritas ſimul & comitas, illa venerabilis, hæc amabilis: & neſcio vtra efficacior ad mouendum & trahendum. Imò iſta, me quidem iudice. quâ ſic vteris, illâ ſaluâ, vt in omnium pectora te inſinues, & gratiâ impetres, quod nec imperio alius cogat. Itaque virtutes tuas & inſpicimus ſimul, & ſuſpicimus; & tamen accedimus, facili illâ humanitate inuitante: vt elogium hoc verè ſubſignem, neminem fuiſſe quem prouincia noſtra magis reuerita ſit, minùs verita: & quæ duplici iſto affectu tota in te fertur Venera-

nerationis pariter & Amoris. Nolo ſecundâ oratione diutiùs hæc attollere: & fateor oneri me non ſubſiſtere: GALLI etiam ad ſe vocant, qui pariter nomen hoc tuæ gentis carum iamdiu & clarum habent. An non habeant, ab illo FABIO FRANGIPANO patruo tuo? viro, vt verbo dicam, omnibus virtutis & prudentiæ numeris abſoluto. Qui *Calatinus* primò Epiſcopus, mox *Nazarenus Archiepiſcopus*, ſextùm legatus in Galliam, funeſtis illis & pænè exitialibus diſſidiis, à *Pio Quinto, Gregorio Decimotertio*, & denique *Sixto Quinto* Pontificibus miſſus: in ſalutem florentiſſimi regni non operam & vires tantùm, ſed vitam contulit & impendit. Obiit enim in ipsâ eâ legatione: obiit? corpore quidem: ſed nomine & claritudine æternùm in eâ gente viuit. Hic te ita ſibi ſanguine proximum amabat & pectori induerat, vt laborum ſimul & virtutum, exque iis dignitatum, heredem deſtinaret: quod factum eſt, & velut facem ab eo acceptam in hoc Legationis laborioſo, ſed glorioſo curſu, indefeſſus retines ac præfers. Vides Ill^me Domine quàm verè dixerim, fauente, imò vocante vtrâque natione, tuum nomen huic opellæ inſcribi. Vtinam operi poſſem dicere! nam hoc debebatur: ſed vt benignitas tua communiter in omnes, priuatim in me eſt, & ab annis decem fuit, ab optimo maximoque animo hoc etiam leue accipies, quid? confeſſoriam, non liberatoriam tabellam. Deuincti meritis tuis omnes Belgæ, ego inter eos, ſumus: & gratès laudeſque verbis dicere poſſumus, rebus factiſque referre non eſt in noſtrâ manu. Fatemur, conſignamus: DEVS HOMINESQVE TESTES SVNTO: & ille tutorem ſe porrò tuum ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE, iſti fautores in æuum præſtent. Louanij, III. Idus Februarij, ∞. IϽCII.

AD LECTOREM.

VIDES *ad* GERMANOS ET GALLOS CENTVRIAM: *ſed vel duas potuiſſes. Quaſdam enim epiſtolarum conſilio, vt te non celem, differimus; quaſdam præter animum, quæ nobis ignaris inuitiſq́ perierunt, aut certe ſunt in manu eorum ad quos miſſæ. In memoriâ plures habeo, quas decebat inter alias, imò ante alias fortaſſe poni: quid facerem? perierunt vt dixi, meâ an alienâ negligentiâ, culpâ an caſu, tamen perierunt. Moneo, ob amicos quoſdam: quibus hoc, quantulum eſt, honoris & amoris debebam, & animò dabam. Re non licuit : licebit, ſi exemplaria ad me mittere tanti cenſent. Quamquam & in Centurijs* AD BELGAS *intercurrunt etiam ad alias nationes: magiſq́ in* MISCELLANEIS, *quas dare nunc cœpi. Hæc ſcire te volui Lector, & ſaluere.*

INDEX
EPISTOLARVM SELECTARVM
CENTVRIÆ SINGVLARIS
AD GERMANOS ET GALLOS.

ADAMO *Gallo Poppellio, Baroni Lobkowitio* xcvij.
Andreæ Viritio lxj.
Andreæ, Epiſcopo Vratiſlauienſi, &c. vij, xiij.
Antonio Fabro Boderio, Legato Regis Galliæ lxv, lxxvj, xc.
Antonio Fabro I^{ti} lxxxix.

B

Bartholomæo Buchouio, Pomerano xcix.
Bernardo Montgalliardo, Theologo & Eccleſiaſtæ eximio lxxix.
Blaſio Huetero, Principibus N. N. à Secretis xxxvj.

C

Chriſtophoro Harlæo xviij.
Claudio Boucaultio l, lvij.
Claudio Groullarto, Præſidi liij.
Conſulibus & Senatui Imperialis opidi Francofurtenſis lxviij.
Cyrillo Magno Archimandritæ Alexandriæ & Exarcho lxxxiv.

D

Dauidi Hilcheno, Regi Poloniæ à Secretis xliv.
Demetrio Solikouio, Archiepiſcopo Leopolitano xlv, lxxxij.
Dominico Baudio lj.

F

Florimundo Ræmundo, Senatori Regio xxij, lxxij.
Franciſco Aerſenio lxiij.
Franciſco Leiſtingo c.
Franciſco Pythæo I^{ti} xciij.
Frederico Morello lxxviij.
Friderico Lindebruggio lxx.
Frontoni Ducæo Presb. Soc. Ieſu xix.

G

Gulielmo Barclayo lvj.

H

Hadriano Turnebo Had. F. xxxiv.
Henrico Ranzouio, Vicario Regis Daniæ ij.
Hermanno Comiti à Manderſcheidt, &c. lxv.
Hieronymo Ferrerio V. N. lxxxuj.

I

Iacobo Auguſto Thuano, Præſidi xxxv, xlix, lxxj, xcij.
Iacobo Bongarſio xxj.
Iacobo Monauio xv, xxxvij.

Iano Grutero vj.
Iano VVowereno iij.
Ioanni Alnpeckio, ciui Leopolitano lxxxv.
Ioanni Baruttio, Cæſari à Conſiliis & Secretis xxix.
Ioanni Buchério, Theologo xxv.
Ioanni Dyenbergio à Remen xcvi.
Ioanni ab Hollant xlviij.
Ioanni Oſleuio de Leuuenhaim xxiij.
Ioſepho Scaligero Iulij F. xvi, xxiv, xxviij, xxxij, lix, lxxxvi.
Iſaaco Caſaubono xlj, lxix, lxxiv.

L

Liuino de Succâ x.
Ludouico Swartzmaiero, Cæſari à Conſiliis xxx.

M

Marco Velſero j, vij, xij, xiv, xvij, xxvi, xxxiij, xxxix, lij, lviij, lx, lxvij, lxxij, lxxxj.
Mariæ Gornacenſi xxvij.
Marquardo Frehero Icto iv.
Martino Delrio Presb. Soc. Ieſu lxxx, lxxxvij.

N

Nicolao Brullario, Silerio, Præſidi xlij, xcj.
Nicolao Redingero xxxviij.
Nicolao Rigaltio xcv.

P

Paullo Moræo xl, liv.
Petro Pythœo Icto xx.
Philippo & Ferdinando vtriuſque Bauariæ Principibus v.
Philippo Coſpeano lxij.

R

Renato Pincæo, Senatori Regio xliij.
Richardo Baroni Starnbergio xj.
Roberto Denygo V.N. xcviij.
Rumoldo Mortierio xlvij.

S

Sebaſtiano Rolliardo Icto xlvj, lxvj, lxxv, lxxxviij, xciv.
Simoni Toelmanno Icto ix.
Stephano Pighio xxxj.

T

Thomæ Mermanno, Medico & Conſiliario Ducis Bauariæ lv, lxxvij.

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA SINGVLARIS AD GERMANOS ET GALLOS.

EPISTOLA I. *Auguſtam.*

I. LIPSIVS MARCO VELSERO S. D.

TV verò ſeriò me amas, qui è longinquis illis oris aurã ad me mitti tui affectus, eamque in litteris etiamnunc calentem & ſpirantem. Quis ego ſim, niſi redamem? non dicã humanioris viri nomine, ſed nec hominis quidem dignus. Accedunt plura quæ inuitant, eruditio, cultus ingenij, & ea quæ vidi in tuis ſcriptis. Mi Marce, ne blandiamur inter nos: amo te, & dignus es amore. De libello ad me miſſo gratiá habeo. cœpi legere, non perlegi: ita hîc interpellamur amicorum ſalutationibus, colloquijs, cõuiuiolis, & quę ſolennia eſſe ſcis in recenti aduentu. Vêni enim iamnunc Francofurtum, & valetudinis curandæ cauſsâ in Germaniâ veſtrâ, aut eius limite, paulliſper cõmorabor. Tu vtiná propior ſis! profectò te viderem, & ſermone atque ipſo vultu hunc adfectum declararem, quem nunc ſcripto. Quis ſcit, an non aliquando fiet? Nunc ſalue, & Velleium noſtrum à me accipe, quem iam vulgaui. Francofurti ad Mœnum. XVIII. Kal. Maijas. ∞.IↃ.XCI.

EPISTOLA II.

HENRICO RANZOVIO, *Vicario Regis Daniæ* S. D.

LITTERAS tuas accepi, & mœſtus legi, ob mœſtitiam quâ tu affectus. Amiſiſſe te optimum filiú video, in magnâ indole virtutum, & ſpe honorum: & in hac ſenili ætate tuâ, ſentio quàm ſit hoc grande vulnus. Reuerà tecum doleo, & quod à me petis faciã, vt monumentú aliquod extet celebrandæ eius memoriæ, & leniendo dolori tuo. Profectò optima illa pietas ſiue gratitudo in defunctos, laudare & meminiſſe. Cœpi iam aliquid pangere, ſed totus in curâ dâ valetudine ſum per fontes iſtos Spadanos, quibus dies, imò ſeptimanas aliquot iam vtor. Vbi illa paullò firmior (Deus, vt ſpero, dabit) hoc quoque, quod cœpi, dabo perfectum. Te intereà oro atque hortor, ne luctu te abijcias, & memineris loci atq; ordinis quem tenes; & quàm nihil à te geri dicíve poteſt, quod nõ in voces atque oculos incurrat aliorum. Præſta te dignum famâ illâ, quę de prudentiâ tuâ & eruditione iamdiu ſparſa. Patri exemplo patribus, quomodo orbitates & hæc vulnera ferenda ſint, quæ infliguntur à diuinâ manu. Solari te nolui, & tamen ſolor. Quid enim queri aut dolere poſſumus, ſi hæc à Deo? Atqui eſſe ab illo, Chriſtiani nos non ſcimus ſolùm, ſed cottidie profitemur. Imò rogamus eum etiam, *vt fiat voluntas eius*: facta eſt, feramus. Sed hæc in ſcriptũ ipſum differamus. De me ſcito, non reuerſurum in Batauiam, & iam petiiſſe miſſionem. Cauſſa eſt valetudo; tum etiam adiunctæ aliæ, quas pro prudentiâ tuâ facilè diuinabis. Nobis diſplicet, in bello aut partibus vltrà eſſe. Itaque ſumus nunc in agro Leodicenſi, atque in eâ liberâ ditione diutiùs ſubſiſtere meditabamur. Quid deinceps conſilij capiam (probi ſemper apud probos:) ego te non celabo, quem verè amicum ſenſi, atque vt deinceps eſſe pergas, te, Vir illuſtris, ex animo rogo. Aquis Spadanis. XVIII. Kal. Iul. ∞.IↃ.XCI.

EPIST. III. *Hamburgum.*

IANO WOWERENO S. D.

MI Iane, ego ad vos non reuertor. Doles & vultum contrahis? noli, valetudo ſic poſtulat, quam decretum mihi firmare (niſi Deus abnuit) aquis iſtis Spadanis. Eæ in Leodicenſi tractu ſunt, famâ inclytæ, & ſalutares iam multis. Tibi & tuis ſtudijs ex animo faueo, adiutum etiam volo: & faciam, vbiubi occaſio ſe dabit. Nunc * ὀλιγηπελέων, vt cum Homero hoc dicam, nec corpuſculum hoc niſi animo ſuſtento. Ideò nec ſcriptioni longæ ſum, nec monitioni. hoc inſtillo tantùm, antiqua & antiquos ama: imitare etiam, ſed cum modo, & citra affectationem, quæ ſæpè huic tiro-

* tenuiter valens

tirocinio ſe iungit. Voces illæ rariores & priſcæ, mihi crede, eloquentiam non faciunt: & quamquam lectionis aut doctrinæ aliquod ſpecimen præferunt, tamen iure hanc * κακοζηλίαν damnat & appellat Auguſtus. Me qui in eâ claſſe cenſent, rideo. vide noſtra: aſpergi tale aliquid, ſed vt ſalem videbis; non ſuperfluere aut abundare. Plura aliàs. nunc parentem vtrumque à me ſaluta, & dic affectus & comitatis memorem eſſe, quam in domo exhibuerunt, & ætatem fore. Tu mei, mi Iane. Aquis, XVIII. Kal. Iul. ∞. IↃ. XCI.

* prauam æmulationem.

EPISTOLA IV.

MARQVARDO FREHERO Iᵗᵒ S. D.

SI quiſquam in eo tractu, ad quem ex animo & libens ſcribo, fateor te eum eſſe. Ita me cepiſti, cùm humanitate & beneuolentiâ, quam coràm oſtendiſti, tum promptitudine & fide promiſſi beneficij (de Ammiano loqui me ſcis) vt Lipſium planè & verè cenſere dehinc poſſis inter tuos. Regione disiungimur, magis quàm cenſueram. nam tunc ſtatueram circa Moguntiacum aut Confluentiam hærere? ſed quid ad rem, ſi animis cohæremus, quos nulla intercapedo ſeiungit? Scribamus inter nos, & quod caput es, amemus inter nos: fruemur etiam abſentes veræ amicitiæ gaudio & fructu. De me, Romanâ fide tibi promitto. Sum Leodici in ſtudijs, & hoc tãtùm. Nam otij & quietis, atque etiam ſolitudinis cupido, ad hæc loca me perduxit. Valetudinem fontibus refocillo & curo, quantum datur: ſed anni tempus & conſtitutio hæc * ὑετώδης impediuit, tum etiam Aula quæ ex tranſuerſo venit ad noſtras Aquas. Ita me fugauit, ſed breuî, niſi fallor, reuerſurum. Plura non habeo, quàm hoc iterùm inculcandum, me ex animo eſſe & fore tui amantem. Leodici, poſtrid. Nonas Sept. ∞. IↃ. XCI.

* pluuialis

EPISTOLA V.

SERENISS. PRINCIPIBVS, PHILIPPO *Epiſcopo Ratisbonenſi*, *&* FERDINANDO, *vtriuſque Bauariæ Principibus*.

SERᴹᴵ ET REVᴹᴵ PRINCIPES,

AFFECTVS qui mihi & bonis omnibus eſt erga inclytam familiam veſtram, fulcrum hodie & columnam pietatis, me impulit ad ſcribendum: tum etiam veſtra propriè humanitas, cuius guſtum cepi in coloniâ Treuirorum iam nuper, etſi tranſiens & per viam. Gauiſus in animo ſum aſpectu veſtri, fateor, & magis, recordatione ſtudiorum & vitæ, quam elegiſtis. Illa, ad bonum publicum & prudentiam directa; hanc ad pietatem & ſalutem; ad quam niſi pertingimus, malè & infeliciter decurrimus hoc quidquid eſt vitæ. Vt athletæ in ſtadio oculos ad metam & brauium intendunt: ſic noſtra mens debet ad cælum, & æternam illam palmam. Cetera caduca, oriuntur & abeunt nobiſcum; nec ſtirps, aut genus, aut opes ſunt, quæ eximant nos aut noſtra à mortalitatis hac lege. Fama tantùm longa bonis ſtudijs artibuſque parari poteſt, ac vita æterna bonâ hîc vitâ. Neque ego hæc monendi cauſſâ dico Serᵐⁱ Iuuenes (domi habetis qui moneant; & ætas iam veſtra, quæ à ſe intellegit & ſapit:) ſed excitandi magis, & in optimâ viâ quam iniſtis confirmandi. Germaniam veſtram intuemini, apertis aut occultis diſſidijs laborat: Europam reliquam, ardet ciuilibus ferè extremiſque bellis. A vobis talibus (iuxta Deum) ſpes & medicina his malis: creſcite, & venite ad tutelam reip. & clauum, & eripite eam pro virili è fluctibus, quibus iactatur. Deus vobis, SERᴹᴵ PRINCIPES, hanc mentem det, & vnà robur. Valete. Leodici, XVI. Kal. Octob. ∞. IↃ. XCI.

EPIST. VI. *Dantiſcum.*

IANO GRVTERO S. D.

EGO verò diligentiæ tuæ in ſcribendo herbam porrigo; diligentiæ, ſed non amori. Sæpè me compellaſti, fateor, atque ego ſilui: quid mirum in hac peregrinatione &, Scythæ in morem, inſtabili circumactione? Vis breuiter noſſe meum iter? E Batauis Hamburgum, hinc Francofurtum, hinc Coloniam: atque illinc, cùm in metâ me eſſe cenſebam, iterùm retrouerſum Confluentes & Treuiros, & per magnas denique ambages, Spadanos fontes. Quis locus ibi aut opportunitas ſcribendi fuit? imò ægrè corpuſculum hoc ſuſtentaui, imbecillum vt ſcis, & vix tot moleſtijs ferendis. Tamen viuo, & mediocriter valeo. Cauſſæ diſceſſus quæ mihi fuerint, nec tu inquiris, nec ego nunc expromo: hoc tantùm, deliberatum mihi, quod nunc peregi, ante annos quinq;; & memoriâ tenes

me

me aliquando Bremam vſque. Cauſſæ etſi occultæ, tamen iuſtæ, & quæ à nullo temporum lapſu dependent. At tu etiã de mutando? ego te illîc ſtabilem cenſebam, & quaſi tabernaculum collocaſſe tuæ vitę. Sed video cauſſam aliquam arcanã eſſe, & quæ Gruterum ipſum tangit: quam non eleuo aut refello, ſuadeo tamen vt omnia modeſtè. Æuum mi Grutere ſemel noueris, & vbique multa ferenda. *Suſpicionum* tuarum libros vidimus, nec pauca in ijs peracuta. Calcar teſtimonij & judicij mei hoc habe, perge: ſed hîc quoque modeſtè. Quid opus in *Liberum* illum tam liberè? ego pro amico ſuadeo, deſiſte. At enim meretur. Deus bone, quis finis ſcriptionum, ſi in eos omnes incurrimus, qui caſtigari merentur? Quin meum exemplum vide, nec in eos quidem qui incurrunt. Ita N. nuper neglexi, & nunc Domanum: & quod in Diodorum, neſcio an velim infectum. etſi res illa grauior, & digna tractatione. Ob hæc quidem leuia, & verba & litteras, quid alteri alteros flagellamus? Melioris ſententiæ teſtis & arbitra ſemper erit hæc aut alia ætas. Vale. Leodici. III. Non. Oct. ∞.IↃ.XCI.

EPIST. VII. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO S. D.

MENTEM ad te ſæpè mi Velſere, litteras rarò mitto. Ignoſce. naturâ atque animo alacer ſum, ſed languidam manum & corpus reddit hic languor. Quem ſublatum aut leuatum iri ſperabamus his Fontibus: nondum factum, & ferimus, quo animo oportet decreta illa omnia diuina. Hoc ſolatur ſaltem, quòd animo interiori quies parta per hanc peregrinationem, imò vt rem dicam, migrationem. Nam certò emanemus è Batauis, & credo ab alijs te iam audiſſe. In hac vrbe nunc ſumus, non vt domo tamen, ſed hoſpitio: & niſi fallor, hoc Vere migrabo. Quò? nondum conſtitui, & patriam vellem, ſed ea ſic turbat, vt vix prudenter de eâ cogitemus. Vocamur tamen ad veterem ſedem noſtram & Muſarum, Louanium: etiam in Italiam, à magno Etruriæ Dynaſtâ. Neque nollem, vel Medicææ ſtirpis cauſſâ, fataliter pænè dixerim natæ ad hæc ſtudia inſtauranda vel fouenda: quod Coſmus, Laurentius, Leo dicent: ſed imbecillitas me tenet, neque per eam decîdo. Pſeudo-Velleiana illa vidi. & an ego à te diſſentiam? primo oculi iactu agnoui & deprehendi falſum illud metallum: quod miramur (imò non miramur, vt homo fuit) *Lazium* venditaſſe pro auro. Sed tu ad Lydium lapidem affricuiſti (ſine blanditiâ dicã) accuratè & doctè. Nos multa in hoc otio colligebamus, diſponebamus, ſummam manum vix imponebamus, quia Typographus non hîc ad manum. Etiam hoc addo. ambitiunculam illam ſcribendi aut edendi, abire paulatim à nobis, qui ſcimus ſupremo illi Iudici non ſcripta noſtra approbanda, ſed facta. Vale mi Velſere. Leodici. Idib. Nouemb. ∞.IↃ.XCI.

EPIST. VIII. *Vratiſlauiam.*

Illmo & Reu^{mo} Domino
ANDREAE, EPISCOPO VRATISLAVIENSI, *vtriuſque Sileſiæ Præfecto.*

EPISTOLAE tuæ partem vidi, quà de me erat: ô Deus, calidè & cum affectu ſcriptam. Vnde autem mihi à talibus hæc benignitas? quibus ne nomine quidem (eumdem Deum teſtor) notum me cenſebam. Sed nimirum vt portus in mari ille idem ſtatuit, iactatis refugium: ſic vos magnos patronos, quibus in turbidâ fortunâ recreemur. Voces amicas & laudes offers: eas tantùm? auxilia & opes, & denique domum ac contubernium tuum, quid vel felici magis optandum? Sed candidè agam, appetere hæc me fateor, non tamẽ accipere. primùm, quia valetudo ab omni longiore viâ arcet & auocat; tum etiam quia familia & vxor, nullâ Suadâ in longinqua ea loca perducenda. Duo hæc niſi ſint, imò alterũ iſtud niſi ſit, vtar hac inuitatione, & veniam ad condictum: ſaltem vt viderem, fruerer, gratias ore agerem, pro beneficentiâ hac tarâ, nec noſtri æui. At tu, Germaniæ tuæ decus, nihilominus me tuũ cenſe, ſi non vſu, tamen mancipio: ſicut & fundum aliquem in peregrino ſolo poſſis, numquam à te viſum. Sed an non videndum? ambigo: & motus aut inclinatio aliqua rerum (quæ apud nos in præcipiti) facilè non mittant me ad vos, ſed pellant. Ill^{me} & Reu^{me} Domine longùm vale publico, cui natus es, bono. Leodici, Kal. Mart. ∞.IↃ.XCII.

EPIST. IX. *Coloniam.*

SIMONI TOELMANNO *I^{to}* S. D.

SVAVES mihi amicorum litteræ, ſed eorum maximè (non nego) qui ſunt è diſciplinâ & velut ſinu noſtro. Natura hoc dedit,

vt beneficia noſtra amemus: tum vtiq; magis,ſi grati ſunt,in quos collata. Eum te eſſe ſcio & video,mi Toelmanne: ita amanter, vel ardenter potiùs,ſcribis. Querelā tamen interponis,ſed eam quoq; ab affectu, quòd Coloniam tranſiui,nec te vidi. Ita eſt, ſed verbo tuo ipſo me excuſas:quia verè trāſiui, ſubſiſtendi nec copia nec cauſa fuit. Quòd ſi aliàs (& quis ſcit? nondum enim ſedem fixi)ſi,inquam,aliàs illac iter;ego te videbo, adſidebo, nec ſermonibus ſolùm veſtris, ſed conuiuijs dabo. En,nónne ſatisfeci? vtinam in aliâ parte epiſtolæ tuæ poſſim,quæ eſt de *Suetonio* publicando, & meis ad eum ſcriptorem Notis. Plures vellent,& egerunt mecum, fateor: quid ſi ego ipſe velim ante omnes? Diu eum triuimus, docuimus, vt ſcis,in publico: nec mirum,ſi dixerim eſſe, quæ ſcribere aut cōmentari vtiliter poſſim. Nec tamen faciam nunc quidem,mi Toelmanne,nec debeo:quid ita? quia Læuinum Torrentium ſcire debes,amicum noſtrum, iterùm parare Commentarios ſuos, & correctiùs & vberiùs ſcriptos. Imò iamnunc credo excudi. Quid ergo? vis,cōcurrere me in eodem opere,& eodem tempore? Æmulationem ea res habeat,& quantumuis amici ſimus, occultam offenſiunculam aut morſum. Non ego ſecero. & alia ſpatia in hoc vaſto campo, per quæ induſtria noſtra decurrat: ſi tamen valetudo, & hæ turbæ publicæ permittent. Illa anceps,fragilis;hæ magnæ,aſſiduæ,& quæ parum promittunt laxamenti. Si tamen;non ceſſabo,& alijs etiam me natum cogitabo. Vale. Leodici, poſtrid. Kal. Mart. ∞.Iↄ.XCII.

Hartgerum ſimili cum eiuſdem pænè argumenti litteris,ſed & has ſubmiſi, ſi ille fortè tardiùs (nam circumagitur) ad vos veniret. Ipſum Hartgerum amo, iuuenem honeſtum, & talium amantem.

EPIST. X. *Coloniam.*

LIVINO DE SVCCA S. D.

QVOD bis in viam & diſcrimen te dederis, videndi mei cauſsâ, atque id fruſtrà; doleo tecum, mi optime Succa. Vides Deū nolle, & amorem affectumque tuum prorſus deputare velle, & ab omni externo aſpectu aut ſpecie, reuocare ad interna. Quid eſt, quod tu aut boni ametis in Lipſio? ea quæ videtis, etiam cùm illum non videtis. Corpuſculum hoc vile,fragile: in animo aliquid fortaſſe eſt, quod altum ſit, ſed ab alto. Amplius addo,ſi me videas,me & famam meam quæras. Nihil in nobis ſplendidum,nec in habitu,geſtu,aut verbis, ad ambitionem huius æui. Quidquid ſumus,introrſum ſumus: excipio cùm cathedram aut ſuggeſtū conſcendi, illîc quoque externa aliqua Venus fortaſſe circumfunditur, & nobis adeſt. En, quàm ſimpliciter me tibi aperiam, & (quod ſolari te poſſit) etiam abſenti oſtendam. Eâdem ſimplicitate accipe de ſcripto, quod editum in nos fremis & indignaris. At non ego. Quid mirer & indigner in re,quę ab aliquot iam annis aſſidua; cùm nihil magis crebrum inter litteratos, quàm digladiari & conuitiari? Quod malo more fit (fateor) & peſſimo etiam publico litterarum. Quis eas amet, aut æſtimet, quæ tales efficiunt ſui cultores? Quamquam iniuſta hæc culpatio ſit; & praui iſti animi adferunt vitium, non ab ijs trahunt. Atqui ego etiam in vitio, & in ſeculi mei culpâ, ſi reſpondeam,& laceſſenti opponam arma. Modeſtè, inquies. Hoc ipſum pugnare erit, etiamſi modeſtè: & neſcio tamen an vlla res minùs admittat modum. Faciliùs compeſco animum à pugnâ, quàm in pugnâ. Ergo ingenia iſta libetè ſic laſciuiant? Quídni? donec ætas aut melior ratio ea domet. Scilicet ego frenum dabo aut ſiſtam,ſi reſcripſero: quin magis excitabo, & efficiam vt, velut miſsâ mappâ, in me currant. Non ſuperbè, ſed liberè dicam. cauſſa aliqua ſcribendi ijs eſt, me reſcribere, & in famam venire per noſtram famam. Tamen purgare te, inquis, obiectorum criminum debeas. Feci in quibuſdam,apud quoſdam: ſed per epiſtolas, & priuatim. E quibus tamen vna ad *Monacum* edita etiam eſt, vt audio: nec probo, aut lætor. Et quæ autem iſta crimina ſunt? *Vitulus* dicor aut *Seſquiaſinus*. Deus bone adiuua! periculum eſt ne ſubitò, & quaſi Circæâ virgâ,in illa muter. non ea vis verbis noſtri Weſtphali,& quamquam in barbaris, non agnoſco magicum murmur. Quid amplius? *Oldenburgum, nidulum* dixi. Quod mare me purget? Atqui ita olim patriam Vlyſſis Cicero:nec oppidulum,ſed inſula ea fuit. *Summatibus etiam duobus viris me prætuli.* Egóne? Non,inquit,ſed alius quiſpiam, qui in carmine ita de te ſcripſit. Ergò etiam alienorum verborū ſententia, aut veritas,præſtanda mihi eſt? Scilicet neſcimus, & inſolens eſt,præſertim in Germaniâ,immodicas illas laudatiunculas libris præfigi: qui-

quibus quàm delecter, ego & amici ſcimus; nec vmquam tale aliquid in noſtris, niſi verecundiâ recuſandi. Et quod tamen ſuperbum illud dictum? *Me aſtrum eſſe, illos ſtellas.* Eſt ſanè Gygantæa vox, & petit cælum. Sed ipſe atque alij audiant. non ego aſtrum ſum, nec quidem inter ſtellas: terrã me eſſe ſcio, & ſiquid cælitùs infuſum nobis, minus opinione veſtrâ eſt, qui fauetis. Sed talia ſunt reliqua illîc crimina: niſi quòd vnum non excuſo, dictum alibi laſciuius aliquid, aut liberius, in eius gentem. Vtinam reuocare fas ſit, atque etiam delere! Faciam, ſi viuo. Habes, mi Sueca, longã, & pro animo tuo, epiſtolam; non meo ſanè, qui vt in vitâ parcimoniam, ſic in verbis amo. Vale. Louanij, v. Kal. Sept. ∞. Iↄ. XCII.

EPIST. XI. *Viennam.*

RICHARDO *Baroni* STARNBERGIO S.D.

VIENNAM has ad te miſi, etſi incertus an ea te haberet. Sed vel in caſum dare litteras malui, quàm me in ſilentij culpam: & addo ingratitudinis, quia cultum & officia eximiæ tuæ in me benignitati fateor debere. Obliuiſcar quis in me abſens, & coràm nuper Francofurti fueris? mei citiùs, & illius ingenij, quod ad humanitatem & gratitudinem Natura voluit propendêre. Sum etiamnunc Leodici: & quò eam? Patria turbare pergit: nec ego quidem modum, imò vix ſpem video componendi. Bellum à nobis & in noſtro ſolo geritur: ſed conſilijs & auxilijs qui immixti ſint, puto nec te ignorare. Omnes magnam rem, nec falsò, Belgicam putant. & vt Iſthmus ille inter Ægæum & Ioniũ mare, etſi breuis, vetat vndas concurrere & miſceri: ſic mihi iſta videtur, etſi haud maxima prouincia, magna imperia retinere & ſiſtere, ne omnia peruadant & inundent. Tu me intelligis: & velim etiam in tuâ re audiendum. Sermone & ſcripto conſuluiſti, de militiâ tuâ Gallicanâ: abnui, nec muto. Quid illinc petas? mercedulam? te indignũ eſt, non eges. Honorem? vereor vt, qui eunt, huic liceat. E peregrinatione fructum? vix ceperis hoc tempore, & tali vinculo, quod liberè te vagari non ſinet. Aliàs Galliam videto, ſed pacatam: hanc ſic turbidam & calentem illi,

Quos calidus ſanguis, vel rerũ inſcitia vexat.

Ecce meam mentem, nec quibus ea tuta eſt, damnent. Apud vos etiam bella ſurgere audio, à potente illo hoſte: ad quæ (ſi pugnare omnino ſedet) honeſtiùs ſanè eas, & pro patriâ ac pietate palàm te impendas. Nec ſi tu ac tui velint, valdè equidem retentem. Sed tamen ætas tua, & nondum domus ſtabilis, magis in pacato manere ſuadeant, & artes illas colere, quæ in togâ & militiâ ſint ſalutares. Fac, fac vt cœpiſti, & ijs imbutus patriam tuam & Cæſarem non manu tantùm, ſed mente & conſilijs iuua. Voueo, & me tibi deuoueo, Illuſtris Domine, clientem. Leodici, III. Kal. Octob. ∞: Iↄ. XCII.

EPIST. XII. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO S. D.

VENISSE me Louanium, etſi ex famâ ſcire te arbitror, debes tamen à me quoque, niſi parum diligens ſim amicitiæ inſtitutæ cultor. Ea ſedes me habet, inter medios bonos, palàm ſenſu bonum, vtinam & vitâ! Non ſunt tranquillæ res. fateor, ne ſecuræ quidem: tamen in Deo fidentem quid turbet aut terreat? Scripſimus DE CRVCE libellos tres, id eſt, de ſupplicio ipſo Crucis, ad lucem hiſtoriæ ſacræ & profanæ. Videbis, ſimul prodierint. nam in eo ſumus, vt emittamus. Vtinam tui aliquis ſimilis vel hîc vel in viciniâ, cuius iudicio interdum vtamur! ſed ſoli ſumus, & excitare tamen conabimur optimas artes, per peſſima hæc bella afflictas. Tu ſi quid agis, imò quia agis, fac ſciam. Epiſtola impoſita ad eum it quem vides, ignotum mihi, atque ego illi fortaſſe: ſed cauſſa pia eſt, quæ ad ſcribendum impulit, & ingenitum mihi pudorem detraxit. Feci rogatus, hoc excuſet. Tu vale, & tu amantem ama. Louanij, IV. Idus Nouemb. ∞. Iↄ. XCII.

EPISTOLA XIII.

ANDREAE EPISCOPO VRATISLAVIENSI, *Præfecto vtriuſque Sileſiæ.*

AFFECTVM tuum in me, non verbis ſolùm promis, ſed rebus palàm probas. Illa honeſtiſſima ſcribis; has vltrò offers, & muneribus me afficis non ex merito, atque adeò inexſpectatò. Nuper quid detuleris, memini: vix gratias egi; ecce donum, & quidem carũ, quia in eo tuus vultus. Quod hoc certamen eſt? Citiùs defatigabor gratias agendo, quàm tu promerendo. Extra blanditias, maius aliquid mittere potuiſti, vix gratius: quia quem abſentem colo,

 cœpi

cœpi habere præſentem. In metallo effigies tua eſt, ſed muta, & corporis: in epiſtolis imago animi, atque ea ſpirans. Ergo totum te poſſideo, ſed animo. nam ab oculis ad iſtum redeo, & in eo te recondo. Ille ipſe quis in te ſit, vult magis oſtendere, quàm poteſt. vt in anguſto canali aut tubo, vbi aqua aquam trudit, ſiſtitur, nec inuenit egreſſum: ita hoc ipſo, quòd multa ſimul dicere volo & debeo, dico pauca. pauca, ſed ſincera. Amo virtutes tuas, non fortunam; te, non externa in te colo, & colam, quamdiu orbem hunc colam. Louanij, prid. Kal. Ian. ∞.IↃ.XCIII.

EPIST. XIV. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO S. D.

ORTELIVS ad me miſit ea, quæ tu ad ipſum; id eſt, & litteras, & exemplar pauimenti, atque in eo imaginum, apud vos reperti. Libens illas legi, & hæc vidi. Illas, quia mei amica menuo, atque etiam conſpectus deſiderium, quod vereor vt te fallat. Qui Venetias me iterum dixerunt, pro aliorum magis mente locuti, quàm pro meâ. Vocarunt ſanè Veneti, & honeſtiſſimè vocarunt: ſed ego refragor adhuc & tardo, valetudinis maximè cauſsâ. Quid enim ad eos adferam?

——*Dignitatem corporis?*

Animi virtutem? an vocis iucundæ ſonum?

Imò nihil nunc horum, & pænè cum eodem poëtâ dicam,

Sepulchris ſimilis, nil niſi nomen retineo.

Nec enim deſerit, mi Marce, vetus ille interneſq́, languor, aliàs auctior, aliàs remiſſior, languor tamen, & velũ aut impedimentum noſtrę mentis. Quid querar? quid natus ſim ſcio: imbecillum corpus, fragile, ad omnem contumeliam proiectũ, morbi pabulum, mortis victima. En, ſume ſpes & animos cras nõ futuræ, aut alibi futuræ. Sed quid philoſophor? Hæc talia cottidie mecum, & ſtudia etiã non deſero, in publicis priuatiſque malis leuamentum. Tu quoque in ijs quæ cœpiſti perge, ô patriæ tuæ verum lumen. Louanij, x. Kal. Nouemb. ∞.IↃ.XCIII.

EPIST. XV. *Vratiſlauiam.*

IACOBO MONAVIO S. D.

MIHI verò graue numquam à Monauio appellari. Illóne, qui me ſic calidè, & quidquid honeſti eſt, amat? O me inſcitum, ſi faciam, imò inſanum pænè dicam, & quem aliquis iure ponat

——*fœcundâ in gente Menenî.*

Mihi honos, mihi beneficium eſt, à vobis talibus & amari & appellari: facite, apud volentem ſemper, etiamſi aliquando ſilentem. Quid mirum eſt? nimis variè diſtrahimur, nec quod volumus licet, inter occupatiunculas, quæ velut lictores circumſiſtunt & abducunt. Rhodomanno tamen nunc reſpondi, viro inſigniter erudito, & poëtæ vel ad veterem Græciam elegãti. De ſcripto, quod à Gallo ſatum Germania veſtra edidit: ſcio, ſcio, & vidi pridem. Quid vltrà? nihil. nec opus eſt, ne quidem iudice, in hunc athletam progredi ad ſcamma. Sulum meum carpit. ſed quis? qui bonâ fide, cuius coloris priſca & germana Latinitas ſit, nec in ſomnio vidit. Etſi cùm legi, non tam me, quàm qui me imitantur, tangit. Quæ autem hîc mea culpa eſt? non magis quàm Salluſtij, ſiquis Arruntius varo pede eum eſt ſecutus. Sua cuique laus aut culpa à ſe eſto, alienâ nemo ſurgat aut cadat. O ſæculum, in quo iacentia & languida quædã probantur, & hoc vocant Tullianos eſſe! Mea verò dictio aliquid & eruditum, & acre, & non calcatum habeat: ſenſus præferat, & ingenij non lumen ſolùm, ſed calorem. Sed omitto. quid autem ais de nouo Weſtphalo? Acrieter pro ſuo nomine: rupem me habet. Abite caniculæ. ego ad veſtros latratus exciter aut mouear? fiam ipſe non aries, ſed veruex. At tu vale mi Monaui, & carum mihi nomen Redigerum ſaluta. Louanij, poſtrid. Idus Decembr. ∞.IↃ.XCIII.

EPIST. XVI. *Leidam.*

IOSEPHO SCALIGERO IVLII FILIO S. *optat.*

MVNVS libri tui, mi Scaliger, accepi, ex quo memoriam mei vigere apud te & video, & lætor. Nam de me quid dicam? ita maneant, aut fiant mihi, quæ optem, vt tu & tua mihi ſemper magna, nec affectum aut iudicium illud muto. Nos quoque ſulcos ducimus, ſed in puluere minùs erudito. Scripſimus AD POLYBIVM DE MILITIA, addimus POLIORCETICA eidem rei. Minùs valere te intellexi, & doleo: mihi idem eſt, ſed iam verus. In tam diutino languore viuere & ſpirare me, ſi non alij, ego miror. Fuit apud me *Gurges* veſter, adoleſcens nobilis, contubernio tuo dignus; & ideò ſic mihi

mihi gratus, vt ipſe dicet aut ſcribet. Si quis talis, mitte etiam. ô ſi ego te, tu mei ſpem non pono. Nunc animo video, & amplector: ſalue. Louanij, XIII. Kal. Sext. ∞.IↃ.XCIV.

EPIST. XVII. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO S.D.

PERICLITARI apud te de conſtantiâ amoris poſſem, aut certè fide officij, in longo iſto ſilentio, ſi mea hæc culpa. Cuius igitur? nullius. Quem enim accuſem, niſi cum Homerico illo Polyphemo *Vtin*? Ne ænigmata diutiùs loquar, ſcripſi ad te mi Velſere, binas miſi, & neutras video accepiſſe. Quomodo igitur perierunt? iuxtà tecum ſcio, & ideò *Neminem* accuſo. De vnis tamen, propemodù ſcio: ſed quid ad rem, aut quid cauſſam meã iuuet? Hoc maximè, quòd bonâ fide me culpæ & ſilentij purgo, & nunc ecce Ottelio ſubmonente, iterùm ſcribo. Quid autẽ? quod prius, accepiſſe me tua de *Auguſtanis rebus*, profectò mihi auguſta. Seriò hoc audi. ſi populare argumẽtum ſit, per ora populi voles: nunc pietas te in arctiorem gyrum & famam compegit, ſed vel ſic apud bonos doctoſq́ue bonâ, Stoicorum noſtrorum ſcitum eſt, *Gloriã multorum iudicijs conſtare, Claritatem paucorum*: tibi & mihi iſta ſit, & malimus apud paucos boni magniq́; eſſe, quàm apud plures. * Οἱ πλεῖςοι κακοί, aiebat olim ſapiens, & nimis cottidie videmus. Credo idem mihi eueniet in POLYBIANA MILITIA, quam Commentario illuſtro. Res minimè pro hodiernis moribus, & multa ſubtiliùs edifferenda, aut longiùs arceſſenda. Labor in tenui, ſed non tenuis. FAX noſtra mox ſequetur, ſed per partes. Imbecillior valetudo non vult quæ volumus, & currentes ſiſtit. Vale mi Velſere. Louanij, III. Idus Oct. ∞.IↃ.XCIV.

* Plures mali.

EPIST. XVIII. *Lutetiam.*

CHRISTOPHORO HARLAEO S.D.

VT Harlæi nomen in epiſtolâ vidi, fateor me excitatum. Tune viri illius in Gallijs, imò in Europâ clariſſimi, filius es? tu ad amicitiam meam ſic auidè & vltrò venis? Equidem accipio, & admitto te, toto animi mei, vt ſic dicam, ſinu: non ſolùm quia amor ſic meretur, quem in me promis, ſed quia mores & ingenij elegantia, quam epiſtola tua oſtendit. Age verò mi Harlæe, veraque illa cole, mores dico & ingenium: ſed omnia ad priſcum ritum: nec pietatem aut doctrinam aliam æſtima, quàm quæ ſit antiqua. Galliam veſtram, quæ lumina nuper habuerit, vides: extincta pleraque ſunt per hoc bellum, & noua accendenda, quæ in orbe noſtro, vt ſolent, luceant: hortor & opto, te inter ea eſſe. Nam quid deeſt? interna & externa omnia ad hanc ſpem adſunt, & manu te erigit & attollit ad hanc gloriam ipſe pater, iam in ſummo. Vtinam ne publica calamitas modò obſit, quæ veſtram & noſtram Galliam atterit, ſine modo, ſine fine! Quis enim exitus? Thebanum aliquod par, & commorientium pugnam video: niſi ſubita aliqua pax partes animoſq́ue iungat. Quod equidem ſine numine fieri vix poſſe puto: ita odia factionoſq́ue ſunt, & obſtinati multi, perdere aut perire. Quorſum iſta? læta aliqua maluiſſem, in hoc auſpicio & conſerratione amicitiæ: vix poteſt, cùm Galliam cogito, amatam mihi ſemper, & amandam. Amici mihi in eâ gente, ſcio: & tu deinceps inter eos eſto, mi Harlæe, quem pro meâ parte equidem amo. Louanij, III. Idus Sept. ∞.IↃ.XCIV.

EPIST. XIX. *Muſſipontem.*

FRONTONI DVCAEO *Presb. Soc. Ieſu* S.D.

ANNVS ſe circumegit, cùm litteras tuas accepi, nec tu à me reſponſum. Itáne ſoleo? ſic cultor eſſe officij? non ſoleo, mi Fronto. Sed partim peregrinatiunculæ meæ, partim occupatiunculæ, & in primis quòd nemo ſe offerret qui ferret, omiſſiorem fecerunt: quod ita nunc purgo, vt emendem. Grata mihi tua ſcriptio: in quâ non beneuolum ſolùm te præbes, ſed beneficium etiam offers. Scribis habere te Chryſoſtomi quædam ad ludos, vel quod magis puto in ludos Circenſes, non edita adhuc, aut publicè viſa: miſſurum te, ſi velim. Non recuſo, mi Fronto: —— * Οὐ γὰρ καλὸν ἀνήνα-σθαι δόσιν ἐστίν, quod ait ille. Sed tamen vt rem tibi dicam, non animus, non tempora nobis nunc ad ludos: miſeriæ, calamitates, priuatim habent & publicè, & credo vos quoque ijs non expertes. Magis haueo videre (quod alterum offers) Iuliana illa poëmata (Scaligerum ſcis me dicere) quę vir ille par antiquis ſcripſit religione antiquâ. Hanc mi Fronto amamus, paſſi & paſſuri, ſi opus ſit, pro eâ voces, calumnias, damna. Ah vri-

* nec enim munus ſpernere decorum eſt.

vtinam Gallia veſtra ſit, quę olim fuit ſedes pietatis, ſchola humanitatis, gemma & decus orbis terræ. Mutauit & decidit, & vt iterùm mutet, & in gradum ſe reponat, eritne nobis videre? Equidem voueo, & illum, qui omnia poteſt, precor. Vale mi Fronto. Louanij, Nonis Mart. ∞.Iↄ.xciv.

EPIST. XX. *Lutetiam.*

Petro Pythoeo *I^to* S. D.

Bis ad me ſcriptum de ſtudio in me tuo, & curâ. quid ſi non ſcriptum? tamen liqueat mihi mi Pythœe, qui te etſi incognitum noui. Te inquam internum, illud quo es, diuinam tuam partem. *Neſcio quomodo inter ſe animorum lumina vident*, ait ſcriptor quiſpiam: & ego ſcio ita eſſe, & conſpirare ac conuenire etiam abſentes, quibus cognatio eſt aliqua cælestis. Certè conſentimus in ſtudio ad virtutem, ad ſcientiam: & iam olim hoc nos iunxit. Velut ſymmyſtæ quidam ſumus, & libamus ad has aras: tu etiam litas. Sed quâ de re, tuo nomine & iuſſu, ad me ſcriptum, reſpondi Thuano communi noſtro, & apud eum videbis. De ſenſu meo dubitare non potes, quin vos amet, quin loca illa amet, ô viris magnis olim inſeſſa. Sed res magna eſt, aduocationem peto, & ſinite deliberem. Louanij, poſtrid. Kalen. Nouemb. ∞.Iↄ.xciv.

EPIST. XXI. *Lutetiam.*

Iacobo Bongarsio S. D.

Amica, & planè tui pectoris, ô Bongarſi, epiſtola ad me venit. Inuitas, quò nec inuitandus ſim, ſi tempora, &, non dicam pax, ſed modica tranquillitas permittat. Quamdiu, & quoties, ſolem illum Europæ, regnorum regnum, animus mihi fuit videre? ſalutare & amplecti illuſtria illic lumina? Hactenus Fortuna mihi inuidit, mea non veſtra, vt autumas: & carere hoc fructu, tum voluptate, meus dolor eſt damnum. Vel nunc facito, inquies, cùm ſic vocaris. Subitò non poteſt, multa impediunt, & nos qui vxores & familiam habemus, cùm ſedem alibi fiximus, non vt Scythæ mouemus. Priuati aliquot aſpectus, an affectus, tenent: tum & publici, quòd apud vos parùm etiam ſerenauit. Quid ſi bella & arma, vis me inuolui? quis mei portò vſus erit, nati & facti ad alias artes? Summa eſt, delibero: nec tu, ſi iudicium non affectum ſolùm conſulis, improbabis. Pro quo quidem affectu tam puro, tam veteri (ſcio & ſemper agnoſcam) gratia tibi eſto mi Bongarſi, & paria me facere ſcito. Louanij, poſtrid. Idus Nouemb. ∞.Iↄ.xciv.

EPIST. XXII. *Burdigalam.*

Florimvndo Raemvndo, *Senatori Regio.*

Hesterna veſperâ libri tui munus accepi; & legi ſtatim, quod in eius fronte tuâ manu ad me præſcripſiſti. Agnoſco affectum, video de me iudicium: illum amplector & repono; hoc verecundè amolior, & velim eſſe quem tu me facis. At ipſum etiam librum inſpexi, & Capita aliquot libaui; quæ placere debent pijs, & addo etiam eruditis viris, propoſito, tractatione, & ſtilo. Propoſitum vtile, tollere & expungere errores, qui in Religionis ignominiam irrepſerunt; tractatio, diſpoſitione & ordine commoda; ſtilus, contra popularem errorem, populi, benè & iudicio à te electus. Nec nos refugimus talia veſtra iam olim legere, ſatis gnari, bonam mentem in omni linguâ promere ſe & reuelare. Age mi Ræmunde, perge his atque alijs aſſertum ire piam & priſcam veritatem; perge ipſum imperatorem militiæ noſtræ, id eſt ſummum Pontificem, quem telis imò & machinis variè petunt. Nos ſumus in tuis & Eccleſiæ caſtris, ſub Crvcis illo vexillo, quod deſcriptum & explicatum nuper à nobis, placuiſſe ſignificas, & lætor. Quidni, in cauſsâ pietatis? quæ mihi in oculis, fateor, cùm illa ſcripſi. Vale V. Cl. Louanij, viii. Kal. Sept. ∞.Iↄ.xciv. Collegâ tuum, iam olim mihi amicum, Petrum Brachium, velim meis verbis ſaluere.

EPIST. XXIII. *Pragam.*

Ioh. Oslevio *de Leuuenhaim* S. D.

Qvod coniunctionem meam appetis, mi Oſleui, bonitate naturæ tuæ magis fieri exiſtimo, quâ merito meo Quid enim in nobis (ex animo loquor) eximium? Voluntas fortaſſe aliqua & cupiditas ad ſcientiam & virtutem: ſed quàm lento pede orbitam hanc preſſerim, ipſe ſentio, & quàm parum etiam promouerim in tot annorum conatu & motione. Cùm alijs de cauſſis id fit, tum maximè valetudinis meæ vitio; quæ pondus affigit, & velut plumbum,

alæ huic honeſtæ cupidinis, me extollenti. Patiendum eſt.& hoc ſaltem litteræ & philoſophia me docuerunt, noſſe humana, ferre, imò & aſpernari. O ludum, ô theatrum, quidquid hoc viuere vocamus! & fateor tædere me ſpectaculi, nec inuitum auditurum ſignum, quo cœtus hic abeat & diſſoluatur. Intereà tibi, mi Oſſeui, pro affectu tuo in me gratia eſto, ſed & pro iudicio, quod honeſtiſſimum de me facis. Eſſe me talem non fateor, velle eſſe profiteor, & toto animo ac viribus hoc ago. Louanij, poſtr. Kal. Mart. ∞.IↃ.XCVI.

EPISTOLA XXIV.

IOSEPHO SCALIGERO IVLII F. S. D.

MEVM iſtum videre te (nobis, heu, negatum) ſine litteris meis nolui: vt per has interpretes te alloqueret, quoniam ore ad os non licet. An & licebit? turbæ è turbis, catenata bella, ætas & valetudo magis magiſque inclinans, ſpem minuunt aut tollunt. Hæc eadem ardorẽ in ſtudijs, & frigus aut ignauia mentem & ſtilum habet. POLIORCETICA breuî ad te mittam non legenda tantùm, ſed cenſenda. Quæſo, facito: te iudice placebit pænè ipſum damnari. Caſauboni ad Suetonium vidi, eruditum opus. Adoleſcentem magni ingenij, & ſi viuit ac temperat, omnibus numeris perfectum. Louanij, XVII. Kal. Iul. ∞.IↃ.XCVI.

EPISTOLA XXV.

IOANNI BVCHAERIO, *Theologo* S. D.

EXHILARATVM me litteris tuis debeo fateri, etſi id verbum vix decorè his temporibus vſurpem. Tamen & exhilaratum: ita gratus mihi accidit affectus & ſenſus de me tuus, quem, vtrumque in litteris promis. Vtrumque tibi à me reddi, quid reddi? datum iam olim eſſe, ex vero addo. Amaui te, vt primùm vidi, & ex ſermone, vultu, geſtu * ἀφελὲς illud tuum & probum cognoui, & planè pro veteri candore & niue Gallorum. Vbi nouelli iſti ſunt, morum virtutumque degeneres, * ποικιλομῆται, δόλων ἆτοι, vt Homerus ſuum Vlyſſem deſcribit: per quos Gallia non labi iam, ſed ruere incepit? Sed præiuerat & æſtimatio tui, concepta ex ſcriptis, quæ erudita & perpaucorum planè hominum vidi. Itaque, etiam in ſilentio mutuo, mutuũ amaſſe nos, adfirmare tibi poſſum: & vt deinceps faciamus, rogare. Fructum quidem illum præſentiæ, quem ais, frui nos vellem: ſed quid ſperem? tempeſtas etiamnunc imminet, & in æſtatem minatur

* Δεινὴ μισγομένων ἀνέμων ἐλθοῦσα θύελλα.

Fœdera & coitiones has vides: quæ turbare tamen poſſunt, ſed non mergere. & ſpes ea firma mihi manet: etſi Deo hæc permitto. Heu, quãta quies, illi ſe dare, ab eo pendêre, decreta eius ſine murmure exſequi & ſubire! Cottidie me ſic aſſuefacio, nec ſapientia ſolùm eò, ſed neceſſitas impellit. Quot tela angoris aut metus excipienda ſunt, niſi clypeo hoc munimur? Ecce iamnunc triſtia, dum hæc ſcribo, de copijs noſtris, aut copiolis potiùs, ad Turnhoutum cæſis. Sed leue vulnus eſt, admonitio tantùm, vt cautiùs in poſterum agant, nec contemptu hoſtis peccent. Ego te vir eximie valere opto, & amantem me amare. Louanij, VI. Kal. Febr. ∞.IↃ.XCVII.

* *ſimplex*

* *mente varii, fraudum pleni.*

* *Nimbus cum ventis mixtim turbantibus ingruit.*

EPIST. XXVI. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO S. D.

AMOREM tuum, ſed cum querelâ, in epiſtolâ Ortelij noſtri vidi: quotũ vtrumque me delectauit. Ille ſuauitet, hęc cũ morſu & punctiunculâ aliquâ ceſſationis meæ: quam & ego, vt rem tibi dicam, accuſo. Sed mi Velſere, quæ debeo & volo, haud vndique poſſum, in ætate hac & viribus labentibus, in occupatiunculis, quæ (vt ille ait)

—— *& caput, & circa ſaliunt latus.*

Adeſt & publicus quidam mæror ſiue torpor, in his perpetuis noſtris turbis; quibus vt non deijci, magnæ conſtantiæ eſt; ita non affici, vix humanum. At nec publicè ceſſamus intereà, vt vides, & pangimus aſſiduè aliquid, vtinam tam vtiliter quàm libenter. Toto animo huc nos damus, & iamnunc in manibus eſt POLITICVM aliquid, quod videbis. Nam & iſtud argumentum iterum tangimus aut diffundimus, velificantes alienis iudicijs, quibus nec decorè repugnamus. Tum ad FACEM meam redeo, quam velim ante funebres meas faces concinnatam & accenſam. Inſcriptionem à Schotto noſtro miſſam vidi, nec ſatis liquet cuius cooptationis aut collegij ſit: dignioris quidem alicuius, quoniam viri principes etiam inſerti. An ſacerdotum aut Flaminum Auguſtalium? in quod primores ciuitatis ambitioſè veniſſe & adſpiraſſe, non neſcis. In decurias tamen diſtinctos,

haud

haud alibi legi, quod Iudicum, ſed & aliorum erat. At ipſe Schottus noſter de his alijſque coràm fortaſſe aliquando, qui viſurus te ſperat, vt ipſe pridem ad me ſcripſit. Vtinam nobis peregrinatiunculæ copia! toto corpore tibi circumfunderer mi Velſere, quod animo nunc facio, & ſeriò ac ſemel amantem tui teſtor. Vale. Louanij, III. Nonas Febr. ∞.IↃ.XCVII.

EPIST. XXVII. *Bruxellam.*

MARIAE GORNACENSI S. D.

REDIISSE te Antuerpiâ, & ex animi ſententiâ rem confeciſſe, id gaudeo mea virgo & ſoror; non illud, te ad tuos tam citò redire. Tuos præſertim ſic afflictos, & (vereor equidem) affligendos, vt nubes iſta bellorum minatur, quæ impendet. Nam de pace aliquâ, mihi quidem exigua ſpes eſt; & veſtri malo fato non nimis inclinant. Sed nimirum hæc ſunt, quæ robur animi & Conſtantia vincit; hæc, in quæ ſapientia nos armat, cuius ſtudium (ô ararm tuã laudem!) in hoc ſexu profiteris. Perge virgo, & viris præi, & duc ad illum collem

Deſpicere vnde queant alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

Habes comites in hac viâ, apud quos diuerſaris; quos benignos in te eſſe, ita mihi gratum, vt ſi in me eſſent. Salutabis à me vtrũque, & (quod polliceris) ante diſceſſum etiam ſcribes de tuis omnibus rebus; imò & ſiquid de publicis, miſcebis. Vale. Louanij, III. Non. Maias. ∞.IↃ.XCVII.

EPISTOLA XXVIII.

IOS. SCALIGERO IVLII F. S. D.

ABIT iſte ad te, & vult commendari. Ecce breuiter & verè. Amat litteras, vt qui maximè; amat te, vt in ijs maximum. Inſpice & noſce, redamabis. Louanij. VI. Idus Sextiles. ∞.IↃ.XCVII.

EPIST. XXIX. *Pragam.*

IOHANNI BARVITIO, *Cæſari à Conſilijs & Secretis*, S. D.

VETVS & noua mihi cauſſa ad te ſcribendi; illa, à cultu virtutum tuarum, itemque à beneficio quod à Cæſare, ſed non ſine te, accepi: iſta, à conſilio quod in vitæ genere iam recenter cepiſti. Cogitas enim matrimonium, aut potiùs iam cogitaueris, cùm hæc ad te venient: atque eam ob rem non potui quin & animo gauderem, & ſtilo tibi, cùm voce non datur, gratularer. *Feliciter*, ô Baruiti, *Feliciter*: & toto pectore hoc acclamo. Tu quoque electione tuâ & prouidentiâ feciſti, vt omnes meritò hoc ſperemus. Vidiſti animi tui oculis nympham in his longinquis locis, ſed electam formâ, moribus, virtutibus, mihi crede: & vno verbo, coniunctione tuâ dignam. Scribo fidentiùs, quia videre & noſſe mihi ipſam datum eſt: cùm Præſidi Richardoto eius auunculo & velut patri, nobis amico & patrono, non ſemel adeſſem. Enimuerò ipſi tibique gratulor: & illud apprecor, quod vterque veſtiûm tacitè aut palàm vouet, liberos è tali cõſortio & ſtirpem. Sit Baruitius poſt te & ex te alius, qui patrem puer iuueniſque delectet, aut foueat, qui vir Cæſarem & Rempublicam conſilio iuuet, aut firmet. Erit, erit ſpero, & numen ſupremum apprecor: itemque concors & alterno amore matrimonium, eximium inter humana bona. Vale Ampliſſime Domine, & Lipſium ſcire, & ideò æſtimare virtutes doteſque tuas, ſcito. Louan. VI. Kal. Sext. ∞.IↃ.XCVII.

EPIST. XXX. *Pragam.*

LVDOVICO SWARTZMAIERO, *Cæſari à Conſilijs.*

EPISTOLAM tuam optimi animi in me teſtem accepi, & animo hoc ipſo exoſculatum eſſe quídni fatebor? Suaue in diſſitis ijs locis me aut mea noſci: quid probari, & amari? quid à viris etiam dignitate & prudentiâ primis? Suaue eſt, iterùm dico: & excitat me non in iactantiam aut vanitatem (abſit) ſed in fiduciam & conſtantiã, atque vt in ijs perſeuerem, per quæ probari me illis video, quos proximi à Deo & rerum domini probãt. Nam & Wolfgangum Fremonium, illuſtrem virum, ſocerum tuum, ſociũ in hoc affectu vel iudicio aſſeris: quem ſucceſſiſſe in locum veteris amici mei Iacobi Curtij gaudeo, præſertim cum hoc elogio virtutum, quas publica fama ei donat. Felix Germania, felix Cæſar talibus miniſtris! & eget profectò in his ciuilibus externiſque turbis, quibus magnum illud Imperij corpus variè concutitur aut tentatur. Nam & barbarus ille hoſtis iterùm aſſultat: non metuendus, ſi coniunctio animorum & virium ſit: ſi etiam nos pacati, qui velut vene-

venenum hoc diſſidiorum ſpargimus in viciniam noſtram. O miſeri Belgæ, quot non dicam annis, ſed luſtris iam, peſſimis interniſque bellis iactamur! & quorum peſſima etiam cauſſa. Sed quid huc eo? nimirum vt quibus parte aliquâ corporis dolet, etiam ignari manum illîc habent: ſic nos linguam in afflictione. Quam ad te iterùm verto, & gratias pro affectu ſic aperto habeo: eumdem repono, & cultum etiam tibi ac Fremonio adiungo. Louanij, VI. Kal. Sextil. ∞.IↃ.XCVII.

EPIST. XXXI. *Coloniam Traianam.*

STEPHANO PIGHIO S. D.

VIDI, mi Pighi, præloquium tuum in VI. Annalium, & id mei alloquium: in quâ re & facto tuo ſi gauiſus ſum, noli quærere: ego tibi adfirmo, nihil ſuauius pænè in hac vitâ accidiſſe. Quid ita? quiáne ambio hæc talia? quia * φιλοτιμία eoi hoc obſidet? non ita eſt, fateor: nec communes aut populares laudes, ſed nec iudicia, valdè moror; à Pighio tamen aliquo amari, æſtimari, laudari, id cupio (candidè dicam) æſtimo, amo. Mihi verò & hoc gratum, à tanto ſilentio & diſiunctione item diuturnâ, ſpirare tamen & viuere in te amorem: quem ſi ego pectore iſto vmquam exui, tum me vitâ exuat ipſe Deus. Itaque nunc quidem grates tibi gratias dico habeoque, pro hoc affectu & iudicio: & de me quid reponam? niſi me & mea tua eſſe, non iſto nouitio & aulæ more, ſed priſco illo & Saturnio, cùm diſſidium adhuc non erat cordis & linguæ. Vulgaui nuper MILITARIA & MECHANICA, quæ non vidiſſe te ſolùm vellem, ſed cenſuiſſe. Proh Deum immortalem, quàm mihi & volupe, & fructuoſum ſit, hoc tempore, Pighio meo poſſe frui, illum adire in ſcriptiunculis noſtris, & conſulere? qui, vt eum Homero dicam, —— * Πάντ' ἐφύλαξε νόῳ πολυϊδρείῃσι. Sed optabile hoc, non ſperabile: illud magis & voueri & effici poteſt, vt ſaltem videamus inter nos ante fati nigrum diem, & ego ſenile tuum pectus caputque amplectar, & tu mirere & videas incipientes item meos canos. Hoc, inquam, non deſpero: ſi Deus laxationem aliquam & quietem à bellis miſeris Belgis det. quod eum rogo, & te mi Pighi, diu viuere & vigere in hac ætate, quâ robur animi & ingenij cum miraculo prodis. Louanij, Nonis Sextilibus, ∞.IↃ.XCVII.

* ambitio

* omnia obſeruauit mentis multiſcientiâ.

Iſta ſcripſeram: ζητημάτιον eſt, quod ſubiungam. Notabilis res in hiſtoriâ, diſceſſus Pompeij ab Vrbe: & qui notarunt, videntur aberraſſe. Plutarchus, vbi de Mundenſi pugnâ: Τὴν μάχην ἐνίκησε (Καῖσαρ) τῇ τῶν Διονυσίων ἑορτῇ, καθ' ἥν λέγεται καὶ Πομπήϊος Μάγνος ἐπὶ τὸν πόλεμον ἐξελθεῖν: *Pugnam hanc Cæſar pugnauit & vicit, ipſis Liberalibus, quo item die dicitur Pompeius Magnus ad bellum vrbe egreſſus.* Notat triſtem, & à fato, concurſum. quòd eodem die filij victi, quo pater Vrbem, & cum fortuna, reliquit. Oroſius conſentit: *Et quidem eo die bellum hoc actum eſt, quo Pompeius pater ab Vrbe bellum geſturus aufugerat.* Quando igitur hæc *Liberalia*? ſic enim rectiùs ego, quàm interpres qui Διονύσια, *Saturnalia* vertit. Meeum certè Hirtius, aut quis alius, in hac pugnâ: *Ipſis Liberalibus fuſi fugatique ſunt hoſtes.* Sed quando, inquam, Liberalia? in decimum ſextum Kal. Apriles Kalendarium marmoreum vetus confert: & ex eodem Hirtij diario, circa hoc tempus rem geſtam liquebit. At ſi hæc vera, quomodo de Pompeij fugâ verum? quam Cæſaris tota narratio lib. III. oſtendit ab initio anni ſtatim fuiſſe? *Ipſis Kalendis Ianuarij*, inquit, *cæptum agi de prouincijs*: & mox, *ante* VII. *Idus peractum*. Ipſe deinde ſine morâ Ariminum: & Conſules ac Pompeius in fugam. Quid Cicero ad Atticum, qui harum rerum velut ephemeridem conſcripſit? Vide pluſculas eius epiſtolas lib. VII. omnes euincent hanc fugam valdè maturiorem fuiſſe. Ecce vnâ ſcribit: *Vidi hominem* (Pompeium) XIV. *Kal. Februarias, plenum formidinis.* Et vbi vidiſti? in Campaniâ, vbi ipſe tunc erat. Aliâ deinde palàm & ſignanter: *Pompeium Brundiſij conſcendiſſe naues, & reliquiſſe Italiam, quarto Kal. Martias.* Si tunc Italiam, quantò citiùs Romam? Neque Ciceroni hæc ignota aut incerta eſſe potuerunt. De die olim Liberalium ambigere incipiebam, & an non aliter ante dig[esto]s faſtos Iulianos: ſed detraxit hoc pallium ille Hirtius, qui pluribus diebus ante Mundenſem pugnam, opidum quoddam à Cæſare captum ſcribit, *vndecimo Kal. Martias.* Igitur poſt id tempus Liberalia, de quibus illi ſermo. Ego hæreo. iuuas me Pighi? quod * Latinè audis, à me cape.

* Id eſt, Germanum.

EPISTOLA XXXII.

IOSEPHO SCALIGERO IVLII F. S. D.

EN tibi ADMIRANDA noſtra, mi Scaliger, heu quàm diuerſum à tuo munus! Tua verè talia ſunt, noſtra titulum habent, quo tamen apud populum fas ſit vti. Populum, inquam, quid enim negem? vobis paucis vix hæc ſunt ſcripta. Si legis, beneficium eſt; ſi cenſes, voti ſumma. Atque vt cenſeas, & meâ cauſsâ id velis, rogo. O quàm ſæpè mihi in mente inuidere iſtis, quibus coràm conſilio, iudicio, doctrinâ tuâ fas vti! & in eorum ſcriptis veſtigia notamus maioris cuiuſdam pedis. Nobis non hoc, non proximum datum: * μονάμπυκες ἆθλοι ſumus, vt ait ille, & ſoli peragimus hunc curſum. At tu ſalue tibi, alijs, atque etiam nobis. Louanij, VI. Kal. Apriles. ∞.IↃ.XCVIII.

* ſingulares equi

EPIST. XXXIII. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO S. D.

SEMEL excuſaui ſilentium meum mi Velſere, & affectum affirmaui, quem ſcire debes augere in dies & calere. Amor tuus in me hoc facit, quem magis magiſque exſeris: faciunt & merita tua ac beneficia plura in rem literariam & communem. Addo virtutem & probitatem, omnium ore laudatam. Sed omittamus iſta, quæ tamen à Lipſio, non ab amico dicuntur: vtinam tam fideliter tu miratus fueris mea ADMIRANDA! Sed Schotti noſtri affectus primùm ipſi, deinde tibi impoſuit: at mihi crede, haud multa in eo opere vobis doctioribus probanda, præter ordinem aliquem & argumentum ipſum, cui non humaniori gratum? Res tibi dicet, me in meis vera dicere, & mox videbis. Nam habebis certè inter primos, tu me ſeriò inter tuos. Louan. III. Idus Feb. ∞.IↃ.XCVIII.

EPIST. XXXIV. *Lutetiam.*

HADR. TVRNEBO HADR. F. S. D.

EXCITOR haud inuitus, ad tibi ſcribendum, ab illo, qui iuuari ſe commendatione meâ apud te cenſet. Quid animi tui in me ſit, firmiter neſcio: quid mei in te, ſcio, optimi, & qualem (vt verbo dicam) in parentem tuum, illud Galliæ decus, habui ſemper. Viuit amor in mortuum, & virtutes eius conciliauerant: viuit in te viuû, & amor tuus in epiſtolâ olim expreſſus conciliauerat, vides quàm acrem etiamnũc calet. Etſi tempora hæc infauſta triplici Galliæ, commercia illa ſermonis, ſed & adſpectus (nam & videre ac videri ſtatueram) abſtulerunt: ſed animos diuellere non vis, non hoſtilitas poteſt, fidei illo adamante colligatos. Hæc duo dicta volui: illum fauore tuo dignum eſſe, quem ex teſtimonio meo noſces; me amore mutuo, quem conſtanter ſic ſeruo. Louanij, poſtrid. Kal. Apr. ∞.IↃ.XCVIII.

EPIST. XXXV. *Lutetiam.*

IACOBO AVG. THVANO, *Præſidi*, S. D.

VIR nobiliſſime, iamdiu factum, cùm ad te nihil dedi: quid cauſſæ? quam non dicens dixerim, diſiunctio hæc & diſſidium publicum, per quod priuati noſtri ſermones malignitate aliquâ interpretantiû parùm tuti. At nunc & pacis benignior ſpes affulſit, & res (ſpero & opto) breuì erit. Enimuerò iungi & coire hos reges, vt meum iudicium eſt, ſit ex regnorum, & ipſorum item, vſu. Sed publica valeant. ſi tu, gaudeo; magis, ſi me amas. Quod ſi facis, hunc quoque commendatum tibi cenſe, qui amari apud nos, ſpero & apud vos, præbuit ſe dignum. Louanij, poſtr. Nonas Aprilis. ∞.IↃ.XCVIII.

EPISTOLA XXXVI.

BLASIO HVETERO, *Princip. N.N. à Secretis.*

EGO verò vt literas tuas accepi, paraui me ad parendum. An aliter poſſem in voluntate, id eſt præcepto, Principum? Itaque inſpexi, collegi, deſcripſi: & hic habes. Tabulam aliquam depingi ſignificas, in quâ *Leopoldus* Dux Auſtriæ argumentum ſit, & inſigne eius factum in Ptolemaïde nobis aſſerendâ. Vis vt locum, rem, & quidquid circumſtat, aperiam ac ſtilo delineem: vt penicillo deinde poſſit Principalis ille pictor. Vide igitur, lege, explica: & à te, ſi quid opus, adde. *Ptolomaïs* Syriæ opidum, olim nobile, eâ eius parte quæ *Phœnice* eſt dicta. Nomen à conditore Ptolomæo, Ægypti rege habuit: etſi aliud etiam *Aconis*, vel poſteà *Ace*, item, vt volunt, à priore conditore. Hodie in ruinis quæritur: ſed errant qui cum *Ioppe* confundunt,

in cr

inter eos Niceras Choniates. Mare adiacet in promontorio, quod Occidentem adſpicit; à tergo & Oriente eſt terra Galilæa; ad Auſtrum torrentem *Chiſon*, & vltra eum montem Carmelum habet, qui diſtat ferè quattuor leucarum interuallo; à Septemtrione, nobilis illa Tyrus adiacet, item ad mare. Opidum olim triangulâ ferè formâ, cuius duæ partes mari alluerentur, tertia terram tangeret, fertilem, felicem, hortis vineiſque diſtinctam. Duas leucas in diametro habuiſſe, alibi ampliùs, auctor mihi *Bernardus Breidenbachius*, qui proauorum æuo luſtrauit. En, locú habes: de re & facto, ſic fuit. Ea vrbs cum reliquâ ferè Syriâ, Chriſtianis acceſſerat, felici & æternùm glorioſâ illâ expeditione, cui præfuit Godefridus Bullionæus. Retenta eſt *nonaginta* paullò minùs annos: cùm diſſidio & æmulatione, in ſe magis noſtri, quàm in hoſtem verſi, & hanc & ſtatim ipſa Hieroſolyma amiſerunt. Is fuit annus ∞.C.LXXXVII. Auctor cladis Saladinus, Sarracenorum Princeps, acer animi & militiæ: & facta ſine obnoxio affectu ſi videas, cum quouis magnorum Imperatorum comparandus. Sed pulſi igitur noſtri vrbe ſacrâ, cumque ijs infelix rex *Guido*, Tyrum diuerterunt: quæ ſola prouinciarum vrbiumque reliqua, & portu ac ſitu opportuna, ſpem recuperandi fouebat. Nam Tripolis infido, vt fertur, Dynaſtâ, iamtunc nutabat, & ad victores inclinabat. Itaque Tyrum coactæ & collectæ reliquiæ, & creſcebat quotidie manus: cùm triſtia & inopinata hæc euenta ex Europâ, pietate & indignitate nobiles quoſque animos excitarent. Eminuit inter eos *Guilielmi* regis Siculi opera, qui ſtatim XL. naues viris, armis, commeatu inſtructas, ad mare tenendum & Tyrum, miſit. Venit eódem *Conradus* Marchio Monferratenſis, propriâ etiam pietate motus, quia pater eius *Bonifacius*, captus apud hoſtes tenebatur. Affluxere & alij è Galliâ, è Belgicâ: atque inter eos *Iacobus Auenenſis*, Brabantiæ Ducis Mariſcallus, toto hoc bello clarâ operâ & virtute. Sed & Veneti ac Piſani adfuêre: iamque viſę vires ad inuadendum, & placuit *Guidoni regi* (is Hieroſolyma tenuerat, & nunc titulum) Templarijs, alijſque locorum peritis, *Ptolemaida* ante omnia eripere hoſti. Obſeſſa igitur eſt: & Piſani ac Veneti à mari curabant, à terrâ alij: qui duplici vallo ac foſsâ ſe munierunt, duabus portis relictis ad excurrendû. Hanc curam & cautionem dabat hoſtis Saladinus, qui aduenerat, & totam Orientis barbariam in nos trahebat. Caſtra habebat in vicino monte, & grauiter noſtros premebat: quibus omnis commeatuum ſpes in ſolo mari erat. Aduenêre per hos dies & Teutonici, interque eos *Leopoldus* Dux Auſtriæ, cum pluribus Epiſcopis ac nobilibus: inter quos & *Lantgrauium* (ſine aliâ additione) Annales quidam ponunt. *Henricus* item Comes Campaniæ; & è toto Chriſtiano orbe: adeò vt iam ſupra centum millia in piorum exercitu eſſent. Trahebatur tamen obſidio, quia & validum in vrbe præſidium, & prouiſi commeatus; & hoſtis, captato vento, mari inferebat. Nec naues noſtræ vetare poterant. Machinæ ſtructæ, & turres erectæ (pro more eius æui) ad inuadendum: ſed ignis in eas immiſſus deleuerat; & hoſtis Saladinus, quoties noſtri inuadere conarentur, ſigno per fumum à ſuis dato, aderat, & à tergo viciſſim inuadebat. Tracta igitur in biennium obſidio. cùm ecce & duo reges adueniunt, *Philippus* Gallorum, & Anglorum *Richardus*. Ille prior circa menſem Iunium: iſte in curſu tempeſtate Cyprum tenuit, & Græcis obiter eripuit. ac cùm Ptolemaida iam veniret, nauim grandem onuſtam milite & commeatibus, alioque apparatu, quæ ad hoſtilem vrbem ibat, oppugnauit: & fortiter reſiſtentem, miſſis occultè vrinatoribus perforauit, & in oculis hoſtium depreſſit. Merſi in eâ mille trecenti, viui à noſtris ſeruati ad ducentos. Circa medium Iunij rex ille appulit: quem magnis lętitiæ ſignis, ſonitu tympanorum ac tubarum noſtri exceperunt, datâ ei firmiſſimâ caſtrorum parte, in quâ caſtellum inſtar arcis emunitum erat. In tertium annum iam obſidio traxerat: placuit totis viribus aggredi. tormenta machinæque admotæ, & præſertim *Petrariæ*, quæ magnis lapidibus iactis & muros turreſque frangerent, & domos ſupernè diruerent, & nihil vſquam tuti in vrbe paterentur. Feſſi malis tandem opidani, aut vi expugnantur (vt quidã tradunt) aut vt plures, vrbem conditionibus dedunt: ſalutem pacti, ſi quindecim millia captiuorum Saladinus redderet, itemque Salutarem crucem in prœlio amiſſam, & pecuniæ magnam vim. Negant pacta ſeruata: eoq; Pręſidiarios omnes ad duo millia & ſexcentos interfectos. Is finis obſidioni fuit: & recepta vrbs quinto Idus Iulij, ∞.C.XCI. anno, poſt-

poſtquam à Saladino capta fuerat, quarto. Quis ordo in caſtris, apud *Matthæum Parys* Anglicanû ſcriptorem diſtinctè ſcriptum: ſed neſcio an ſatis verè, & nomina deprauat aut confundit: tu, ſi videtur, vide. Atque hæc ita in obſidione communiter geſta: de noſtro nunc *Leopoldo*, quid didicerim, habe. Eximiam aliquam eius operam fuiſſe, auctores mei ſignificant: qui & turrim cum Germanis ſuis cepiſſe produnt, atque illîc militaria ſua vexilla defixiſſe. Diſplicuit id ingreſſo regi Richardo, qui ſuum vnius decus captæ vrbis voluit: ideóque & vexilla ea ignominioſè detrahi iuſſit, & in terram abiecta calcari. Non impunè. cùm poſteà per Germaniam rediens, in famulari habitu, agnitus captuſque à Leopoldo, nec niſi grandi pecuniâ datâ promiſſaque dimiſſus eſt. Hæc ita conſenſu ferè prodita. illud ſingulare eſt, quod Cuſpinianus ex Auentino, & Epiſcopo aliquo, cuius ſcripta nondum vulgara, prodidit: *Leopoldum illum muros Aconis ſuperaſſe, albo paludamento indutum. quod totum hoſtili mox ſanguine tinctum apparuit, eâ parte demptâ, quæ baltheo tegebatur. Inde factum*, inquit, *vt area rubicans, cum faſciâ ſiue ſegmento albo mediam dirimente, inſigne deinceps Auſtriis eſſet: idque permiſſu vel indultu Henrici* VI. *tum Imperatoris.* Nobile factum, fateor, & fauemus: vix Lazius, qui cauſſam inſignium aliò retulit, & ait, *Auſtraſia, ſiue Lotharici regni iam olim hæc fuiſſe: quo labente, Auſtriæ Duces, qui ab iis orti, retinuiſſe, ſicut & Comites Louanienſes.* Vera ſunt, & Lotharia & Louanium etiam hodie inſignia hæc prætendunt. Eſt & tertia ſententia, qui fertilem & alibi rubentem terram Auſtriam ſignificari iis volunt, eamque Danubio medio albicante ſectam. In caligine ferè iſtæ origines. ego non abſurdè cenſeam, auctorem primum, colore eo duplici belli & pacis, ſignificarum fuiſſe, BELLO ET PACE ſe præſtare. Vtcúque iſta ſe habent, de *Leopoldo* non ambiges quin huic bello, & * hoc tempore, interfuerit: quem alij *Auſtriæ*, alij *Orientalem Ducem* appellant: & malè Guilielmus Neubrigenſis, *Humboldum* indigetauit. Fuit ſecundus Auſtriæ Dux (anteà *Marchiones* erant) nominis tamen eius ſextus: qui in Genealogicis quibuſdam ſcriptoribus hodie perperá editur *Ludouicus*. Obijt lapſu equi, non diu à reditu, anno ∞.C. XCIII. Fuit & alia expeditio ſub id tempus, anno ∞.C.XCV. cui cû Germaniæ proceribus *Fridericus* Dux Orientalis interfuit: filius iam defuncti Leopoldi: atq; ipſe in bello eo perijt, fratre *Leopoldo* VI. ſucceſſore. Quem ipſum tradunt, loca ſacra anno ∞.CC.XVII. cum Andreâ rege Hungariæ iuiſſe, & in Damiatâ (Médeſium antiquorum putatur) capiendâ ſtrenuam operam nauaſſe. Hæc addere libuit, confuſioni vitandæ: tum & gloriæ Auſtriorum, qui ſic ordine ſeſe pietati & bello ſacro impenderunt. Parui, Vir Nob. & Mag^ce, mandato Principis, pro meâ copiâ: parebo ſemper, quamdiu vita erit. Louanij, VI. Kal. Maijas. ∞.IↃ.XCVIII.

* *Idê etiam anteà, anno ∞.C.LXXXII. vt Annal. Auſtr. tradunt.*

EPIST. XXXVII. *Vratiſlauiam.*

IACOBO MONAVIO.

EPISTOLA tua, quæ tota de Redingero erat, effecit vt ipſe ad eum ſcriberem, & maximè ob ſchedulam eius incluſam: quæ ſanè affectum ſpirat, & animi quoque egregium cultum. Amo corde vos tales: & vnum dolet, non vicinos magis eſſe. Ortelius noſter (quod haud libens nuncio) lento morbo diſtinetur, & vereor vt fatali. Nam medici aquam intercutem autumant eſſe. Me quoque valdè abiecit morbus, qui initio Aprilis inuaſit, & totum menſem habuit: neque nunc vires recepi ſeriò, & neſcio quid etiâ vereor à tabe. vereor? reſcribo hoc verbum, ſuſpicor volui dicere: nec ſanè in metu ſum eorum, quæ ex decreto Deus immittit. Sequor benignum illum parentem, & quidni cùm propiùs ad ſe vocat? Tu vale mi Monaui, & plura à firmiore expecta: quod idem apud Redingerum excuſa. Louanij, XV. Kal. Iun. ∞IↃ.XCVIII.

EPIST. XXXVIII. *Vratiſlauiam.*

NICOLAO REDINGERO.

DE me ſcripſiſti ad Monauiû noſtrum, ego ad me interpretatus ſum, & vides me reſpondere. Quid reſpondere? amore primùm tam inſignito amori tuo; deinde & verbis, quæ in remum illum exprimant, & in parte tibi ſiſtant. Totum, vix poteſt. Nam duplex mihi in te amor eſt, alter vetus & à fratre tuo, olim meo, Thomâ Redingero, quaſi hereditate in te deriuatus: quem cùm & coluerim ſeriò & amauerim, certè etiam te debeo non ſanguine ſolùm, ſed magnitudine animi & honeſtiſſimarum rerum artiumque ſtudio, verè & germanè fratrem. Sed hic nouus, qui ipſum te cauſſam

cauſſam habet, non ego, præponderat. cùm ſciam ea in te eſſe, quæ bonos omnes elegantesque alliciant, detineant, vinciant; & vno verbo, ament te etiam ſi non amentur. Quid igitur me oportet, quem vltrò tu aduocas? verecundè fateor, ſed hoc magis attrahis: vt vanos illos amantes

—— proditor intimo
Gratus puellæ riſus ab angulo.

Extra iocum, & ex ipſo pectore, carum mihi eſt haberi inter tuos caros: atque ego ſi clauſum anteà affectum meum habui, viâ factâ, magis nunc aperiam, & vt ignis per obſtantia eluctatus, clarior flammâ emicabit. Hæc ſit prima ſcriptio, & quaſi conteſſeratio amicitiæ: ſi reſtipularis & inuicem dextrâ porrigis, commeabunt ſæpiùs litterarum hæc alloquia, & ſæpiſſimè cogitatio, ac mente, quem in mente habeo, videbo, adſiſtam, tangam. Vale vir Nob. & Cl. Louanij, XV. Kal. Iun. ∞ IↃ.XCVIII.

EPIST. XXXIX. *Auguſtam.*

Marco Velsero S. D.

INVALETVDO me tenet iam decem dierum, & ea grauior, vt vetet ſcribere aut ſerium aliud vſurpare. Tribus verbis tamen ſalutandum te cenſui mi Velſere, hunc librum mittendum, neſcio an vltimū meorum operum, niſi Deus alias vites breuî donet. Vale, & ama, & reminiſcere. Louanij, Idibus April. ∞ IↃ.XCVIII.

EPIST. XL. *Lutetiam.*

Pavllo Moraeo S. D.

AMICAE & perhoneſtæ tuæ litteræ, quas tamen à priore illâ parte amplector modò & admitto. De amore inquam, & gratiam habeo, & eumdem refero: at de iudicio ſic honeſto, ignoſce, ſi illi non ſubſigno. Principes litterarum, quo me titulo is affectum, in Galliâ veſtrâ nuper fuerunt: an & nunc non ſunt? certè breuî (ita auguror) erunt. Ingenia veſtra excitata id ſuadent, pax iſta & tranquillitas conſuadet, quâ Dei dono affecti eſtis, illâ Muſarum & meliorum artium altrice, ſiue matre. Ea nos quoque adſpexit, ſed in parte, & lumine, vt ſic dicam, altero: at altrinſecus Mauors ille manet, & ciuile claſſicum etiamnunc inflat. Heu mei Belgæ, quàm mala ſidera nunc vobis lucent? Sed Deus hæc quaſſa componere poteſt, cùm viſum, & vt poëta ait, —— *benignâ Reducere in ſedem vice.* Quod enim animo rogo: te autem mi Moræe etiam ſtilo, vti me, & meâ cauſſâ Barclayum ames: qui & meret, & merebitur, ſi ingenium viri noui. Louanij, poſtrid. Kal. Sextil. ∞.IↃ.XCVIII.

EPIST. XLI. *Lutetiam.*

Isaaco Casavbono S. D.

NIMIS mihi grata iſtæc ſcriptio tua, ſic ex interuallo. Mihi quidem. nam quod ſcripſiſſe te & dediſſe dicis: ſcito ſeriò & * ἀδόλως, nihil me tuū vidiſſe à diſceſſu meo è Batauis, id eſt, ab ipſis octo annis. Atqui publicè tua vidi, & Deum teſtor, amaui. Quid opus blandiri? vero animi ſenſu, *(* ſine fraude.)*

* Ἤ σέ γε Μοῦσ' ἐδίδαξε Διὸς παῖς, ἤ σέ γ' Ἀπόλλων. *(* Vel te Muſa Iouis proles docuit, vel Apollo.)*

Mi Caſaubone, perge te & æuum illuſtrare, & fugitiuas iam pænè è Galliâ Muſas (certè per bellum iacentes & timidas) ſiſtere & excitare. An autem non Lutetia te habebit, illud Orbis theatrum? ſic vouebam, & iam ſperabam ex tuo illuc aduentu: at tu in fine addis, Volcas tuos Arecomicos iterùm abire. Scribe, te quæſo, quid eius rei ſit. etſi ego arbitror abiſſe rediturum, & ad res modò tuas componendas De Lectio, iamdiu amo illum virum: ſed ſilentiū quid nobis impoſuerit, non te aut illum fugit. Si ſcribis, corde à me ſaluta. Quod autem de teſtimonio addis, apud magnos illos viros tibi à me dato: ita eſt, & alibi etiam dedi. Quî aliter poſſem? inimicus mihi eſto, facerem. Nam verum amare didici, & tales quoque viros amare: tu mihi idem facito, & diu ſalue. Louanij, XIV. Kal. Nouemb. XCVIII.

EPIST. XLII. *Lutetiam.*

Nicolao Brvllario, Silerio, *Præſidi.*

FILIVS tuus ad te redit, & id mandato tuo. Ideò libenter eum dimittimus; etſi nec libenter, ſi ipſum & conſuetudinem eius ſpectemus. Vero enim fidoque teſtimonio dicam, mores, modeſtia, indoles eius nos ceperunt: & votum ſit, tales è iuuentute Athenæum hoc frequentare. Sed quoniam & tibi aliter viſum eſt, & occaſio tam bella ſeſe offert Italiæ videndæ; deſiderium noſtrum imperio tuo cedit, & in animo iſto approbamus etiam conſilium, quod in eo reuocando cepiſti. Adhæreat tibi in itinere, ſub tam magno magiſtro diſcat, & te aſpectu ac ſermone item delectet.

Nos nihilominùs & abſentem illum, ſi non oculis, animo geſtabimus, & te Ampliſſime & Nobiliſſime Domine, merito virtutum tuarum, colemus. Louanij, poſtr. Kal. Nouemb. ∞.IϽ.XCVIII.

EPIST. XLIII. *Lutetiam.*

RENATO PINCAEO, *Senatori Regio.*

MAGNA tua, & verè dicam, inopinata mihi benignitas, qui ex communi quadam non commendatione, ſed teſtimonio meo, adoleſcentem noſtratem non produxiſti, fauiſti, iuuiſti; ſed ipſe in domum tuam recepiſti, & diſciplinę liberorum tuorum atque inſtitutioni præfeciſti. Quid dicam? iudicio meo hoc datum? obligor. Voluntati? magis: & iure tibi omnia cupiam faciamque, qui meâ gratiâ ſic exhibes te pronum & benignũ. O Briſſoni noſter, vbi es? tu ille conciliator & proxeneta huius amicitiæ, quæ in bonis fidiſq; pectoribus radices egit & fructificauit. Viuere te optem, & decet: Deus noluit: amicitiâ in nobis viuere, hoc opto mi Pincęe, atque adeò æternam eſſe. Quidni ſperem? nam amicitia quæ deſinere poteſt, vera numquam fuit. Louan. poſtrid. Idus Decemb. ∞.IϽ.XCVIII.

EPIST. XLIV. *Rigam.*

DAVIDI HILCHENO, *Regi Poloniæ à Secretis.*

EPISTOLAM tuam poſui, & manus meas quid ſi dicam ab eâ caluiſſe? certè quidem animum: ita amanter, imò ardenter ſcripta, me quoque talem fecit. Sicut facem ad accendendum fruſtrà admoueas, quæ ipſa non accenſa: ſic in amore conciliando euenire ſenſi, & fruſtrà eum poſcit, qui nõ adfert. Tu, vt dixi, largiter: & quod mirer, ab vltimo & frigido illo axe. Ergo Cupido etiã ea loca inhabitat? nam Venus profectò, quæ vnà cum Gratijs, epiſtolam tuam inſedit. Euge mi Hilchene! femina illa diuina vbique, vt video, ſparſa: & meliores mentes, etiam non meliore cælo, Deus diſpoſuit. De tuâ fateri debeo, quæ virtutem, doctrinam, & omnem honeſti amorem ac ſtudium exſpirat. Præter epiſtolam, etiam ſcripta tua adiuncta mihi dicunt: ſcripta, quibus aſtipulari debeo elegãtiæ & doctrinæ. Quæ vtinam tu tam verè in me, quàm benignè extollas! Sed vereor, vt quemadmodum Mucius ille Scæuola ſcribam pro rege habuit, & appetijt, quòd eſſet ornatu regio: ſic tu me inter ſeriò doctos, argumento ſcriptionis & librorũ. Qui ſi boni, benè eſt: & opto eſſe, & per me errorem hunc tibi non tollam. Si enim amari à te cupio, vt cupio; cur hanc imminuam eius affectus cauſſam? Tu ſerua, & in eo tamen non erra: me veræ atque vtilis ſcientiæ percupidum eſſe; quæ iudicia mihi & decreta formet, quę vitam & mores ad hanc & aliam quietem componat. Certè ego ille ſum,

Quem non ambigui faſces, non mobile vulgus,
Non leges, non caſtra tenent:

placida illa virtus & vita capiunt, atque huc omnem ingenij aciem intendo, omnes animi neruos contendo.

* *Τὰ πολλὰ πράσσειν, οὐκ ἐν ἀσφαλεῖ βίου:* imò nec multa inquirere, aut meditari. Vt nihil proſit clauis aurea, quæ non aperiat: ſic ſplendida illa doctrinarum, quæ ad hæc ſacraria non ducant. Ecce, breuiter & candidè deſcripſi tibi me: nec in æſtimatione mei volo te falli. Hipparche olim, virgo nobilis, cùm Cratetem Cynicum, id eſt mendicum, ipſa vltrò ambiret, & nuptias eius vellet: ille in medio plurium, coram virgine ſe reuelauit, & gibbum in dorſo, & ſiquid aliud vitij oſtendit; tum & baculum, & peram, & ſuas illas opes: Hæc mea ſunt virgo, inquit, hic ego: placeo & placent iſta? ducap. Simile ego, mi Hilchene. amorem meum vis, & eo iungi mecum? ecce iungor, ſed talis, qualem dixi. Si placeo, age Vir nobilis & magnifice, iungamur æternùm: & hoc audiat ille Æternus. Louanij, III. Kal. Ianuar. anni ∞.IϽ.XCIX.

* *Multa agere, non numquam tuta eſt via.*

EPIST. XLV. *Leopolim.*

DEMETRIO SOLIKOVIO, *Archiepiſcopo Leopolitano.*

DAVID Hilchenus, vir ingenio & ſtirpe nobilis, ſeriò mihi ſcripſit de inclinato tuo in me animo, & quem in ſermone ſæpè aperis, effuſo in meas laudes. Deo, tibi, gratias agam, an vtrique? Deo, qui immiſit; tibi, qui admiſiſti hunc affectum: ô gratum, ô ſuauem, ſed cum morſu aliquo pudoris mei, quia conſcius mihi ſum, non eſſe præconijs aut præconibus tantis dignũ. Tamen vt vel imæ ſortis homines, ſibi & alijs creſcunt ab alloquio aliquo & comitate Regum: ſic nobis fit, cùm vos admouetis propiùs, & eſſe aliquid videmur, ab æſtimatione veſtrâ. Enimuerò & nomen & fama

fama tui ad nos quoq; venerat:quem velut Neſtorem quemdam iure magnus ille tractus veneratur,cõſilijs,legationibus, actionibus clarum , pro ſalute aut dignitate publicâ ſuſceptis. Atque hoc eſt verè philoſophum, imò ſapientem eſſe: exercere & oſtendere in ſole atque opere,quæ alijs in vmbrâ & otio diſſeruntur.

Ego odi homines ignauâ operâ, philoſophâ ſententiâ:

aiebat ille: ego ſi non odi iſtos (neque enim omnibus eæ vires animi, aut corporis etiam,ſunt:)tamen miſtor certè alteros,qui in res medias eunt, & Stoicorum decreto veteri, viuunt moriunturque in actu. Nobis non iſta ſors.& in otio Deus conſtituit: nec tamen ignauo, & voce aut ſcriptis ſaltem aliquid iuuamus & conferimus in magnam hanc parentem. Sicut nauis, quæ è litore ſpectantibus ſtare videtur, celerrimo curſu ſæpè labitur: ſic eſt aliquod etiam actuoſum otium, cui nos conſecrati ſumus. At tu, Vir Ill^me & Reu^me, * ἄλλαν Σπάρτην ἔλαχες, ταύταν κόσμει, mane in hac glorioſâ functione: vtinam & in mei amore. quem ſi anteà famæ tantùm, nunc homini tribue,& petenti,& amanti, & colenti. Louanij, III. Kal. Ianuar. ∞.IↃ.XCIX.

* aliam Spartam nactus es, hanc orna.

EPIST. XLVI. *Lutetiam.*

SEBASTIANO ROLLIARDO I^Ro S. D.

SCRIPSI nuper,& miſi per legatum regis veſtri Boderium, inſignem & æſtimatum mihi virum: ſpero iam accepiſſe. In occaſione tamen tria etiam hæc verba libuit, vt ſcires officio me functum, quod amori tuo debebam. Amori? imò & ingenio, atque animi dotibus, quas *Agrocharis* tua * εὐθηνίας præfert. O verſionem feliciter * ἐκπεπονημένην! Gratulor Galliæ veſtræ, cùm hæc & talia video: cui poſt deiectas tempeſtate grandes aliquot arbores, iſtæ nouellæ ſuccreſcunt, æquaturæ illarum cacumen. Quidni ſperemus in beatâ iſtâ pace, quæ ingenia fouebit & rigabit? At nobis bella, infelici fato patriæ, cui nec reſpirare quidem vel per inducias breues licet. Si hoc eſſet, vide quàm me ceperit Agrocharis, iam ruſticus fortaſſe eſſem, & Iſcanum prædiolum me haberet.

* vbertim
* elaboratam!

* Ἀλλ' οὐ Ζεὺς ἄνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ.

* At non Iupiter omnia patrat, quæ meditamur.

Opto vt tibi tua, & ſalue ex animo mi Rolliarde. Louanij, poſtr. Kal. anni noui, ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. XLVII. *Lutetiam.*

RVMOLDO MORTIERIO S.D.

GRATA mihi hæc ſcriptio mi Mortieri, & animi ſignificatio propenſi in me, & quod maximè amo, in litteras & virtutem. Quæſo te per Deum, vtraque hæc iunge, in eâ vrbe in quâ virtutum & vitiorum exempla non deſunt. Scribis eſſe quoſdam, qui cauillentur aut mordeant: quæſo tranſi, nec attende. Ætati tuæ hac in parte noli indulgere: nos qui diutiùs paullò viximus, & vſu callemus magis, ſcimus hunc omnis æui morem an morbum, æmulari aut & calumniari. Immunis ego ſum?

* Ἀνθρώπων δ' ἄψεκτος ἐπὶ χθονὶ γίνεται οὐδείς.

* Nemo hominum in terrâ, quem non reprehendere fas ſit. Homer.

Et profectò meremur interdum, & lapſi corrigi poſſumus, quod bona mens erigi interpretatur. Sed de te, ſcito fauere me ingenio & ſtudijs, teipſum amare: & hoc fore, quamdiu talis eris. Louanij, VIII. Kal. anni noui. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. XLVIII. *Pragam.*

IOANNI AB HOLLANT S. D.

DVPLICI nomine grata mihi tua ſcriptio, & quòd ſaluum te ad tuos veniſſe nunciaret; & quòd affectum & memoriam noſtri fidam præferret. Gaudeo vtrumque eſſe, & voueo ita manere. Me quidem & morum atque ingenij tui elegantia cepit, cùm hîc eſſes, id fateor: & qui coràm auditor aut diſcipulus, nunc abſens amicus eris, & libens factum hoc nomen tibi donem. Oro autem te & hortor (ſi opus eſt) excolere optimam indolem, & naturæ, vt ſic dicam, agrum; quem Deus feracem optimarum artium ac rerum dedit, ſi induſtriæ aratro ſcindis, & ſemina ſcientiarum inijcis, vt cœpiſti. Vt cœpiſti, inquam, & iam adeò in eo es vt metere incipias, & colligere laboris tui fructus. Qui tamen vt benè matureſcant, & quaſi concoquantur; mihi haud diſpliceat ſolem Italiæ adhiberi, & loca illa atque homines te luſtrare, olim & nunc quoque laudata, & prudentiæ præſertim ac iudicij notis commendata. Video te ſponte hoc agere, ſed deliberare quò potiſſimùm te conferas, Senas an Bononiam, & vis iudicij etiam mei calculum addi. Ecce habe. ſi linguæ tantùm aut iucundæ amœnæque habitationis res ſit, Senæ placeant, locorum & hominum ingenio amabiles,

& apta ſedes ad tranquillam vitam. Sed cùm diſcere etiã tibi propoſitum, & à vario aſpectu atque auditu te formate: ſuadeam ſanè Bononiam primò eligi (in quam affectus meus nec nunc quidem clauditur) Bononiam dico, non ſtudijs ſolùm ac ſtudioſis aptam aut frequentem, ſed & nobilitate atque inſignibus viris inſeſſam. vbi ſit quod vndique iuuet diſcere, artes, mores, linguã. At eã familiariùs iam paullò notã, tum pedem proferre ad ſuadeam, & Romam petere, illam olim & nunc (etſi in aliã potentiã) verticem & culmen rerum. Ibi, quidquid laudabile in orbe pænè eſt, videre tibi fas in compendio: variarum gentium Legatos aut proceres, variarum item artium candidatos aut myſtas. Sed falli te nolo, vbi magnæ virtutes, magna item ferè vitia aut crebra, & curæ iudicijque tui erit, bona excerpere, alia ſpernere ac vitare. Sicut Vlyſſes ille blandientes, ſed inſidiantes ſcopulos, ſurdâ aure prætervexit, oculos tantùm habuit apertos: ſic multa tibi illîc (atque adeò in reliquâ Italiâ) obiter videnda tantùm ſunt, non in aures, minùs in animum admittenda. Iter etiã omne tuum & emanſio breuis ſit. biennium ſi impendis, ſatis eſt: ac longior mora oblectare magis poteſt, quàm formare. Habes meum ſenſum: tu abi & redi felix, in vſum tuum ac tuorum. Louanij, III. Nonas Ianuar. ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. XLIX. *Lutetiam.*

IAC. AVGVSTO THVANO, *Præſidi*, S. D.

RECREASTI me ſcriptione amicã, & veteris tui affectus. Neque vltrà de perſeuerantiâ rogo, ab hoc tot annorum experimento ſecurus iam eius & certus. Illud rogo, vt mutuum à me fieri cenſeas, bonâ & veteri illâ Gallicanâ fide. Scripta tua vidi, quę pleraque ſparſim anteà, nunc decorè corporata & iuncta. *Parabates* egregius, & multis locis vel ad priſcum cothurnum. Carmen à fine, me quidem iudice, poterat omitti: nec tu negaueris, natum tibi in calore. Vides quàm liberè? ergo amicè. *Notas Mercer*i noſtri ad Tacitum vidi, animo & voce (nam alij aderant) laudaui. Ita me Deus, acutæ ſunt, eruditionem raram & candorem habent. Candorem, qui ſi abeſt ab iſtis ſcriptis, nebulæ & liuor habent, nec illuſtrabit ea diuturnior lux famæ. Ergo Mercerum amo, & Galliæ veſtræ cum magno illo Caſaubono Merceros opto. Sed quis Sauellus ille? numquam videre mihi cum fuit, & beneficium capiam, ſi quis mittat, aut (niſi longus ſit) transſcribat. Dico transſcribi faciat, vel meo impendio & ſumptu. Nam Commentarios Taciti auxi & reformaui, atque edere paro: quibus certum hæc Merceriana addere tota, & ſine deductione. De Baudio, quæſo te, ama: quod ſeriò ego facio, ſed in te illâ aqua nobis hæret. Funem ego tetenderam, * ἀλλ' οὐκ ἐτάνυσα. Vale Vir Cl^me^. Louanij, VI. Kal. Mart. ∞. IↃ. XCIX. * non extraxi.

EPIST. L. *Lutetiam.*

CLAVDIO BOVCAVLTIO S. D.

LITTERAS tuas ſeriùs accepi, non tuâ, ſed ferentium, credo, culpâ: tamen accepi, & calidum tuum affectum in me (ita loquendum eſt) vidi. Amo hercules eum, & iam Louanij ſcintillas ieceras: ſed liberiùs, vt fit, aperuiſti abſens, & per litteras, quæ veteri verbo non erubeſcunt. Etſi quid apud me verecundere, aut rubeas? qui vltrò aduocare eiuſmodi meliores mentes ſoleo, & mihi applicare. Quod nunc in te facio, mi Claudi; & cœpta beniuolentia non claudet, ſi tu eam duplici illo pede fulcies, Probitatis & Doctrinæ. quam vtramque in te vidi, & hanc alteram magis magiſque cum ætate (ita ominor & voueo) augendam. Sanè ingenium tibi adeſt, induſtria non deeſt: quod vel ex ſcriptione video, quam varia lectio aut obſeruatio colorauit iam, & tinxit. At tu magis magiſque immergere in liquido illo Muſarum fonte, Lutetiam dico: quæ ingenia magna fouit, aluit, tenuit aut emiſit. Vale mi Claudi. Louanij, VI. Kal. Mart. ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. LI. *Lutetiam.*

DOMINICO BAVDIO S. D.

PAVCA herè ſcribebam, illâ meâ fuligine & * μελαγχολίῃ πεπεδημένος: quam diſcuſſi * atrâ bile illigatus. leuiter, & ſtatim animus manum tibi iuſſit operari. De re ruâ primùm, id eſt, ipsâ re, & quæ ad vitam facit, vellem hîc, aut illic aliquid factum. Proh Iupiter, blenni aliquot, & buccones, ad culmina honorũ veniunt: meliora & altiora ingenia arcentur? tamen rem dicamus, ita ævum eſt, & paucos nuda virtus aut doctrina euexit. Ego ſi quę velim, poſſim, quid labores? ſed ingenuè tibi dico, plus mihi gratiæ, quàm potentiæ eſſe: vel

quia

quia amoui me ſemper à publicis, vel quia naturâ miniore ſum, & parum efficace. Benè in meis quidem poſſum prenſare: & benè Deus, quòd pleraque mihi vltrò delata. Vtinam per Brullarium aliquid vel Thuanum fiat! ad quem iterùm de te amanter, imò non amanter, ſed iudicio ſcripſi. De publicis, miror in Edicto illo ſic pertendi: etſi fateor Galliæ præſentis ſtatum haud vſquequaque mihi notum. Sed niſi neceſſitas exprimit, quid opus? cur non in quiete hac manent, & vitant innouare, id eſt, turbare? Quod ſi fiat,

* Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες.

Noſtri de Pace etiamnunc ſperant; quia de Britanniæ inclinatione non deſperant. Sin illa obdurat, & auerſatur; certum eſt, * νησιῶται noſtri non molleſcent, & pergent

* Ἄσπειστον πόλεμον πολεμίζειν, ἠδὲ μάχεσθαι.

Sub aduentum *Infantis* (is apud nos certus & propinquus habetur) aliquid neceſſum eſt decerni in alteram partem: pace ſemel fruamur, an æternùm. ſed fugio * δυσφημεῖν: & ô nos miſeros, ſi ita erit! Ego cogitationem, ac penè decretum, habebam eundi in Italiam: quò ſub annum hunc Sæcularem à principibus viris euocabar. Si eo, etiam hoc penè ſtat per Gallias vorſoriam capere, & inſignes ibi viros amplecti. Ioſiam Mercerum iam olim inter eos habui, & valdè ſe mihi nunc probauit, eruditis, & probi animi iudicijſque, ad Tacitũ Notis. Vidi enim. & quamquam à me intetim diuertit, laudare & amare virum debeo: quia & cum cauſſâ, & cum modo facit. Vtinam ſic in ſtudijs noſtris alij! vtinam ne Critice hæc ludus fiat, & arena, vt ſic dicam, beſtiariorum! Ar bona hæc via, cõferre ſine liuore, ſine æmulatione, in publicum; nec detractum ire ingenijs, vt tuum attollas. De Caſaubono, audio ad vos certò venturum: cui ſalutem dici, & hoc etiam velim, me ante menſes duos circiter ſcripſiſſe. Propior cùm erit, fortaſſe ſæpiùs: ſi tamen valetudo non impedit, quæ valdè hac hieme anili aduerſa fuit. Tu vale mi Baudi, & amarunum ſemper ama. Louanij, v. Kal. Mart. ∞.IↃ.XCIX.

Certè lætetur Priamus Priamíque nepotes.
insulares
Bellum infestum, & pugnas pugnare cruentas.
malè ominari.

EPIST. LII. *Augustam.*

MARCO VELSERO S. D.

ERGO ad te hæc Schottus? & me præuenit? nollem, meum erat indicium hoc facere tibi, quem ſeriò habeo inter amicorum primos. Sed quod ſcripſit, ita eſt: cogiramus Romam hoc Autumno proximo, ſed peregrinandi animo, non manendi. Sacer ille annus me vocat, tum & viri aliquot Principes, qui benignè inuitant. Dabo me ijs ad menſes pauculos, & ſimul corpus hoc mouebo, quod ſitum aut veremum contrahit ex aſſiduâ quiete. At te, ita viuam, vt ſtatui & voui videre inter primos: ſi tamen turbæ aut motus hoc iter nobis non intercludunt. Nam vel tuâ cauſſâ Germaniæ illum tractum reuiſere iterùm geſtio: neque abnuo de hoſpitio, quod offers. Sciant omnes, inter nos ſic amate: & vt poſteri etiam (ſi fama adſpirat meis ſcriptis) erit curæ. Vale mi Velſere, & cùm in viam me dabo, diſtinctiùs de eâ exſpecta. Ab Aulâ noſtrâ miſſionem petij, nondum impetraui: ſpero tamen non grauatè dandam, titulo vel valetudinis vel religionis. Louanij, XVI. Kal. Maijas, ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. LIII. *Rotomagum.*

CLAVDIO GROVLLARTO, *Præſidi.*

IAMDIV eſt cùm ſcintillas affectus tui ad me mittis, in materiem ſanè non dicam promptam ardere, ſed quæ iam arſit. An non ita incitet cogatque tua virtus, prudentia, doctrina? quę triga omnium iudicijs pectus tuum habet: & addo, quòd in eâ beniuolentia mei vehitur, erga immerentem fateor, & ideò magis meritò redamantem. Quid verba facio? non ſolent vehementer ab amore ſaucij, & magis in conſpectu amicæ obſtupeſcunt: ſimile mihi, qui te videre videor, & coràm nunc affari. Nunc in imagine, an non in re aliquando & veritate? plaudit mihi aliqua ſpes, & in Italiam cùm nunc eam ad annum Sacrum, in reditu libeat Galliam veſtram viſere, & te inter eius illuſtria lumina, ô vir dignitate & meritis clare, boniſque omnibus & mihi percare. Louanij, deſubitò, cùm hic eiuis veſter abiret, XII. Kal. Iun. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. LIV. *Lutetiam.*

PAVLLO MORAEO S. D.

ITANE typographi veſtri meas epiſtolas? me inuito, me ignaro? colligunt, transſcribunt, edunt? Improbum facinus, barbarum facinus, vt verbo dicam. Ergo mihi non licet animi ſenſa priuatim apud amicum deponere; iudicia promere; laudes, vituperia, aut notas miſcere, niſi vt ea in publicum pro-

protracta vulgentur? id eſt, examinentur,
cenſeantur, culpentur? neque enim aliter ex-
ſpectandum ab inſidioſo & factioſo hoc
(venia dicti ſit) æuo. Omitto quòd negle-
genter ſæpè, & animo aut manu parùm ala-
cri, ſcribimus: at iſti flores omnia eſſe volũt,
vbi lappæ ſunt aut ſpinæ. Ad ſummã, mihi
iudiciũ in meis debebatur vni: & non ratio
ſolùm, ſed mos hactenus & ius quoddã gen-
tium volebat. Si veſtri migrant; cauſſa mihi
erit iuſtè hæc iniuſta culpandi, idque vel
publico ſcripto. Res mihi cordi eſt, non ne-
go: & te vel aliũ, cui cor ſit, arbitrum ſumo.
Itaque ſi potes, mi Moræe, quod offers præ-
ſta. Tribunus eſto & intercede tam iniquæ
actioni. Valdè me deuincies: & per me vna
hæc epiſtola non quidem edatur, ſed apud
omnes legatur. Vale V.C. Antuerpiæ, quò
me contuleram animi & valetudinis cauſ-
ſâ. Kal. Iunijs. ∞.Iↄ.XCIX.

EPIST. LV. *Monachium.*

THOMAE MERMANNO, *Medico & Conſiliario Ducis Bauariæ.*

QVOD petis à me, V.Cl. in amicitiam
iſtam admitti, ita libẽs facio, vt vel vl-
trò fuerim petiturus. Verba ex animo pro-
mo. audiui laudes & elogia tua è veraci Fie-
ni noſtri ore: ex eius tantùm? imò & alio-
rum, quos Germania veſtra ad nos miſit.
Itaque iamantè amaui, & amicus corde fui:
ore me eſſe nunc profero, & dextrâ hac fœ-
dus ſcribo, nullâ die (quod ad me attinet)
abolendum. Re videbis, hanc rem, & non
verba, eſſe. Quid autem? an non coràm mi-
hi fas hæc ſanciendi? Spero vel confido po-
tiùs, quoniam in Italiam breuĩ iter inſtitui,
ad annum Luſtralem ſacrum, & Germa-
niam (vti votũ & opinio mea eſt) in tranſitu
videbo. Te, te in eâ inter primos, & ſaluta-
bo, & cum poëtâ *Iucundum os oculoſque ſua-
uiabor.* Magne Deus hunc diem mihi repræ-
ſenta, & ſi fas erit, Ser^mos^ etiam Principes
adire & manum contingere: illos quibus
Germaniæ dignitas, & certè Religio priſca
eſt innixa. Fienum noſtrum quòd ames, &
auctum honeſtumque velis, gaudeo: mere-
tur. atque ille de Salisburgenſi deliberat: ſi
apud tuos Bauaros locum habere poſſit,
iamnunc decernat. Sed hæc & alia, Deo
proſperante, intra paucos menſes coràm:
ille te meque in optatum tempus ſeruet.
Vale Vir Cl^me^. Louanij, VIII. Kalend. Iul.
∞.Iↄ.XCIX.

EPIST. LVI. *Lutetiam.*

GVIL. BARCLAYO S.D.

ITER noſtrum Italicum differtur. Quid
cauſſæ eſt? duplicis, priuatæ & publicæ,
vtriuſque bonæ & æquæ. Priuatim valetu-
do me plus ſolito adfligit, & imbecillum,
aut vero verbo ineptũ, ad longum hoc iter
concinnat. Publicè autem, lues illa peſtilens
Italiæ fines iam inuaſit; & hæſuram ibi
quis non arbitretur, ſic maturè ſæuientem,
& tam paratâ tam vberi materiâ ad conci-
piendum? Itaque ex ipsâ Vrbe metum hunc
mihi faciunt; & ij qui inuitarunt, differunt
aut ſiſtunt. Hoc ſcire te volui: ego per te
quid N.N. illîc noſter, & quî agat? Scribit
ad me, queritur, ſed parùm apertè: & vlcus
aliquod ſermonum eâ veſte tegi equidem
odoror. Si leue curatu, parũ eſt: ſin prauum
aliquod & * *δυσίατον*, doleo cauſsâ præclari * *inſanabile.*
ingenij, quod ſeſe (ah temerè, ah ſtultè) in
barathrum & præceps dedit. *Quis illigatum
te triformi Pegaſus expediet Chimeræ?* Sed me-
liora opto, faueo, & quà poſſum iuuo. Lo-
uanij, III. Kal. Sextil. ∞.Iↄ.XCIX.

EPIST. LVII. *Lutetiam.*

CLAVDIO BOVCAVLTIO S.D.

VNAS ad te litteras dedi, tu plures, fateor,
& amo diligentiam cum affectu. Paria
vt ego faciam, caue exſpectes, qui non occu-
por, ſed diſtrahor, & vero verbo ita eſt lo-
quendum. Scito me ſic differri, vt pænè ge-
mellorum fabuloſam illam matrem. Spera-
bam à ſenio, ſi non miſſionẽ, laxamentum:
at etiam intendit. Itaque, quod fugitiui, à
pedibus auxilium ſumere erat animus, &
Italiam cogitabam: ſed id quoque Deus
abnuit, & quæ in oris eius graſſatũr lues. Et-
iam hîc, ne neſcias, & crebra funera ſunt, &
ad Philoſophiam compellimur, id eſt, * *μελέτην θανάτου*. * *meditationem mortis.*
Tibi rectè ab animo, à corpo-
re, à conditione eſſe cupiam: & corde faue-
mus, etiã operâ, ſicubi vſus erit. Barclayum
ſaluto, ad quem ante biduum dedi, itemque
ad N.N. de quo aliqua audimus non vo-
lentes. Vale. Louanij, poſtridie Kal. Sextil.
∞.Iↄ.XCIX.

EPIST. LVIII. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO S.D.

QVAERIS & doles de itinere meo Itali-
co, quod diſtuli, aut (quid tibi impo-
nam?)

nam?) omiſi, ob cauſſas quas breuiter & cum fide hîc dicam: Prima & ſumma eſt, Valetudo. quam, experiendo & paullùm hîc circumuectando, didici non eſſe ad ſemiſſem eius viæ. Fracti morbis, fracti & laboribus ſumus, & annos iam plus triginta publicè legimus, ſcribimus, ore & ſtilo docemus iuuentutem. Ferrum aut rupem eſſe me volunt? Deus & Natura nolunt, & fragilem ac mortalem me, etiam ante ceteros, fecerunt. Quòd tamdiu durem & reſiſtam, ego qui me noui, in parte prodigij, aut certè diuinæ benignitatis, habeo cenſere. Ergo prior hæc cauſſa abſterret, & terra iſta, id eſt, corpus retinet; cæli animus & ignis ille, propere pennâ euolabat. Altera cauſſa, quòd non obſcuris indicijs didici, videri me in Italiâ ſiſtendum. Quid autem tibi dicam? amo tellurem & homines, ſi quiſquam (& debemus ſanè fontem illum litterarum:) ſed eam nunc mihi non eſſe aut facere, vt inſideam quidem & pedem figam, animo hoc teſteſcio. Fallam ipſos, fallam me ipſos, quibus non donem Lipſium, quem exſpectant: me, qui filum illud tenue vitæ, ſi non in viâ, in ipſâ certè regione abſcindam. Egóne nunc nouos mores, nouas menſas, omnia oculis ſenſibuſque inſolita captem & vſurpem? tritum de arboribus eſt, quæ vetulæ recuſant transferri: idem in hominibus eſſe, medici & vſus dicunt. Atqui præmia ibi, & in magno theatro plauſus. Si capi me negem, mentiar; nec ingenui illius ſenſus omnino expers ſum, nec cum poëtâ, *corneâ quâdam fibrâ.* ſed tamen olim magis, quàm nunc, his mouendum; & vltimam illam tunicam, quam Plato dicebat, paullatim ponere & exuere me, hoc quoque addo. Paullum mihi æui ſupereſt & ſpithama vitæ, vt dicunt Græci: quid intempeſtiuo ambitu captem ſedes aut ſpes nouas? Non capto, mi Velſere, maneo: atque adeò ex pectore hanc vocem audi. ſi belli aut alia vis cogant abire, Germania veſtra me habeat, grauitate & modeſtiâ ſuâ olim mihi nota, atque etiam amata. Sed quò eo? longius facio, quod breuiter poteram, & binas cauſſas binis ſignaſſe verbis. Affectus in te largus eſt, qui me & ſtilum producit: cuius affectus tam certum te cupio, & in loco etiam promendi, quàm in claro meridie Solis illius lucentis. Quærebas etiam de ſcriptis meis. pauca in hac valetudine poſſum: & grande tamen opus ſuſcepi, atque adeò iam affeci, *Perpetuum Commentarium in Annæum Senecam*, ſed breuem, & non vobis Senatoribus tantùm, iſtis etiam è mediâ aut imâ claſſe litterarum aptandum. Videbis, ſi Deus volet, poſt hanc hiemem. nam tunc maximam partem finiuero: & mox ad alia mea me dedero intermiſſa. Ea ſunt *Pars Admirandorum altera, Monita & Exempla Politica*, & plura, ſi vita erit. Ea tibi longa, tibi fauſta currat, mi Velſere. Louanij, Idibus Septemb. ∞.IↃ.XCIX.

EPISTOLA LIX.

IOSEPHO SCALIGERO IVLII F. S. D.

MANILIVM tuum libens vidi, auidè cœpi legere, & perlegam vt ſoleo tua. Omnia me intellecturum, minus arbitraturum, ne exiſtima. vos in igneas cæli arces itis; nos humus noſtra tenet, aut certè non ita altum ſubuolamus. A Deo hæc partitio eſt,

—— * ὅς τι δίδωσιν

Ἀνθρώποις ἀλφηστῇσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν, ἑκάστῳ.

Seneca me totum nunc habebat, quem vtili potiùs (ita mihi videbatur) quàm ambitioſo Commentario illuſtramus. Vetus meum votum, Adeſſes! reperirem, opinor, * ἀνεῳγμένας Μουσῶν θύρας, & Ariſtophanæi ſcommatis ſecurus, ſtarem, * λάρος κεχηνώς. In Italiâ iam eſſem (audiſti credo inſtitutum) niſi valetudo me tenuiſſet; tum & ille, ne tenerer, metus. Nam hoc quod æui reliquum, & paucorum paſſuum an graduum eſt, ibi decurrere neque placet, neque ratio ſit. An non etiam ſpes aliqua melior pacis affulget, & bella tandem ad Thracas ibunt? ego voueo, & te videre. Louanij, III. Non. Decemb. ∞.IↃ.XCIX.

qui nempe aſſignat Ingenij, vt dona, vt viſum eſt cumque cuique.

apertas Muſarum fores,

Larus hians.

EPIST. LX. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO S. D.

BENE affectui tuo, qui ſic in me viuit: ſed & in te meus. Ne ſit ille dies, quo alterutet langueat. non enim dicam moriatur, quod vix in ipſâ morte poteſt. At tu gratularis mihi mirificè ſuper DISSERTATIVNCVLA corâ Principibus: nec magnâ, quod ad me quidem, cauſâ. Subitò enim, & velut deprehenſi, diximus: quod ipſum, quale ſit, totidem penè verbis vulgamus, & videbis. Nam etſi illam claudi aut perire, nihil interſit publicè; intereſt tamen exemplum prodi, quod tu noſtro quotarum, imò vni-

vnicum, licet dicas. Audiſtine (nam vidiſſe non potes) fœminam etiam Principem, tali ſtirpe & titulis, in Muſæa hæc noſtra veniſſe, ſediſſe, audiſſe? Nam quidam & intellexiſſe addunt, mihi non niſi cum experimento credendum. Sed quidquid ſit, exempli res eſt: & illud dum prodimus, fortaſſe infamiam etiam noſtram. quod parum eſt, & fama illa viuat vel cum infamiâ noſtrâ. Quam tamen tegere niſus ſum veſte meliore atque aliâ, à Plinio ſumptâ. cuius PANEGYRICVM vnà edo, cum perpetuo meo Commentariolo. Dignus ille Principibus eſt: & ijs, quique circa eos (id eſt, Palatinis) magis labor hic noſter ſeruijt, quàm vobis eruditis. Videbis, iudicabis, & mox de Senecâ: in quem ſi quid aliud rarioris obſeruatus (talia ſunt tua) habes; ſodes mitte, ad vſurum & imputaturum, vti inter bonos decet. Ama amantem, mi Velſere. Louanij, XVI. Kal. Mart. ∞. Iↄc.

EPIST. LXI. *Dantiſcum.*

ANDREAE VIRITIO S. D.

VIDI litteras, vidi CONSTANTIAM tuam, an meam dicam? Certè tuam feciſti, dum tuis, tuâ linguâ, tuâ induſtriâ eam donas: faxit Deus, vt tam vtiliter, quàm benè & diſertè. Nam vtrumque mihi viſus es aſſequi, vt & fides in verſione tuâ ſit, & eloquentia, atque adeò numeri & concinnitas non deſint. Ego verò an hæc talia altioris & remotioris ſapientiæ pro æuo iſto ſint, neſcio: paucorum guſtui facere, id vereor, & amo tamen ibi, in illo etiam axe, eſſe iſtos paucos. O mundi rector, quando miſerante oculo nos aſpicies! quando turbas, diſſidia, factiones à nobis pelles? Hæc ſunt fateor, in quæ Conſtantia nos armat: ſed quanto ſuauius, nec armis nec pugnâ iſtâ opus habere? Quidquid ſit aut erit, iuuat præiuiſſe ad alta & æthetea: capiat qui mente eſt tali; qui non, tenebras ſuas amet, & iactetur in vndoſo mari.

At tua ſecuros portus, blandamque quietem
Intrabit non quaſſa ratis.

quod verâ & priſcâ pietate duce tibi precor, mi Viriti. Louanij, VII. Kal. April. ∞. Iↄc. Nam litteræ tuæ diu in viâ.
Conſules veſtros ſic in me amicos ſaluto, quantum poteſt, amicè.

EPIST. LXII. *Lutetiam.*

PHILIPPO COSPAEANO S. D.

LIBENS equidē & *Tentamenta* tua & epiſtolam vidi. In ijs ingenij & doctrinæ ſigna; in iſtâ affectus in me tui non magnitudinem ſolū (de eâ antè liquebat) ſed conſtantiam. Itaque in illis gratulor; in iſtis hortor, & ſi vis obſecro, vt porrò perſeuetes. Valdè, inquā, me ama, & fortiter me amare quidni facias tui pariter amantem? CONSTANTIAE porrò meæ libellos aliquid tibi in hoc ſublimi argumēto prælu xiſſe, votum meū ſit: & ſatis tamen alluxiſſe. Nam vos ſubtiliori filo illa texitis, quæ nos denſiùs, & pro vulgi magis captu. Perge autem in lūce illa hominū te ornare, imò in te patriā: quæ, ah mi Coſpæane, quàm ſubſidijs & fulcris nunc eget! O ruinas, quas præuideo, niſi Deus & optimi noſtri Principes (tales ſcito eſſe) retineant & ſiſtant! Seditio, confuſio, rapinæ apud nos: at tu in aliâ & beatâ pace, quam Fatum benignius illi genti, benignæ ſemper in exteros, dedit. Fruere, & vale mi Coſpæane. Louanij, VI. Idus April. ∞. Iↄc.

EPIST. LXIII. *Lutetiam.*

FRANC. AERSSENIO S. D.

IAM non dicam annus, ſed anni ſunt V. C. ex quo nihil litterarum ad me quidem peruēnit. Si fuiſſet; an ſic me tui, imò mei, oblitum cenſes, vt humanitatem ſilentio tepellerem? Numquam factum, aut futurum; nec animo huic aut pater aut tu eſtis elapſi; cuius alterius beneficia in me agnoſco, in alterum mea quædam (quoniam ita vis) amo. Sed hæc commemoratio non neceſſaria: illud quod litteris ſedulò egiſti, à me etiam actum, ex incluſâ hâc epiſtolâ vides. Si placent ea quæ ſcribit; porrò curabimus: & tu pecuniam Antuerpiam (nec enim id antè opus) per litteras traijci, vt ſolet In ſtudijs meis aut tepor aut frigus aliquod eſt: & quid mirū, cùm ſic feruent hæc bella? quæ Galliam illam, quam nunc inſides, bono Deo reliquerunt: apud nos propriam videntur elegiſſe ſedem. O dolorem meum, & bonorum! quæ occaſiones conſtituendæ Pacis & Reip. labuntur? Sed hæc miſſa facio, ſi non ingrata, fortaſſe intempeſtiua. Tu bona bonoſque, & me tui iam olim amantem ama. Louanij, VI. Idus Ianuarias anni Sæcularis ∞. Iↄc.

EPISTOLA LXIV.

ANTONIO FABRO, BODERIO, *Legato Regis Galliæ.*

FILIVM tuum mihi commendas, venturum ad lectiones noſtras. Gratus erit, iuuabo, dirigam, & te oſtendam me tuâ cauſsâ hoc & alia velle. Spes mihi de eo bona eſt, etſi iuuene: quia video indolem adeſſe, & excitatum ingenium, quod equidem in iuuentute amo. Vtinam amorem honeſti infundam, & Galliæ veſtræ ciuem donem, ipſi & Regibus vtilem, ſi qui operâ eius* ita (ſpero) vtentur. Surgant iſtæ ſtirpes, & quas per hæc bella amiſiſtis, in locum earum arborum veniant, ſanè excelſarum, & pulchro atque vtibili fructu. Plura verba non do, rem malo: ſe non me culpabit, ſi non mei vſus. Tu Ampliſſime & Nobil[me] Domine vale, & me obſequio tuum habe. Louanij, v. Kal. Maias, ∞.IↃC.

EPISTOLA LXV.

HERMANNO *Comiti à* MANDERSCHEIDT *&* BLANCKENHEIM, *Cæſari à Conſilijs, & Legato nunc in Batauos.*

SERMONE beniuolentiâ in me nuper, & nunc ſcriptione affatim oſtendis. Quid rependam Illuſtris Comes? quod vnum in me amas aut æſtimas, animum: & cuius ſcintillæ aliquæ, in ſcriptis meis ſparſæ, affectum hunc in te accenderunt. Nam externa in nobis, obſcura aut modica. ſed vt ſtellæ per tenebras etiam fulgent: ſic per iſta, ingenij aliquod lumen. Quod vt propiùs certiuſque poſſis noſcere (ita enim petebas) ecce Indicem ſcriptorum meorum, quæ edere cœpi ab annis iam ampliùs triginta. Atque id inter turbas iſtas, & ciuiles continuos nimbos: quos vtinam Legatio veſtra minuere poſſit aut pellere, & in pharis Batauiæ accendere clarum illud lumen Pacis. O quàm mecum omnes boni vouent! vouent, ſed, ne mentiar, ſpe frigidâ, cùm aut illa aut noſtra vident, parum vel inclinata vel allicientia ad quietem. Sed mutare hæc poteſt ſupremus ille

* Ζεὺς, ὅς τ' ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτυκται.

* Iupiter, qui belli quæſtor & diſpenſator eſt hominibus.

Mutet, mutet: in te tuendo atque augendo conſtet. Louanij, XII. Kal. Sextil. ∞.IↃC.

EPIST. LXVI. *Lutetiam.*

SEBASTIANO ROLLIARDO I[to] S. D.

ITA, ita, venit ad nos libellus tuus, Deum immortalem, venuſtus, lepidus, & pro ipsâ re libellus. Venit autem cùm debuit, & redditus nobis veſpere in ipsâ mensâ: non quidem

—— *dum furit Lyæus,*

Dum regnat roſa, dum madent capilli:

publici & priuati noſtri mores hoc ſpernunt: ſed tamen dum remiſſiores ſumus, & animo inclinati garrire aut ridere. Omnino autem tale hoc genus

Seras tutius intrat ad lucernas:

matutinæ frontes rugas fortaſſe ducant. Sed ô te (auſim dicere) nequam! Nouios, Pomponios, Titinnios, Petronios, quidquid hoc genus Atellanas, Mimos, Satyras ſcripſit, vincis aut æquas. Imò vno vincis, quòd ſaluo pudore & probitate iocaris. Quid iocaris? feriò loqueris, & de illo quod Græci *Neceſſarium* vocant, neceſſariò, atque id apud iudices, agis. Meum & meorum riſum! quâ fronte, quàm ſubſtrictâ aure, Caſſij & Catones veſtri hæc audiunt? Quid autem ille Baro? te patrono vir erit, aut fiet? magnam vim tui Mercurij & Marſyæ: atque iterùm Cæneus, Areſcon, Coſſicius celebrabuntur. Extra iocum, argutus tuus libellus & in re ſeriâ, nec ſeriâ, ſeriò doctus. Vnum tamen etiam quæro, vel te augure Cominæos nobis radicula hæc propagabit? Cui tamen fauere me fateor, ob ſacrũ illud nobis nomen. Illius autem miſereor, quæ tuâ operâ fortaſſe Tantali aliquo ſato cõtabeſcet. Sed abite iſtæ res? in meis quid? ah, quàm alibi occupamur! *Totos do tetricæ dies Mineruæ.* Nam ecce, in Senecâ eram (ipſum nomen non ad hæc iuuenilia) atque eum perpetuo & breui, nec operoſo, nec ambitioſo, Commentario illuſtrabã. Alius hodie mos, ſcio: & ideò iudicia fortaſſe huic labori non ſecunda: ſed nobis MORES ANTIQVI placiti, vel ex ſolenni meo ſcito. Aſconius, Seruius, Cornutus, & quidquid Scholiaſtarum supereſt, haud aliter ſcripſerunt. Vidiſtin' autem PANEGYRICVM noſtrum PLINIANVM? ad hoc exemplum Annæus erit. Tu, ſi tanti, ſubmone & iudica, ſi tamen legiſti. In Galliæ veſtræ finibus iterum motus & belli fluctus, vt audimus: ſed in finibus: nos autem, vt ille ait, * ἐν χώρῳ ἐσμὲν ἐν ἀσφαλείαις. Quis

* in ſe- [illegible] ipſi ſumus.

euoluet?non Pax ſed Parca, vt ego auguror: quæ ſera ad te veniat mi Rolliarde. Louan. VII.Kal.Octobr. ∞.IↃC.
Epiſtolas etiam noſtras dare in lucem parabamus, ſaltem duas treſve Centurias.

EPIST. LXVII. *Auguſtam.*

Marco Velsero S. D.

Accepi iconem meam, à te gratam, vix cum elogio quod inuidendum ſubſcripſiſti. Nam præter te, auctorem quem ſuſpicer? aut quis ibi ſic me amat? & niſi ſic amet, ſic aberret? Ex corde, modicum aliquod maluiſſem, & quod pudor aut merita mea non prorſus damnarent. Noſti me? hæc alta abhorreo, & cum Solone,

Neque me eſſe primum veſtrûm, aut vnum exiſtimo.

Sed eat, non reuoco, nec poſſum: quiſquis leget, ſciat ab alterius æſtimatione, non meâ eſſe. Nos in Senecâ lentè, imò vix pergimus. Quid diffitear? quattuor iam menſes feriatum me, ab illo quidem opere, viderunt. Cauſſa eſt, faſtidium, & velut grauidarum quidam languor, quem concipere ſoleo in opere longiore. Itaque interiunxi leuiter, & tuo conſilio (meminiſtin' nuperæ ſcriptionis?) Epiſtolas cœpi colligere & parare editioni. Centuria vna aut altera prodibit: ſed ſcin' quòd cum tuo aliquo periculo? certè niſi tu autem velliſſes, vix feciſſem. De Plinij loco bene inquiris & cenſes. nam cenſione certè eget. Velim autem adire te Diodorum lib. I. qui aliquid iuuabit: & P. Bellonium, quem ſcio ſcripſiſſe ſuper hoc argumento ſeorſim, & olim vidi, nunc requiro. Vale V.C. cui in amoris hoc certamine numquam dedero palmam. Louanij, VII.Kal.Octobr. ∞.IↃC.

EPISTOLA LXVIII.

Consvlibvs et Senatvi
Imperialis opidi Francofurtenſis.

Adeô ad vos Senatores inclyti, cauſſâ duplici: & vt gratias agam pro ope quam tuliſtis, & vt oſtendam iure ac meritò à vobis latam. Oratiuncula prodierat in meo nomine, in quâ aliud meum non eſſet: monitus ab amicis, vos monui: audiſtis, illam à Catalogo veſtro abdicaſtis, id eſt, vitâ & luce (quod in vobis erat) priuaſtis. Gratias, inquam, ago hoc nomine: & præiudicium veſtrum quia merui, ſpero nunc & iudicium; ſi hæc pauca legiſſe otium & voluntas vobis erit. Et vt ſit, per vrbis veſtræ Genium, & iuſtitiæ ſacrum nomen, rogo. Oratiunculam illam negaui meam eſſe. quid ita? quia res ipſa diſſidet, phraſis non conuenit, & facies tota ſcriptionis. In re, quid tam alienum a meâ modeſtiâ, & moribus, quàm aſpera illa & inſultantia ſcribere? Neque enim mea certè illa profeſſio, nec Theologum vel in ſomnio aſſimilamus. Quid etiam ſi ſcriberem? ſic vulgariè & ſordidè? ſic, quod caput eſt, improbè imò impiè? Nam ille eſt noſter ſenſus, Senatores, antiquare in religione, & cum maioribus ſapere: nec hunc calumnia aut vis vlla, non dicam exuet nobis, ſed exuret. Neque nego in locis me vixiſſe, vbi hæc alia: ſed non ideò animo ego alius, & ſi quid in verbis aut ſcriptis fortè excidit: verè excidit, & pœnitentiam talium ago.

* Ἥβη καὶ νόον ἐπαμείβεται τὸν ἀνδρός:

ait poëta ille ſapiens: & vel hoc ſufficiat, ad ſcriptiunculas iſtas omnes vnâ ſpongiâ eluendas. Sed in hac re, non eò confugio. imò non dixi, non ſcripſi inquã: & præter materiam, dictio & ſcriptio ipſa clamat. Cui nares aut cerebrum pituita ſic obruit, vt vel inſpectis ijs, me & ſtilum meum non requirat? Pleraque omnia non dicam languida, inſulſa, ſine Charite aut Venere: ſed multa ſordentia aut abſona, quæ non ſolùm puritas & elegantia, ſed norma & Grammatica reſpuat Latiaris. Et horum ego ſim auctor? Sine ſuperbiâ dicam. ab illis ipſis iuuenilibus annis ſtudium mihi & ſucceſſus fuit, purè & venuſtè ſcribere, priſcos imitari, qui in hoc genere regnaſſent. Cur non hic compareat, vt in *Taciti* meâ *Præfatione*, vt in *Antiquis lectionibus*, quas ſub idem tempus vulgaui? Hæc ſatis apud ſapientes iudices, id eſt vos Senatores erant: & vt non ſolum plaga in me nulla criminis, ſed nec ſuſpicionis macula hæreret. Sed lubet tamen exſpatiari longiùs, & toto campo diſcurrere, non laborantem, ſed inſultantem. Age, ex ipſo ſcripto, quid ſi palàm elicio & efficio, me ſcriptorem nõ eſſe? Nam vt furibus aliquid ferè ad indicium; ſic mendacibus ſolet excidere, ad agnoſcendum. Titulus libri præfert, Orationem hanc in *Lugduno* vrbe typis excuſam. Quæro, in vtrâ? in Celticâ illâ longinquiore, an in hac noſtrâ vicinâ? neutribi.

* [illegible]

Sed cùm rem inquiſiuimus, compertũ eſt, Tigvrvm Heluetiorum, theatrum eſſe, vbi ſcæna hæc calumniæ inſtructa. Per fidem, hoc eſt fidem quærere, in ipsâ fronte atque aditu ſic mentiri. Quis autem Typographus? latet, nec alius ibi editus, quã Homericus ille * Vtis. Sicut Pandarus, apud eumdem, grege ſociorum tectus, ex inſidijs Menelaum vulnerat: ſic iſte, & calumniæ ſagittas ſpargit, in communi illo grege typographorum deliteſcens. Quin prodis ô homo? ſi vera, ſi certa affers, quin te verum certumque auctorem tenemus? ſed inſcriptio etiam examinetur. *Oratio dicta Ienæ*, XXIIX. *Iulij, anno* CIↃ.IↃ.LXXIV. Itáne dicta? & hoc te dicere, ſatis eſt? Quid ſi Mænechmus aliquis furioſus tibi:

—— te ſacram coronam ſurripuiſſe Ioui?
Te in carcerem compactum, & virgis ſub
furcâ cæſum?

ſatis acceptum habeamus hæc facta? atque vtinam duo facienda! Sed bonâ fide, Senatores, quis innocens erit, ſi hoc dixiſſe ſufficiat? Quis non aliquid meum aut alienum adumbrare poteſt, & ſic protrudere? ſi illud valebit,

* Οὐκ ἔστ' αὖθις ἔσαι τὸν ἔπος ἀρρήτως.

Latus ad calumniam limes; & in quo liberis quadrigis illa inuehatur & exultet. Claudito. & quod mos, quod ius poſtulat, ſiquid meum aſſeritur, ſubſtatur & à me ſcriptũ. Manum, inquam, meã depoſco: vt germanum aliquid ſit meum. Heu, quid feci? miſer, in quæ vincula me indui? Vulcania: Mars tenetur, adeſte dij reliqui, ſpectate, ridete. Certè ridebitis, nec magis in Atellanis vllis aut mimis. Cùm enim ab ipſo illo typographo, in vrbe veſtrâ, quæreretur, meáne illa Oratio, & an manum meam haberet? Omnino, inquit, ipsã: & è chirographo eius expreſſi. Argutulus ille meus repoſuit, Quæ igitur, ſodes, illa ſcriptura? Belliſſima; inquit: omnia munda, nitida, atque adeò capitales clauſularum litteræ minio notatæ. O noſter Apollo, o Pæan! non potuiſti magis ſcopũ tangere ſagittâ certiore. Ego bellè & mundulè ſcribo? vellem: ſed totam Europam teſtem * καλλιγραφίας huius habeo, & querelas ſæpè, quòd autographa mea ægrè vel non legant. Quid amplius? minio Capita noto. Totum ſic mentienti decebat, ſed ſtigmate prius inuſtũ. Sed tamen aliud ecce manus meæ argumentum. nam *Volgus*, & *Volnus*, & *Volcus* ſcribitur: illo ſcilicet antiquariorum more, quorum ego vo-bis dux & caput deſignor. O Blitomamma! —— * ἐκ γάρ σοι φρένας εἵλετο μητίετα Ζεύς. Ego vſquam aut vmquam ſic ſcribo, ſic ſcripſi? Rideat aliquis non te, ſed me, ſi inſiſtam: & profectò cum Euripide,

* Καὶ τοῦτο λυπρὸν, συμμωρεῖν τοῖς μὴ σοφοῖς.

Vno dicto hoc totũ de manu meâ diluam. Poſco eam, & vrgeo: ſi profertur, ego Mucius fiam, & ardeat illa in igne. Sed aliud etiam in titulo: dictam Ienæ *vltimo Iulio, anno* LXXIV. Hem, hem! hæc portenta ſunt, quæ nullus expiet aut explicet ab Etruriâ aruſpex. Quid ais? dic iterùm, ego tunc Ienæ? Ienæ. Senatores, ad Plautinam fabulam confugiendum eſt, & Soſias ille aduocandus, qui perſuadeat poſſe fieri,

—— tempore vno,
Homo idem, duobus vt locis ſimitu ſit.

Nam ego non dicã illo menſe, ſed quattuor antè menſibus Ienæ non fui: è quâ migraui primo Martio, & Vbiorum Coloniã veni, nec Turingos equidem vltrà vidi. Quomodo igitur illi me? niſi, cum eodem Soſiâ,

Egomet me illic reliqui, & ſi forte oblitus fui.

Hæc vera ſunt, & ſcriptis meis editis, & teſtibus ſemper affirmanda. At erratum eſt in numero. Non apparet. nam & ille antiquario iſto more, conſultò LXXIV. eſt ſcriptus. Hæc in titulo mendacia: in ipsâ Oratione quæ? pluſcula, ſed vnum etiam bellum. Facit me dicere: *Ardet adhuc in vertice noſtro ſanguineum illud ſidus, quem Cometam vocamus.* Itáne Cometes illo anno? Eluce,

* Μέμηνας ἤδη, καὶ πρὶν ἐξέστης φρενῶν.

Nos ſcimus, cometam vnum miti & Iouiali ſplendore fulſiſſe (non *ſanguineum arſiſſe*) ipſo anno LXXII: itemque alterum, grandem, minacem, caudâ in ſcopas porrecta, anno LXXVIII. Vbi autem, & quando, tuus hic intermedius? nos in Europâ nulli vidimus: tu noue Eudoxe, ita illum in cælo, vt me Ienæ. Vah poëta huius fabulæ! quã malè & inconſpectè cõpoſuiſti hoc argumentum? Nimirum magnum illud Numen eſt, & tutor etiam noſtri Genius, qui mentem his talibus eripit aut obnubit: & efficit vt non palàm falſa ſolùm, ſed inconſiſtentia dicant. *Perierat innocentia*, ait ille, *ſi nequitiæ iuncta eſſet prudentia:* non eſt. & voluntatem magis nocendi, quàm artem habet. Satis, ſatis. manum mentemque ab his ſordibus: ad vos inclyti Senatores conuertor. Spernite, vt cœpiſtis, eiuſmodi calumnias. ſpernite? imò & coercete, quod munus veſtrum, quod vtilitas publica, à vobis poſcit.

* Nuſquam. (margin note at Vtis)
* Non licet aut fas eſt, quæ dixeris aduerſari.
* bella ſcriptionis
* – mentem eripuit tibi Iupiter ipſe.
* Et hoc graue eſt, deſipere cum inſipientibus.
* Inſanus es nunc, antè deſipiens eras.

poſcit. Si quis opes ereptum eat, punitis: & non magis iſtos famæ & boni nominis prædones? Nam *famæ quidem & fidei damna* (ait verè Liuius) *maiora ſunt, quàm quæ æſtimari queant*: quid cùm ita publicè, & ſcriptis editis, inferuntur? Nam ore ſiquis calumniam aut conuicium facit, apud paucos, & in vno aliquo oppido, poteſt: qui libris, & Typographiæ hac tubâ, quid niſi inſonat & inflat eas in Europæ totius aures? Apud Indos legem fuiſſe olim didici, vt qui ſemel mentitus eſſet, ab omni magiſtratu, honore, munere exſors haberetur & repulſus: ô in iſtis reuocetur, qui tot improbis mendacijs caput & famam petunt innocentum. Quid innocentum? benè merentium etiam dicam. & quid aliud tot annos egimus, atque agimus, quàm vt noſtris vigilijs & ſcriptis erudiamus, & viam ad optima ſternamus iuuentuti? Fecimus ſine dolo: vt porrò ſine noxâ aut metu liceat, vos SENATORES, & qui alij PRINCIPES ac rerum domini eſtis, rogamus. Imperium & coërcitio vobis in improbos: viimini. quia PRINCEPS (vetus vox aurea) QVI CALVMNIATORES NON CASTIGAT, IRRITAT. Ita vos cum rep. veſtrâ, SENATORES, Deus florentes beatoſque faciat, in hoc & illo æuo. Louanij, III. Kal. Octob. ∞.IↃC.

EPIST. LXIX. *Lutetiam.*

ISAACO CASAVBONO.

ANIMADVERSIONES tuas in Athenæû accepi, gratum ſanè donum te mittente. Agnoſco amorem, quem iure tamen deberi mihi ſcio amanti. Quod ad ipſas, quid niſi te dignæ ſint? nec vel conetur aliquis tale, niſi interiore quadam & variâ doctrinâ: quam tibi conſenſu tributum imus Caſaubone, qui aliquid ſapimus aut iudicamus. Fruere, atque etiam vtere: &, vt hactenus, in publicum dimanent ab vberi hoc fonte aquæ. Fauere nos, hoc ſcito. & quid aliud? vnà decurrere hoc ſtadium cùm languor vetat, ille meus vetus; tum neſcio quod faſtidium, quod vel tempora vel ætas in nobis gignunt. Laborum iam veteres ſumus, præmia ijs quæ noſti: extrema hæc ætas, quid niſi ſe aſpiciat, aut potiùs illa alta, quò imus? Nos & noſtra paullatim deficimus, & videmus ipſa illa ingenij opera

—— tabeſcere & ire
Ad ſcopulum, ſpatio ætatis defeſſa vetuſtæ.

Itaque vt in extremo curſu agitatores, calcem reſpicimus, & adſpiramus ad quietê. Eram quidem in Annæo noſtro, & pars magna peracta, ſed cunctor & obhæreo in reliquis; an ſpiritum & impetum recipiam, neſcio. volo, nolo, æſtimo, contemno. Hoc ſeriò volo, vt me ames tui peramantem: quod corde & fide dico.

* Ζεὺς δὲ ξυνίστωρ, οἱ δ' ἐν οὐρανῷ θεοί. — * *Teſte Deus mihi eſto, & omnes cælites.*

Vale. Louanij, XII. Kal. Nouemb. ∞.IↃC.

EPIST. LXX. *Lutetiam.*

FRIDERICO LINDEBRVGGIO.

PLVRIES te ſcripſiſſe quod adſignificas, id credere me par eſt: ſed & hoc te mihi, nullas accepiſſe (vnas in Batauis datas excipiò) quibus vices non detulerim reſpondendi. An in re parcâ mi Lindebruggi, qui huius officij paſſiuam, vt ſic dicam, operam ita largior, vt negem benigniorem in Europâ manum eſſe? Gratulor tibi aduentum, & magis moram in eâ regione, quæ tota humanitati facta, non dicam dabit, ſed augebit in te eius ſic ſtudioſo. Viros ibi habes inter Europæ lumina: noſce, accede, accendere, & melior, doctior, clarior ab ijs redi. De legibus Longobardorum, & quæ adhærent, auidè exſpecto: & magis Gloſſariû. nam & ego in ijs (ſed meo ingenio, & ſine Theſeo) aliquid inquiſiui & indagaui. De typographo autem noſtro, ſi ita ſtatuis, ad eum ſcribito: ego ſecûdas facere non abnuo, & eum adhortari. Caſaubonum illic eſſe, mihi volupe: an doctum tamen publicè, an in priuatis ſtudijs (non enim otio) futurum? Scripſi ad eum, & pariter, credo, accipietis: vos & pariter me amate; ſic affectum in tales. Louanij, XII. Kal. IX. bres. ∞.IↃC.

EPIST. LXXI. *Lutetiam.*

IACOBO AVGVSTO THVANO V. C. S. D.

DOMO & côtubernio meus hic eſt, quem vides. Quid commendem? iam feci: & hoc nomine, ſcio, carum habebis, quia meum. Hoc petit, poſſe interdum aſpectu, & (ſi vacat) affatu tuo frui: quod ſibi voluptati & fructui, ſed & honori apud alios ducet. Nomen ſummi viri patris tui iam olim te illuſtrauit: acceſſit à te lux altera, ne radium inuide ijs, qui à longinquis oris venerabundi accedunt. Hoc de Baronio: quid

quid vltrà de me, quod nolim & nolis, ſum in morbo, nec illo veteri & familiari tantùm, ſed & nouus aduenit, & humor ſe inſinuauit in pectus, qui tredecim iam dies affligit, & quamquam non lecto, tamen domo & cubiculo tenet. Quid me ſoletur, niſi communis lex, Næuio expreſſa?

Pati neceſſe eſt multa mortalem mala.

Vt tu; Vir ampliſſime, tarò & ſerò, Deum precor. Louanij, VII. Idus Nouemb. ∞.IↃC. Caſauboni vſumfructum tibi gratulor: eius litteris ante dies aliquot reſpondi, & hîc itero ſalutem.

EPIST. LXXII. *Burdigalas.*

FLORIMVNDO RAEMVNDO, *Senatori.*

EGO verò, Vir Cl. ſcriptum tuum contra fœdum & veterem errorem illum iamdiu accepi, & accepiſſe me litteris ſum teſtatus. Ex ipſæ etiamnunc inter meas ſcidas. An ego huic amori tuo non reſponderem, quem ſic acrem in me &, pænè dicam, igneum oſtendiſti? abeam valdè non ab humanitate tantùm, ſed à peculiari meâ indole, quæ verbis rebuſque benigna eſt, & ſe exſerit vbi copia cumque datur. Enimuerò delectauit me ſcriptum tuum, reſtificor, ſuaui ſimul & argutâ eloquentiâ, tractatione eruditâ, quam pietas vbique intercurrit & commendat. Sed quid ego iudico? habes magni illius, an ſummi potiùs viri, teſtimonium, quo gloriari etiam ipſa Modeſtia poſſit. Faueo tibi & gaudeo: mihi doleo, quòd illum alioſque ibi rei Chriſtianæ apices viſere & adire non fuit, vti animus & votum meum erat. Verè enim hoc tuus filius (quem reducem tibi gratulor) narrauit, & deſideraſſe me, & deſideratum fortaſſe fuiſſe: ſed Numen illud, quod noſtra gubernat & temperat, conſilijs meis interceſſit. Valetudine me afflixit: quæ etiamnunc languida, & à parui roboris filo pendet. Parca incîder, cùm volet: ſed affectum meum erga te non minuet, quem animo inſitum ſecum ille ad meliora loca (ita voueo) feret. At de coniugio, quod tu à Mercurialibus noſtris audieras, quàm riſum mihi mouit? Ego, vir optime, non recèns in eam naſſam veni, ſed annos iam viginti-ſex cuſtodia hæc me habet. Liberos tamen nullos genui, nec hunc coniugij fructum aut lenimentum Deus dedit. Tuos vt tibi, te vt ipſis longùm ſeruet, corde eum rogo. Vale vir Cl^me^. Louanij, XVI. Kal Decemb. ∞.IↃC.

Adoleſcentem quem mihi commendas, iam meus eſt, & faueo & amo.

EPIST. LXXIII. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO.

AD Puteanum cùm per te ſcribo, an non ad te vnâ? Decere arbitror, imò & debere, cùm præſertim quod nunciem habeâ, de valetudine meâ paullùm firmiore. In lapſu ea fuit mi Velſere: & videbamur palàm ire ad plures. ſed Deus meus adſpexit, tenuit, & in veteri ſtatione iterùm locauit. Inſiſtam, dum auocer, & turbida hæc liquidis ijs mutem. Seneca meus iam menſes aliquot ſepoſitus iacuit: & teſtor Numen, animus ſæpiùs fuit deponendi. Vt nauis in malaciâ hæret: ſic ingenium in hoc languore, cui melior aura non adſpirat. Quid igitur pangam? luteum aut bliteum aliquid, & quod peiora noſtra dehoneſtet? Non ſemel mihi is metus eſt: & ô te aut alium ſeriò amicum, ſi quis ſeriò moneat, & autem vellat! Addo, quòd etiam tempora & æuum video (falſus Calchas ſim) quibus breuì non dicam pretium, ſed vix vita ſit optimis artibus, quas iuimus & imus cultum. Tenebræ & barbaries imminent, & diffundent ſe per Europæ noſtræ campos. Sed Deus curabit: interea CENTVRIAM EPISTOLAREM tertiã edo, ſed ad Italos aut Hiſpanos tantùm: & cauſſa mihi fuit ſic diſponendi. Sequuntur aliæ, in quibus Velſerus meus agmen ducit. Martialis Raderi quando in lucem? alij minantur, & antecedent. Mone, ſaluta, & tu V. C. corde ſalue. Louanij, XII. Kal. X.bris. ∞.IↃC.

EPIST. LXXIV. *Lutetiam.*

ISAACO CASAVBONO S. D.

ANIMADVERSIONES in Athenæũ tuas nuper vidi, nunc legi, quid ſentio? tuas eſſe, & vel ad inuidiam laborioſas & eruditas. Fruere his Dei donis mi Caſaubone in eius tuamque gloriam, in noſtrûm omnium vſum, qui meliore quidem illâ Musâ capimur, id eſt, priſcâ. At de Polybio tuo, —— * ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; tu vt tenebris æternis illum damnes? ſic enim ambigis & loqueris (obſeruaui:) ah vanè, ah ** quod verbum de clauſtris exijt oris*

ah ſtultè, & reuoca illud verbum. Quid verbum? facta prome, & ipſum nobis da in clarâ luce. Potes, aut nemo hodie. Hæc tibi candidè, * μηδέ τι σ' αἰδόμενος μειλίσσομαι. Neque neſcio concurrere te in parte operis mecum: quid refert? Lipſij omnes hac in re ſint, æmulatio ceſſet, ſed & figuræ iſtæ & morſus, quibus petere aut peti inuicem litterati ſolemus. Malo more, damnemus: imò quin iuuamus potiùs & monemus alij alios, ex priuato & publico vſu? Vellem, velis: & fac mihi age in MILITIA, quam tertiùm imus recuſum. Gratum erit; & coràm ſi ſimus, ex ore meo videas internum hunc candorem. Qui has tradet, meus contubernio fuit. ſi comitatem ei exhibes (& rogo facias) mihi imputabis. De eodem nuper ad Ampliſſimum Thuanum: cui nunc corde ſalutem voueo. Louanij, III. Nonas Decembris ∞.IↃC.

* Nec tibi per cultum ſubblandior.

EPIST. LXXV. *Lutetiam.*

SEBASTIANO ROLLIARDO I^{ct}.

EGO te, cum Varrone hoc dicam, modo ſcænatili tetigerim? * οὐδ' ὡς ὄναρ. Ioci fuerunt innoxij, puri, & niueos dicam, quia & frigus, credo, habuerunt. De moribus tuis ne mihi verbum, ſcio ſanctos eſſe: aut ſcripta tua mihi mentiuntur, character ille interioris mentis. Sed hoc mitto: in victoriâ & triumpho tuo pænè ipſe triumpho. O bona ſententia, an cenſura, in ſexum non ſemper bonum! & valdè eum ſoluit, credo, & fibulam verecundiæ laxauit, licentia hæc bellorum, quæ tu inciuilia iure appellas. Quàndo apud nos terminanda? nam vos nónne finem videris, cùm extra fines ea ablegaſtis?

* nec in ſomnis.

* Ἡμῖν δ' ἄλλοθεν ἄλλα περὶ φρεσὶ ἄλγεα κεῖται.

* At nobis alij obueniunt aliũde dolores.

Queri, ac pænè indignari libebat, triſtem Belgarum ſortem: niſi ille coërceret, & ingereret,

* Νήπιοι, οἳ Ζηνὶ μενεαίνομεν ἀφρονέοντες.

* O ſtulti, diuus qui ſuccenſemus iniquè.

Ergo ad me & te redeo. & gratias corde habeo, ore dico, pro Carmine bello & erudito, quod Senecæ meo præfigendum miſiſti. Præfigam enim: etſi iam diu deſij, vt obſeruare potuiſti, hoc genere ſcitamentorum condire dapes noſtras, ob aſperos quoſdam Morychos, qui has laudatiunculas in meam culpam & ſuperbiam trahebant. O morum communium, ô mei ingenij ignaros! Et vereor vt iterùm eiuſmodi calumnijs ſegetem ipſe mihi ſeram, cùm Epiſtolas edam: in quo nunc ſcito me eſſe. Eſt tanti, dum vota & conſilia amicorum audiam: dum boni etiam benè dicant, quod Dei & ipſorum benignitate adhuc fuit. Sed heus, fas eſt te & qui me amatis, * ζωάγρια τίειν: ita ab ipſis pænè Orci cancris nuper ſum reductus. Viuo tamen & ſpiro, & tuus ſemper mi Rolliarde. Louanij, poſtrid. Nonas x.bres. ∞.IↃC.

* Saluti ſacrificare.

EPISTOLA LXXVI.

ANTONIO FABRO BODERIO,
Legato Regis Galliarum.

QVOD petebas à me, etiam ſi nec petiſſes, faciebam. Amo & curo iamdiu adoleſcentem noſtrum, quia à te commendatum, quia per ſe etiam commendatum: & indoles eſt, quæ meretur produci. Quantò autem libentiùs promptiuſque faciam, te ſic rogante? cui vt gratificari & obſequi velim, virtus tua & ſine colore probitas facit. Omitto alia externa, quæ ſplendent circa te, ſed quibus origo eſt ab illis. Ergo de præceptore in Græcanicis iam proſpexi illi noſtro. vnde? è meâ domo: nec aptiorem potui aut fidiorem elegiſſe. Eſt adoleſcens mihi à manu & ſtudijs: cuius operâ facilè caruero diurnam horam vnam, quam cùm illi imperet, etiam mihi ſic cupienti. Fateor equidem decorum magis, quàm neceſſarium eſſe totum hoc Græcari: ſed in adoleſcente cui ætas & ingenium florent, cur ſpernamus etiam & conſpici nolimus hos doctrinarum flores? Sicut arboribus, quarum propria dos & finis eſt fructum ferre, etiam folia videmus congenita, & flores: idem in ſtudijs, & ornatum habent ac poſcunt, præter nudum illum prudentiæ aut ſapientiæ fructum. Quid etiam quòd fama ſic poſtulat? pone mihi litterarum virum in cœtu ſimilium, vbi lectio aut ſermo de Græcis: turpe obmuteſcere, & cum rubore inſcitiam fateri. Addo, quòd vix hodie non dicam Latinè, ſed Gallicè quiſquam ſcribat, qui non ex eâ linguâ intermiſceat: hærebit ibi noſter, & qui vadum hoc transferat, exſpectet? Nolim: non tu quoque ſcio, Vir nobiliſſime, & vel fratris tui (nunc inter beatos) illius multilinguis admoneant exempla. Finio, & à magno

Deo

Deo tibi valetudinem firmam, mihi beniuolentiam tuam depoſco. Louanij, XII. Kal. Ianuar. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXVII. *Monachium.*

THOMAE MERMANNO, *Doct. Medico & Conſiliario Ducis Bauariæ.*

CVRA tua pro Fieno noſtro me quoque afficit V. Cl. & ipſum illud in te amare cogor, quòd queritamo ſic amas. Bono fato Spadam ille venerit: vbi te nouit, inſinuauit, & amicitiam pepigit, quæ affatim ei non voluptatis ſolùm adfert, ſed fructus. Honeſtiſſimum enim hoc munus, quod apud Principem veſtrum obire in eius manu eſt, vni tibi debet: & ſuſcipiendi, fateor me auctorem ſemper fuiſſe. Quod ab inuito animo verus in eum amor expreſſit. nam me tantùm aut noſtra ſi conſuluiſſem, maneret potiùs, & vſui priuatim nobis, publicè ſplendori eſſet. Vſui inquam. nam & ego imperatore hoc in morbo vtor: qui me latens, ignobilis, etiam iam luſtra lancinat & diuexat. O triſte fatum! quod & tibi congenitum audio, & doleo: non tamen ſine ſolatio aliquo mei, quod illinc deriuo & traho. Subit cogitatio, Túne indignêre & dequerare in aſſiduo languore eſſe, cùm medicorum iſti principes non ſint exſortes? En Mermannum tuum, cà non peritiâ ſolùm, ſed prudentiâ virum, & addo virtute, iacet, nec ſe arte vllâ erigit: tu erigêre, & cogita au ctorem illum noſtri occulta ea morbi ſemina ſic indidiſſe. Vt arbores aut ſtirpes interdum ſolijs floribuſque marcent, obſcuro vitio & ab radice: ſic nobis fit. feramus, & cum poëtâ dicamus;

* Ὣς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι
Ζώειν ἀχνυμένοις.

* *Namque ita decreuerunt mortalibus immortales Aſſidue ut mæreant.*

Sed ad Fienum noſtrum. ille verò iam apud vos eſſet: niſi eum quoque inualetudo, & maioris metus tenuiſſet: quod ex litteris eius ſatis diſces. Nam profectò Iſtro fallacior ſit, ſi apud tales Principes ludat. Publica apud vos parùm læta audimus, Caniſiâ nuper captâ: & nobis etiam noſter Mars non ridet. Etſi Principes tamen optimos habemus, & inuidia fati erit, ſi non felices. Quod abominor: & te meque V. Cl. tandem propitiato numine ſaluere toto animo voueo. Louanij, IX. Kal. Ianuar. anni ∞.IↃCI.

EPIST. LXXVIII. *Lutetiam.*

FREDERICO MORELLO.

DIV ſiluimus. lãgnore an ignauiâ, neſcio: ſed illo potiùs, qui iam non hoſpitium, ſed domicilium me habet. Si tamen & iſta mixta, haud excuſo. & vt in morbis peſſimum eſt, non habere mali ſenſum: ſic bonæ ego etiam ſpei, qui & mea mala ſiue culpas agnoſco. Agnoſco? imò & emendo. atque ecce manum ac ſtilum mihi laxat iſte, quem vides, & quem domus mea ad vos miſit. Qui etſi ſtirpe non eſt è me aut meis: tamen inſtitutione & diſciplinâ. & hos tales, quaſi adoptione proles, Deus plures mihi dedit. Creſcant, boni perſeuerent, & tales ament: inter eos te mi Morelle. quod iſte, gnarus mei ſenſus & iudicij, facit. Notit inquam te propiùs, fas conuenire interim. nam ipſe vos & veſtra videndi, atque ab ijs diſcendi, finem * ἀποδημίας habet: quia adoleſcens etiam eſt, & vt ille ait, * *peregrinationis*

* Οὐδέ τι πω μύθοισι πεπείρημαι πυκινοῖσι.

* *Nondum etiam ex vſu rerum prudentiam adeptus.*

Da, quæſo, admiſſioné me petente: & à me pariter ſiquid voles, ſcriptum factumque cenſe. Louanij, IV. Kal. Ian. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXIX. *Bruxellam.*

BERNARDO MONTGALLIARDO, *Theologo & Eccleſiaſtæ eximio.*

SALVTEM mihi à te nunciauit, & tuam ſuper eâ curam, is qui has defert. An non delectari me fatear? imò & erigi, ac meliorem fieri, & pænè, vt ſic dicam, tuâ hac curâ curari. Quãti te merito tuo ſemper fecerim, qui me norunt, ſunt teſtes: quibus crebrò aliquid de ingenij & eloquij tui laudibus fuit audiendum. Quòd ſi eſt: quid ambiges, quin ab eo quem ſic æſtimem & amem, votiuum mihi ſit amari? Atque ego ex famâ communi, ratò fallaci arbitrâ, primùm te noueram: ipſum deinde vidi, conueni, & quod ante omnia pono, in publico audiui. Quem? Homericum illum non ſenem, ſed quod admirationem augeat, iuuenem:

* Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώττης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

* *Cuius ab ore fluit vox nectare dulcior ipſo.*

Profectò ita eſt. & Hercules Gallicanus ille, quem maiores noſtri coluerunt eloquentiæ præſidem, in te reuixit: & tu ille es, qui velut catenis deuinctos trahis audientiû animos, in quam partem cumque tibi viſum.

O vtinam mihi fas teguſtare tua mella! quia vt ij qui à dipſade percuſſi ſunt, magis magiſque ſitiunt: ſic nos, qui ſemel à telo tuæ linguæ. Quia ita tibi tamē diſerta eſt, vt pia ſimul & fructuoſa ſit. atque vt floribus alij ad odorem aut aſpectum vtuntur tantùm, medici etiam ad ſanitatem: ſic tu iſtis doctrinæ & eloquentiæ, non ad voluptatem, ſed magis ad ſalutem. Maneo in voto, vt audiam: & id meo magno, quid ſi etiam tuo aliquo, bono? Non enim vt fonti qui hauſit, luci qui vidit, nihil profuit: ita hîc eſt. ſed contrà, intellegens auditor & in rem ſuam eligens, aliquid etiā illi, qui docuit & effudit. Nam in vulgus quàm multa pereunt? & tanti ſępè eſt ijs vitreū, quanti margaritum: apud nos aliter. qui, ſine ſuperbiâ dicā, bona arbitrari poſſumus & æſtimare: & quod caput eſt, arripere & imitari. Deus mihi det, & te longæuum V. R. & Eximie tuendæ ſimul & propagandæ pietati faciat. Louanij, III. Kal. Ianuar. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXX. *Gratium.*

MARTINO DELRIO, *Presb. Soc. Ieſu* S. D.

IAMNVNC tuas accepi, mi frater, gaudij & doloris auceps: quia & illud capiebat, ob felicem tuum aduentum, & hic non abibat è diutino ſilentio tuo conceptus. Scis quanto? quintus menſis iam fluebat, cùm vidi tuas: ſcriptas anteà fateor, ſed vbi aut cuius culpâ hæſerint, noſter tamen metus ille fuit & angor. Obſecro, ſi me antiquùm amas, enitere vt & ſcribas citiùs, & certiùs mittas. Nos valemus, vt ſolemus: fato tamen nuper viciniſſimi, & alibi iam pro functis habiti. adeò fama periculum interpretata eſt, & ſolens auxit. Abijt, viuimus, legimus, vix etiam ſcribimus, & Senecæ noſtro aqua hæret. Conabor cum viribus & animum recipere, atque adeò ardorem: ſine quo meæ quidem Camœnæ nihil poſſunt. Publica hîc ſunt, ferè vt reliquiſti: etiam tumultus illi militares, paullùm fracti quidem & minùs tumidi; ſed vt in mari valdè moto, etiam vibratio eſt & tremor, poſt tempeſtatem. Cetera ſilent, aut frigent. niſi quòd Galli nos excitant & in ſe intendūt, magnis properiſque ſucceſſibus in Allobrogico bello. Inuolui nos, boni timent, alij ſperant. Etſi nunc calidi & denſi tumores de pace erāt: da vt validi, ô tu ille pacis auctor. Nobis expediat, vobis etiam illîc expediat: quibus valdè timere incepimus à Caniſiâ captâ. Heu fraudem, ignauiam, an quo nomine appellem, ducum militumque! Sed & finitimi Germani, non dicam auertunt pericula ſua fortiter, vix ſeriò aduertunt. Sanè iungi Principes noſtros inter ſe opus, quod conari omni ope Pontifex dicitur: vtinam efficiat, & ſemel triſtia hæc bella lætis & glorioſis illis mutet! EPISTOLAREM CENTVRIAM SINGVLAREM (ita inſcripſi) nunc edo, ad *Italos & Hiſpanos* tantùm. Quid? contemno alios, & meos? abſit: ſed cauſſas habui, quas aut videbis expreſſas, aut diuinabis. Radero iam fratre meo ſubmiſi quædam in Martialem: & alia velim, ſi velit occupatio, aut valetudo. Velſerum te vidiſſe, & talem iudicaſſe, gaudeo: neque ambigebam. Magnus ille vir etiam in priſco & magno æuo fuiſſet. Toto animo eum amo. Scis quòd etiam te, mi Pater, æternùm: rogo fac mihi, & raritatem illam ſcribendi emenda; meque ſimul per tuas preces. Louanij, VI. Kal. Febr. ∞.IↃCI.

Adfuit mihi hodie Ger. Riuius Typographus, qui Magicis tuis fecit primam, ſed illuſtrem, lucem. Cuperet tuâ veniâ recudere, & Additamenta habere. Si potes, gratificare viro bono, & ego quoque rogo. Chartam, typos, omnia ex voto tuo promittit. Reſcribe, quæſo, quid animi tui ſit: ſi potes, idem quod noſtri. Iterùm vale. In acri frigore, & per quod manus menſque torpet. Ideò ab alienâ hæc manu ſunt, ne mea incondita ſit moleſtiæ.

EPISTOLA LXXXI.

MARCO VELSERO S. D.

CENTVRIA noſtra prodijt, & mitti ad te iuſſi. Aliæ ſequentur: ſi tamen tuta à calumnijs hæc via. quas ſolas ſi fugio (nec enim laudem hîc appeto) ſatis eſt, & officium hoc largimur amicis. Officium. nam ego eâ mente facio: in meliori ære vel operâ exhibiturus, ſi opes vireſque meæ eſſent. Quem hîc vides, amicus noſter eſt, in te lautâ elegantiarum & antiquitatum appetens, earumque amor in Italiam traxit. Nefas putauit te non videre, quem melior fama notum apud nos & longiùs fecit: tu meâ cauſſâ vel leuiter fruendum te dona, & me ſerio tuum ama. Louanij, x. Kal. Mart. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXXII. *Leopolim Ruſsiæ.*

DEMETRIO SOLICOVIO, *Archiepiſcopo Leopolitano.*

MAGNVM mihi gaudium, imò exſultatio fuit, in ſcriptione tuâ tam amicâ, tam honeſtâ: ſed quod tamen velut animi lumen nubecula aliqua mæroris an pudoris obduxit, cùm cogitarem videri me in officio ceſſaſſe, quod prior & vltrò dignitati tuæ debebam. Videri, inquam. nec enim re ceſſaui, ſed ipſe ſcribendo præueni: etſi in miſſione neſcio quid, caſu an fraude, turbatum ſit aut commiſſum. Annus iam & menſes labuntur, cùm à Dauide Hilchenio monitus de tuo in me affectu: gratias litteris egi, & quanti facerem iudicia de me tua, quia maximi ipſum te, oſtendi. Verba hæc non eſſe, ipſam tem auctorem do, ecce meas litteras, quas iniunxi huic chartæ. Atquin alias vllas tuas, præter has, non equidem vidi: & benè ſit viro nobili Hieronymo Ferrerio, qui iter iſtis aperuit, per tam longa viarum, felici ſucceſſu. Quod autem benignè ſcribis, etiam in illo Sarmaticæ Europæ margine (verba tua ſunt) illuſtre mihi nomen eſſe: lætari me id, ſed cum aliquâ animi contractione fateor. quia conſcientia vereri me adigit, ne parùm firma ea lux, & velut in aëre caducæ ſtellæ. Quid enim (pectore hoc promo) magni in nobis noſtriſque, præter animum & conatum? illum amicum virtuti, doctrinæ, & magis ſapientiæ, non nego: & hunc, qui tentarit gignere aut producere ea in animis aliorum. Hoc fine ſcripſiſſe atque edidiſſe me ſcio: quæ vtinam poſtuma, vt præſens hæc ætas, probet! Nam cùm aliter, & ſera illa iudicia demutant: quid miſerius hac claſſe noſtrâ ſcriptorum? Nam cùm plebeijs iſtis & ordinarijs ſimplex atque vna corporis mors immineat, nobis etiam illa ingenij: atque ita verè dixerim, vitæ vlterioris cupidine, bis nos mori. Sed tamen, vtcumque poſteri, fruimur intereà hunc fructum; atque in te illum al[illegible]m, quòd animus, dum talia pan[illegible]nus, ſeriò abducitur à cogi[illegible]one circumſtantium vndique malorum. O noſter [illegible] ſter, imò Europæ ſtatus! quis eum fixis animi oculis videat, & non, cum Ioue [illegible] Homerico, * αἱματοέσσας ψιάδας deſle[illegible] d inter omnia coquit maximè, capit[illegible] & ſummum, per diſſidia hæc ciuilia, religionem cuniculis ſuſpendi aut concuti: euertendam deinde bellis, quæ hoſtis ille Chriſtiani nominis ſtrenuè, & heu feliciter, infert. Mala hæc noſtri æui: in quîs tamen & bonum eſſe licet ac iuuat, & per veſtigia maiorum (conari me firmiter ſcito) è fluxis his rebus tranſire ad illas æternas. Eas, etſi pietas & virtus tua tibi conciliant; vt ſerum tamen id ſit, & diu terris luceas, noſtrum eſt votum. Vale, ô te magis quàm titulo Ill^me^. Louanij, xv. Kal. Maijas. ∞.IↃCI.

* ſanguineas guttas

EPIST. LXXXIII. *Leopolim.*

HIERONYMO FERRERIO V. N.

QVID, quid hoc eſt? Sarmatia te habet, quem ego in Daciâ eſſe cenſebam? quid magis etiam miri hoc eſt? tu Latinè ad me ſcribis, & ita vt ſi in grege noſtro eſſes, veteratum litterarum & ſolens? Mi Ferreri, ab adoleſcentiâ in bellis te fuiſſe ſcio, & Martis illa caſtra coluiſſe, non hæc Muſarum aut Mineruæ. Prodigium, non mentior, mihi viſum: & nomen tuum agnoui, ipſum in ſcriptione abnui: ſed vel inuitus & gaudens denique adſenſi, te illum meum amicum, & crebrum inuiſorem eſſe. Sed per Deum, cur totum hoc litterarum ſtudium me celaſti? cur, quaſi hoſpes in Latio, auertebas à talibus & ſermonem & vultum? Homericus ille Vlyſſes mihi in mente, qui eloquentiam callidè diſſimulans, *ſtabat initio immobilis*, vt inquit, * κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας, & planè * ἀΐδρεϊ φωτὶ ἐοικώς: at cùm loqui cœpiſſet, tum emittebat illa * —— ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν. Cum eo te comparem in parte. qui hoc Latinè loqui aut ſcribere, callidè an modeſtè nos celans, nunc deniq; effundis copioſâ epiſtolâ, & Deum teſtor, decorè ſcriptâ. Quid tamen mirer? inter eos ibi viros agis, qui olim barbari, nunc nos tales faciunt: & è Græciâ ſimul & Latio pulſas aut ſpretas Muſas apud ſe comiter habent. Itaque gratulor tibi in ea loca aduentum; & nec illi infido & vafro, aut fortunæ tuæ potes iraſci; quæ triſtis viſa, duxit te ad res fructuoſas ſimul & lætas. Atque illud etiam vnicè gaudeo, quòd magno illi Demetrio, te magis quàm nomine Antiſtiti, innotuiſti, atque adeò te probaſti [illegible]o viro quem veneramur pariter & amamus! iam olim ex famâ, nunc ex tuis, magiſque eius litteris, doctè, prudenter, amanter ad me ſcriptis. Ac benè à te factum & * πρεπόντως, quid

* in terram lumina fixus.
* viro ſtupido aſſimilatus:
* verba ipſis niuibus brumalibus æqua.
* decorè.

quid περισσῶς ποιεῖς; imò καλῶς, quòd aſſeueraueris vltrò me ſcripturum & priorem fuiſſe, ſi de tam inſigni eius voluntate mihi conſtitiſſet. Profectò enim ita feci:& ſimul Dauid Hilchenus (de quo ſcire aueo viuátne & valeat) ſimul, inquam, ille mihi terigit de iſto heroë eiuſque animo: ſcripſi ſtatim, & Fortunæ iniquitas non mea inſcitia eſt, ſi litteræ hæ amiſſæ. Sed hæc de ipſo, magis ad ipſum de re, ſubindicas breuì ad nos reditu rum. quod equidem non diſſuadeo (quî poſſim, contra animi mei ſenſum, qui te frui deſidero?) ſed tamen quę ſcæna etiam rerum apud nos ſit, & ſcire te velim, & cogitare. Triſtis eſt, & procul à nobis illa, quæ vicinis arriſit, εἰρήνη ἀγλαόμορφος: lentus Mars habet, rapinæ, ſeditio, & vno verbo, theſaurus malorum. Aliâ facie in à nouâ iſtâ facie ſtatus exſpectabamus: ſed fruſtrà, manet illa tempeſtas quam Iupiter immittit (cum Homero dicam)

—— Ὅτ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ.

Illam enim cauſſam adſpicere, aut certè promere malo, quàm has medias: iterumque cum alio poëtâ,

Θεῶ τὸ πρᾶγμα, μηδὲν αὐτοὶ βροτοί.

Sed hoc mala auget, quòd vix ſpes non dicam finiendi, ſed leuandi ſit: niſi quòd in Italiâ veſtrâ mirificos apparatus audimus, & planè regios, nec tamen in ipsâ (vt aiunt) explicandos. In barbaros ibimus? & tandem magni aliquid concipient patrabuntque magni iſti reges? O Deus donet, & ponere aut ſeponere hæc minuta & atterentia bella: nec alio ferè fructu. Quia autem de bellis, age, tua Πολεμικὰ quando lucem, & nos ipſa videbimus? quæ auxiſſe & poliſſe te ſcribis, & quidè in Latinâ veſte. Prodeant hortor, multa boni iudicij & peritiæ ſcio olim me in ijs obſeruitaſſe. Bella etiam in tuâ viciniâ, vt tangis: & quidem vtrimque: ſed tangis tantùm. Cur non vberiùs? iuuet nos audire longinquos illos fragores, magis quam propinquos excipere hos nimbos. Scribes igitur, ſi illîc manes: ſin autem, quid opus eſt? dices corâm apud tui tuorumque ſermonum auidos & amantes. Louanij, xv. Kal. Maijas, ∞.Iↄↄci.

Ille, qui ſe ὁμαίμονα meum dixit: non eſt, ne περισσῶς quidem κατ' ἀγχιστείαν, niſi quòd ἀδελφὸς αὐτοῦ τὴν ἀδελφὴν ἔγημε τῆς ἡμετέρας ἡμᾶς. Cetera, vir bonus eſt: & ſi quid ei benè factum meâ gratiâ, non eſt ingratum.

* ſuadiſti.
* pax ſpecioſa.
* cùm mortalibus ille iraſcitur atque minatur.
* Factum Dei iſtud. nemo mortalium culpa vitium.
* Militaria.
* Conſanguineum * adfinis per amplexum. * frater eius ſororem meam in matrimonium duxit.

EPIST. LXXXIV. *Leopolim.*

CYRILLO *Magno Archimandritæ Alexandriæ, & Exarcho.*

HEVS heus, quid iſtud eſt * ὦ αἰδέσιμε ἀνὴρ, καὶ λογιώτατε; appellas me ab extremâ Sarmatiâ, tu è mediâ Græciâ? Epiſtola enim tua ſic dicit, prorſus * ἀττικισμένη: quam cùm legi, quid aliud mihi viſus, quàm * ἠρώτησας τὰς τῶν ὑμετέρων ... Atque tu etiam ſuaui cogitatione ... pennâ tuâ, velut illâ Pegaſi, tranſfers: dum ſcribis, * ... Σολοικόβιον ... λεῖν, ὥστε καὶ τὰ πονήματά μου (ita loquer... εἰς τὴν Ἑλλάδα πέμψαι. O virum amoris, neſcio an iudicij, præclarum! Egóne aut mea ... ranti, vt in illam cultiſſimam olim mundi partem, iſta * ῥακώματα mittantur? Et de amore quidem, * χαλεπὰς μὲν ... πολλὰς ὀφείλειν οἶδα: at de iudicio, * καὶ ... μοι σύνοιδα οὐκ ἀξιωθέντι ... Etſi tamen ea ipſa & amo & accipio, * οὐχ ὡς μαρτύρια ἀλλὰ χάριτα. ὥστε τὴν αὐτόματον ἐν ἡμῖν ... ρετὴν καὶ παιδείαν ὁρμήν, ... προσεχόμενον. Atqui & tu mea vidiſſe ſcribis & ipſum me cupere, ſi quis Deus da... O ſi te, ſi me audiat! libens lætuſq; e... voti huius damner, & animum & corpus, in quo tam candidus ille habitat, vnà amplectar. At nunc cùm noſtra, cum veſtra video, & vtrobique * πολέμων ἀέλλας: cùm etiam meam valetudinem ſic tenui filo n... xam, καὶ * ἐπὶ μικρᾶς αἰωρουμένην ῥοπῆς: equidem diffido * χαρίσεσθαι τοῦτο τὸ χάρμα, & non ... animo te meum videbo, in eoque ge... Faciam certè. & te * ὦ ἀνὴρ λογιώτατε, ... λόγων, φιλῶν δὲ τιμῶν διατελέσω διὰ βίου. Louanij, xv. Kal. Maijas. ∞.Iↄↄci.

* ... admi... dulciſſime. * Atticè ſcripta. * guſtare ... Solœciſmum ... lucubratiunculas meas in Græciam mittere ... ad ... profeſſione ... * ... k lem... mentis ... me gaude... per ... tuum ...

EPIST. LXXXV. *Eodem.*

IOANNI ALNPECKIO, *ciui Leopolitano.*

NEC, miſſa, nec excuſa, ſi me allo... litteris neque inſcitis, & certè affectus optimi in me plenis. An ingratum ... eam in illo quoque axe me amari, mea æſtima... ri? Facite, nec in redamando imponam... vtinam mea tantùm firmiter habeant id pretij, quod ijs nouitas a... veſt... in dixit. At de Ioachimo noro n... cuius frater vxoris meæ ſororem ... habet) gratum, quòd ei erſi in ... ... meâ

meâ etiam cauſsâ, adfuiſtis. Tibi debeo, debeo Danieli Richio, & illuſtribus illis patronis quos nominaſti. O Sarmatia, quàm diſpar illi veteri es! quàm ad artes & elegantias nunc adſpiras? Quæ quidem artes à nobis & violento iſto Marte exſules, ad vos iuerunt, non hoſpitium, vt videntur, ſed domicilium electuræ. Malè tantùm ſit illis recutitis, qui vos premiunt, aſpero ſed & pudendo ſeruitio: liberos & incolas, mancipia & exſules terrarum. Sed hæc diuturna eſſe non poſſunt: te comprimendi illi, aut opprimentur. quod abominor, & vetus floréntque regnum, te vnà mi Alnpecki, diu ſtare & ſaluere opto. Louanij, xv. Kalend. Maijas. ∞.IↃCI.

EPISTOLA LXXXVI.

IOSEPHO IVLII F. SCALIGERO S. D.

SILES, ſilui: ſed prior ecce appello. Priùs etiã ſi materies fuiſſet: quæ nunc aliqua? an mentior? Epiſtolas enim noſtras mitto, id eſt inanes aliquot ſermones, & vtinam non nugas ſerius vir dicat aut ducat. Tamen mitto. verenti manu, fateor: ſed quid te celem aut ſubducã, quæ publicata ſunt? Lectorijs eſto, ſi voles: Cenſorem abnuo, in alio omni opere expetitum. Quid enim niſi notam feram, & in Cærites, ſi fortè, referar ſine ſuffragij deinceps aut ſtili iure? Fiat, ego quoque agnoſcere culpam, quàm vitare melior: & vna excuſatio occurrit, amici. Ij (non mentiar) voluerunt, & porrò volunt: at tu cum Euripide,

* Καὶ τοῦτο λυπρὸν, συνασοφεῖν τοῖς μὴ σοφοῖς.

Sed hæc facta: ego intereà * εἰς βόλον καθίσταμαι; tua ſeria quando? Euſebiana illa dico, quorum dies ceſſit. Flagitaberis, niſi ſoluis. Fac, nos ama, & vale. Nam de morbo aliquid audiuimus, ſed fuiſſe. Louanij, VIII. Kal. Maijas. ∞.IↃCI.

* Et hoc graue eſt, deſipere cum inſipientibus.

* [illegible] ſum obnoxius.

EPIST. LXXXVII. *Gratium.*

MARTINO DELRIO *Soc. Ieſu* S. D.

ALTERAS tuas accepi. nam primas illas ego quidem non vidi, & periiſſe certò non arbitrariò ſcio: quod tamen mihi dolet. Omnia alloquia tua grata, cara: & magis nunc ex tanto interuallo. Quod de morbo meo audieras, ita fuit, & pæne capitali: ſeruator ille Deus auertit, & viuere etiam meo bono (ita interpretor) indulſit. Nam de alieno, quid nimis ſoliciter? ſatis hunc curſum cucurri, & iure clamem,

Sit modus laſſo maris, & viarum
Militiæque.

Atque ego in ipſo Annæo, quem ſuper omnes ſcriptores amo, * λαμπαδουχίας illum luſum ſpecto, & velim eſſe cui facem hanc tradam. Increpas me, ſcio, & adurges. ſed quid dicam? velle, vix exſequi: adeo poſt illum morbum, animo quoque langueo & torpeo,

Pocula Lethæos vt ſi ducentia ſomnos
Arente fauce traxerim.

* traditionum facem

Deus melior me reſpiciat, & ego iterùm illum. Epiſtolas cœpimus edere, & præmiſimus illas ad exteros velut guſtum: at tu caue ſuſpicari de omittendis ijs, in quibus iure tuo loca multa imples. non fiet, ſi viuo: nec ſi moriar quidem, ſi diſpoſitio tamen mihi poſt vitam. Collectæ iam enim & digeſtæ. Quòd tua quædam priuato carcere claudantur, nolim, nec ius eſt: ſed in eos, qui ſuper te poſſunt, & quibus tuo arbitratu addictus nexuſque es, quis aliquid poſſit? Vtinam apud eos! res facta ſit, & vindiciæ illis compeditis. Satyras amici illius exſpectamus, quem cùm tu ſic ames, non ego vt tu, imò vt te, amem? Argumentum ſuaue & inimicum erit: nec moueat aut terreat ſceptri illud * μορμολυκεῖον. Ludat ſub tegmine, & credat * ἐξ ἁμάξης παῤῥησιάζεσθαι. Scripſeram in tuam perſonam: lituras vides. ignoſce, ſiue diuinaui, ſiue erraui. Porrò illud de miraculis, miraculum, nec ab vllis hîc auditum, quos ego quidem audiui. P. Leonardus, ſi eſt, geniale putat: & ſcis quàm aſſiduè tales ludos ludant. Apud uos tacitæ velut induciæ, quod ad bellũ attinet: quidam ex pacto promulgandas etiam putant, triennales. O ſi veſter ille Mars ſic frigeat! aut ſi noſter à calore illo mutuetur! Enimuerò ego numquã magis ſuſpenſâ aure, & ſubſtrictâ bibi de Turcicis, quàm nunc cùm te dimidiũ noſtri ea loca habent. Meo iudicio (ſed amantis & ideò fortaſſe præ timentis) ſecuritas non illîc, & migratio placeat priuſquam fuga. Tamen apparatus magni, & occulto fine, in Italiâ nunciantur: magni, vtinam illîc explicandi! Aliqui de Africâ petendâ ominantur. ſcilicet vt

—— Libyam propinquis
Gadibus iungant, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

* Laruam.

* e plauſtro liberè loqui.

Sed dies hæc reuelabit: non meum animum, quem

quem noſti tuo nexum ac pænè inſitum eſſe. Sic ſit æternùm, & vale. Louanij, VIII. Kal. Maijas, ∞.IↃCI.

Epiſtolæ noſtræ minore modulo recudunrur. ſuſtine quæſo, vt ſic habeas, commodiores tranſlatu. Breuî fiet. Salutat te P. Leonardus, & contubernium meum.

EPIST. LXXXVIII. *Lutetiam.*

SEBASTIANO ROLLIARDO I^{Cto}.

LITTERAS tuas vidi, nondum Baronium qui præmiſit ſecuturus. Quòd fauoris tui auram adſpiraſti iuueni, gratum acceptumque habeo: & is finis Galliam viſendi, vt vos tales videret &, ſi daretur, inſinuaret. Benignè & comiter à te factum: gratias haber, adeò non requirit aut queritur: & ego me fateor in vinculi eius partem venire. Tene nos, ſolui non lubet: dies tantum illa, quæ vindictâ manumittit, aſſerat in libertatem. Ego in otio, ſed ſegni & quod deprecer, ſi Numen aures votis meis doner. Valetudo abiecit, & litterulæ noſtræ iacent, ——* ἐπεί νύ μοι ἄλλα θεοὶ κρατερὰ κήδε' ἔτευξαν. Quod V.C. Gotſelmus iic benignè defert, vtraque manu arripiam, ſi ſim qui ſoleo: nunc animo. & gratias (ſeriò rogo) à me habe, & non abnuere me tamen, ſed differre donec poſſim vti. Quid autem vos illi acres & inſtantes, in hac altâ pace? vbi ſcripta, & eius fructus? An ſi fortè litteræ à vobis quoque abeunt, vt orbis eſt hic rerum, in alium orbem? Ego ijs diuturnam aut ſtabilem ſedem apud nos non ominor: inuitus, ſed res eò ducunt. Omitto. * θυμοδακῆ μῦθον: te amplector, & ſaluto. Louanij, prid. Kal. Maijas. ∞.IↃCI.

*nam mihi dij curas alias pepererunt.

* Sermonem mordentem animum.

EPISTOLA LXXXIX.

ANTONIO FABRO I^{Cto} S. D.

Nunc Romæ.

TENE, Vir clariſſime, per ambages circuire & velut excuſare, quòd ad me ſcribas? Ah, tales ſæpè Fabri ſtrepant circum meas aures. quid ſtrepant? ſuauiter circumſonent debui dicere: quid Fabri? ita, ſed illius generis, de quo vates,

> * Ὃς μετ' Ἀθηναίης γλαυκώπιδος ἀγλαὰ ἔργα
> Ἀνθρώπους ἐδίδαξεν ἐπὶ χθονός.

Certè ex illo es, & iamdiu agnoui, cùm * πολυδαίδαλα ſcripta tua vidimus, quæ Themide & Musâ fauentibus, an dictantibus, emiſiſti. Et tu talis, ſic vltrò, ſic benignè, me compellas? amorem defers, & poſcis? Accipio mi Faber, teneo, in Vulcania vincla compingo: & vnà me illaqueo, libens cum tali Venere ætatem hæſurus. Noſti Apollinis & Mercurij Homerici votum, quod in mente habeo & miror, illorum ſi non ſacerdos, miniſter aliquis & camillus. At tu me attollis, fruſtrà, non ſecuturum. Pondus meum me detinet, & ſimul modeſtia: quam vnam virtutum amare me fateor eximiè, reliquarum parentem, & Sapientiæ ipſam prolem. Quid ego aut mea ſumus? non magna, niſi à veſtro amicorum affectu. Quid ipſi illi magni, & mirandi? riuuli aut canales diuinorum munerum: & imputare nobis nihil poſſunt, niſi accepiſſe. Itaque laudes veſtras audio, non imbibo: amo tamen, & habeo veri amoris teſtes aut iudicia, cuius prima illa nota eſt, cæcum eſſe. O mi Faber, vtinam videre & videri in ſacrâ illâ vrbium licuiſſet! valetudo detinuit, non occupatio, vt tu ſuſpicare: & illam ipſam viciſſem fortaſſe aut ſpreuiſſem, ſi gnarus fuiſſem tales ibi Vulcanos aut Cynthios etiam eſſe. Nam & hunc addo. Cynthium illum, inquam, purpurei ſenatus columen, ô virum virtutibus proprijs clarum, & alienis amicum! quem ego fauço nouæ huic Romæ, & pænè inuideo, veteri illâ dignum. Sed quò abeo? vereor vt tu, priuſquam illuc hæ litteræ. quæ tamen ceſſatio non mea eſt, ſed eorum quibus ſcripta veſtra commiſſa: & herè demum faſciculus ille ad me venit. Hoc ſcito, excuſa, ante omnia me cultorem tuum olim, nunc amicum ama. Louanij, prid. Kal. Maijas. ∞.IↃCI.

* Qui cum Pallade cærulea multa inclyta facta Atq; artes docuit mortales. Idest Vulcanus.

* multa & elaborata

EPISTOLA XC.

ANTONIO FABRO, *Legato Regis Galliæ* S. D.

ADOLESCENTEM noſtrum migrare, mihi quoque è re videbatur, nec diutiùs in illo puluere volutari. Eò iam peruenit vt bullam ponere, & togâ liberâ poſſit inſigniri. Sed tamen ita liberâ, vt inſpector etiam ſit qui coërceat, & videat ne in iſto flexu ætatis alicubi hæreat ad metam. Videor mihi repperiſſe idoneum. qui & nobiles aliquot, idem ferè ætatis, in contubernio habet, & eoſdem priuatim etiam docet ac format. Tuum adiungi ſi placet,

dabo

dabo operam, vt modico impendio, & magno eius commodo, fiat. Nam definire aliquid aut tranſigere cum altero non viſum eſt, neque debui te inconſulto. Si igitur ſuffragium tuum accedit, porrò imus, & rem hanc, cum bono Deo, dabimus confectam. Ego ipſe autem non deſinam & curare adoleſcentem, & in oculis habere, & te, Nobiliſſime Domine, in hoc corde tibi deuoto. Louanij, III. Idus Maijas. ∞.IↃCI.

EPIST. XCI. *Lutetiam.*

NICOLAO BRVLLARTO, SILERIO, *Præſidi.*

CVM è Romanâ legatione, re feliciter & ex vſu gloriaque regni, & ex voto Regis tui confectâ, rediiſſe te audirem; animus adegit gratulari, & ſimul affectum ſcriptione renouare, quem virtutibus tuis, ſed & in me affectui, fateor debere. Louanij, cum illo Neſtore veſtri regni, benignè me vidiſtis & vltrò cōueniſtis: hæret in animo comitatis huius memoria, ſed & filij tui, quem apud nos ducendum formandumq; reliquiſti. Eum pro votis, aut ſupra tua vota eſſe & aſſurgere, equidem ominor: vt indolem illam vidi, modeſtâ virtute & acri ingenio laudabilem: quæ, ſpero, Italia non libauit, potiùs adiecit atque auxit. Felicem, qui in tuo illo cōtubernio! vt virtutem laudemq; non ſtirpi tantùm debeat, ſed exemplo. Ego me tui cultorem, illius amantem, corde profiteor: & Deum precor tibi ſeruet, ille conciliet dignitatem, quæ regno, regi, vobis vtilis, honeſta ſit, & ſalutaris. Louanij, prid. Idus Maijas. ∞.IↃCI.

EPIST. XCII. *Lutetiam.*

IACOBO AVGVSTO THVANO, *Præſidi.*

CVM hæc occaſio eſſet ſalutis ſcripto libandæ, feci: vtinā oris ſermoniſque tui libandi, quò ſæpè & iamdiu adſpiro. Nec enim nego, Galliam & res quattuor in eâ oculis vſurpandi acre mihi deſiderium: ſed vereor vt hoc tantùm. Ego paullatim eo, —— *quò diues Tullus & Ancus:* & conſcientiam ſaltem mecū feram, quòd, ſi non iuuerim, certè amauerim, coluerim, adiutas prouectáſque voluerim optimas, id eſt veteres, artes. Nouitia hæc omnia parùm ad meum palatum: mores & viros antiquos amo, &

—— *hos vtinam inter*
Heroas natum tellus me prima tuliſſet!

Fruſtrà, in hanc ſcænam an arenam damnatus ſum: partes meas ago, aut potiùs egi, bona & bonos amaui, te mi Thuane. Louanij, prid. Idus Maijas. ∞.IↃCI.

EPISTOLA XCIII.

FRANCISCO PYTHOEO Icto S. D.

BENE ſit Malinæo, hoc quoque nomine magis meo, qui viam ſcriptioni ad te aperuit, iamdiu inter animo huic caros. Eſt quid Malinæo? tibi etiam debeo, qui beneficio & dono eam elicuiſti. Gratum eſt: ſed & illud, quòd in Senecam auxiliari polliceris. quem equidem in parte abſolui, ſed Epiſtolæ reſtant. O me beatum, ſi coràm frui & conſulere detur! Fatum inuidit, ego huic qui fecit & faciet: et ſit optimi commatis virum pænè iuxtà ac me amo. Rogo te mihi aliquid affectus eius largire, quem ſcis me in fratrem (nunc beatum) & in te conſtanter habuiſſe. Ite blanditiæ. audiat Fides, audiat Veritas, hæc ab ipſis eſſe. Bruxellæ, quò animi cauſsâ iueram, Kal. Iun. ∞.IↃCI. in circumſtantiâ amicorum.

Si quid in Senecam, quæſo matures: atque vtinam operam conferat ille Faber! Poterunt tutò Antuerpiam mitti, ad Moretum.

EPIST. XCIV. *Lutetiam.*

SEBASTIANO ROLLIARDO Icto.

EN iterùm à me, quem produco. Vides adoleſcentem? ſcito ingenui animi ac morum eſſe, non ſine comitate quâ delecteris. Rogo admittas, & viſi, amari, coli ab eo patiaris. O ſi mihi primum eſſet! duo alia feci & faciam ſemper. Louanij, VIII. Kal. Iul. ὡς τάχιστα inter appellantes.

EPIST. XCV. *Lutetiam.*

NIC. RIGALTIO, S. D.

LITTERAS, & cum ijs donum à te accepi, Vir Cl^me. donum, quale meo animo lubeſceret, id eſt è gazis Charitum & Muſarum depromptum. Certè ex interiore litteraturâ, &, vt ſic dicam, * κειμηλίοις earum *ſepoſitis opibus*

iſta ſunt, quæ tu ingenio & induſtriâ in lucem protuliſti, victura in tuam famam & publicum vſum. Satis id mihi acceptum eſt, nec fidem mei dicti ætas mutabit. Itaque gratias dico habeoque, animo quàm verbis largiùs: & illum tibi offero, etiam, ſi non acceperis, tuum.

Iſtæc dicta te experiri & operis & factis volo.

Iamantè & *Onoſandrum* tuum videram, & in eo * σπινθῆρα altioris melioriſque huius mentis: felicioris, quòd duces aut directores non deſunt ad bona aut honeſta. Inter quos profiteris Pythœum illum, à pueto amatum mihi nomen, ô virum (viros vtinam poſſim dicere! ſed alter abijt) & clarum pariter & magnum, ſed non pro magnitudine etiam clarum. Adeò virtus illa ſe contenta lucem non quærit, quæ vltrò tamen circumfunditur, & vir ille * στάσιμος καὶ βαθὺς τῇ ψυχῇ in honeſto, ob ipſum, delectatur & acquieſcit. Pergit ſuum curſum,

—— ſicut cæleſtia ſemper
Inconcuſſa ſuo voluuntur ſidera lapſu:

voluuntur, & ſine aliâ ſpe iuuant & lucent. Tu mi Rigalti illum æmulare, me ama, bonâ fide (dextram accipe) amatutum. Louanij, IV. Kal. Iulij, ∞.IↃCI.

* scintillam

* ſtabili & profunda mente

EPIST. XCVI. *Pragam.*

IOANNI DYENBERGIO A REMEN S. D.

SERA tua ſctiptio, aut certè tarda videri poterat: quippe poſt biennium: ſed humanitatem, gratitudinem, beniuolentiam ita vberem præfert, vt recens in te non ſolùm affectus, ſed aſpectus noſter viuere videatur. Profectò radices ille egit, & aſſurgere in legitimæ amicitiæ arborem poteſt, ſi litterarum hoc affatu foueatur & velut irrigetur. Cui tu quidem originem à virtute aut eruditione noſtrâ facis, addiſque humanitatem: quam ſolam agnoſco & amplector, aliarum quid niſi ſtudium in me profitebor? Sed humanitatem certè libens erga tui ſimiles, mi Dyenbergi, exerceo: quos honeſti amor ad nos & longinquas alias oras mittit, & pet Academias circumagit, id eſt per fora quædam & πανηγύρεις artium bonarum. Quibus pretium quòd in tuâ illîc nobilitate etiam eſſe ſignificas: volenti profectò mihi eſt, nec miranti, qui iamantè in eo tractu erectas & ingenuas iſtas mentes vidi, & auſim dicere, reliquias & ſemina quædam Romanæ gentis. O ſi Pax, mater artiũ, vos adſpiciat! ſi Barbarus ille hoſtis aut fortiter minùs, aut feliciter, pugnet! beati vos, & illæ ſedes, in tranquillo & moderato imperio, ſuper reliquam ferè Europam. Nobiliſſimi viri Adami Galli Poppellij manum vidi & exoſculatus ſum: quid niſi à tuâ prædicatione ſic in me affecti? Ipſi reſpondi, vt debui: tu & tuum erga me amorem ſerua, & illius (nam certè cupio & æſtimo) ſi opus eſt, foue. Vale mi Dyenbergi. Louanij, III. Kal. Iul. ∞.IↃCI.

Litteræ tuæ ſeriùs mihi redditæ, nec virum illum nobilem Hatthardum Spehe ego vidi. Alioqui me & mea, te commendante, prompta habuiſſet.

EPIST. XCVII. *Pragam.*

ADAMO GALLO POPPELLIO *Baroni Lobkowitio.*

DIVINVM aliquid (non blandior) hæc tam exuberans humanitas tua habet. Ita non vltrò me amas ſolùm, ſed adis, & honeſtiſſimâ ſcriptione compellas? Mores communes ſi video, non ſolet, non decet: ſi tuos, debes, pro indole quidem quam melior Deus dedit. Vt enim ille ipſe beneficia ſua vel ignaris, vel certè non petentibus donat: ſic à te factum, & affectum affatumque offers, quem meum erat elicuiſſe. Capi me fateor, & iamnunc videre te videor

Tranquillum vultus, ſubmittentemq; modeſtè
Fortunæ vexilla tuæ.

Quem ego quidẽ eò pluris facio, quò magis à faſtigio tuo deſcendiſti: & quod referam non habeo, niſi, non dicam gratias, ſed cultum & venerationem tui, deinceps in pectore hoc ſedem habitura. Etſi quidquid illud eſt quod honoris mihi habes, facilè intellego per me optimis artibus habitum: in quibus vtinam ſic promouiſſe me; animo hoc teſte dicam, quantum tuo videmur. Sed conati tamen ſumus, & à puero candidati earum fuimus: ſiquid minùs promouimus, vel temporum publica hæc miſeria, vel priuata mea inualentia cauſſam ſuſtineat: cum quarum vtraque, fato quodam, conflictati ſumus. Et ecce iam anni grauiores, & cani me incipiunt ſpargere: abimus, non niſi cõſcientiâ optimæ voluntatis felices. Scripta quidem mea aliquot ex-

exſtant : ſed fortaſſe in numerum , ſicur

—— *vaga cingitur aſtris*

Luna,& in Oceanum riui cecidere minores.

Vtcumque eſt , odiſſe ea non debeo, quæ vos tales mihi conciliant : poſtera modò ætas ſic iudicet, aut ſic erret . & tunc profectò

Attingam ſolium Iouis, & cæleſtibus æquer.

Illi te, Illuſtriſſime Domine , incolumem, & tibi ſartam tectam hanc BONAM MENTEM ſeruent. Louanij, prid. Kalend. Iul. ∞. IƆCI.

EPIST. XCVIII. *Giſorium.*

ROBERTO DENYAEO, V. N.

QVOD litteris tuis gratiam mihi habes, pro curâ aliquâ & affectu erga liberos hîc tuos, gratum ſanè eſt, ſed vix opus, ſi morem aut indolem meam noſſes. Ita enim non aſſueui ſolùm, ſed natus ſum, vt libenter me impendam , ſæpè etiam ſerijs relictis, in commoda iuuentutis. Etſi quæ ſeria magis ſunt ? & aut ego fallor, aut reip. accedit, quidquid in iſtos confero, qui illi creſcunt & adſurgunt. A iuuentute bonâ aut malâ, factâ aut rudi, reſpublica aliquando talis erit, cùm iſti inter rectores & præſides eius erunt. Eſt etiam hîc cauſſa alia. quòd faueo nationi tuæ & factum volo, cuius inclinationem in me & benignitatem ſemper ſenſi. Denique & tua humanitas acceſſit. coràm vidi, conueni, & quid dicam? quod res habet, captum me à te eſſe : tu & tui vtamini , ſiquid poſſum aut me decet. Louanij, IV. Non. Iulij. ∞. IƆCI.

EPISTOLA XCIX.

BARTHOLOMAEO BVCHOVIO *Pomerano* S. D.

GRATVM ante menſes te videre , gratum nunc in litteris recognoſcere , & agnoſcere perannantem affectum. A me idem nuncio , nec claudicabit mutua hæc affectio. Belouium tuum porrectâ etiam fronte & comi ſermone excepi. Enimuerò poſt breue colloquium ego quoque adſtipulari ei modeſtiæ & honeſtatis potui , & acris deſiderij luſtrandi & diſcendi.

—— * Μέγας αὐτὸν θυμὸς ἐπελθ[illegible] Δῆμον ἐς ἀλλοδαπὸν ἰέναι.

* [illegible] illum impellit & vrget viſere ad externas gentes.

Quod vbi iudicio fit , & rerum hominumque obſeruatione & adnotatione, incredibiles in animo fructus gignit. Te eòdem hortor mi Buchoui, & poſt Gallias Italiam illam luſtra , artium & elegantiæ omnis parentem. Quæ profectio vt votiua tibi ſit, & in eâ poſtque eam ſalueas, ſuperum numen rogo. Louanij, VII. Kal. Sextil. ∞. IƆCI.

EPIST. C. *Spiram.*

FRANCISCO LEISTINGO S. D.

SAEPIVS tuas accepi, nec meas reddidi, quia amorem aut officium præferebant tantùm , vix quod exigeret reſponſi vices. At nunc & publica quæ ſignificas , & priuata eò vocant : & , ſi non aliud , tua quoque aſſiduitas manum & ſtilum mihi ſoluat. Certè quæ de adfectu, quid adfectu ? re ipsâ & teſtatione amoris Ioannis Mintzbergij, Prioris Carmelitarum, nuncias, gelidum aliquod & lentum pectus moueant: magis meum , quod natum ſactumque fateor incaleſcere & amare. Cum poëtâ hoc dicam ,

—— *potiùs fugientia ripas*

Flumina deuincas, rapidis aut ignibus obſtes,

quàm amantem redamare me vetes: præſertim vbi dotes & virtus, quæ inuitent. Felicitatem hanc meam cenſeo, & ſine typho iacto, à multis boniſque amatum eſſe, amaſſe pariter: & id pluris facere,

Quàm ſi me liquidus Fortunæ riuus inauret.

Itaque audacter illi de mutuo meo affectu ſponde, neque noxam (ex veteri monito) exſpecta. non ſallam, neque ero —— *ferre iugum pariter doloſus.* Sed hæc priuata : publica quæ tangis , parùm læta. Electum ad dignitatem quem dicis , auerſâ aure boni audiunt: etſi mutandum cum aliqui optant aut ſperant. vix ego, in hac ætate: —— *nec amiſſos colores Lana refert medicata fuco.* Sed Deus hoc viderit,

Potens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos.

Atque vtinam de Aſiano illo hoſte vos triumphetis, quem aduentare audimus iræ minarumque plenum: noſtris adhuc deſidentibus, & velut exſpectantibus vt iniuriæ opportuni fiant. Alexander Macedo vbi es ? cuius illud innotuit , *victorem fuiſſe,* NIHIL DIFFERENDO. Tamen in Italiâ

apparatus, imò aggreſſio, & claſſis iam octoginta triremium, Auriâ duce, in communem illum hoſtem oram ſoluit; quò tamen, & quâ peculiari deſtinatione, neſcimus. Apud nos Oſtenda obſidebatur, imò oppugnabatur ſtrenuè, & robur item obſeſſos non deſerebat, optamus vt fortuna. Bercka ad Rhenum, parte alterâ, clauſa item ab hoſte: & copiæ noſtræ ductæ ad liberandam, ſpe & metu, vt fit, alternante. dies vnus aut pauci hoc decernent. Te autem, mi Leiſtingi, omne æuum firmum in amore mei cupio, quem in te certè habui, habeoque, ventilante velut flabro virtutis, modeſtiæ, & comitatis tuæ accenſum. Serua iſtas, blandas conciliatrices non ad amorem ſolùm, ſed honorem: ad quem, Doctrinâ etiam alleuante & manum porrigente, conſcendes. quod ita voueo & ominor, tuo tuorumque gaudio, & patriæ bono. Louanij, poſtrid. Kal. Sextil. ∞.IↃCI.

APPROBATIO.

Hæc ad Germanos & Gallos I. LIPSI *V. C. Centuria digna eſt quæ ad publicam ſtudioſorum vtilitatem in lucem exeat.*

Gulielmus Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus ac Archiducalis librorum Cenſor.

IVSTI

IVSTI LIPSI
EPISTOLARVM
SELECTARVM
CENTVRIA PRIMA
AD BELGAS.

ILL^MO DOMINO
D. BALTHASARI
DE CVNIGA
REGIS
HISPANIARVM ET INDIARVM
LEGATO.

CENTVRIAM hanc EPISTOLARVM ad te ire volui, etſi ad Belgas ea eſſet. Nam quamquam non tu è nobis (Hiſpania veteri & inclytà ſtirpe dedit) tamen es in nobis, & maximi Regis miſſu Legatum apud Principes noſtros agis, id eſt conſilij & ingenij tui copiam in rebus arduis facis, & ſaluti communi noſtræ curas. Publica ſi omittam, & ipſum te adſpiciam: magis etiam velle debeo. ſiue quia virtus ſingularis & doctrina tua (rarum in hac nobilitate ornamentum) ita exigunt: ſiue quia affectus in me, quem ab initio aduentus purum magnumque declaraſti. Et quídni purum? nihil in me, aut circa me, quod adumbrare inducat: quicumque talium magnatum oſtendit amorem, etiam habet. Sed tamen iſte ipſe affectus ortum ab illo tuo in ſtudia doctrinamque ducit: quæ, vt dixi, inter paucos eximiè colis, eaque laus Præcipui quodam titulo tibi debetur. Quidquid temporis à Regijs publiciſque negotijs vacui habes, huc confers: —— *animuſq́; viciſſim*

Aut curam impendit populis, aut otia Muſis.

Atque vtinam plures tuæ claſſis ita ſint animati! non verear dicere, illorum ornamento, reip. præſidio id fore, & con-

ſultiùs feliciuſque adminiſtratum quædam iri. Veteres illos magnos Imperatores aut Reges ſi videam; tales fuere: ſi amicos eorum aut adminiſtros; tales. Atque æuum hoc noſtrum ante centum circiter annos, cùm cœpiſſet lucem hanc videre, & rebus inferre: iterùm, neſcio quo iniquo Europæ fato, ſuppreſſit, & digniſſimas honeſtiſſimaſque artes, ab aulâ, à nobilitate, à purpurâ, ad ſcholas tantùm & mediam pullatamque turbam velut relegauit. Fata curſum ſuum peragant: ego ad te meum. & ſi quidquam cuiquam, bono atque interiore animo, tibi ILLVSTRISSIME DOMINE, hoc quidquid eſt libelli do, dico: vtinam virtutis tuæ tam perpetuum, quàm mei affectus cultuſque ſincerum monumentum! Louanij, IX. Kal. Mart. ∞. IↃCII.

AD

AD LECTOREM.

CAPE *ad* BELGAS *tres Centurias mi Lector. Quid? ita copioſus es? Vides, & ſemel dare cùm cœpi, toto horreo admetior. Commaſculaui frontem: vtcumque res cadet, * ἐῤῥίφθω κύβος. Scio equidem & bonas quaſdam (vt in meis) quæ de talibus, aut ad tales erant, me omiſiſſe: nimirum quia vitare calumniam elegi, quàm deprehendi. An & ſic effugiam? ægrè in hoc genere: quod ſimplex, calidum, candidum, me & mea, etiam interiora & parietibus clauſa, exponit.* Speculum animi liber, *vetus verbum fuit: ſed veriſſimè de Epiſtolis dicetur, in quibus & affectus noſtri, & pænè cogitationes*

Votiuâ veluti, pateant, depicta tabellâ.

Quid ad me? eſto. Liuium Druſum memini olim magno animo dicere architecto, qui vltrò pollicebatur domum ſtruere ab omni aſpectu aut deſpectu liberam: Quin tu, ſiquid in te artis eſt, ita compone vt omnium in eam oculi coniici poſſint & admitti. *Pari, inquam, animo, videant me & mea, familiares etiam ſermones & ſenſus. Sed videant tamen recto æquoque oculo,*

—— procul atra recedat
Inuidia, atque alio liuentia lumina flectat.

Nam illa, aut Calumnia, ſi accedat: quid tuti hîc eſt? nec Pallas ægide ſuâ me tegat. Illud vltrò profitemur, leues quaſdã aut tenues intercurrere: & vt auenam aut loliũ in meliore fruge. Quid mirum in hoc numero? facilis emendatio. non lege, ſed elige: quod licet, & in quauis epiſtolâ aut incipis aut deſinis. Vale.

* iacta eſto alea.

INDEX
EPISTOLARVM SELECTARVM
CENTVRIÆ I. AD BELGAS.

ANTONIO *Beſſæ Negrino* lxvj.
Antonio Richardoto ſuo lxiij, lxxiv.
Aſconio Columnæ, Cardinali xliij.

C

Cæſari Baronio, Cardinali lv.
Carolo Deſiderio xxix.
Carolo Malinæo, à conſiliis maritimis xlvj.
Chriſtophoro Aſſonuillio, Cõſiliario intimo xxxv.
Claudio Dauſquio, è Soc. Ieſu lxij.
ad Contubernales ſuos, &c. xlv.
Cynthio Aldobrandino, Cardinali lxxvij.

D

Dionyſio Villerio, Canonico & Cancellario ij, lxxj, lxxxv, xcj.

E

Emanueli Ximenio, Luſitano xxxviij.
Erycio Puteano lxxxix.

F

Franciſco Montmorencio, V.N. Berſei Toparchæ lxxxiv.
Franciſco Orano lij, liv.
Franciſco Vander-burchio Decano xx.
Friderico Taubmanno P.L. c.

G

Gaſpari Tayo V.N. lxxvj.
Georgio Auſtrio, Præpoſito Louanienſi & Academiæ Cancellario xciij.
*Gerardo Corſelio I^to^* vj.

Gerar-

Gerardo de Hornes, Baroni Bauſſigniaci, Toparchæ Iſcano xxv.
Gulielmo Breugelio V.C. Conſiliario Regio j.
Gulielmo Scarbergero ſuo lxj.

H

Henrico Sedulio, Ordinis D. Franciſci xxviij.
Henrico Strauio, I[to] & Canonico xxxij.
Henrico Vanneten, Præſid. Ærarij P P. in Brab. lxxviij.
Hieronymo Berchemio xxj.
Hieronymo VVingio Canonico xvij, lxxxviij.
Huberto Audeiantio ſuo lxviij.

I

Iacobo Bonfræo, è Soc. Ieſu xlix.
Iacobo Carondeleto, Cancellario & Canonico xiv, xix, lxxxij.
Iano Lernutio ſuo xxvj.
Ioanni Baptiſtæ Perezio Baronio ſuo lviij.
Ioanni Baptiſtæ Sacco lxxix.
Ioanni Bernartio ſuo iv, xviij, xxxiv, lxv, xcix.
Joanni Boiſote xvj.
Ioanni Dullardo Canonico & Archidiacono lj.
Ioanni Hemelario ſuo xlviij.
Joanni Sarraceno, Archiep. Cameracenſi deſ. xxiij.
Ioanni Viuiano iij, v.
Ioanni VVouerio ſuo xlj, xlvij, lvij, xciv.
Ioſepho Martio lxxxiij.

L

Leonardo Leſſio, Theologo Soc. Ieſu xxvij.
Ludouico Septalio Doctori Medico lx, lxx.
Ludouico Tribaldo Toleto lxxxvij.

M

Marcello Veſtrio Barbiano, S. Pontifici à Secretis xcij.
Marco Aurelio Vallenſi, Ill[mo] Nuncio à Conſiliis & auditionibus lxvij.
Marco Velſero lxxv.
Mariæ Gornacenſi xv.
Martino Delrio, Presb. Soc. Ieſu viij, x, xxxiij, xcv.

N

Nicolao Brandio, Conſiliario lxxiij.
Nicolao Damantio, Cancellario Brab. xcvi.
Nicolao de VVeerdt I[to] lvj.
Nicolao Fabro, doctori iuuentutis xxxvj.
Nicolao Oudarto, Canonico & Officiali xxiv, xlij.

O

Octauio Epiſcopo Tricaricenſi, Nuncio Apoſtolico lix.
Othoni Hartio I[to] V.C. xiij, xxxvij, lxxxj.

P

Petro Boſchio, I[to] xxx.
Petro Iardino, Rectori Scholæ Athenſis xc.
Petro Orano I[to] ix, xcviij.
Petro Pantino, Decano xij, xxij, xxxj, xl, lxxij.
Philippo Ayalæ, deſ. Legato in Galliam xlv, lxix.
Philippo de Croy, &c. Comiti Solrano lxxxvj.
Philippo Maſio, Conſ. & Graph. Ordinum xj, lxxx.
Philippo Rubenio meo xxxix, liij.
Philippo VVingio vij.

R

Remaclo Roberti lxiv.
Rhetoribus Collegij Aquicinctini l.
Richardo Baroni Starrenbergio xcvij.

IVSTI

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA I. AD BELGAS.

EPISTOLA I.

I. LIPSIVS GVILIELMO BREVGELIO V.C. *Conſiliario Regio, & Cognato.*

DIVTIVS iam in ſcribendo ceſſaui, at non in amando. quia affectu certè tibi alligor, quem iudicium mihi, non cognatio ſola inſeuit. Sed nubes hęc temporum, & factio ciuilium diſſidiorum, ſi ſubducit poſſe mihi aut tegit amicitiæ hunc ſolem: non tamen extinguit aut tollit. quin ecce iam perrumpit, & in iſtâ occaſione radium aliquem ab Oceano ad te mittit. Audi hunc amicum, & crede: gnarus ille mearum rerum, ſed & ſenſuum: ac planè habui ipſum velut arbitrum huius cordis. In ſtudijs non ceſſamus, & CONSTANTIAM noſtram iam videris: niſi quòd languor etiam refrigerat; tum triſtitia hæc temporum, vix ſpe iam alleuanda. O Deus & cælites, quis finis erit? Qui me priuatim etiam exercent, & graui de vulnus accepi in ſororis meæ vnicæ nuper morte. Quam ſi apud te laudem, matronam omnibus ſui ſexus virtutibus perfectam; fruſtrà ſim. iuxtà enim mecum noſti; & pænè dicam amaſti. Sed abijt, me reliquit vnum & vltimum Lipſiorum: tum etiam duos paruos liberos, in ipſo dolore onus. Obſecro te, dũ abſum, vicem meam ſubi conſulendo, dirigendo, imò & regendo: quem enim, præter te, in exiguo amicorum numero, idoneum aduocemus? Obſecro & reſecro, is nunc eſto: donec mihi fas reuiſere ea loca, ad quę animo adſpiro. Vxorem, cognatam ſemper mihi caram, ſaluere vnà tecum cupio Cl^{me} cognate. L. B. prid. Kal. Mart. ∞.IƆ.LXXXVI.

EPIST. II. *Tornacum.*

DIONYSIO VILLERIO, *Canonico & Cancellario* S. D.

EGO te expertem conſilij mei & gaudij habeã, quod ex eo capies? abſit. Veni ad Spadanos fontes, poſt longas viarũ ambages, ſaluus tamen, etſi nõ ſanus. Si affectum tuum noui, gratulaberis ex animo, & ſubliès tantò propiorem tibi eſſe Lipſiũ tuum: quem ex longo interuallo reguſtare & recognoſcere geſtis, certè ego te. O ſuaues ſemper & fidi, amores primi! ego experior: nec cogitatio vmquam aut ſermo animum aureſve tangit veterum ſodalium, quin commouear & exſultem. Atqui tu, litterarum etiã miſſione & commercio, iamdiu priſtinam notitiam renouaſti; & firmato vtrimque iudicio, perduxiſti in ſolidioris amicitiæ iura. Ea maneant, dum nos manemus: nec incîdat hunc nexum vlla dies, quàm ea quæ vitæ hoc filum incîdet. Mihi propoſitum, in liberis iſtis puriſque item locis, diutiùs ſubſiſtere. apud quos? inquies. apud ipſum me: & efficere vt ratio aliqua compareat ſolitariæ huius, nec interpolatæ, quietis. Alij aliò vocant: mihi naturam ſequi certum eſt, quæ abhorret ab omni ambitione, & paullò magis actuoſâ vitâ. Et alioqui ea de rep. audimus & videmus cottidie, vt viro ſapienti & probo occaſio non ſit ad eam vel leuiter adſpirandi. Quæ fraudes paſſim, libido, luxus? & ad ſummam ea omnia, quæ exitio eſſe cuicumque ſtatui ſolent, & debent: mirabor, ſi non conuertent iſtum. Non enim dicam euertent. & Deus meliora, & fatum magni regis: in quo vtroque (non nego) mihi ſpes eſt. Vale. Aquis Spadanis, VII Kal. Iul. ∞.IƆ.XCI.

EPIST. III. *Aquiſgrani.*

IOANNI VIVIANO S. D.

LEGI libellum, mi Viuiane, & ſententiæ tuæ prorſus accedo, quæ eſt, Silere. Ad hæc talia quid reſpondeam? cum dignitate non poſſum, imò nec cum grauitate. quid enim ſerij in hac totâ re? Mea fuerunt ioci, & boni ſtomachi, vt cenſebam, dicta. Non concoquunt, conuicia & calumnias regerunt: ſed illa inſulſa, & has vanas: quid opus reiectione? illud tamen fateor, modum fortaſſe alibi non tenui, & pluſculum aut acerbius dixi. Excuſet, quòd Epiſtolæ ſunt, id eſt extemporanea quædam,

Nec reſtrictim cogitata, & omnibus rationibus: * Afran.

vt ait poëta. Mentem iſtam vtinã videant:

quæ

quæ numquã fuit (Æterna illa mens teſtis) ad lædendum: & ſi fecit, pœnitet. Quid volupt ampliùs? non ego pertinaciter tuendo culpam, culpam alteram committã. Atque adeò, ſi videatur ita amicis, omnes illas epiſtolas vnâ ſpongiâ delemus. Vtinã ipſi tam niuei, nec verba mea per malitiã attollant, & gladium, quod olim Brennus, adijciant in hanc ſtateram! Sed eâ de re ſatis. Parùm me pungunt iſta, aut turbant: & *quamuis imbecilla frons*, ait ille, *magnâ conſcientiâ ſuſtinetur*. Te, vxorem, & quod ex eâ eſt, itemque Rotarium noſtrum, ſaluere voló. Leodici, poſtrid. Kal. nouas, ∞.IↃ.XCII.

Ad quæſitum tuum in Hirtio, ſeorſim hîc habe. Conſului librũ, qui perueius apud me à Torrentio: ſed is totidem verbis hæc repræſentat: *Faſces vbi conſederant (nam in acie ſedere Gallos conſueſſe ſuperioribus Commentariis declaratum eſt) per manus, ſtramentorum ac virgultorum, traditos*. At tu duo ambigis. & vbi hoc Cæſar? & quomodo credibile, maiores noſtros in acie & pugnâ ſediſſe? De loco Cæſaris, credo Hirtium adſpicere iſtum è Comment. III. *Galli, ſarmentis virgultiſque collectis, quibus foſſas Romanorum complerent, ad caſtra pergunt*. Non dicit in ijs ſediſſe apertè, fateor: ſed tangit fortaſſe & adſignificat. At quis id credat? inquies. Mehercule nec ego tecum, nec capio. quomodo vbi ordines diſponendi, tela & manus mouendæ, ignaui homines ſederint? Ego vel à Celſo hoc verbum *Aciei* eſſe, non pro ipſo prœlio aut procinctu, ſed pro bello arbitrer: id eſt, vt in caſtris, & tempore belli maiores noſtri ſederint. aut potiùs, *Otij* voce permutandam. Vt velit ſcribatque, Gallos, cùm otioſi, etiam in ipſis caſtris plurimùm ſediſſe. Quid miri? inquies. Imò eſt, pro Romanis moribus. nam ſeſſio minùs apud eos crebra; ambulabant magis, aut iacebãt. At barbari aliter. quod & Tacitus de Germanis notat: & Strabo de Hiſpanis, loco qui valdè huc facit. Libro III. ſcribit *Vettones veniſſe ad Romana caſtra: vidiſſe Centuriones & Tribunos quoſdam per ſpatia obambulantes, & ſe vertentes. Illos, arbitratos inſanire homines, accurriſſe, & manibus nutibuſque ad tabernacula ſua deduxiſſe. quaſi neceſſum eſſet, aut ſedere in otio, aut in acie pugnare.* Verba vltima Græcè ſic habent: ὡς δέον, ἢ μένειν καθ' ἡσυχίαν ἱδρυθέντας, ἢ μάχεσθαι. Vides barbaricum ſenſum & morem: pro quo tamen etiam legi in Hirtio poſſit, *ante aciem*.

Comment. VIII

EPIST. IV. *Louanium.*

IOANNI BERNARTIO *ſuo* S. D.

IN ipſo principio epiſtolæ tuæ peccat mi Bernarti, cetera ex meo voto. Nam quid ita tibi viſum excuſare, quòd ſcribas, aut quæ hîc impudentia? Tu verò ac tui ſimiles ſemper me appellate, atque id etiam mihi imputate. beneficium enim eſt, & ſic interpretor; dum meliores iſtæ mentes ad me inclinant, & conceptum amorem ſcripto etiam conſignant. Nec nimium te depreſſum iueris (etſi modeſtiam amo) quia non ſolùm candidatum iſtarum artium te video, ſed, vt ſic dicam, inter magiſtratus. Epiſtola tua variam & priſcam lectionem redolet, & Latinæ linguæ quaſi parentes, quos in ſanguinem iam vertiſti & ſuccum: atque ideò facilè imitaris. Plato olim dixit: * ὁ καλῶς λέγων, καλός τε καὶ ἀγαθός. ego certiùs, * ὁ καλῶς γράφων. certior adeò mihi character animi ſtilus videtur, quàm ſermo. At tu quoque noſtra attollis, & eis alii ingenium ſtilumque tuum vis & paſci. obſecro mi Bernarti, affectum ſepone. qualia illa aut ego ſum, ſi æquipares ad antiquos? iacemus, & ſubærata hæc omnia noſtra, quæ ſplendere videntur, erunt, ſi examines ad illud aurum. Etſi non nego, iuuare hæc aliquid eos poſſe, qui in limine ſtudiorum: ſicut aliquis, qui in viâ medius, digitum ingredientibus oſtendit ad ipſam metam, & quà ire cœpit, eundum dicit. Sed heus, peccaſti in fronte epiſtolæ, an non etiam in calce? Indicas aliquid editum à te & euulgatum, quod veritus ſis ad nos mittere: quid tu ais? ita reliqui omnes mitiores in iudicando, præ quàm ego? erras. illi iudices fortaſſe: ego arbiter, & in hac ætate tuâ ſcripta iampridem didici examinare non ad lineam rubram. multum, ſi alibi acumen & rectitudo iudicij appareat: vt hæc vbique, non eſt poſtulandum. Florem modò videre deſidero, poſteà fructũ. Nos ipſi nónne à decimonono anno ſcribere, atque edere, incœpimus? & quamquam pœnitet, etiam non pœnitet: quia audaciâ illâ gradum ſtruximus ad maiora & meliora. Illa vna ingeniorum peſtis modò fugiatur, ne perueniſſe nos putemus quò adſpiramus. Senecæ illud aureum: *Puto multos ad ſapientiam potuiſſe peruenire, niſi putaſſent ſe perueniſſe*. Modeſtia eſt, quæ omnem ætatem decet, ducit: & ſine hac præcipitat iuuentus. At tu

* Qui bene dicit, bonus & laudabilis.
* Qui bene ſcribit.

tu illa mitte, & monitionẽ quoque ſeu directionem exſpecta, ſi alterutrâ opus. nam amare te occœpi, & hoc tuum ingenium, de quo magnum aliquid Belgis meis polliceor, atque ideò etiam curare. Vale. Leodici, Kal. Ianuar. ∞.IↃ.XCII.

EPIST. V. *Aquaſgrani.*

IOANNI VIVIANO S. D.

IN te triſti, epiſtola tamen tua pænè læta mihi fuit. Quî poteſt? primùm, quia me participem tui luctûs feciſti inter primos: argumentum & amoris in me, & fiduciæ de me, quaſi afficiendo (nec erras) triſtibus tuis ſiue lætis. Enimuerò, vbi animorum illud vinculum (Amicitiam dico:) etiam affectuum vnctio & paritas quædam ſit oportet; aut ſinceram non eſſe illam. Deinde me erexit, idque maximè, quòd te quoque rectum videbam, & non ambitioſè quidem, tamen fortiter ferre hoc vulnus. Solaris ipſe te, & Muſas aduocas, ſed illas ſacras: & verum ſolatium ab alto petis, id eſt ſolatij & roboris omnis fonte. Deum ita voluiſſe dicis, & Prouidentiæ hoc decretum: ô ſapientem vocem, & quæ ſola ſit dolori omni mitigando, aut tollendo! Summum bonum fecit; benè fecit. Prouidentia ſtatuit; prouidè ſtatuit. quod ipſa vox dicit, & in tuum ac prolis tuæ vſum. Certè quidem in prolis palàm. nam quid ei factum? terris erepta eſt, in cælum inducta eſt: turbas & dolores hîc reliquit, fruitura illîc æternâ quiete & beatitudine, hoc eſt Deo. Puer qui hîc erat, pænè ſine mente, ſine ſenſu; virum iam illîc agit, atque adeò ſuper omnes viros ſapit, Sapientiæ illis radijs non cinctus ſolùm, ſed perfuſus. O beatum, qui ex puro illo ſereno turbida hæc noſtra videt: videt, ſed miſeratur etiam & ridet. Te quoque beatum, ſi quàm beatus ille ſit, ſeriò cogitas ac ſentis. Hæc ſunt mi Viuiane, quorum ſemina in tuis verſibus: quæ ego eduxi & diduxi paullùm, in liberiore hoc ſermonis campo. Quæſo te, non cogita hæc tantùm, ſed recogita; propior gaudenti eris, quàm dolenti. Vt fumus & caligo, quamuis craſſa, cùm ſublata eſt, diſſipatur & ſpargitur: ſic dolor omnis, cùm mens ad ſupera fertur & æterna. Sed homines plerique aliter, & quidquid triſte aut acerbum eſt, actitet & intentè voluimus; quod læti ineſt aut boni, vix leui cogitatione delibamus. Atquin ſeciùs oportebat. & vt torrem ſemiuſtum è foco qui tollit, non eâ parte arripit & tractat quâ incanduit, ſed quâ ignem nondum accepit: ſic nos deceat non acerba hæc & vrentia caſuum tangere, ſed magis benigna in ijs aut læta. Nempe tuus iſte abijt. ſed vnde? è terris. quò? in cælum. Te deſeruit; ſed Deo adhæſit. At enim immaturus obijt, & in primo flore. Quid immaturus? ad mortem maturi omnes ſumus, ex quo nati, imò etiam antequam nati. Quàm multis in ipſo vtero, vix benè infuſo ſpiritu, ſpiritus eſt ereptus? Multos habet peritus ille agricola flores, vt ſic dicam, herbas, fructus. Scit quando hunc & illum opus ſit tollere, in ipſâ opportunitate & * ἀκμῇ. Denique tuus, non ita puer obijt: fruitus es optimam & iucundiſſimam illam æui partem. Quid ergo queri poſſis, ſi is reuocat qui dederat fruendum? Ecce nos orbos, qui numquam guſtum cepimus penerrantium iſtorum gaudiorum: & tamen ferimus: quid vos, qui largiter ſumpſiſtis? In conuiuio ſi benè ſedeas, cibus & conuiuæ placeant; eâ impudentiâ ſis, vt appoſita nolis tolli? non facias, ſcis enim illa ad tempus & vſum aliquem tua eſſe. Idem hîc fiat. & puer ille certè mancipio non fuit datus, nec vt proprium perpetuumque bonum. Reuoca etiam in mentem, quod nuper ad me, in occaſione priſci lapidis reperti ſcripſeras: *Vitam eſſe velut * auiculam, quæ pueri manu tenetur, & ſæpiùs in ipſis primordijs euolare.* Hæc ipſa verba tua ſunt: en factum, quod ſenſeras & ſcripſeras: quid miraris igitur, aut doles? Noli. ita Deus reliquos tibi ſeruet, qui quaſi cum colono, partiario iure, nec id rigidè, tecum egit. Plures enim manent, & vt maneant (ſi tibi ipſiſque expedit) eum rogo. Vale, & firmare. Leodici, III. Kal. Febr. ∞.IↃ.XCII.

* *vigore.*

* *Ex imagine in ſepulchrali lapide.*

EPIST. VI. *Louanium.*

GERARDO CORSELIO Ito. S. D.

EPISTOLA tua per ſe grata futura, in fronte pertulit philtrum illud *VVameſiani* nominis: quem virum dilexi viuum, & nunc mortuum gratâ memoriâ proſequor, & ſtirpem eius affectu. Mi Corſeli, in te ſunt hæc, quæ te mihi conciliant, probitas, modeſtia, eruditio: ſed ſi illa non ſint, ſatis vel Auunculus ille proxeneta & interpres, vir, vt breuiter dicam,

* Ἄνδρ' εἰς ἀρετὴν τῶν προτέρων ἴσον.

Cum quo quòd amicitia mihi fuit, etiánunc gau-

* *Virtutem priſci temporis æquiparans.*

gaudeo: & quamquam ille in vitâ aliâ, tamen in animo meo viuit & viuet, quamdiu dabitur, vt cum poëtâ loquar:

* —— ζώῃ, ϗ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο.

* ſpirare, & ſolis tela tueri.

Hoc ex animo ſcribo. ſicut & illud, gratas mihi tuas litteras fuiſſe, quibus & amorem in me exprimis, & meum inuitas. Paratus eſt tui ſimilibus, Corſeli: & ſi aliud capit me aut delectat, hoc illud eſt, ab ijs qui virtutem amant amari, & amare. Itaque ambitione nihil hîc opus: parent fores huius pectoris, quod candidum eſſe experiemini omnes vos candidæ mentes. Louanium etiam me inuitas. vtinam liceat! quis locus in Europâ magis ſit ex meo voto! Omitto amœnitatem, & neſcio quid in ſolo ipſo atque aëre quod alliciat: ſed profectò ingeniorum illud ſimplex & * ἀφελὲς ſemper me cepit. Atque iterùm, vtinam tes patriæ eò loci, vt nobis tutò & tranquillè eſſe liceat in eo loco! Sed iactatur & fluctuat illa, vt vides: & vix qui amicus quieti eſt (me vnicè eſſe fateor) non dicam ſedem, ſed pedem nunc in illâ ponat. Itaque etſi in limine eius ſum, & auram illam optatam haurio: tamen vereor, vt iterùm me retroagat infelix eius ſors, nec ad metam pertingerê detur deſiderij noſtri. Deus vrbi veſtræ tutor hactenus, fateor: &, ſpeto, etiam erit. ſed quis nunc tamen noſtri vſus aut fructus, in loco, quem Mars magis poſſidet, quàm Minerua? Dixi anteà, quietem amamus, & valetudo mea ſic poſtulat: tympana & armorum ſtrepitus, non ad meum Genium aut Muſarum. Tamen videbo, & menſes etiam aliquot conſilium omne proferam: ſi intereà benignus ille Deus mitiore oculo aſpicere Belgicam volet, & in eâ vrbem veſtram. Quod cum calidè rogo; & te, mi Corſeli, vt me ſic ames. Leodici, poſtrid. Kal. Mart. ∞.IↃ.XCII.

* ſine fuco

EPIST. VII. *Romam.*

PHIL. WINGIO S. D.

VOLVNTATEM ſimul & occaſionem mihi ad te ſcribendi præbuit Otho Venius noſter, quem noſti. Illam, dum ſtudium tuum virtutis & litteraturæ commemorat; hanc, dum facultatem mittendi. Quod ſcribo hoc vnum eſt, amari te à me vt popularem, vt earumdem artium conſectaneum & conſortem. O Wingi, quàm pauci hodie, qui ſeriò & vtiliter ad illas eunt! pleriſque ambitio propoſita, & ſcientiarum vana: qui ſolidum crepent, & virtutem veram cum ſapientiâ ament, verè pauci ſunt, & vt poëta iocatur, vix tot quot Thebarum portæ. Tamen de te, non ex ſermonibus ſolùm boni aliquid mente concepi, ſed etiam ex ſcriptis, quæ miſſa mihi (ne neſcias) à Dionyſio Villetio, inſigni viro, ſuper Cruce. Nos eam materiam, argumentum & inſtrumentum ſalutis noſtræ, cum curâ tractauimus: & ſubiecit ille, quæ Morillonus * ἀπροσδοκήτως olim ſenſit, & quæ tu, conuincendo illi atque obducendo. Legi, & tua probaui, atque ex ijs igniculus in te amoris: quem tu in veram legitimamque Amicitiæ flammam ſuſcitabis, ſi flatu cum iuuas ſermonis & alloquij epiſtolaris. Venius quædam ad te ſcribet, opinor, de quibus hîc ambigimus, aut certè formam ex veteribus monumentis velimus, vt de *Iugo Curruli*, & ſiquid aliud tanget. Inquire, * & nos iuua. Ecquid notitia tibi cum Fuluio Vrſino aut Cæſare Baronio? vtroque inſigni viro, illo amico vetere, & quem, ſi adſim, vtiliùs paullò olim norim. Quid Benſium? noſtin'? ille verò meus, & ego illi deuinctus adamantino planè vinculo. Si occaſio eſt, omnes ſaluta; & pium, aut certè inter pios me eſſe, hoc ſignifica: imò planè pium, quod ad ſenſum quidem attinet, vtinam quod ad vitam! Siquid illîc Antiquitatum repertum aut erutum, participare, & nos obſtringes. Leodici, XVII. Kal. Iun. ∞.IↃ.XCII.

* inopinatò

EPIST. VIII. *Leodicum.*

MARTINO DELRIO S. D.

EXSPECTABAM litteras tuas, imò iam flagitabam & ſubaccuſabam diligentiam: ſed reddidit eas benè manè baiulus, bonum auſpicium diei. Soli hîc ſumus, ſed magis videor, cùm nec tecum litterarius iſte ſermo. Quæſo eum frequenta, non delectandis nobis ſolùm, ſed iuuandis. Domus plerumque me habet: quomodo non in hac aurâ? & tamen eâ triſti potamus, & aut blandimur nobis, aut iuuant fontes. Eſt vnus & alter Italus, & cum ijs interdum ſermo, ſed vix ex pectore, tralaticius tantùm ille &. ciuilis. Ancillam ijſſe quò iuſſerâ, gratum: gratius, ſi audiam perueniſſe, & petegiſſe. Dedi in mandatis diſertè de domo Paullinâ, & ſi ea locata alteri, ſi poſſet redimi ſiue recipi: quia commodum & ſuaue mihi, haud longè habitare à veſtris. Si poteſt, fiet:

ſin

ſin aliter, quod poteſt hoc fiet. Amo te de ſcriptione ad P. Leſſiũ, & eius argumento. Ita fac mi Pater, nunc meeùm maximè & operâ & conſilio iuua, & præmeditemur ſi quid vſus ante factum Noſti Homericum:

* ——— ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω.

*. Factum fatuus agnouit

Nam ego, ex animo fateor, in omni hac actione quę ad ſalutẽ, externam omnem prudentiam ab initio ſepoſui, & impetu feror: ſpero bono, quia in optimũ finem. In diuinis, quid ſpectem niſi Deũ? Tamen ſi quid monito opus, mone. Etiámne de N. præſtruendũ aliquid videtur? fiet, ſi cenſes. Ego ipſe ad Cuyckium, ſed tunc cùm aliquid à Leſſio, pro cuius ſcriptione aptabo noſtrã. Velim certum aliquid me intellegere de actione legatorũ Leodicenſium: quia aliàs, non hîc ſine metu. Audimus prædones aliquot circa Aquiſgranum hærere: ſed quò fugiemus aut ibimus? ad Deum, qui mihi tutor, & qui me, ſpero, ſeruabit, vt ſim *arbor quæ penes aquas ſeritur, & in folijs perennat, & tempore ſuo fructus agit, quæ non ignem, non ſecurim videbit.* O vtinam! & tu fac mi Pater quod facere te dicis, atque ego ſcio. Aquis, III. Non. Iun. ∞.IↃ.XCII.

EPIST. IX. *Leodicum.*

PETRO ORANO I^to^ S. D.

TV ſiles, ego ſcribo: hęc promiſſa? Tu iuris & iuſtitiæ ſacerdos, æquum bonum hoc cenſes? Deſinenda mihi hæc opera eſt, ſi mutuo nullo ſermone & alterno noſter elicitur. Nec longas tamen epiſtolas exigo: tria verba ſufficiunt, quibus conſtet non neglegi aut contemni. Quamquam ſi longas, nónne meo iure? Legati redierunt; res ad me ſpectat quid egerint, quid non egerint: tu ſiles. Atqui ſilua rerum eſt, è quâ deſectam materiam aliquam & electam ad nos mittas. Fac, aut non dicã minùs amabo te, ſed minùs colã. Nam illud non poſſum. ita altè inſinuauit atque, vt ſic dicam, illatebrauit in animum hûnc Oranus. Aquis Spadanis, Idib. Iun. ∞.IↃ.XCII.

EPISTOLA X.

MARTINO DELRIO, *Sacerd. Soc. Ieſu.*

NVNCIABO tibi quod mireris, fortaſſe & doleas, vt eſt tuus in nos amor. Iterùm nobis pugna. in quem? non in aliquem ex profano & nupero illo grege, ſed ex ipſis Muſarum myſtis P. Fabrum. ille in te, inquies? Ille. & initiò miratus ſum fateor, cùm legi quædam velut de induſtriâ in me iacta. Mox ad ſedem & velut fontem veni huius (mollius loquar) affectus: & ecce caput integrum in AGONISTICO, in quo plagij & malæ fidei me accuſat. Non nominat ſanè, ſed iuxtà clarè ac ſi nominaſſet. Ait me ex libri ſecundi Semeſtrium duobus Capitibus concinnaſſe bellum illum & elegantem (puto verba ſic eſſe) Saturnalium librum: idque ne tenuiſſimâ quidem eius mentione factâ. Quid ego hîc dicam, aut ſuſpicer? æmulationem cadere in illum virum? non ætas, non eruditio eius permittunt: quarum illa grauis & inclinata eſt, hæc meo ſemper iudicio magna. Multa in viro illo variaque lectio, accurata collectio, & in penetrando digerendoque iudicium pariter & acumen. Culpam igitur in me eſſe? poteſt. Vtinam non alia tamen grauior: quia hęc vix eſt vt nomen illud teneat apud inculpatos. Dic bonâ fide, bone Faber, quid te læſi? ſcripſiſti tu aliquid de gladiatoribus, etiam ego; ſcripta noſtra exſtant, nec tuis per me aliquid detractum. Quid ſi, non dicam meliùs, ſed certè pleniùs & magis compoſitè ſcripſi? non negabis: & tigna tu fortaſſe aliqua ad hoc ædificium ſuppeditaſti, ego id ſtruxi, & faſtigium impoſui noſtrâ manu, arte, ſtilo. Quid ſi nec ſuppeditaſti? ignoſce, & audi quod verum eſt. In communi politi ſcriptores à quibus peris, & in illam ſiluam ſæpè iuimus, atque idem ius, vt opinor, meæ ſecuti. Nemo veterum aut recentiũ in hac re ſic egit. Expoſita enim illa ſunt, & fiunt eius qui haurit velut ex populari lacu. Quòd ſi coniectura aut acumen aliquod tuum nouum: ſanè tum improbus, ſi vindicaui. Doce factum. Iſtud quidem quale eſt? Seneca, aut Dio, aut Lampridius hoc ſcripſit: ſcilicet nos non eos vidimus, aut occupata hæc omnia quia tacta. Vir magne atque etiam nunc mihi care, omitte hæc talia, quæ tuum honorem radunt, meum lambunt. Sed ego ad illum Pater, cùm hæc ad te inſtitui. Scilicet etiam in iſto ętatis ac morbi frigore incaleſcimus: & ne non moueri quidem, ſine aliquo motu, poſſumus. Adſpergit in ijſdem libris quædam contra meas coniecturas. Quid magnum facit? coniecturæ ſunt, nec ego Oracula proſcripſi. Illud pro viro bono, & qualis eſt atque erit (aut omnia me fallunt) quòd ne tunc quidem, cùm carpit, deprimit, & amorem quoque iræ ſuæ miſcet. Fac

tu atque ego omnia mi Faber (iterùm ad te) ſcriptis fortaſſe diffidebimus, animo numquam: atque ego te in diuerſo licet ſtili ſcriptioniſque genere, tu me æſtimabis, teſte illo & iudice qui non fallit. Si verba alia, damus verba. Hæc & ſerò & ſubitò ad te, mi Pater, recens à lectione eius libri: quem ipſum quid cauſſæ eſt quin cras videas? Et ſi à Fabro ſententiam feres, ecce me paratum agnoſcere culpam, ſi ſerum emendare. O litteræ, litteræ: quàm ſemper à vobis aliqua vanitas! & quàm illud hîc verum, *Oportere omnibus corydalis criſtam ineſſe*. Salue. E noſtro Muſæo, ante cænulam.

EPIST. XI. *Bruxellam.*

PHILIPPO MASIO, *Conſiliario & Graphiario Ordinum.*

AMICITIAE veteris recordatio, quæ mihi tecum ac cum fratribus etiam tuis fuit, impulit ad ſcribendum. Quo fine? hoc vno, vt tibi affectum meum nunciem, & tuum vieiſſim prouocem: quem ipſum, nihil immutatum tamen eſſe, ab amicis ſeriò accepi. Rogo vt perſeueres, & eum me cenſeas, qui bonus inter bonos viuere iamdiu votum habuerit, nunc etiam Deo auxiliante ſucceſſum. Louanij enim ſumus, in veteri noſtrâ ſede, ſed non eâ facie quâ olim. Deus bone, quàm mutauit, & inclinauit! ſed ſic, vt ſperem poſſe aſſurgere, ſi illuſtriſſimi Ordines pergunt manum ei porrigere, & curam adhibere, quam cœperunt. Qui quòd in me etiam vocando decretum honorificè interpoſuerunt, debeo ſanè ipſis, ac publicè breui ſignificabo: quæ cauſſa me abſtinet, ne nûc priuatim. Sed abeo extra finem ſcriptioni nunc propoſitum: qui eſt, renouatio & conſeruatio amoris, quem audacter exigo, quia fideliter præſto. Vir Clariſſime vale. Louanij, XIII. Kal. Sept. ∞.IↃ.XCII.

EPIST. XII. *Toletum.*

PETRO PANTINO S. D.

CVM epiſtola tua grata, mi Pantine, tum eius initium, quod eſt de reditu in patriam communem. Quod vtinam, & te tuique ſimiles fas ſit hîc amplecti! Nam ego cùm in eam redij, quàm paucos è veteri amicorum claſſe repperi? imò quàm non multos veterum morum? Duellij hîc & Trebellij regnum poſſident,

* In pugnâ ſtabilis bellum bellare peruicacè.

* Ἐσθλότης ἐν πεδίῳ δηΐῳ μάλπηδῶς ἄρει.

Virtus & Doctrina, inane nomen. Atque vtinam res etiam eo loco, vt te alliciam! ſed profectò iam per biennium cauſſa bona haud valdè promouit: imò contrà, pars increuit & gradum cottidie addit inſolenter. Sed publica omitto. nos in ſtudijs, quatenus largitur valetudo, & paramus in hiſtoricos pleroſque Latinos FACEM diu nobis elaboratam. Ex eâ repoſitum aliquid magno noſtro Principi, quem læti libenteſque audimus optimis iſtis artibus tingi. Nunc DE CRVCE libellos tres dare paramus, vtiles ad Hiſtoriam ſacram & profanam. Sed vno verbo, mi Pantine, non excitamur, talium omnium rerum hîc deſpretione & contemptu. Couarruuiæ in Senecam grata mihi, qui & ipſe libro veteri vſus ſum & non pauca obſeruaui. Conſeram illa cum meis & cum Nicolai Fabri notis emendationibuſque ad eoſdem libros. Anne vidiſtis? Lutetiæ prodijt, ſed Fabri nomine non adiecto. Vir doctiſſimus, & in dignitate, non tanti habuit inſcribere operis eius frontem. Quod rogas de Procopij Oeconomicâ hiſtoriâ: editam non opinor. Bon. Vulcanium ſcriptam habere exiſtimo, ſi tamen memoria me non fallit. De Georgij Chronico, nec id publicè exſtat: aſſeruabatur nuper in bibliothecâ regiâ Lutetiæ, & vidi qui vſi ſint & ex eo delibarint. In ceteris non te iuuo. Vale mi Pantine, quem ſeriò amo & amabo. Louanij, Idib. Octob. ∞.IↃ.XCII.

EPIST. XIII. *Bruxellam.*

OTHONI HARTIO I[to] S. D.

IAM ride, litigo. Quod per iocum prædiximus, incidi in tuas manus, ſed non magna præda. Quis ex me fructus? verborum aut litterularum: nec miraberis, hæc ipſa ſunt quæ amamus. Externa quàm nos non capiant, ſæpè teſtamur: an bonâ ſemper fide? Ego ipſe ambigo, & vereor vt ille verè: *Opes faciliùs inueniri, qui vituperet, quàm contemnat.* Ecce ego, dum eripiuntur, de ijs pugno: ſed damus hoc non tam ingenio noſtro, quàm mori; atque etiam vxori, cuius propriè hæc cauſſa. Denique, dum viuo etiam, non negligo inſtrumenta vitæ: quæ adeſſe mihi volo, non ſupereſſe. Probo, vt ille inquit, *Fortunam velut tunicam, magis concinnam, quàm longam.* Satis philoſophiæ: de re, commiſi eam *Boſchio* iam olim noſtro: ſic vt te conſulat, ſiquid opus. Nam grauioribus te occu-

occupari, ſatis ſcimus: & ſufficit conſilium tuum & directio. Vale. Louanij, XIII. Kal. Nouembr. ∞.IↃ.XCIII.

EPIST. XIV. *Leodicum.*

IACOBO CARONDELETO, *Cancellario & Canonico.*

NON valedixi, excuſa: aut te aut tuos potiùs accuſa. Nam aliquotiens domi quæſitum non repperi: & addo, quòd iter meum ſubitum fuit, & natum ex occaſione. Ea fauit, & incolumes ac tutos Louanium perduxit, quod nunc me habet. Deſtino quieti & firmæ manſioni noſtræ hanc ſedem, niſi aut publici aut priuati hoſtes interpellent. Nam vtroſque nobis eſſe non ignoras; & iſtos (priuatos inquam) nos omnes velut more & lege experimur, qui paullùm ſumus in clariore famâ. Vt flamma firmior non ſurrexit vnquam ſine fumo: ſic nec illa, ſine nube aliquâ liuoris. Apud Euripidem aliquis exclamat,

* Ἄναξ, διαβολαὶ δεινὸν ἀνθρώποις κακόν.

* *Calumnia, mortalibus magnum malum.*

Hoc ſi omni æuo, quî non iſto factionum & partium pleno, & cùm carceres aperti ad calumnias ſpecie pietatis? Nos Deum adſpicimus, in illo fidimus, humana omnia mala tam alacriter ferre parati, quàm alij inferre. Si virtutis & bonæ famæ cauſsâ petimur: benè eſt, & cum poëtâ,

* Ἀεὶ τοιοῦτοί με πόλεμοι διαδέχονται.

* *Me bella ſemper inſequuntur ſæua.*

Inuidiam non placabo, ijs relictis. Aliud quod ſcribam nunc non eſt: publica vos ſcitis, ego hîc nec tenui auditiunculâ ea libo. Siquid habes dignius, ſignifica, & me dum viuo tuum ama. Louanij, VIII. Kal. Sept. ∞.IↃ.XCII.

EPIST. XV. *Cameracum.*

MARIAE GORNACENSI S. D.

LITTERAS tuas cum gaudio vidi & legi, Virgo nobilis. Ergo tam vicini ſumus? Ardet animus videre te, & alloqui; quod non diffido vel hac æſtate futurum, ſi Duacum, aut vicina loca, viſendi cauſsâ accedam. Nam nunc quidem fontes Spadanos cogitabam, valetudini curandæ. Ea nobis, ô Virgo, imbecilla, animus alacer: niſi quòd eum quoque, velut nube, interdum inuoluit atra hæc & fumoſa bilis. Mihi crede, nec ille officium ſuum ſæpè facit, quod tamen agnoſcit, ſed vult nec poteſt. Quid faciemus? homulli ſumus, id eſt pars optima & cæleſtis in terram incluſa: felices, qui liberi ab eâ & ſoluti. Tuus pater iam eſt. Nuncio tibi, ſi neſcis, renouo, ſi iam ſcis, periiſſe, quid dixi? abiiſſe à nobis magnum illum virum: *Montanum*, inquam, noſtrum ad alta & æthereos illos montes. Ita ſcriptum ad me Burdegalis, & quia litteras tuas veteres eſſe video, arbitror te quoque ſenſum iam habere huius plagæ. Sed quid mali factum? rideat ille nos, ſi ſciat dolere: quem opinor in ipsâ morte hilarem eam ſuſcepiſſe, & victorem etiam eius, cùm ab ipsâ vinceretur. Iuit, ibimus: quidni deſideremus, per publicas priuataſque iſtas calamitates? Gallia veſtra vaſta cladibus, Belgica noſtra attrita; & maximè hæc loca, in quibus nunc verſor. Omnia vincit hic animus, niſi quòd morbo interdum ſuccumbit, contra cuius pertinacem vim nullius ingenij aut ſapientiæ vis reſiſtit. Reſiſtit dico, non vt vincatur & iudicia ſua mutet: ſed vt vacillet in officijs, nec ille qui eſt ſe oſtendat. Vereor vt videas, ſi me vides: nec Lipſium illum veterem, ſed eius vmbram. Tamen vt ſol interdum per nubes medias ſe exſerit: ſic in nobis interlucet melior ille ignis. Hoc nunc ſatis, amo te Virgo, ſed ſic vt Sapientiam amo, caſtè: fac idem mihi, & quoniam pater tuus ille obijt, cenſe me fratrem. Louanij, IX. Kal. Iun. ∞.IↃ.XCIII.

EPIST. XVI. *Bruxellam.*

IOANNI BOISOTO S. D.

ENIMVERÒ tu rem & verba ſimul ad me mittis: ego quid niſi verba? Pudet gratias agere, nec debeo, tam expoſitæ, tam obuiæ beneficentiæ: quæ vt fontes, ſponte irrigat & dimanat. *Senecæ* vtriuſque mentionem facis, & laudas. Profectò debes, & tu & omnes, quibus curæ aut cordi eſt ipſa virtus. Chriſtianos ſcriptores excipe, quis omnium veterum magis ad eam duxit? & maximè iſte, qui Philoſophi nomen vulgi titulo vindicat, meo ſophi. Magnus vir eſt, nec ſuadet, ſed ingerit optima; & impellit ad ea, non ducit. Quis vbique ardor, & quàm è pectore verba? & miror, aut indignor etiam, ſi aliter vixit. Dio, & quidam aſſerunt. ego ambigo, & cùm lego quæ *De beatâ vitâ*, velut in excuſationem ſui ſcripſit, calculum album palàm pro eo fero. Diues fuit. eius noxâ aut iniuriâ? confluxerunt aut congeſtæ ſunt in eum opes: admiſit, eâdem æquitate & ſtatu animi dimiſſurus. Tacitus magnus & ipſe, ac ſuper Dio-

Dionem vir, idem liberi iudicij ac ſtili, multus in Senecæ rebus eſt: ſed laudanti ſemper propior (vide & examina) quàm carpenti. An ille nos celet tam inſignita ſcelera, cuiuſmodi Græcus ille obijcit? ſcilicet, poſt aliquot ſæcula eruta, & tunc denique venerunt in lucem? Imò calumnia peperit; cui proprium, magnum aliquid affingere viris magnis. Et addo, quòd Dio nuſquam propitius valdè Philoſophis ſit, ne dicam ex profeſſo eorum hoſtem. Hæc apud te, velut in ſermone. At de Tragico quid iam olim ſenſerim, in his quæ mitto, vide. Tua quæ corrigis, mihi certa ſunt: & cur non aliquis ad manum, cum quo talia poſſim? multa morientur mecum, credo, eiuſmodi inuenta vel iudicia: parùm eſt, Deus in tempore dabit, qui hæc ſuſcitabit. Per iſta quidem bella, quid omnibus Muſis noſtris dixerim, niſi *κλαίειν ἢ οἰμώζειν? Intereà virtus, & optimorum amor, ſi non adeptio, ſolabitur: & inter externa, noſtri horti, quos magnam partem tibi debemus. A *Cluſio* pyxidiculam etiam accepi cum bulbis varijs, ſed ſine indice aut nomenclaturâ. Videbo quid ver dabir. Vale mi Boiſote. Louanij, Nonis Nouemb. ∞.IↃ.XCIII.

* *Flere & plorare.*

EPIST. XVII. *Tornacum.*

HIERONYMO WINGIO, *Canonico* S. D.

BENIGNE non ſolùm accepiſſe te munus noſtrum video, ſed etiam legiſſe. Benignè enim profectò iudicas, nec ſine ſuffragio aliquo affectus. Reuerà autem mi Wingi (numquam ſenſi aliter:) præter titulum aut materiam, haud multum in eo libello altum & laudabile eſt: ſed nec fortaſſe poteſt. Illud, fateor, iudicio notaſti de methodo, quâ delectamur in his talibus vti. Et tolle eam è ſcriptione, quid eſt? congeries, & vt lignorum aliqua ſtrues, cui faber deeſt. In mundo hoc quod nos delectat, ſupero inferoque, ordo eſt: in illo perpetuus, in iſto inſtabilis: ſed tamen ordo, quem nihil errem, ſi vitam & animam ipſam dixerim eſſe mundi. Paro nunc ad editionem alia è *Face Hiſtoricâ*: in quibus & recondita multa eſſe audeo profiteri, & rem totam, non ſine intentione & labore noſtro in methodum redactam. Videbis, ſi Deus volet, cis paucos menſes, & me amabis, nouum, ſed fide veteri, amicum. Louanij, VIII. Idus Mart. ∞.IↃ.XCIV.

EPISTOLA XVIII.

IOANNI BERNARTIO I^{to} S. D.

LVCIVS apud nos fuit, atque heri diſceſſit. Curioſus eram ſcire & audire ecquid de re ſentiret aut diceret: ſed repperi omnia proba (ex animo loquor) & in re benè affectum. Quidni eſſet? ſcio equidem te mereri, & cauſſam deterioris iudicij non dediſſe. Minuta quædã ſi interueniunt, aut ſermones parùm decori, aut forſitan pungentes: cogita quorumdam ingenia ſic eſſe, & talia ſexcenta ferenda, cùm verſamur in mediâ hac vitâ. Hactenus in ſeceſſu & ſtudijs fuiſti, inter æquales, Louanij in domicilio quietis: aliæ illîc turbæ & mores, & vno verbo, Bruxella. Tirocinium in iſtis tuũ moleſtiæ aliquid habebit, ſed frontem & animum mox durabis. Vellem multa tecum in ſermone (& fiet aliquando) ſed caput hoc eſt, in iſto æuo & initijs tui progreſſus, toleranda multa eſſe, & quędam etiam contra Geniũ vſurpanda. Melior Deus poſteà leniet, & cum dignitate aliquã tranquillitas & otium aſſulgebit. Louaniũ ſi eſſet quale fuit ante annos viginti, profectò te huc euocarem: nunc quid apud nos ſperes, vbi iacent omnia & algent? Apud exteros non deeſſe mihi honeſta iudicia & amicos, tute ſcis: hîc ſumus, vt vnus è multis. Non patienter ſolùm, ſed tranquillè fero, & te mi Bernarti ad hanc *εὐθυμίαν & compoſitionem animi in primis voco. Quamdiu æquor hoc vitæ nauigamus, tamdiu fluctus: & interdum ſerenum aliquod ſi blanditur, decipit, & ferè tempeſtas maior ſuccedit. Alia & alta cogitemus, & noſtra etiam iſta ingeniorum opera, quæ apud poſteros ſaltem pretium aliquod & decus habebunt. Oudartum noſtrum (ſæpè vides, credo) ſalutabis. Tuos item parentes, quos equidem tuâ cauſsâ etiam amo, & videbo, ſi quando res & iter meum ferent. Nunc non opinor, & aut Bruxellâ aut Viluordiâ Antuerpiam ibo. Quando tamen, adhuc neſcio: litteras Moteri exſpecto, cum quo de Statio tuo ſeriò agam. Vale. Louanij, XI. Kal. Maii, ∞.IↃ.XCIV.

* *tranquillitatem*

EPISTOLA XIX.

IACOBO CARONDELETO S. D.

REDIISSE te è Gallicâ legatione libenter audiuimus, & eam tibi iucundam fuiſſe (etſi in te triſti aut ſeriâ) non dubitamus. Vi-

Vidiſti loca, homines, variâ laude & hac litterariâ noſtrâ celebres; & cum iis ſermones etiam te iuuerunt. Quid ſi fuiſſet Lutetia, cuiuſmodi olim ſolet? id eſt, verè * ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης, vt quiſpiam Romam appellabat. Sed flacceſcit non vrbs ea ſolùm, ſed totum regnum: cui ſenium ſuum eſt, vt omnibus rebus humanis, & aliquando fatalis meta. Non lubet iſta, nec in aliena mala inquirere; domi noſtra ſunt, nec longè exitium ab oculis, niſi pax ſalutaris medeatur & focillet. Multus hîc de eâ ſermo, multa ſpes: certi tamen aliquid, aut nullam ſpei, niſi quia vtrimque expedit, hauddum cerno. Ad vos ego breuî, veſtrâ & fontiũ item veſtrorum cauſsâ. Te inter primos videbo & amplectar, & de ſtudiis libelliſque meis affabor & communicabo. MILITIA excuſa eſt, exceptis Præfationibus. It ad Principem Hiſpaniarum, ſuaſu Procerum hîc in aulâ. Louanii, Kal. Maij, ∞.IↃ.XCV.

* compendium orbis.

EPIST. XX. *Mechliniam.*

FRANCISCO VANDER-BVRCHIO *Decano.*

DOLOREM meum ſi apud te promam, quem in Ampliſſimi viri patris tui morte accepi, vereor vt tuum renouem, quem dies & ratio iam, vt ſpero, mitigarunt. Sed tamen teſtari apud te debeo, publicã hanc iacturam me cenſere: & regi, patriæ, curiæ, miniſtrum, ciuem, collegam ereptũ, quem haud facilè reparabunt. mihi quoque priuatim patronum & amicum: cuiuſmodi fideliter illum in me reperi, & quem importuno meo tempore amiſi. Sed iſta à Deo & fato, ferenda ſunt; præſertim nobis Chriſtianis, quibus certum & impreſſum eſt, vitam hanc non manſionem, ſed viam eſſe ad alteram vitam: eoque felices, qui hac quàm maturrimè defunguntur. Tu tibi plura dices, vt prudentia tua & pietas eſt: ego hoc obiter rogo, vt parenti vicarius ſis, & in amicitiâ quoque velut heres. De me, affectum erga te & gentem tuam ſpondeo, & gratam memoriam parentis in omni vitâ. Louanij, v. Non. Sextil. ∞.IↃ.XCV.

EPIST. XXI. *Iperas.*

HIERONYMO BERCHEMIO.

ABSOLVIMVS MILITIAM, & hîc vides. Illam veterem, inquies. Quid? tu quoque nouam à me exſpectabas? Nec poſſim (aliatum ego a tuum:) nec velim ſi poſſim. Iudicio hoc dico. non quia omnia noſtra ſuperbè damnem, & quidquid boni, in vetus æuum includam: ſed quia in militiâ quidem pauca ſunt quæ me delectent, ſic ſolutâ, prauâ, &, auſim dicere, parùm etiam forti. Apud te auſim; ſi vulgò, qui clamores? Nónne tormẽta nobis ænea ſunt, inquiunt, & ſulphurei illi ignes, qui ſonitu & adſpectu fugent veteres omnes hoſtes? Neſcio mi Berchemi: & in animo agitaui ſæpè, & dubitaui. Hoc facilè dederim, ſub initia terrendos Romanos fuiſſe nouitate ipsâ, & inopinato ictu: ſed vbi rem vidiſſent, & plus ſtrepitus, vix plus vulnerum, quàm à ſuis illis telis; facilè etiam recepturos animos, & qui fuiſſent futuros, id eſt fortes, felices, & victores. Non eſt meum iudicium: ſed Matthias ille Hunniades, rex Pannoniæ, quo nemo à multis ſæculis melior, prudentior, militiâ clarior aut felicior, & addam veterum rerum (inter Principes quidem) doctior fuit, palàm ita ſententiam tulit. In coronâ illuſtrium hominum coram ipſo ſermo erat de præſtantiâ noſtri æui; & artibus ac machinis bellicis plerique omnes veteri anteferebant. Ille autem renidenti ore, *Si centeſimam partem antiquæ militiæ ætas noſtra teneret, & diſciplinam haberemus illi parem; profectò Turcarum iſtud regnum non fuiſſet tam longè lateque diffuſum. Nec tamen antiquitatem nuncupo, quæ quingentis iſtis aut ſexcentis annis continetur: ſed Romanorum illud æuum aſpicio, quod cùm aliis belli artibus, tum & machinis & tormentis præclarè fuit inſtructum.* Hæc ille rex, peritè & cum iudicio: & cui res atque euentus adſtipuletur, ſiquis magnus Princeps tentet. Etſi fateor, noſtra quoque tela bona eſſe; ſed validiora, ſiquis cum priſcâ militiâ miſceat temperetque. Sed deſino. tanti regis rectum & inopinatum illud iudicium celare te nolui: quod amabis, ſcio, & me vnà. Louanij, III. Kal. Ianuar. ∞.IↃ.XCVI.

EPIST. XXII. *Bruxellam.*

PETRO PANTINO, *Decano Bruxellenſi* S.D.

IAM denique ſcio & ſentio Pantinũ meum rediiſſe, anteà opinabar. Si enim certò, an non ille ad me ſcriberet? imò an non (vt meum quidem deſiderium erat) veniret? Nec enim celamus te noſtrũ affectum: habemus & habuimus te iam ante plures annos in primis amicis, idq; abſentem: ſperare mutuum potui, imò debui, vt probitas

tua eſt,& cum priſcâ doctrinâ priſci mores. Sed largiter ſatisfeciſti vnâ hac ſcriptione, cui & munera adiûxiſti: munera,qualia nos decebant,libros. Amo te,amabo: & certè debeo, vt eſt raritas talium virorũ in noſtro axe. Oudartum tamen, communem noſtrum,nouiſti: ille eſt ad Genium meliorem & noſtrum , vir quo probiorem nec optes quidem. Adeſt amor & ſtudium iſtarum artium : ſed & peritia ac rerum vſus adeſt, &,cum poëtâ, * ἀνδρῶν δίκας ἰδὲ φρένα ἄλλων. Vno verbo, ſi me amas, virum ama. De Catullianis Notis,& Inſcriptionibus antiquis, gratum eſt: videbo: & quidquid fructus, à te erit. Gratius,intellexiſſe de valetudine inſtauratâ Antonij Couarruuiæ, quam afflictam aut depoſitâ eſſe Stephanus Yuarra, regi à Secretis, mihi indicarat. Addiderat Homeri fato affectum, & iam cæcum eſſe. Gaudeo aliter habere, quia ignotũ de facie virum,tamen acriter amo, & cenſeo lumen ac ſidus eſſe illius tractus. Plura aliàs: hæc ſalutatio modò & gratulatio apud te ſit, quòd ſaluus ad nos veneris , per maria, per montes: atque vt diu in patrio iſto ſolo ſis, Deum veneror atque oro. Libri mei de MILITIA traditi Principi ſunt: vt ad me ſcribunt,grati: ſed de re,quam tu exſpectas,ego adhuc nihil,niſi hoc tuũ,exſpectare. Siquid erit, ſcies;etiam,ſi nihil erit. Schottum noſtrum Romæ eſſe ſcis, à quo nuper litterę,& vnà ad Senecam patrem Notæ. Sunt bonæ & eruditæ : ſed in pleriſque præuenit eum Nic. Faber,quem puto te vidiſſe. Vale mi Pantine. VI. Idus Mart. ∞.IↃ.XCVI.

*nouit mores mentesq. aliorum.

EPISTOLA XXIII.

IOANNI SARRACENO, *ex Abbate Vedaſtino Archiepiſcopo Cameracenſi deſignato.*

EGO verò gratulationem meam & gaudium animo conceptũ prodere ſcripto & ſtilo debeo, cùm voce & ſermone coràm non detur. Gratulor,inquam,& gaudeo ex animo,incohatam nuper dignitatem tuam iudicio & ſuffragio Catholici Regis , nunc quoque ſummi Pontificis calculo & auctoritate firmatam. Habemus ergo te Cameracenſem,veteri & illuſtri honore, Archiepiſcopum,adiunctâ etiam laxâ gubernatione & dominio externo : atque vt diu habeamus, & Eccleſia,Reſpublica, Litteræ(nam & eas addam) fruantur,ex animo Deũ precor. Enimuerò virtus tua etſi iamantè campum habuit in quo ſe exerceret , itemque prudentia : tamen vtraque nunc amplius, vt ſic dicam , theatrum habet, & in oculis eſt Belgicæ,vicinæ Galliæ,ac pænè dixerim Europæ. Quò magis illud apprecamur,vt perſonam tantam aptè & decorè ſuſtineas, ex Dei gloriâ, tuâ famâ, vſu omnium : cui rei nec vires, nec voluntatem tibi deeſſe ſcimus, vouemus tantùm vt ventus diuini fauoris aſpiret , & inter fluctus nauim hanc dirigas ad tuæ & publicæ Salutis portum. Reuerendiſſime & Illuſtriſſime Domine valere te & perennare cupio. Louanij, XII. Kal. Octobr. ∞.IↃ.XCVI.

EPISTOLA XXIV.

NIC. OVDARTO S. D.

INVITAS me amicè (nónne animũ tuum noui?) ad colloquia & conuiuia , cum Pantino & Hartio noſtris , quibus adeſſe maximè equidem vellem. Quid me tenet igitur? idipſum quod fortaſſe deberet propellere,valetudo ſolito infirmior,quam vel cibi iſti * ἄναιμοι, vel alia cauſſa conciliauit. Vix auſim per eam commouere me , & tamen ſeriò credo in veſtro vultu & colloquijs leuandam illam aut ponendam. Mi Oudarte, iamdiu te amicum habeo, & per litteras animũ tuum noui, priuſquà ipſum te & totum hominem noſſem: ſed in omni amicorum claſſe non eſt , quem probitate, & candore,& fide tibi prępoñam. Iure ergo ad te propendeo , & eò magis quia fortaſſe diu frui mihi quidẽ non licebit. Sentio corpuſculum hoc deficere, & internum illum hoſtem,qui hepar ipſum obſidet, vires ſumere, viribus meis æuo & tædio imminutis. Quid malieſt?mihi crede, quò propiùs & diutiùs res humanas intueor,magis aſpernari & fugere eas libet,& toto alio orbe diſiungi. Heu vanitates,heu malitias, heu ineptias etiam,quas video! & ipſum iſtud legere,ſcribere, diſcere, quid niſi oculos magis aperit ad videndum & noſcendũ? Qui cum ludo & mimo comparauit totum hoc noſtrum viuere,is mihi rem viſus intellegere: ſed eant, perſedeant qui volent , & ſpectent: ego ſatur abiturio, & theatri portas ſpecto. Vtinam & ſuperas portas: è quibus animus hic demiſſus , auet & debet iiſdem recipi: quod ſpero in illo,qui me fecit,aluit, ſeruauit. Vale mi Oudarte,& nunc de aduentu excuſa: aliàs vel inopinatus te oppreſſero, ſi Deus firmitatem dabit. Louanij, Kal. Martijs. ∞.IↃ.XCVII.

*ſine ſanguine.

EPIST. XXV. *Bruxellam.*

D. GERARDO DE HORNES, *Baroni Baſsigniaci, Toparchæ Iſcano.*

LITTERAS tuas datas ante tres ſeptimanas, ante biduum demum accepi: nec ſiluiſſem ſanè tamdiu (vt meus in re cultus eſt) ſi priùs vidiſſem. Neglegentia tabellarij interuenerit oportet, in tantillo interuallo. Hoc præmiſi, vt ſilentium meũ excuſares: at de ipsâ re, quid dicam, niſi gratiſſimum mihi hunc affectum tuum & in me, & in Iſcanum tuum, eſſe? Ego verò amo locum; & affectum, vt vidiſti, etiã publicè, & alieno pænè loco, expreſſi. Vtiná facies ea eſſet, quæ ſolebat! valdè nunc deformis, cùm ob duplicia incendia, tum & quia homines ac mores non ſunt, qui ſolebant. Infauſta hæc ciuilia bella, inter alia mala, hanc quoque labem morum induxerunt, & homines neſcio quomodo feroces, prauos, impios reddiderunt. Paullatim hæc tuâ etiam prudentiâ & curâ emendari poſſunt, & reſtitui locus atque homines in veterem ſplendorem. Quò inuitare profectò pax hæc debet, quam cum Gallis certò habemus (vt vndique nunciant) confectã. Ita ſecuritas ijs locis erit & quies, & liberiùs exeri auctoritas tua atque imperium poterunt, & mutari aut tolli quæ videbuntur. Ego certè, ſi tempora indulgebunt, non ſolùm crebrò illuc commeem, ſed etiam ſeceſſum illum ſenectuti atque otio meo (ſi Deus dabit) ſeponam. In eo & te aliquando, Nobil.me Domine, videre atque affari mihi votum ſit, cum Dominâ, quæ heredem tibi donet. Louanij, XIII. Kal. Iun. ∞.IↃ.XCVII.

EPIST. XXVI. *Brugas.*

IANO LERNVTIO, *ſuo fido & veteri* S. D.

SILVI mi Lernuti, poſt gratiſſimũ tuum Carmen, quod me in animo iſto interiore affecit, non ob laudem, ſed ob amorem. Amo, amaui te; & amari à te, hoc quoque valdè amo. Silui tamen vt dixi, quâ cauſsâ? quæ nec ipſa cauſſa eſſe debuit, valetudine impeditus. Ea mihi triſtior eſt, & fuit ab illis caſtimoniæ & abſtinentiæ noſtris diebus; & in languore ſum & ignauiâ etiam, aſſiduâ comite huius mei morbi. Atqui alij paſſim me incitant ad ſcribendum aliquid, & cudendum: hem, nec nunc quies? O æuum, quod exigis officia, non reponis! Nam rituliſquidem & iudicijs in me honeſti ſunt, in re ceſſatores. Quæ tamen culpa Quæſtorum potiùs, quàm Principum eſt: ſed quid refert? illi nunc habent regnum. Deus, rex, tempus emendabunt. tibi ſi benè, ſanè, & iucundè eſt, gratulor, & toto pectore voueo talem perſeuerare. Filius valet, ſtudijs operatur, me amicum habet & habebit. Louanij, Idibus Maijs. ∞.IↃ.XCVII.

EPISTOLA XXVII.

P. LEONARDO LESSIO, *Theologo Soc. Ieſu.*

IN varijs & pænè cottidianis ſermonibus noſtris, de NOTIS fabulati ſumus: quarum vſum crebrum vel aſſiduũ veteribus, vterque conſentiebamus cũ fructu & bono publico reuocandum. Sed quî fiet? exoleuerunt illæ, & fuiſſe magis, quàm quid & quâ facie fuerint, ſcimus. Oſtẽdebas te non nolle vt aliquid huic rei colligerem, collectum ad te deferrem, melius ſic certiuſque arbitrandum, an tanti tota res eſſet. Facio igitur: & cuius cauſsâ magis velim, aut debeam? Tuum eſt, vt Homerico verſu dicam,

* —— ὅσσον μὲν ἴσῳ δύναμαι χερσίν τε ποσίν τε καὶ σθένει. [* quantum equidem poſſum manibus pedibuſque & Robore conniti.]

Notas hîc appellamus, ſcripturæ quædam compendia, cùm verba non perſcribimus, ſed ſignamus: celeritati, & exceptioni repertas. Ipſe qui hoc facit, *Notarius* dictus. Gloſſæ: *Notarius*, ταχυγράφος: *velox ſcriptor:* à fine. Suidas: Νοτάριος, ὀξυγράφος: quaſi dicas *Exceptorem*, ab vſu. Iterùm Gloſſæ: *Notarius*, σημειογράφος: *qui per ſigna ſcribit*, à modo. Hinc Auſonij quædam Epigraphe: *Ad Notarium, velociſsimè ſcribentem.* Auguſtinus, de Doct. Chriſt. *Ex eo genere ſunt etiam Notæ, quas qui didicerunt, propriè iam Notarij appellantur.* [Lib. II. cap. XXVI.] Itaque duplex apud veteres ſcribendi ratio, *Scriptura & Notaria*: illam καλλιγραφίαν, hanc ταχυγραφίαν dicebant. Scriptor aliquis, apud Suidam, de Origene illo, Græciæ ſtellâ, vtinam non caducâ: Ἀμβρόσιος, inquit, πολλὰ ἱκετεύσας καὶ προτρεψάμενος ἄνδρας, καὶ ταχυγράφους αὐτῷ παρασχὼν ἑπτὰ, καλλιγράφους δὲ πλείους, ἑρμηνεῦσαι αὐτὸν τὰς θείας γραφὰς πεποίηκε: *Ambroſius* (quidam inter potentes) *multa eum orans & adigens, & ſeptem ei Notarios, plures ſcriptores alios apponens, commentari eum ſacros libros curauit.* Fulgentius & has intellexit: *In omnibus artibus ſunt primæ artes, ſunt ſecundæ. vt in puerilibus litteris prima eſt Abecedaria, ſecunda* * *Notaria.* [III Mythol. in Orpheo.] Rationem ſcribendi per litteras, vt faciliorem, primam [* Sic legimus vulgò corrupta.]

diſce-

diſcebant, tum iſtam. In Suetonio huic ſen-
Aug. cap. LXIV. ſui iam olim emendauimus; *Nepotes &*
litteras, & notare (ſiue *Notarium*) *aliaque rudi-*
menta per ſe plerumque docuit: ac nihil æquè la-
borauit, quàm vt imitarentur chirographum
ſuum. Vulgò quidem *natare* ſcribitur, & de-
fendunt alij: ſed rem & textum Suetonij
qui attendet, niſi praui peruicax eſt, ad me
ibit. Sed Notarum iſtarum quis primus au-
ctor? Ego libenter Græcis gloriam dederim,
In eius vitâ. & nominatim Xenophonti, philoſopho &
hiſtorico. de quo Diogenes: καὶ πρῶτος ὑπο-
σημειωσάμενος τὰ λεγόμενα, εἰς ἀνθρώπους ἤγαγε:
Primus notis excipiens dicta (Socratis) *in lu-*
cem hominesque protulit. At Latini ad ſe tra-
Lib. I. cap. XXI. hunt. de quibus ita Iſidorus: *Vulgares Notas*
Ennius primus mille & centum inuenit. Ap-
pellat vulgares, vt à *Iuridicis* & *Militaribus*,
de quibus ſubijcit, diſtinguat: & quia hæ
in communiſſimo vſu. Sed itáne auctor En-
nius? nuſquam lectum, & ipſe Iſidorus
mox abnuit: *Romæ primus Tullius Tiro Cice-*
ronis libertus commentus eſt Notas, ſed tantùm
præpoſitionum. Poſt eum Tertius Perſannius Phi-
largyrus, & Aquila Mecænatis libertus alius
alias addiderunt: deinde Seneca (patrem pu-
to intellegi) *contracto omnium digeſtoque nu-*
mero, & aucto, opus effecit in quinque millia.
Quis hîc ille *Tertius*? nullus in libris ſcri-
ptis, quos ego vidi: & vox abeſt. Itaque le-
gam, *Poſt eum Perſannius*: & idem nomen
ſuprà reponere auſim: *Vulgares notas Per-*
ſannius primus: non autem *Ennius*. Ita di-
car iſtum repperiſſe primum tali numero
Notas: etſi paucas anteà Tiro Tullius, & vt
addit (ſi ea quoque verba ſincera) *præpoſitio-*
num tantùm. neque enim commodè hîc
ingero aut digero *præpoſitiones*: tu iuuabis,
ſi potes. At Plutarchus Ennium quoque
reijcit, & magis pro Tirone eſt. nam ſcribit
in Catone Vticenſi, *vnam eius orationem*
praſtare, exceptam Ciceronis operâ, qui in curiâ
celerrimos ſcribas diſpoſuerat, prædoctos Notis
& ſignis vti. Addit deinde: Οὔπω γὰρ ἤσκουν,
οὐδ' ἐκέκτηντο τοὺς καλουμένους σημειογράφους: *Nondum*
enim inſtituerant, neque habebant, Notarios di-
In Chron. *ctos.* Sed magis hoc clarè Euſebius: *M. Tul-*
lius Tiro, Ciceronis libertus, primus Notas
commentus eſt. Dionem Caſſium mente re-
fragari iſtis non arbitror, etſi pænè verbis.
nam ſcribit, & laudat inter alia Mecænatem:
ὅτι πρῶτος σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος
Lib. LV. Actis anni DCCXLVI. ἐξεῦρε: *quòd primus Notas quaſdam ad celerita-*
tem ſcribendi inuenit. Non herclè primus
omnes, ſed *quaſdam* ex ijs, & auxit. Imò re-
uerà nec Cicero, nec ipſe: ſed liberti eorum,
vt ex Iſidoro clarum: etſi Plutarchus & Dio
patronis attribuerunt. Seneca noſter magis
ingenuè: *Quid loquar verborum Notas, qui-* Epiſt. XC.
bus quamuis citata excipiatur oratio? viliſſimo-
rum mancipiorum iſta commenta ſunt: Tiro-
nis, Perſannij, Aquilæ, libertorum aut ſer-
uorum. Hæc inuentio, propagatio, auctio:
quis vſus? duplex, publicus & priuatus.
Iſidorus ſuggerit: *Notarum vſus erat, vt*
quidquid pro concione, aut in iudicijs diceretur,
librarij ſcriberent complures ſimul adſtantes,
diuiſis inter ſe partibus, quot quiſque verba, &
quo ordine exciperet. Ait fuiſſe *complures ſi-*
mul: quod neceſſum, vbi citata & longa
oratio, neque vnius mens aut manus ſuffe-
ciſſet. Ait, *adſtantes*: at liber ſcriptus, *adden-*
tes: ex quo poſſis, * *audientes*. Ait denique, * Nec dánamus tamen *Adſtantes*.
diuiſiſſe partes, & verba: id eſt, vt primus ſex
prima verba (pro exemplo) ſecundus ſex al-
tera, tertius tertia: aut tali diuiſione. & poſt-
eà ſimul iuncti & conferentes, membris
inſitis, orationem explerent. Ac plurimùm
ita fuerit, certiuſque ita fuerit: arte tamen
adauctâ, nihil ambigam vel vnum ſuffe-
ciſſe. Igitur publicè hîc vſus, orationes &
dicta excipere, ac prouulgare. Ita Aſconius
tradidit, orationem Ciceronis pro Milone,
ipſam quam dixerat (nam hodierna hæc
ſcripta modò eſt) *exceptam fuiſſe, quæ ſuo*
tempore exſtaret. Et Fabius queritur *orationes* Lib. VII. cap. III.
aliquot ſuas circumferri, neglegentiâ excipien-
tium in quæſtum Notariorum corruptas. Cul-
pat non de facultate, ſed de intentione: &
quòd tantùm in quæſtum, non fidem, exce-
piſſent. Factum idem in Actis iudicialibus.
& documento hodieque aliquot Chriſti
martyrum: in quibus omnia verba vltrò ci-
troque dicta referuntur. Vlpianus hac occa- Lib. XIV.
ſione cenſet: *eos qui Notis ſcribunt Acta iudi-*
cum, reip. cauſſâ videri abeſſe. Ammianus, *Iu-*
dici aſſiſtentes hinc inde Notarios facit. Mani-
lius de Iuriſprudente:

Hic etiam legum tabulas, & condita verba
Nouerit, neq; Notis lenibus pendentia verba.

Quia crebrò ſcilicet earum ibi vſus. quod
tamen Iuſtiniano diſplicuit, ob cauſſas: & ve- Cod. de vtroque iure cond.
tuitque *per ſignorum captiones & compendioſa*
ænigmata Codicis ſui textum conſcribi. Publi-
cè igitur hîc vſus: at priuatim, plurimus:
ſiue in epiſtolis, orationibus, ſcriptis alijs
ſubitò dictandis; ſiue in excipiendo ſtatim,
& ſine iacturâ magnâ lectionis, adnotando.
Plinius minor, de maiore: *Semper ei, etiam* Lib. III. cap. V.
in itinere, Notarium ad latus fuiſſe, cum libro

&

& pugillaribus. Idem de ſeſe alibi: *Notarium voco, & die admiſſo, quæ formauerā, dicto*. Quis neget grande in eo commodū? & quòd calor vel intentio dictantis morâ non tepeſcit aut frangitur? Hodie ſi in lectionibus publicis, vbi dictatura regnat, vſurpetur: quanto bono, & quo temporis fœnore fiat? Nam mira hîc in excipiēdo celeritas: quæ finis & fructus propriè huius inuenti. Celeritas in-
Epiſt. xc. quam tanta, vt *quamuis citata* (verba Senecę) *excipiatur oratio, & celeritatem linguæ manus ſequatur*. Quid, ſequatur? imò præueniat: & ita Martialis in lemmate, *Notarius*:

Currant verba licet, manus eſt velocior illis,
Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus.

Lib. iv. Manilius, de eodem:

Quiq; Notis linguā ſuperet, curſumq; loquētis.

Auſonius ad ſuum Notarium:

Tu ſenſa noſtri pectoris
Vix dicta, iam ceris tenes,
Tu me loquentē præuenis. Et addit pulchrè:
Quis, quæſo, quis me prodidit?
Quis iſta iam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?

De vitādo ſuſp. contub. Ideò *Furta verborū* Hieronymus dixit: *Extēporalis eſt dictatio, & tantā ad lumen lucernulæ facilitate profuſa, vt Notariorū manus lingua præcurreret, & ſigna ac furta verborum volubilitas ſermonis obrueret*. Furta, inquā, vel quia eripiunt & pręripiunt verba: vel etiam, quia tegunt & cōpendio quaſi clepunt. Sed quid aut quales fuere igitur? inquies. Communiter poſſum dicere, videri duplices fuiſſe, *Litteras* & *Signa*. *Litteras*, vt cùm vna aliqua hoc aut illud verbi notat. P. *Publius*: eadem, *Pupillus*: eadem inuerſa, *Pupilla*. Item C. *Caius*: conuerſa Ↄ. *Caia*: & quæ talia paſſim in libris aut monumentis. Sed cùm eæ paucæ eſſent, *Signa* reperta, pleriſque verbis notandis: quidni pleriſque? cùm ad quinque *millia* fuiſſe à Senecâ, ſuprà dictum? Ea autem aliâ quadam & minutâ facie, vt iure à *litteris*
Lib. vi. de Bon. poſſ. diſtinguantur. Iuriſconſultus: *Notis ſcriptæ tabulæ non continentur edicto, quia Notas litteras non eſſe Pedius ſcribit*.
Lib. ix. ep. ix. Sidonius: *Tribuit & quoddam dictare celeranti ſcribarum ſequacitas ſaltuoſa compendium, qui comprehendebāt ſignis, quod litteris non tenebant*. Signa igitur,
In Catone. & parua. atque ita Plutarchus notificat: Σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα: *Signa in paruis & breuibus figuris, multarum litterarum vim includentia*. Auſonius *Puncta* appellat:

Punctis peracta ſingulis
Vt vna vox abſoluitur.

Et benè *ſingulis*: vnde & ſic appellarunt. Cod. de vtroq; iure enucl.
Iuſtinianus in Conſtitutione Græcâ: Σημείοις ἐν τῇ γραφῇ, ἅπερ Σίγλας καλοῦσι: *Notis in ſcripturâ, quas Singulas appellant*. Sed de *Punctis*, etiam Prudentius, de Caſſiano martyre, doctore eiuſce artis: Περὶ στεφ. Hymn. ix.

Præfuerat ſtudiis puerilibus, & grege multo
Septus, magiſter litterarum ſederat,
Verba notis breuibus cōprendere multa peritus,
Raptimque punctis dicta præpetibus ſequi.

Et addit, eum damnatum, & adiudicatum ipſis pueris, qui ſtilis foderent & conficerēt, imitatione illius artis. Itaque clamant:

Reddimus ecce tibi tam MILLIA MVLTA *notarum,*
Quàm ſtando, flendo, te docente, excepimus.
Pangere puncta libet, ſulciſq; intexere ſulcos,
Flexas catenis impedire virgulas.

Ex quibus videas & *Puncta* fuiſſe, & *Lineas*, & *Flexuras* ac *Catenationes*. Nec plura repperi. aiunt libros alibi in bibliothecis exſtare harum Notarū: cur non edunt? quantò vtiliùs, quàm nugas quaſdam hodie atque heri natas? Enimuerò periiſſe vtiliſſimam (ita cenſeo) artem, dolendū eſt: & reparabilem tamen ſi libeat adniti. Sinenſes hodieq; characteres habent, quibus tota verba ſignant: ſed operoſos ferè aut implexos. Expeditius aliquid oporteat. & credā à ſagacibus viris, in paucis diebus, repertum ire, ſi iubeantur. Finiui mi Pater, tu iudicabis, & tabellam dimittes, me animo tuo & precibus includes. In Muſæo noſtro, hodie horis matutinis.

EPIST. XXVIII. *Mechliniam.*

P. HENRICO SEDVLIO, *Ord. D. Franciſci.*

LIBRVM tuum accepi, neque vno nominē libens vidi. Quia argumentū pium erat, quia de capite & principe Ordinis veſtri erat; quia à teipſo erat, quem iampridem cum veneratione quadam (ſeriò loquor) amo. Vidi igitur libens, & legi libentiùs: ita me & res, & ipſa ſcriptio tua, & iudiciū trahebant. Multa opportunè miſcuiſti, ad fidem, ad intellegentiam, ad vitam & mores: quam partem in his ſcriptis ego maximè requiro & amo. Non dicam de ſtilo tuo, qui grauis ſimul, & pręter communem morem diſertus eſt: ſed illum adeſſe etſi gaudeo; tamen ſi abſit, ipſa etiam res ſic tractata delectet. Ordo, & iudiciū, & optimus ille finis, ea ſunt, quæ in re Pietatis me capiunt: & tum maximè, cùm à ſpirante animo & incenſo veniunt, & qui ſentire ſe oſtendit quæ dicit.

dicit. Fateor me ijs moueri, trahi, rapi: ſac tu ſæpè mi Pater, & in Dei honorē, & noſtrum bonum, ſcribe. Loquentem olim audiui cum fructu; recognoſco nunc in ſcriptione. Quod dixi, amo te, & veneror: illud prius tu mihi facito, & precibus etiam iuua. Louanij, x. Kal. Sept. ∞.Iↄ.xcvii.

Adiunxi munuſculum bellariorum, quæ valetudini tuæ ſeruire toto animo opto.

EPIST. XXIX. *Montes.*

CAROLO DESIDERIO S. D.

GAVISVS ſum, cū per te intellexi, veniſſe incolumem quò velles, & iam in auſpicijs eſſe muneris tui quod ſuſcepiſti. In quo ſiquę moleſtię erunt fortaſſe (imò quia erūt, vt ſunt res humanæ) ſuſtinere eas magno animo & vincere oportet, aſpectu iſto duplici. quòd & ſplendidū atque illuſtre munus impoſitum tibi ſit; & quod tua in eo cura, ad Remp. ipſam in parte ſpectat. Non ignoras Principes iſtos adoleſcentes qui aſſurgunt, quaſi fulcra & colūnas eſſe in magno ædificio; quod ijs aliquando innitetur, firmiter & fideliter, ſi inſtitutio ſit à fideli & eruditā manu. Vtrumque tibi hoc adeſſe cenſemus, & Fidei plus ſatis, & Eruditionis quantum ſit ſatis ad illum, & grandiores etiam, poliendos & formandos. Deus rogetur tantùm, vt laboranti tibi adſpiret, & nobili ingenio amorem & affectum erga doctrinam & docentem ſimul inſpiret. Enimuerò quin breui vel hæc vel alia Academia vos ſit habitura (ſed hanc mallem) non ambigo: & tum licebit pleno gradu pergere iter, quod ſuſpenſo aut reſiſtente alibi pede eſt nunc tibi calcandum. Certè nos tunc operā & voce iuuare poſſemus, nunc voto & hortatu tantùm. De Galliā terrores quòd illic habetis, nos hìc nullos: imò de pace creber & certus ſermo. Quæ mihi tamen ambigua erit, quidquid colloquia & tractatus inſtituantur, donec audiam pertractaſſe & conueniſſe. Faxit Deus: & te cum Illmo Duce, & Nob^mo diſcipulo incolumes ſeruet: tibi autem illius beniuolentiam, huius reuerentiam & amorem. Louanij, vi. Idus Nouemb. ∞.Iↄ.xcvii.

EPIST. XXX. *Bruxellam.*

PETRO BOSCHIO, *I^to & Indici exercitus Regij.*

PONO frontem, & ad te venio petiturus, quod vix res tuæ patiūtur, ſcio: ſed amicitia noſtra patitur, imò animus in me tuus ad maiora animum mihi addat. De mutuo meo, ſanè in iſto ſum certus. Peto autem iuuari à te in extremā iſtā metā rei noſtrę, ſiue litis: quam tangere non poteſt, & hæret ſine operā tuæ manus. Cedo eam quæſo, quantumuis leuem & breuem. nam vicarium alium dare ægrè poſſumus, qui eam norit: & vt norit, ſpes mihi eſt (ſincerè dico) in mente & manu tuā. Vale. Louan. xvii. Kal. Apriles, ∞.Iↄ.xcviii.

EPISTOLA XXXI.

PETRO PANTINO, *Decano* S. D.

DVPLICITER doluì epiſtolā tuā lectā: primùm, quòd inualetudo te haberet, quæ adurgeret Spadā ire: deinde, quòd mihi comitem eſſe non liceret, vti tu, quid tu? imò & ego vellem. Nam reuerà & languor meus vetus illuc trahit, ſemper ibi aliquā alleuatione: & in tuo conſortio iuuet eſſe, & inter rupes ac ſiluas illas ambulare, garrire, ridere. Nam & hoc in eo loco opus, & feriæ cogitationes aut curæ tradendæ ventis ſunt, in mare, vt ille ait, ferendæ. Volebā igitur, vel potiùs hauebā: ſed pericula me abſterrent, & iuſte Barauos aucupes metuo, quorū arundo alas mihi verberauit. Audiſti confuſionem & fugam noſtram, cùm nuper illìc fui. Itaque hac æſtate differo; & pax me illìc reſtituet, ſi tamen Deus ſperatam eam dabit. Quem commendaſti, cupio & faciam, vbi occaſio erit. Nam hæc ſubita eſſe non poſſunt. Vale Reu^de & Cl^me Domine Louanij, prid. Kal. Iun. ∞.Iↄ.xcviii.

Quod oblitus ſum dicere, ego Aquas hìc bibo, procul à fonte ſuo, & ideò minùs efficaces, fateor: ſed tamen vel ſic iuuant

EPIST. XXXII. *Bruxellam.*

HENRICO STRAVIO, *I^to & Canonico* S. D.

EX litteris tuis vidi, quid in rem & famam meam amicè feciſſes. Quę tu æſtimabas & loco aliquo habebas, voluiſti item ab alijs: & libros meos in Italiam, ad viros illos magnos, miſiſti. Benè ceſſit, mi Straui, & iudicium pro voto tuo retuliſti: quid tuo? etiam meo, negare non debeo, & Italiæ indicijs me & mea probari, ſemper habui inter votiua. Quidquid hoc eſt litterarum reliquum, illis debemus; quidquid etiam ego in hoc genere profeci aut poſſum, magnam partem debeo viris quos tellus ea dedit. Sed & ipſam vidimus, & iudicia etiam noſtra ad cle-

[illegible] formauimus in meliore illo ipſo & ſolo. Conſuetudo virorũ aliq̃ tot ſummorum, qui tunc viuebant, & incitauit me ad hæc ſtudia, & bonâ rectâque vi perduxit. Itaque, vt dixi, amo iure & amabo Italiam, & amari aut probari ab eâ æſtimabo. Sed ſic, vt excitet me ea laudatio, non attollat aut vano vento inflet: cùm etiam nec maxima mea eſſe, & quidquid ſunt, non à me eſſe. Sicut locus à ſole illuſtratus, ſplendorem, ſed alienum, habet: ſic nobis euenit, quibus lux hæc, omnis a ſupremâ illâ luce. At tu mi Straui, vt concludam, amicè: & debere me gratiam ſentio, & habeo, & animo affectuque tuum eſſe ſeriò teſtor. Vale. Louanij, IV. Idus Iulias, ∞. Iↄ. XCVIII.

EPIST. XXXIII. *Leodicum.*

M. ANTONIO DELRIO S. D.

& ex animo optat.

IAM NVNC tuas vidi, ſed egone vt ſileam in tanto meo gaudio pariter, & dolore? Dolui, dolui tuos caſus,

—— dura nauis,

Dura fugæ mala, dura belli.

Omnia conſpirarũt in te, ſed pro nobis, certè pro [illegible], qui te vbicumque tecum eo, & animi ſinu inuoluo, ſed propiorem malo, & ſæpiùs aut litteris aut aſpectu etiam frui. Quis vel hunc mihi eripiat, cùm in Belgicam [illegible] adibo & reperiam te vbiubi locorum eris; & ſi Leodici, iamnunc promitto in æſtatem, & reducem gratulabor & amplectar. Omitte, per Deum, in poſterum has cogitationes, quas ille improbat: nónne vides? & illi gratias, non tibi, debemus, qui fugitiuum retraxit. Ignoſce huic verbo, amor dictauit, & dolor etiam, ſed quem gaudio muto. mane apud nos, viue, & morere, cùm hora illa erit. Tarda ſit. me ama, aſperge aquam [illegible]do tuis litteris, ego non deero mutuum facere vtrumque. Ad lumen ſcripſi, nec diu potero gemina illa ſidera mea caligare incipiunt, & ad vitrea auxilia deuoluor. Heu homo, heu ætheree etiam partes! fateſcitis, aut perire. Louanij, VIII. Kal. Nouemb. ∞. Iↄ. XCVIII.

EPIST. XXXIV. *M[illegible]liniam.*

IOH. BERNARTIO *Togato* S. D.

EST vt dicis, [illegible] menſes ſilui. Sed mi Bernarti, apud pleroſq; omnes hoc iam vſu[illegible]po, nec niſi [illegible] ſcribo. Valetudo

iſta & multiplex diſtinctio iubent: neque me cenſueris * ναξίαν πέτραις ἐν ἄλλαις ἄκοναν, vt hoc cum Pindaro dicam. Æneas etiam attexerit & delibarit, ac quinquageſimum primum annum iam ſum ingreſſus. An plures ad damnum trepidas & malè ominaris, & iter hoc Italicum neſcio quid fatale præſagis. Noli mi amice. bonis votis ominibuſque proſequere, abeuntem dumtaxat bono illo & Pietatis fine. Sacer annus & ſæcularis eſt, qui me inducit: ſi in conatu ipſo moriar, præſentanea & perpetua merces erit. An & hoc indecorum, homini morum & ſtudiorum verorum, mori in eorum altrice & parente Italia? Deo decretum hoc in arcano & tacito conſilio: fiat, ſi ita eſt: redeam, ſi non eſt, & vobis ire [illegible] fruar. Nam redire mihi quidem certum eſt, nec vllæ blanditiæ aut promiſſa me ſiſtant, imo nec retardent. Paucorum menſium iter eſt: nec plura de eo, ne & ſaliuam tibi moueam, an iam moui? Nam fallor, aut vna velles: ſed compedem tuam vide, quâ cuſtos ille te ligat. Mane, mane, voto me exſpecta, & ARAM FORTVNAE REDVCI para. Quamquam hæc maturè ſatis (aliquot enim menſes interſunt) ſed ſcriptio tua eo traxit. Louanij, V. Idus Mart. ∞. Iↄ. XCIX.

* *Naxiam inter petras alias cotem.*

De Cõmentario tuo Statiano iam ſciebã, & Moretus ad me ſcripſerat. De inſcriptione, nihil deliberandũ cenſeo quin ad Archiepiſcopum noſtrũ eas, virum à ſe & virtutibus clarum, & præconijs etiam noſtris meritò faciendum. Nam de alijs apud nos Dynaſtis, omitte. Oudartum tamen audire potes.

EPISTOLA XXXV.

CHRISTOPHORO ASSONVILLIO,

Conſiliario intimo.

PRO veteri & perpetuo meo cultu, quem tibi meritò defero, referre conſilium meum debui, quod in re meá recenter cepi. Id eſt tale. Inſtat annus Sacer ſiue Iubilæus à Bonifacio VIII. Pont. ad incitamentum pietatis, & noxis purgandis, inſtitutus: ad quem me religio primùm, tum & viri aliquot in Italiâ Principes, ſed & valetudo inuitat. Religio ante omnia. & cùm Deus viuere mihi dederit (ſi tamen viuo) vere ſæcularem & centeſimum illum annum; vt [illegible] hoc beneficio, & Luſtralia illa ſacra in ſacro ipſo loco obibo. Sed & aliquid tribuendum primoribus [illegible] in Eccleſiâ aut Rep. viris videtur: qui cùm crebro iam monuerint,

& manſionem iis meam pertinaciter negauerim, liceat indulgere breuem hanc peregrinationem & viſionẽ. Breuem, inquam. nec enim aliter ſtatui, quam ire in Autumno proximo, & in Vere primo redire. Certè Principes & patria mea me tenebunt, nec in hac ætate & valetudine ingraueſcente noua conſilia aut ſedes quæram. Hoc rogo vt tibi aliiſque (ſi opus erit) perſuadeas: tũ & illud, ſperare me omnino per hunc motũ & mutationem aliquid in valetudine mutatum iri, quę certè nunc languet. Eius enim curam aliquam me gerere, & ratio vult, & vos patroni atque amici mei, vt ſpero, non abnuetis. Hoc iterum rogo Ampl^me^ & Nobil^me^ Domine: Deum autem, vt bono publico, cui natus es, te diutiſſimè ſeruet. Louanii, VII. Kal. Maias. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. XXXVI. *Bruxellam.*

NICOLAO FABRO *doctori iuuentutis* S. D.

TV verò acriter litteras meas deſideras: ſed quo argumento donem? Laudes in me congeris; non admitto, nec quidquam in iis probo præter affectum, qui expreſſit. Vt oculus in quem humor aut phlegma illapſum, parùm videt: ſic animi acies, quem Amor inumbrat. Fit tibi mi Faber, tibi. & Lipſium quia valdè amas, valdè æſtimas: vtinam re ſic attollendus per hæc iudicia & mutandum! Sed animo tamen non attollat, abſit: mei gnarus apud me manebo, nec inter Aquilas cenſebo, quæ ſublimes cæli plagas petunt, ſed inter Struthiones aut marinos paſſeres, qui curriculo, vt ille ait, volant. Terram tado, aërem capto: & quid me detinet aut detrahit? corporis pondus, & præſertim hoc morbi, qui tot annos adhæret & opprimit, etiamnunc medium & incertum vitæ an fati. Verè loquor, per hos menſes ille meus hoſtis ſic inualuit & ſæuiit, vt vix ſim ad munia & functiones publicas, quas obimus. Vide remedium, quod petere inſtitui. vnde? à Deo & pietate. Romam ire ad annum ſacrum Sæcularem mihi decretum eſt: & ſi non ſanior, melior certè redibo puriorque per luſtrationem iſtam publicam diuinitus ibi conceſſam. Quid ſi & ipſa peregrinatio ac motus iuuabunt & alleuabunt? ſpero & opto: tu mecum pro amore tuo, mi Faber. Quem redamo, & ſaluere iubeo. Louanii, XV. Kal. Iun. ∞.IↃ.XCIX.

EPISTOLA XXXVII.

OTHONI HARTIO [illegible]

ECCE fortaſſe quod [illegible] liam nunc non imus. Litteras a[illegible] ipsâ Vrbe, quarum exemplar ad t[illegible] videbis morbo, qui eſt aut im[illegible]net, [illegible] terreri, imo & teneri. Quis moleſtias [illegible] quas in ſingulis vrbibus Italiæ fer[illegible] eſt, vbi vel minima contagionis ſuſpi[illegible] nunc ipſum regionis aditum ac [illegible] det in parte. Longius etiam, vt ann[illegible] eſt, ſe ſparget fortaſſe: quid tum n[illegible] ſuſceperimus iter, nec irri[illegible]tũm, [illegible] Ergo lentè & cautè præſtat: quò me etiam ducit vel inuitum valetudo, triſtior & cui ſymptomata quædam noua. Alioqui aſſ[illegible] duæ inuitationes excitabant, & fortaſſe ambitiuncula aliqua (cur nege[illegible]

—— neque [illegible]im mihi cornea fibra e[illegible]

vt Poëta ait) ambitiuncula, inquam, etia[illegible] trahebat. Videre Principes viros atque vrbes, videri & excipi, optabile erat, ſi Deo & Fatis viſum fuiſſet. Nunc depono cogitationem, & magno Rectori me attempero, cui infelix q[illegible] recal[illegible] ob[illegible]ſtit. Ad O[illegible]dart[illegible]: [illegible] nunc ad D. T[illegible] [illegible] hoc ſcite, & [illegible] in m[illegible] die experior) & o[illegible] c[illegible]itationem de C[illegible]to. Cl^me^ Domine, valere te cum tuâ & [illegible] ex animo opto voueoque. Louanii, VIII. Kal. Sextil. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. XXXVIII. *Antuerpiam.*

EMANVELI XIMENIO *Luſitano* S. D.

EPISTOLAM tuam legi be[illegible] me teſtem, & curæ quæ ti[illegible]id [illegible] eſt veniendi ad virtutem. Illa & [illegible] ctor: & in illâ libeu[illegible] etia[illegible]bo, ſi conſilio poſſum. De teipſo tamen r[illegible] facili[illegible] videtur; & [illegible] dole (Deus ea dedi[illegible] in p[illegible]rtu e[illegible] imo es etiam, ſi [illegible] te cenſes. Fluctua[illegible] & timor abi[illegible] ſcuda ſim[illegible] vi[illegible]dum, & in ſumpto firmitet[illegible] que id molliendum eſt (nam [illegible] aliqua euenient) [illegible]ctione. Sortem h[illegible]anam ſi be[illegible] (noſſe aut [illegible] d[illegible] rum, aut acerbum, in vit[illegible] multa læta, q[illegible] benignior ille Deus. Hoc e[illegible]

cedas,

cedas, non quos ſequare: & ſimul eoſipſos, quos ſequeris, iactari ſuo metus aut ſpei æſtu. Duo iſti affectus vitam exagitant, & vt venti mare hoc noſtrum, per ſe quietum, turbant: vinci eos planè aut eijci fruſtrà ſuadeam, temperari tamē poſſunt, & à Sapientiæ ac Quietis ſtudioſo debent. Ad hæc & iſtiuſmodi ſolatia libros ſacros ſi addis; culmen ædificio imponis, & tectum te præſtabo contra iniurias nimboſque humanos. Libelli, quos nominas, boni ſunt: at in ipſis Biblijs quid melius ſapientiuſque *Sapientiæ, Prouerbiorum, Eccleſiaſtis* illis libris? Sunt breuia multa, fateor: ſed ea me capiunt, & amo hæc monita talia eſſe, ſicut leges & ſanctiones quaſdam vitæ. Satis de te, & tu tibi (conare tantum) ſufficis: de filio, quid ſuadebo? Curam hanc & affectum verè paternum laudo: & quas meliores firmioreſque illi opes, quàm has Virtutis & Sapientiæ relinques? Ad vtramque igitur ducendus eſt; & nunc ducendus, dum ætas hæc mollis, & quaſi cera, ligna melioris doctrinæ & monitorum admittit. Domi tamen tuæ, in tenerâ hac ætate, adhuc haberi ſuadeam: ſi tamen Schola & inſtitutio publica diſplicet, quam illîc laudatam haberis. Inter plures non libentiùs ſolùm, ſed plus etiam diſcunt. Pædagogum velim ex voto tuo, & vſu pueri eſſe: ac diſpiciam, ſiquis hîc talis erit. Sed nunc infrequens noſtra Schola, & lues, quæ graſſari incepit, pleroſque abegit. Cùm redierint; ſeriò cogitabo. Nam de meâ domo, ſi conſideras, profectò immaturum eſt: & progreſſus paullò grandiores oporteat eum feciſſe, ſi vtiliter in hoc contubernio noſtro ſit futurus. Poſt annum vel annos, ſi voluntas tua, & occaſio aut opportunitas mea erit, profecto non negabo, & oſtendam me in te amicum eſſe. Publica, quæ tangis, parùm læta ſunt. & quid mirum eſt? mirum, ſi aliter in conſilijs & viâ, quæ initur. Iudicia mea haud libens interpono, & nimis antiquorum hominum videamur: tamen liberè & ſtrictè dico; iſtis nouitijs moribus & conſilijs, neſcio an augebimus imperium, vtinam partum retineamus. Batauí in exiguâ potentiâ, oſtendunt Ordinis & Oeconomię vim magnam eſſe: nos, ſed deſino. & querelæ, etſi leuant fortaſſe dolorem, non tamen tollunt. Vale vir Nobilis & magnifice, & me cenſe animo atque operâ tuum. Louanij, III. Kal. Sept. ∞. IↃ.XCIX.

EPIST. XXXIX. *Bruxellam.*

PHILIPPO RVBENIO *meo* S. D.

ALIQVOT tuas litteras accepi, legi, libés, ſuauiter; & beneficium, non ſolùm officium, vt cenſes, præſtitiſti. Quidni quos amamus, etiam abſentes libenter in litteris videamus, & alloquamur? litteris, quas ſummum ſolatium, & vtiliſſimum inſtrumentum (Philoſophiã ſemper excipio) cenſere licet humanæ vitæ? Ergo eas mitte, & in ijs te videam, publica etiam videam: nec præſentia ſolùm, ſed genere quodam futura. De Germanis, * παρὰ δόξαν καὶ ἐλπίδα εἶναι, hoc fateor: ſed benè opinari nondum deſij, & Deus aliquis ad ſuum, id eſt bonum finem hæc aptabit. Caligo mentis humanæ in nullâ re magis, quàm publicâ, apparet: ſiue quia ipſi Principes & eorũ conſilia recondita, tecta: ſiue quia Fata, & illa implexa rerum ſeries, ſemper in obſcuro. Homerus & priſci Iouem in nubibus habitantem, & * κελαινεφῆ, νεφεληγερέτην, appellant: ab hac ipſâ cauſſâ, quia decreta & conſilia eius obſcura, nec peruia humanæ menti. Radiorum tamen aliquid interdum, vt fulgur, emicat: & ſagaciores vel acutiores mentes vident, & illâ luce ad futura etiam eunt. Ego de me nunc fateor, caligare, imò cæcutire: & tadium illum exſpecto, quem geminum noſtrum ſidus exſeret, in auſpicijs iſtis actionũ. O ſi Minerua ijs adſit, & armata! nam vtroque nunc opus & Prudentiâ, & Armis.

* Ποίη δὲ κραδίη ... ἀνδρῶν ἐν ὁμίλῳ
Δεῖξαι, ...

talia noſtros oportet nunc Principes, periculis & inſidijs fortaſſe cinctos. Batauí magna ſpirant, magna etiam quædam patrant: ab ordine, fateor, & diſciplinâ ſuâ adiuti, ſed fortaſſe & ab ijs, quos indicare malo, quàm nominare. Mihi hoc firmum eſt, niſi Militiã corrigimus, atque eam ante omnia, bello quidem nihil nos proſperè acturos: faxit Deus, vt pace. Sed ſeria omitto: feſtiua veſtra quî habét? Toti eſtis in apparatu, in ordine, vt ſic dicam, ludorum explicando, vt audio: ſed non ego eo feſtino, & pacatior lætiorque in otio meo ero. Otio, non otio: ſed vt Homeri ſimilitudine vtar,

* Ὡς δ' ὅτε τις δαλὸν σποδιῇ ἐνέκρυψε μελαίνῃ,
Ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῆς, ᾧ μὴ πάρα γείτονες ἄλλοι,
Σπέρμα πυρὸς σώζων:

ſic ego me chartis & libris in ſolitudine iſtâ inuoluo, & ignem aliquem aut lucem è fomentis

* *praeter opinionem & ſpem.*

* *atrinubẽ, & nubicogum.*

* *Qualia magnanimus leo ſecum corde volutat, Cùm coetum venantes, clamoreq; indagine terrent.*

* *Sicut qui torrem cinerum ſub tegmine celat, Longinquis in agrorũ, & ubi vicinia rara eſt, Ignis conſeruans ſibi ſemina.*

mentis eliciam & dabo. De reditu veſtro, vellem. Sed vereor, vt iterùm hoc cum Poëtâ, ne nondum venerit vobis * νόστιμον ἦμαρ: quia Apollo peſtifer, propior etiam nobis factus, & ſagittam letalem in viciniam noſtram miſit. Tu manes, & obduras? inquies. Fortiter, Deo fiſus, Fato fiſus: & ſi illi ita volunt, cum obſequio & quiete exſpectans. Tamen, ne nihil pro communi more aut homine, ſi periculum præſentius apparet; ego diſpareo, & ſeceſſum aliquem mihi & reliquis meis quæro. Satis. vos ibi hærete, donec autem vobis vello: & D. PRAESIDI officia mea, filijs ſalus delata ſunto. Louan. IV. Non. Sept. ∞.IↃ.XCIX.

* reditus dies.

EPIST. XL. *Bruxellam.*

P. PANTINO *Decano* S. D.

QVOMODO non tibi gratuler ex tam longâ, & plenâ periculi peregrinatione, reduci? Ego verò animo & ſtilo facio, & non FORTVNAE illi REDVCI, ſed Deo ſeruatori & tutori gratias ago. Equidem recreabar iam animo, & ſpe alleuabar, cùm te ad Inſubres veniſſe incolumem, litteræ tuæ dicerent: at nunc plenum ſolidumque gaudium gaudemus, & ſine vllâ, quam cura aut ſolicitudo faciat, deductione.

* ——— Γ' ἀίθη κραδίη, γήθησέ τε γλῶσσα.

Fruemur te, fruetur patria, fruentur & Principes: quos talium, id eſt, bonorum & ſimul * φρονίμων operâ ac conſilijs vtinam ne res iubeat egere! Ancipiti enim fato Belgæ ſumus, etſi libra inclinare ad Felicitatem & Tranquillitatem videtur: quam vtramque ô alter & altera Principes nobis donent! Sed ſeria non lubet nunc tangere, cùm remiſſa & feſtiua vos habeant: voto finio duplici, quorum alterum Superis ſoluo, te reduce; alterum concipio, vt ſub nouis Principibus faciem hanc innouent triſtioris diu ſtatus. Libellos à Couarruuiâ, tuo commodo, exſpecto. Hic, qui iſtas defert, meus amanuenſis eſt: poterit & illos deferre. Vale R^de^ & Cl^me^ Domine. Louanij, III. Non. Sept. ∞.IↃ.XCIX.

* — floruit hoc pectus, lætatáque lingua eſt.

* prudentium

EPIST. XLI. *Lutetiam.*

IO. WOVERIO *ſuo* S. D.

ITA eſt, lætificaſti me fateor; & quia feliciter aduenisti, & libentes volenteſque illos amicos in te meq; reppeꝛiſti. Magnos viros vidiſti, & videbis, mi Woueri, in illo tractu: adi, æſtima, hauri quantum datur. & ſi non aliud, ipſe vultus & breuis etiam ſermo, aliquid te iuuet. Sicut nautas in tenebris leuis intermicantis ſideris illuſtratio dirigit: ſic nos in hac vitâ vel inſpecti illi viri. Admiratio enim excitat, & in viam eamdem vocat, ſi non pari felicitate ad metam ducit. De Thuani in nos & Roilliardi animo, nihil mirum. Debent hoc (audacter dixerim) huic meo: qui iamdiu illum, & hunc recèns, ſed acriter tamen amat. Tu, vt facis, foue, & te quoque dignum affectu præbe. At N. quàm in te, præter morem (ita audio) benignus! Aiunt alioquin hominem eſſe perpaucorum hominum, qui Timonæum aut Bellerophontæum aliquid ſapiat, ſibi viuens,

* ——— Πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

Non inquito, & fortaſſe vel nimis ſapit: ſi tamen hoc ipſum ſapere eſt, Nimis. Ianus Wouerius cognominis tuus, ſi non gentilis, quàm bona tecũ fœderatio! Optimum par, nec vel Dij dederint magis ex vſu aut ex voto. Modeſtiam & probitatem in eo adoleſcẽte ſemper amaui; & vt vidi primùm (Hamburgi id fuit ante annos IX.) vnà laudatum illam indolem iui. Viuat, creſcat, & lampada à nobis in hoc curſu iam feſſis accipiat: me libenter & iudicio tradente. Sed heus, Fredericum Morellium ecquid vidiſti? Videſis ociùs, ipſam Virtutis & Muſæ item prolem. nihil illo vtriuſque amantius. Eſt & Ioſias Mercerus, olim & nunc inter meos. nam ego certè non mutaui, imò vel magis amaui, poſtquam in meo ſtudio, id eſt ruſtico, eſſe audiui. Beatum curarum! maneat, & vrbanas illas pallenteſque fugiat, & Floram, Pomonam, Segetiam amet, adiungatque noſtras Deas. Sed in hac ſcriptione ingemui. nobis hoc non licere? ne ſpem quidem etiam eſſe? nam de pace pauci & fracti ſermones: & ſine eâ, ne ſeceſſus quidem nobis ad agros. De Italia autem nihil ſpera, aut vltrà ſuſpira. ſic ea cogitatio perijt, vt fabæ in extremâ viâ ſolent. Valetudo vetat, & Deus adeò vetat, ſine quo mens hæc non mutaſſet. Baudio noſtro quid à malâ linguâ aut manu obiectum? Quàm puriter amem, tu ſcis: & nec in ſomnio aliter de illo non dicam dixi, ſed ſenſi. Multos amicos habemus, & diuidi hic animus videatur: ſed quod Philoſophi de illo dicunt, totum in parte eſſe, idem de meo poſſum in iſtâ re amotis. Valde quos cœpi amo,

* hominum veſtigia vitans.

amo, & longùm ac conſtanter amo. In ijs te mi Woueri, idem mihi facturum. Louan. VIII. Kal. Nou. ∞.Iͻ.XCIX.

EPISTOLA XLII.

NICOLAO OVDARTO *planiſſimè ſuo* S. D.

EPISTOLA tua non lætũ me repperit, ſed fecit. In Autumno iſto languido, lãguebam (& noſti valetudinem:) ſed bonâ Romanaque fide, ad nomen mei Oudarti, quid ad ſcriptionem? reuixi & ſurrexi,

Vt ſolet affuſo ſurgere flamma mero.

Hoc magis, quia interuallũ iam fuerat ſcriptionis: & auidiùs ad vibes imus, poſtabſtinentiam aut famem. Neque negabo, mirabar ſilentium, & tacitus expoſtulabam: ſed abſentia tua abundè purgat, nec opus altâ aduocatione. De meâ manſione quòd ſecurus es, eſto. fœdus mihi iamdiu cum patriâ & velut nuptiale pactum, non diuertere aut diſiungi: niſi fortè peregrinatiunculâ. quod etiam in legitimo coniugio ſcis & fateberis licere. Atqui Italica illa ſuſpecta eſt, & nequis Paris Helenam rapiat aut teneat: ecce ergo Penelopen, domi maneo, & vel frigidum iſtum lectum foueo ac ſeruo. Securus ab eâ parte eſto, mi Oudarte. etſi Vlyſſes noſter lentè aduenit, lentè amat: ſed quid ad rem? ego ipſum fortiter, & vel neglectus perſeuero. O vtinam modò facies aliqua veteris & pacatæ Belgicæ ſit! vtinam tutò meare, remeare! mihi crede, ſæpiùs in ſermones & amplexus tuos irem, & ab amico affatu vires huic * λευκῷ ϛώματι, & quaſi nouum ſpiritum inflarem. An vmquam erit? dic ſodes, dic liberè quid videatur. Nam mihi (apud te hoc poſſum) aulæ noſtræ hic lentor, aut frigus placet, non placet: placet, ſi cum modo; non, quia fortaſſe nimius. ſi tamen nos occulta illa, & * κρύφια aulæ inueſtigamus. Nam de pace communi, & operâ conſilioque inter ſe arcano Principum conciliandâ, ſermo iamdiu me tetigit, imò & fides huic animo inſinuauit: quæ res ſi fallit, quid ſpei reliquum ſit, egonon video. præſertim in flagitijs iſtis (liceat dicere) militiæ, & nec togatâ adminiſtratione vndique inculpatâ. Sed mittamus hæc non noſtra. philoſophemur potiùs: quod ego quidem ſeriò cottidie facio, & in ipſam Sapientiæ arcem me immitto. Quomodo? SENECAM commentari incepi, vt non ignoras: pergo ſedulò, & in ipſo labore fructum eius capio, formari & emendari. Semper ille mihi magnus vir apparuit: ſed vt ſolent verè magna, magis magiſque inſpectus & tractatus ſe approbat, & credo poſt Sacras litteras nihil in vllo orbe, in vllâ linguâ, ſcriptum vtilius meliuſque. Deus mihi det abſoluere. hoc ſaltem breui nec operoſo Commentariolo (ita confido) aſſequar, vt quiuis legere Senecam & capere poſſit, qui modò Latinæ linguæ rudis non ſit: & ex illo campo meſſem legere, ad vitæ ſuæ & morum tutelam. Me aut meam ambitionem hîc non ſpecto: publico hunc laborem imputo, breuî (niſi quid interuenit) vulgandum & dedicandum. De aduentu meo ad vos, vix poteſt. docemus, & ſollennes noſtras operas edimus: quin tu magis ad nos, tui amantes & cupientes? Tu, inquam, cui vacare magis licet, atque adeò negotij prætextu aut iudicij peregrinari. Nihil hîc culpæ aut criminum? puri omnes ſumus? tantò magis appropera, & qui pura amas, veni ad hos puros. Vale, mi Oudarte. Louanij, V. Idus Nouemb. ∞.Iͻ.XCIX.

Mea & mei te ſalutant: rogo etiam te vt Cl^mum Breugeliũ cum vxore, & Bernartium noſtrum cum ſuâ, an non etiam grauidâ? Si eſt, manum meam in ſacro fonte offer.

* *remiſſo corpori,* (margin)
* *occulta* (margin)

EPIST. XLIII. *Romam.*

ASCANIO COLVMNAE, *Cardinali.*

ILL^mE & Reu^me Domine, me verò mordet, de aduentu in Italiam meo dilatum, aut, quid diſſimulem? deſperatum eſſe. Ita me valetudo tenuior & incertior exercirum habet, vt non dicam medicorum, ſed & meo iudicio, etſi valdè velim, par non ſim huic viæ. Quid ergo reſtat, niſi vt affectu, vt ſemper, & interdum ſcriptione vos adeam & colam? quos meritò dignitas, virtus, cruditio in luce & famâ etiam poſuit apud exteros & longinquos. In eorum numero & hic perhoneſtus adoleſcens eſt, auditor etiam meus, cuius pater inter primores noſtræ patriæ, CAROLVS DELLA FAILLE, quem vt Ill^me Domine benigniore oculo videre, interdum admittere meâ cauſsâ digneris, toto animo rogo. nam pater valdè mihi eſt inter amicos.

Ill^me & Reu^me Domine Deum rogo, te inter verè columnas & fulcra Chriſtianæ reip. ſeruet. Louanij, pridie Idus Ianuar. anni Sæcularis, quem, heu, vetitum mihi obite.

EPISTOLA XLIV.

AD CONTVBERNALES SVOS,

Franciſcum Oranum.
Io. Baptiſtam Perezium Baronium.
Guilielmum Richardotum.
Antonium Richardotum.
Guilielmum Scarbergerum.
Cornelium Anchemannum.
Io. VVouerium.
Balduinum Iunium.
Philippum Rubenium.
Hubertum Audeiantium.

ADESTE mei iuuenes, oculos atque animos paulliſper huc date. Ludi in Circo faciendi ſunt mihi, & *Canes* in arenam producendi: vt pugnent ipſi? non, ſed vt pro ijs ego, & quorum fidem, induſtriam, blanditias, ſæpè ſum expertus, ſemel ipſi ſtili mei operam. quam extorquent iſti, qui cauillantur palàm aut mordēt in hoc genus meum affectum. Vidiſtis ipſi frontes fimbriatas, & voces notaſtis: quas eo breuiter refutatum, & canes aſſertū, benè meritos & merituros de genere humano. Agite, tuba canat, committamus hos ludos. Negant primò, decere conditionem noſtrā hoc contubernium aut comitatum: ſed eos magis, qui Martem colunt aut Dianā. Quid ita, quiâne Muſarū clientes ſumus? aiunt. Ego contrà repono & obduco, ſi vllos mortalium caninum hoc conſortium, litteratos decete, & eloquentiæ ac ſapientiæ candidatos. Ægyptij hoc mihi aſſerunt, qui Anubin ſuum canis ſpecie fingebant: quia videlicet vtriuſque regionis ille Deus, ſupera atque infera permeabat, vt Hecate quædam Græcorum. Atqui nos illi ſumus, qui alta, qui ima ſcrutamur, & canis exemplo peruigiles noctu diuque agitamus. Quid, quòd ijdem cùm virum diuinis deditum, vatem aut ſacrorum doctorem, Hieroglyphicis exprimerent, canem ſignabant? quòd ſcilicet, præter ſagacitatem, clamare ac quaſi latrare iſtos deceat, in improbos & bonis inſidiantes. Et Sacra ipſa noſtra non refugiunt imagine hac vti. Iam Græci, eoſque ſecuti Romani, Mercurio canem comitem ſiue adſtitem dederunt: quia, vt Plato ait, ſagax & ingenioſum hoc animal, conueniebat facundiſſimo & promptiſſimo deorum. Si autem Mercurio, id eſt, artium noſtrarum præſidi, aſſiduus ille comes: curà nobis arceant, qui artibus iſtis operamur? Et arceant improbè. cùm iam olim heroibus, altique animi viris, aſſeclæ iſti & ſtipatores. En Telemachus, apud Homerum, in concionem cùm prodit:

* Ἅμα τῷ γε δύω κύνες ἀργοὶ ἕποντο. — * Simul huic canes duo concomitantur.

Virgiliano Euandro procedente,

Necnon & gemini cuſtodes limine ab alto
Procedūt, greſſumq́; canes comitantur herilem.

Neu cenſeas venatus cauſsâ hoc fuiſſe: idem Homerus diſtinguit clarè,

—— Οἷοί τε τραπεζῆες κύνες ἀνδρῶν
Γίγνοντ', ἀγλαΐης δ' ἕνεκεν κομέουσιν ἄνακτες.

Agnoſcit, inquam, *menſarios canes, & animi ac voluptatis cauſſâ alitos* tantùm. Poëtas loquor? è cælo Genium aduoco, qui eò ducit. Raphaël ille, qui in Tobiç ſolatium miſſus, vnà cum eius filio canem comitem vix ſumit. Itaque habuerunt & amarunt Iudæi, Ægyptij, Græci, Romani, Barbari: nec vllum magis animal ipſa natura nobis iunxit. Videte autem quàm ipſi ſint * φιλάνθρωποι! — * amantes hominum

Omne genus aliud efferatur, & ſiluas ac ſolitudinem tolerat aut quærit: ſolum iſtud homini adhæret, atque adeò cum eo viuit, vt abſque eo nec viuat. Bella ciuica noſtra hoc docuerunt. cùm agri, villæ, pagi vaſti, errabundos eos deſtituerent: atque illi tabe, morbo, rabie mox abſumpti. Adeò domeſticum, inquam, & cicur hoc animal: atque ideò meritò Laribus dijſque Penatibus olim conſecratum. Itaque Natura communis conciliat: ſed mihi propria etiam quædam (apud vos fatebor, mea. Patet ille, nunc inter beatos, ſingulariè amauit & fouit hoc genus. Idem mater: neque vt ei placeret; ſed fecit hoc ipſum defuncto iam ſuperſtes. Ab hoc ego ortu, inter quinos quaternoſque ſemper canes educatus, mirum eſt ſi à ſemine duxi, à lacte ſuxi, à conſuetudine traxi hunc affectum? Quem Ratio etiam nunc defendat, non Auctoritas ſolùm, quam dixi, & Natura. Nego eſſe animal magis ſuo merito amabile, laudabile, mirabile: & id à dotibus animi corporiſque, quas diuinitus (penè *diuinas* ſcripſeram) habet. Quatuor ex ijs ſeligam, *Robur*, *Ingenium*, *Vigilantiam*, *Fidem*, & leui atque extemporaneo ſermone diducam. *Robur*, in illâ mole corporis, habent, quo æquant aut ſuperant ceteras animantes. Agilitas mira eſt, impetus, ars, pertinacia, & vel ferociſſimas belluas in pugnâ laſſant aut vincunt: apros, vrſos, tauros, leones, elephantos. Claudianus, de Britannicis canibus:

Magnaque taurorum fracturæ colla Britannæ.

Sym-

[Lib. II. ep. LXXVI.] Symmachus hos *Scoticos* appellat, & oſtendit Romæ in Circenſi pugnâ exhibitos, & à mirante populo ſpectatos. Sed robur vno exemplo ſatis adſtruxerim, quod Plinij ipſis verbis ponam, [Lib. VIII. cap. XL.] *Indiam petenti Alexandro Magno, rex Albaniæ dono dederat inuſitatæ magnitudinis vnum: cuius ſpecie delectatus, iuſſit vrſos, mox apros, & deinde damas emitti, contemptim immobili iacente eo. Quâ ſegnitie tanti corporis offenſus Imperator generoſi ſpiritus, eum interimi iuſſit. Nuntiauit hoc fama regi. itaque alterum mittens, addidit mandata, ne in paruis experiri vellet, ſed in leone, elephantóve. Duos ſibi fuiſſe: hoc interempto, præterea nullum fore. Nec diſtulit Alexander, leonemque fractum protinus vidit. poſteà elephantum iuſſit induci, haud alio magis ſpectaculo lætatus. Horrentibus quippe per totum corpus villis, ingenti primùm latratu intonuit: mox ingruit aſſultans, contraque belluam exſurgens, hinc & illinc, artifici dimicatione, quà maximè opus eſſet, infeſtans atque euitans, donec aſſiduâ rotatum vertigine afflixit, ad caſum eius tellure concuſſâ.* Videtiſne leones & elephantos eſſe cùm proſternant? nec diſſimile in Indicis canibus, quos eidem Alexandro rex Sopithes donum dedit: de quibus Diodorus, Strabo, Curtius docebunt. Et ſanè magni animi animal, & quod homini etiam, in acie & iuſtâ militiâ, opponatur. Valerius Flaccus de Caſpijs populis:

—— clauſtriſque profuſi
Caſpiadæ, queis turba canum non ſegniùs acres
Exſilit ad lituos, pugnaſque capeſſit heriles.

Idem Magnetes fecere. Iulius Pollux: Καὶ μὴν Μάγνητας μὲν τοὺς ἐπὶ Μαιάνδρῳ τρέφειν κύνας, πολέμων ὑπασπιστάς: *Etiam Magnetas ad Mæandrum canes alere, auxiliares in bello.* Sed & in Plinio legetis: *Propter bella Colophonij & Caſtabalenſes cohortes canum habuere. eæ primæ dimicabant in acie, numquã detrectantes.* Quid Cimbri? idem Plinius: *Canes defendere, Cimbris cæſis, domus eorum plauſtris impoſitas.* Et nunc quoque Germani canes ad currus ſuos militares habent. Quid Galli noſtri? Strabo: Κομίζονται ἐκ τῆς Βρεττανικῆς καὶ κύνες εὐφυεῖς πρὸς τὰς κυνηγεσίας. Κελτοὶ δὲ καὶ πρὸς τοὺς πολέμους χρῶνται καὶ τούτοις, καὶ τοῖς ἐπιχωρίοις: *Adducuntur è Britanniâ canes ad venatum optimi: Galli autem iiſdem ad bella etiam vtuntur, ſicut & indigenis.* Imò & ad ſatellitium ijs vſi vulgò. [Fragm. XI.] Appianus ſcribit, *Bituiti regis legatum ad Cn. Domitium veniſſe, & in reliquo comitatu ac pompâ, ſatellitio canum ſuccinctum.* Addit etiam: Δορυφοροῦνται γὰρ καὶ πρὸς κυνῶν οἱ τῇδε βάρβαροι: *Nam communiter etiam à canibus ſtipari & cuſtodiri ſolent eius regionis Barbari.* Benè nobi ſit Appiane hoc notanti, & me etiam more vetuſtæ patriæ vindicanti. Nec Galli tantùm: *Garamantum regem* (Plinij verba) *ducenti canes ab exſilio reduxere, præliati contra reſiſtentes.* Hodie in eâdem Africâ, *regem Ceſalæ ducentos canes ſtipatores habere*, aſſerunt qui viderunt. Quid Maſaniſſa iam olim? *ſalutem ſuam* (ait Valerius) *cuſtodiâ canum vallauit.* [Lib. IX. cap. XIII.] Hæc ſatis *Robur* oſtendunt: & cum riſu veſtro finiam? meo arbitrio & imperio, etiam hodie ſit in militiâ eorum aliquis vſus. Adeóne abſurdum ſit? Romani olim in Sardiniâ cùm bellum non explicarent, hoſtibus in ſaltus ſpecuſque profugis, & ex occaſione inuadentibus: M. Pomponio Prætore, canes ex Italiâ arceſſiuerunt, & eorum operâ è latebris eductos inuenerunt, id eſt, vicerunt. Idem nuper in Peruanâ Indiâ Hiſpani. qui ſiluas & vaſtum illum tractum canum commilitio excuſſerunt, & ſubegerunt. Memini hiſtoriolæ facetæ (nam ridere cœpimus, & huius ſcriptionis is finis) cui auctor Petrus Cieca. Ait ſe cum aliquot ſodalibus egreſſum, ad Indos veſtigandos: canem comitem habuiſſe, ad iſta longo vſu doctum. Ecce fœmina vetula apparet, fugit in montes, canis aſſequitur, & iam prehendebat: illa in genua ſe abijcit, canem *Dominum* appellat, & blandè orat, ac pænè adorat. Iſte placatus an contemnens, crus tollit, & fœmillam illam permingit atque abit. Et ſanè ſenſus aliquis precum aut ſubmiſſionis ijs eſt. Ideoque & Vlyſſes apud Homerum, cùm canes inuaderent, Ἕζετο κερδοσύνῃ, ait poëta: *aſtutè ſedit*: quoniam hoc ſubmitti & cedere interpretantur illi. quâ mente Plinius: *Impetus eorum & ſæuitia mitigatur ab homine conſidente humi.* Idem Ariſtoteli ſcriptum. Sed de *Robore* ſatis: ad *Ingenium* imus. Mirificum habent, & planè iuxta hominem. Plinius: *Soli nomina ſua, ſoli vocem domeſticam agnoſcunt. Itinera, quamuis longa, meminêre: nec vlli, præter hominem, memoria maior.* Enimuerò mira facilitas in diſcendo, memoria in vſurpando, & cottidiè nos, imò & vos videtis. Nónne hunc *Mopſum* meum? nihil ei bis præſcriptum, quod non hauſerit: & poſt menſes aliquot, inopinantibus reddiderit. Bruxellæ, me puero canis fuit, Britanni generis, ex illis grandioribus, quibus cerdones hîc vti ſolent ad currum corijs onuſtũ in forum & è foro trahendum.

Ille, præter hanc operam, doctus fuit ad macellum ire, pecuniam ferre, carnem referre. Id ita fiebat. corbem vimineum collo appendebant, pecuniâ in tot libras carnis impoſitâ. Ille tectâ & nuſquam reſiſtens ferebat, in macello apud notum lanium ſe ſiſtebat: carne acceptâ redibat. Sed eueniebat interim, vt in viâ canes alij odore moti adſpirarent & accederent, quaſi erepturi: tum ille corbem deponere, in orbem propugnare, fugare. & ſi copiâ aut robore vinceretur, vnà irruere, & partem de prædâ capere. Hæc publicè nota erant, & à nobis alijſq; iucundè ſpectata. Sed maius etiam ingenij & ratiocinationis (pænè rationis dixeram) ſpecimen, in cane qui ante triginta circiter annos in hac Louanio vrbe fuit. Is litteras millo ſiue collari inſertas & aptatas, ſigno ab hero accepto curſim Bruxellam deferebat, in notam ibi certamque domum. Atque illi ibi religabant, canem paſcebant, litteras à ſe aut aliunde acceptas iterùm inſerebant: & fideliſſimi, ſed & celerrimi nuntij vice, canis eodem die referebat. Sed his nouitijs vetus etiam adiungam eiuſdem induſtriæ exemplum, à Plutarcho: ſingulare quidē & ipſo quoque ſtupente, & firmiter tamen narrante, quia oculis vſurpauit. Veſpaſiani imperio canis fuit, mimo domino. Is canis varia argumenta & perſonas in ſcænâ repræſentabat, vt nemo hiſtrio doctiùs aptiuſque: atque inter alia, hominis veneno, in ſpecie, tollendi. Panem ſumebat ſiue offam, ſopore temperatam (fingebatur autem venenum eſſe:) at repentè adſimulabat tremere, labaſare, grauedine tentari. Denique cadebat, ac porrectis membris in mortuum iacebat: tractus, ſublatus, elatus, vt argumentum poſcebat. Dein cùm tempeſtiuum eſſet, ipſo ſermonis articulo, primùm quaſi ex ſomno ad ſe reuerti, leuiter caput & membra mouere, oculos aperire & circumferre, tum denique ſurgere, & lætus geſtienſque ad illum ire & ſe exhibere, cui debebat. Hęc ſic decorè & efficaciter, vt totum theatrum, & ipſe Cæſar (aderat enim) commouerentur, ac mente quaſi afflatâ exclamarent. Audiſtis rem demirandam: & minus iam erit quidquid dicam, tamen & dicam. Idem auctor, canem fuiſſe qui amphoræ oleariæ inſidiaretur: & cùm parùm plenâ, non pertingeret, lapillos paullatim inieciſſe, donec oleum adſurgeret, & ad os redundaret, ſic vt lambere linguâ poſſet. Hoc acumen eſt: enimuerò & prudentiam aliquis eis, ac cum iudicio dilectum donet: ex facto quod Nicetas Choniates ita narrat. Capta Theſſalonica à Balduino Flandriæ noſtræ Comite & Latinis erat: iterumque paullò pòſt à Græcis recepta. Cædes ibi vtrimque variæ & multæ. ſed canes Theſſalonicenſes nullum omnino cadauer Græcū tangere, quaſi amicis popularibuſque parcentes: at contrà, Latinos noſtroſque vorare, tantâ rabie, vt etiam ſepulchris conditos eruerent & lancinarent. Simile, & magis recens, Sabellicus denarrat. Tenebant Rhodij equites, Decad. lib. IX. acres illi tutores Chriſtiani nominis, opidum in orâ Cariæ, exaduerſum Coo inſulæ, opere & præſidio munitum: quod ſancti Petri vocabant. Id Chriſtianis, ſiqui ſeruitutem Turcicam fugere poſſent auderentque, certiſſimum refugium & aſylum: canum eâ in re mirâ ſagacitate. Nam habebant opidani quinquaginta admodum canes, quos (laudabili more) cuſtodiæ cauſsâ, & contra inſidias, noctu extra muros excubare iubebant. Ii, ſiquis Chriſtiani generis accederet; comiter adire & blandiri, ac gannitu quodam & velut plauſu ad opidum deducere. Siqui autem barbarorum; ſtatim intonare, inuadere, lacerare. Dicite vos, vnde ijs ſenſus hic dignoſcendi? ego neſcio: haud magis, quàm quod in eâdem diſcretione nunc dicam. Fuit Iuſtiniano Principe agyrta, Zonaras. qui Byzantium venit. Populum contraxit, & mox anulos cuiuſque in aceruum medium conijci rogauit ſiue iuſſit. Cùm factum; canem, quem circumducebat, accedere, & cuique ſeorſim atque ordine ſuum reddere. quod ille ſine morâ & ſine errore effecit. Idem canis interrogante domino, quis ſpectantium diues, pauper, quæ mulier virgo, marita, vidua, meretrix eſſet, & id genus alia: ſingulas notabat, idque circumiens & accedens, veſte cuiuſque ore prehensâ. Deſino, & vereor vt extra canem ad Genium eam, qui profectò potuit hìc miſceri. Sicut & in canibus Gallicis, patrum memoriâ. cùm bellum inter Heluetios Galloſque eſſet, canes ingenti numero, qui heros ſuos ſecuti fuerant, paucis diebus ante prœlium, relictis Gallicis caſtris, Nouariam & in Heluetiorum ſtationes veniſſe narrantur: eorumque pedes lambendo, & caudâ adulando, quaſi futuri euentus præſcios, ſeſe mox victoribus ſubmiſiſſe. Quo velut diuinitus oblato prodigio Heluetij animati, alacriter in prœlium manuſque venêre, & nobilem illam victoriam pepe-
rêre.

rere. An & illud ſine culpâ ſileam, cui ætas & notitia noſtra adſtipulatur? Nam ſcio fuiſſe canem, cuius generis *Mopſulum* meum videtis: atque is apud Principem virum agebat, qui bellum tunc, & in Belgicâ noſtrâ caſtra, habebat. Ea adorti noctu animosè ad IV. millia circiter Hiſpani, certi & deſtinati rectà ad Principis illius tentorium ire, & viuo eo an mortuo potiri. Et abſque hoc erat, feciſſent. nam veniunt, fallunt vigiles aut opprimunt: nec longulè ab ipſo iam tentorio. cùm ille ſagax in vultũ dormientis inſilit, ſcalpit pedibus & excitat: qui audito demum ſtrepitu, ægrè ſe è manibus propinquantiũ eripuit. Hunc ipſum canem & diuinationis peritum habuiſſe dicitur: & ex eius blanditiâ aut auerſione, de mente & interiore affectu adeuntium, non ſemel ex fide comperiſſe. Sed hæc aliquis, vt dixi, ad Genialem operam referat: nos ad alias, & à Naturâ dotes, imus. Nam *Vigilantia* ſequitur: Deus immortalis, quanta & quàm teſtata! Lucretius expreſſit:

Et leuiſomna canum fido cum pectore corda.

Vix me hercules aut leuiter dormiunt, ſemper intenti, circumſpecti, & ſupra omnes ſtationarios ſolliciti ac curioſi. Itaque Latini meritò * *Catulum* dixêre, *propter ſagacem ſenſum*, ait Varro: & eumdem *Canem*, à canendo, *quòd in cuſtodiâ dat ſignum.* Non diu noctuque auditis meos iſtos vigiles? ſiquid increpuit, primùm leuiter inſonant, mox canunt claſſicum, ſi propior fides aduentoris facta. Veteres rectè, qui non priuatim ſolùm ad ſuas quiſque ædes, ſed publicè adhibebant, ad templa, arces, opida cuſtodienda. Et volumus vnum alterumque Vigilantiæ exemplum? In Æliano legi, ciuem quemdam Colophonium, Teon Ioniæ mercatum iuiſſe, ſeruo vno & cane comite. Ille, ſeruus dico, ſacculum pecuniæ ferebat: & in viâ, vt fit, naturâ citante, ſeceſſit paullùm ad leuandam aluum. Canis ei comes erat. ille ſacculum depoſuit, exonerat ſe, ſurgit, abit, ſacculum obliuione deſerit: at non canis, qui pertinaciter adhæret & ſeruat. Veniunt deſtinatum locum, emunt; pecuniam dum expediunt, abeſt. Perciti retrò iter legunt, ſacculum reperiunt, & iuxtà cuſtodem canem: at hunc fruſtrà. nam miſer fame ſinque enectus, in ore eorum obijt, & vnà cum depoſito animam tradidit. Alterum. Athenis, circa Plutarchi narrantis æuum, canis in æde Æſculapij cuſtos erat, cui *Capparo* nomen. Fur nocte venit, irrepſit, donaria aliquot abſtulit, Capparo tamen non ignaro aut ſilente. nam baubatur, & templum perſonat: at æditui altùm ſtertunt. Fur abit, iſte inſequitur: & quamquam lapidibus petitus, non deſinit obſeruitare. Sed cautè & callidè, de die longiùs paullò, periculi metu; de nocte propiorem ſe faciebat, & nuſquam ex oculis amittebat. Viatores autem ſiqui obuij, ſtatim illos blandiùs aſſilire, prehenſare, tum conuerſus furem adſpicere & allatrare: tantũ non clamans illum eſſe, & opem ſuppetiatumque poſcens. Ecce autem & æditui aſſequuntur, viatorum ſuper cane indicio: & captum à Cromyone vſque reducunt. Quid Capparus? ille gannit, ſubſultim præit, & geſtibus vocibuſque prędam & capturam illam ſuam facit. Et erat certè. nec Athenienſes abnuerunt: qui cibum è publico ei decreuerunt, gratæ memoriæ honoriſque ergô. Iam *Fides* eſt vltima, vt vero verbo dicam, prodigioſa. Plinius ſic extollit: *Fideliſsimum ante omnia homini, Canis & Equus.* Et verò quàm dominis ſuis adhærent? quàm æmulantur, ſiquis alius? quàm tuentur & propugnant? imò & mortem cum ijs, proque ijs obeunt: & accipite exempla. Nam in his talibus verba perdit, ſi quis ſine ijs verba facit. Pyrrhus quidam fuit, non ille rex, à quo mortuo canis non abſceſſit. cùm efferretur, ille lectum eius adſilire: cùm in rogum deponeretur, inſilire, atque ibi vltrò paſſus ſe comburi. Simile in Polo, hiſtrione celebri: ſimile in Lyſimacho & Hierone rege, ne diffusè hæc iterentur. Quàm multi alij, hero mortuo, inediâ & mærore contabuerunt? In Eupolide poëtâ, in Iaſone Lycio: & in auiâ meâ paternâ domeſticum exemplum cur omittam? *Margareta Eeckboutia* fuit, quæ canes, & ipſi illam amarunt. Fuit vnus ruffulus, paruus, ex illo genere qui cuniculos * terraneos ſubeunt, & inde apud nos habent nomen. Is toto tempore valetudinis, quæ ei ſuprema fuit, à lecto non abſcedere, ne depelli quidem: & cùm iam exhalaſſet, ille vlulans, caudâ reductâ (etiamnunc videre videor, quæ puer vidi) in hortum ſe proripit. Ibi ſub cotylo arbore pedibus ſcrobem leuiter fodicat, imponit ſe, & ſpiritum deponit. Hæc totâ familiâ noſtrâ teſte ſunt geſta. Sed ad alia. In Corſicâ agreſtis fuit, venationi deditus, vt gens ea amat. Quodam ſereno die, ſcorpione ſuo inſtructus, & cane ſubſequâ, iugum alti montis conſcendit. Cùm

in

* quaſi Carum.

* Terriers.

in eo eſt, nix denſior cadere; ille calidè & temerè pergere: donec confuſis veſtigiis, animi incertus hæret primùm, deinde in rupe conſedit. Ibi frigus occupat, diriguit, atque obijt. Sequenti luce fratres & populares eum requirere. in montem ſcandunt, tandem eminus conſpiciunt & inclamant. ſilente eo, quod erat ſuſpicati, accedunt. Sed canis (o intempeſtiuam, etſi laudandam fidem!) herum tuetur & ſtipat, illos, vt prædones, ferociter arcet. Fratres placare conati, è quorum manu ſolitus cottidie cibum capere, non proficiunt: denique eò compulſi, vt, cadauer ſi velint tollere, alterum ei addant. atque ita ſagittis petitum, ſimul animâ & fide exuunt. Aliud. Romæ Titius Sabinus, ſplendidus Romanus eques, Tiberij ſæuitiâ perijt. is in carcere ſtrangulatus, in Gemonias ſcalas proiectus, vbique fidum aſſeclam canem habuit. Mœſtos vlulatus deinde edentem populus ſtipat: & cùm quidam è coronâ miſerans cibum obiecisset, ille acceptum ad os defuncti retulit. Quin cùm cadauer in Tiberim iam miſſum, adnatauit, ſeque ſuppoſuit, ſuſtentare conatus: meritò attonitâ multitudine, in animalis tam nobili fide. Triſte eſt, & me mouit: ſed hiſtorijs actiſque publicis populi Romani teſtatum. Aliud. Pyrrhus rex Epiri iter fortè faciens, populum videt limiti adſiſtentem. Accedit, quærit: audit videtque canem ibi eſſe, qui militis interfecti, heri ſui, cadauer adſiſtat, triduum iam ſine cibo. Miratur & miſeratur: illum ſepeliri iubet, hunc comitem ſibi duci. Poſt aliquot dies exercitum luſtrat, ſedet in altiori loco & ſpectat ſingillatim tranſeuntes. Canis ad pedes accubat, hactenus quietus: ſed cùm percuſſores domini tranſirent, exiliuit cum ferociâ, & inuaſit: identidem ſe tamen ad Pyrrhum reflectens, & quaſi ſignificans iſtos eſſe. Motus ipſe atque alij, capiunt, examinant, conuincunt, plectunt. Simile in Heſiodo, poëtâ illo nobili, qui à Ganyctoris filijs clàm occiſus, indicem & vindicē canem habuit. At minùs

Lib. vi. Hex. c. iv. antiquum quod D. Ambroſij fide ſe probat. Antiochiæ miles in publico interfectus iacuit, incerto auctore. Canis adſtitit, aſſeruauit, fide luctuque ſuo populum traxit. Ecce & percuſſor ſe miſcuit. quem ille ſtatim agnitum inſiluit, mordicus tenuit, &

Lib. v. Chro. in fine. mox de capto cōfeſſoq; pœnas exegit. Aliud etiam recentius, Ditmaro Epiſcopo ſcriptum. In palatio Henrici Imp. cognomento Aucupis, in multo populo, canis quemdam conſidentem conſpicatus, clàm & tacite accedens, manum eius dexteram rabido morſu inuaſit & abſtulit: tum quaſi re benè geſtâ, capite & caudâ plaudens, ad ſuos redijt. Mirari omnes, ille vltrò confiteri, diuinâ vltione merenti hoc ſibi accidiſſe. Nam diutiùs factum, inquit, cùm herum huius inuaſoris m[illegible] dormientem in viâ reperi, malo Genio atque animo impellente occidi. Ibi iſtum impugnantem, inſequentem, vix euaſi: & nunc, cùm obliuione ſepulta hęc cenſerem, inopinatò me inuaſit, & (Deo ita placitum) puniuit. Hæc Epiſcopus. Sed omnia dicta, aut & alijs dicenda, fortaſſe ſuperat, quod in Galliâ eueniſſe verbis ac fide Iulij Cæſaris Scaligeri ponendum eſt. qui ita narrat: *Offenſus amici ſiue potentiâ ſiue perfidiâ quidam Regis aulicus, eum ex inſi[illegible]s obtruncat, atque in auio agro ſepelit. Venaticus canis ibi tum fortè comes hero fuerat. is amore victus, diu ſedit in tumulo. Poſteaquam fames pietatem ſuperauit, atque in aulam ſine domino reuerſus eſt, rati illius contubernales, beſtiam temerè vagari, cibum ei dari iubent. Satur ille ad tumulum redit. it, redit toties, vt primùm ſuſpicio inuaderet animos incerta quadam ac fluctuans: mox etiam certi eſſe ſibi viderentur, heri id fieri deſiderio. Abeuntem proſecuti, deprehenſo telluris tumore, effoſſum cadauer atque agnitum afficiunt ſepulturâ. Canis, exequijs peractis, ſocius fit eorum, quibus fuerat dux ad inueſtigandum. Tandem aliquando in aulam vbi homicida rediiſſet: eum canis conſpicatus, magnis ilicò editis latratibus, ægr[illegible] ab impetu cohibetur. quo tamquam indice aucta ſuſpicio, in multorum animis certa fides euaſit. Ceterùm beſtiæ perſeuerantia in illius odio atque perſecutione, etiam Regem mouit, vt iuberet hominem cauſſam dicere. Ille negare factum, perſiſtere inficiatione. Canis eius orationem latratibus atque aſſultibus obturbare, vt eam interpellationem pro facinoris exprobratione, quotquot aderant, interpretarentur. Eò res deducta eſt, vt iuſſu Regis homicida cum prouocatore ſingulari certamine dimicaret. Picta eſt canis victoria in cœnaculo quodam regio. Pictura vetuſtate dilutior atque obſcurior facta, Regum mandato ſemel atque iterùm inſtaurata eſt. Digna prorſus, Gallicâ magnanimitate, quæ ære fuſili aſſequatur perpetuitatem.* Atque hîc deſinebam, iuuenes: ſed paternæ memoriæ & pietati vnum etiam, etſi minùs alii cot[illegible]ni, dandum eſt: quod ſic habet. Fuit ei *Gennetta*, canis fœmina: cui hoc nomen ab

equi

c[illegible] Hi[illegible] [illegible]e, [illegible] eximiâ inter Verta[illegible] Don[illegible] acceperat, ab E[illegible]nan[illegible] [illegible]audię duce. Ea cum in alijs fidem præferre, vt [illegible]ſubſeq[illegible] ſemper, nec in vllâ turbâ falli aut pelli, ad lecti pedes iacer[illegible], nec accedentem pati. [illegible]ne matrem quidem me[illegible], n[illegible]ſi Hero experrecto & coërcente: tum in vno facto memorabilem, hoc [illegible]. Pater in conuiuio erat. ibi forrè inter aſſidentes rixæ, pugna etiam, & pugionibus eductis ſe petunt. Meus dum medium ſe facit, & diparar[illegible] canis opinata illum peti, vtrumque p[illegible]naror[illegible]n ſeorſim inuadit, lædit grauiter, & læditur, nam pu[illegible]ionibus ter q[illegible]q[illegible] corpus medium, quod exile habebar, [illegible]ans[illegible] oſſa ce[illegible]r. Pat[illegible] e[illegible]m dolore & indignatione abijt, illâ pro mortuâ rel[illegible]ctâ. Quid [illegible]acit? ſurgit, & lapſabunda ſe q[illegible]itur [illegible]dè domum venit, fores pul[illegible]t (ita aſſueuerat, ſublato naribus penſili ferro [illegible]ter audir[illegible] & iudicat: patei abnuit, & mortuam ad[illegible]. Iterùm fon[illegible]s, v[illegible]nt, induennt aut potiùs inferunt [illegible] in ſtabulo depon[illegible]nt, chirur[illegible]m ad[illegible]ibent & medicantur: ac poſteà conualuit, & ſ[illegible]epè fidam operam patri exhibuit. De m[illegible]tunc puero addam? ego co[illegible]tidie æ[illegible]m v[illegible]re, cibos offerre, adſtare vel a[illegible]mbere [illegible] & quid di[illegible]mulem? allacrimare etiam. vt eram ætate atque an[illegible]o [illegible]ner, & [illegible]runc [illegible]o dixi) mirificè in hoc genus affectus. Sed ſatis luſimus, tuba miſſioni inſonet, ite, valete. Heus, h[illegible]s, mane[illegible]iam. pauci verſiculi ſunt, canum meorum laudi ſiue memoriæ facti. Tres eos habeo, vt ſcitis, gradu quodam magnitudinum diſcretos: *Paruum, Mauſculum, Magnum.* eos depingi in tabulâ i[illegible]i, & notas ac carmen cuique præſcribi a[illegible]t ſubſcribi:

Sa[illegible]rus catellus, gente Batauus. corpore albet, cap[illegible]e auribuſque purpurat, diſcrimine tamen albo à ſummo eo, inter aures [illegible] cuneatim ad os deſce[illegible]e[illegible]e. ſenecio n[illegible]ſt, & tredecennis: cùm in flor[illegible] pulcherrimus & lepidiſſimus catulorum.

G[illegible]mma dedit nomen. ſum vere gemma catellum,
[illegible]tquot t[illegible]buit Belgica, habebit, habet.
Tale[illegible]us vu[illegible], tal[illegible]nus. adde lepores
[illegible]g[illegible], hu[illegible]umqui [illegible]ant [illegible]nium.
Eſt ſane e[illegible]uid m[illegible]:nis. [illegible] argumentum?
Vins[illegible]o, [illegible] vino n[illegible] mi habet podagra.

M[illegible]u[illegible] don[illegible] Antuerpiâ donum à Cl. V. A[illegible]o Bo[illegible], amico veteri, & l[illegible]is c[illegible]pore [illegible]lber, [illegible]us, atque altero oculo ſufflaui. roſtrum [illegible] rubro albicat, breue & obtuſum, & nare[illegible]rorſus rep[illegible]nda, craſſulus, argutus, mordax e[illegible] ætate bimus.

Mopsvlvs aſt ego ſum, do[illegible]na: quid vltra?
En etiam lectum participo do[illegible]
Eſtne aliud? domini dominus, [illegible]
[illegible]que adeò formæ huic iungitur improb[illegible]as.
Sed formæ, quæ rara cluet. [illegible]t examine iuſto
Pèdor, quod nec ames eſt mi[illegible]i, plus quod ames.

Mopſus [illegible]nis, gente Scotus. colore [illegible]taſſo ſpadiceo; ſed c[illegible]rca o[illegible]s aurium, & in [illegible]ſpore, dilutius flauo. ſuper o[illegible]lum v[illegible]umque urbic[illegible]quales duo, itidem flaui. ide[illegible] [illegible]lor [illegible] pe[illegible] interioribus, intra femora, ſub caud[illegible], & [illegible] at pectus latum & honeſtum, panther[illegible]a pro[illegible]ſus ſpecie, album & maculis ſpadiceis [illegible]ptum. tales ipſi imi [illegible]des. annum agit tertium, ad inuidiam pulcher.

Mopsvs e[illegible]o, formâ qui vinco [illegible]ecla canina;
Quod nolim, in magno corpore nil habeo.
Quodque velim, dominum, dominam, ancillámque volentes
Conciliat probitas ſimplicitaſque mihi.
Ille canis redeat, meruit qui cælica templa,
Si certet, terra hunc, me ſibi cælum habeat.

COROLLARIVM EX SEXTO EMPIRICO LIB. I. PYRR[illegible]N. HYPOT. CAP. XIV.

Ille de ingenio Canis ſic philoſophatur. *F[illegible]ctionem habet. nam capit quæ ſi[illegible] commoda ſunt, fugit noxia: edulia perſequitur, flagello intentato omittit. Sed & artem habet commodorum comparatricem, Venatoriam. Nec verò Virtutis eſt expers. nam cùm Iuſtitia ſit vnicuique ſuum tribuens; canis familiares & benè meritos adulatur, cuſtodit, tuetur: inuadit e[illegible]ternos, aut iniuriam inferentes. Videmus & Prudentem. vt etiam teſtatus [illegible]ſt Homerus, qui Vlyſſem ſuis omnibus ignotum, à ſolo Argo agnitum facit. Secundùm autem Chryſippum, etiam illius tam celebratæ Dial[illegible]cticæ particeps eſt. Ait enim eum tertij notitiam per alia non probata conſequi. vt cùm ad triuium venerit, & cùm iam duas vias indagauerit, per quas fera non iuit, tertiam ne odorans quidem aut dubitans init, & magno per eam impetu fertur. velut ratiocinans. Aut hac, aut iſtac, aut illac tranſit fera: neque autem hac, neque iſtac: ergo illac. Sed & medicus [illegible]ſi ſi[illegible] ſtuca ſit impacta, eam extrahit dentium miniſterio. Si vlcus alibi (quoniam ea ſordentia ægre, facile autem munda curantur) [illegible]cui[illegible] er tabem inde fluentem abſterget. Sed [illegible] Hippocratis præceptum adſeruat. & quoniam pedis med[illegible]a, e[illegible] eius quies; hunc læſum [illegible]ur[illegible]um attollit, [illegible] quantum pot[illegible]*

poteſt ſermat à motu. Cum verò praui humores aggrauant, gramine vehitur, eius que ope quidquid noxium erat expellit. Itaque non mirum, ſi philoſophi aliqui ſe huius animalis nomine voluerint commendari.*

* Cynici.

EPISTOLA XLV

PHILIPPO AYALAE, *deſignato Legato in Galliam.*

VT audiui deſignatum te à Principibus, qui Legati in Gallia munus obires, fateor ex animo me gauiſum. Inter partes aut munia reipub. præcipua, eſt illud tuum, quod impoſitum ſuſtines: & par in te ferendo eſſe, animus hic meus, fine vllo blandimento, dicit. Age, aggredere iſſeque & afflictæ huic Belgicæ, pro tuâ virili, mederc. Ego tibi non culmen, ſed gradum ſtatuo hunc dignitatum ad eas, quò Deus & tua virtus ducent. Me togo ſerió tuum ama, (ed & Neptem (patiaris me addere) quam hîc habes virginem perhoneſtam. Louanij, v.Id.Martias. ∞.IↃC.

EPISTOLA XLVI.

CAROLO MALINAEO, *a conſilijs maritimis.*

EN, etiam ad te V. C. exemplar lucubratiunculæ noſtræ. An mereatur neſcio, neque res magna eſt: ſed Plinius tamen, & hoc ei [illegible], inter ea quæ à te, & primæ etiam claſſis ſiue eruditis ſiue ſapientibus, legi mereantur. O libellum ſtilo, acumine, monitis laudandum: atque vtinam [illegible], capiant, audiant, quibus eſt ſcriptus! Niſi quòd hodie paſſim voces, veteta hæc non eſſe pro noſtro æuo. inepta & falſâ ſententiâ: quaſi alia natura rerum aut hominum, & non illa recta & ſuprema Ratio [illegible] habenas temperet in hoc mundano curru. Pro temporibus, ingeniis, locis, ſ[illegible] variari aut flecti quædam: ſed capitalia illa, vt ſic dicam, monita firma manent, & infirmi ipſi erunt [illegible] philoſophi? in ſermone mallem: meum tamen facio, & [illegible] vel ſapio [illegible] inſanio, vt ille ait: quia in publicis [illegible] & ſapientiâ paro ſum deditus. nec vlla res [illegible] cidet aut efficiet, vt p[illegible]

Sibi habeant ſuas regna reges, ſibi diuitias diuites:

ego cum bonâ mente quietē & modeſtiam, in modico cenſu. Fateor, aut in animo tuo mecum [illegible], cui Reip[illegible] ſic [illegible] haber at

qui [illegible] V. C. [illegible] Kal Maias. ∞.IↃC.

In Oratiunculâ [illegible] ad [illegible] vis [illegible] ris mei nihil reſin[illegible] aut [illegible] na apparc[illegible], [illegible] exemplaria miſis.

EPIST XLVII.

Io. WOVERIO *ſuo* S.

TEMPESTAS te exercuit in W[illegible] & nos exercuit at [illegible] quod [illegible] Res val[illegible] vereor vt, cum [illegible] in [illegible] At D[illegible] & I[illegible] es [illegible] tur. Quid ad iſta tu? inde, vel [illegible] Alpas & [illegible] non in Italiâ, inquis. [illegible] ei omnes vel [illegible]. P[illegible] ſt, [illegible] tudo quæ eutas non [illegible] nt, d[illegible] Philoſophia quæ [illegible] bid[illegible] H[illegible] amplexemur. nam [illegible] aut [illegible] câ, omnia p[illegible] D[illegible] ibi hær[illegible] rux an [illegible] que vacas? ſtudior[illegible] ſodalis ali[illegible] quid in publicis etiam t[illegible] potes. E[illegible] ram P[illegible] in ad[illegible] cè aliquid diſſerui, ſed ex tempore. tam edidi, & ſi facultas [illegible] face[illegible] Tu, ſi ta[illegible] ſt, per [illegible] a, & a M[illegible] pete. Vale mi care Wouer[illegible] & Ment[illegible] ſemper ſ[illegible] , ſemper [illegible] ta. L[illegible] vii. Idus Maias. ∞.IↃC.

EPIST XLVIII.

IOANNI HE[illegible]LARIO *ſuo* S.

QVID tu ad me [illegible] tum [illegible] meum, & [illegible] ae [illegible] petr: qui [illegible] & [illegible] amice [illegible] habe[illegible] (& valde c[illegible] ſuadeam [illegible] ſae. Ad [illegible] & [illegible] bis. Auſim pæne [illegible] proſpi[illegible] tibi d[illegible] Nam de [illegible] io Præſid[illegible] r[illegible] eſt & [illegible] pau[illegible] qu[illegible] in Sequan[illegible]

non deerunt, aut certè ſub Autumnum: nec longa ea eſt mora. Summa, ſi decernis, priùs ad me veni, apud me diuerſare, & à mecum bono Deo in beatam Italiam abi. Louanij, III. Idus Iun. ∞.IↃC.

EPIST. XLIX. *Duacum.*

IACOBO BONFRAEO, *è Soc. Ieſu.*

AMOREM tuũ in me non ſignificas tantùm, ſed probas. Quî magis poſſis, quàm publico iſto munere THESIVM, quas tui mihi inſcribunt? Tui, inquã: id eſt, ipſe tu. Nec enim neſcio non ſolùm dirigente te & hortante, ſed iuuante & faciente hęc concepta, ſcripta, miſſa. Sicut in ſcenam actores prodeunt, poëta latet: ita hîc factum. & tu ille auctor muneris es, alij quaſi larores. Sed muneris mihi gratiſſimi. quod teſtatus apud eos ſum: & tu, ſi videbitur, leges. Enimuerò ſeriò laudo hoc inſtituendi & exercendi genus: vtinam plures imitentur, & paullatim iuuentus in guſtum amoremque ducatur veterum artium rituumque, id eſt, optimorum. Non ita hæc prompta aut obuia, fateor. ſed vt qui gemmas vel aurum quærunt, non ſummam terræ curem leuiter ſtringunt, ſed in viſcera eius penetrant & immergunt: ſic qui veram manſuramque doctrinã, altiùs neceſſum eſt in ſcriptorum loca & ſenſa ſeſe immittant. Felices qui faciunt, talibus doctoribus! Et ſcio D'Auſquium & Heribertum noſtros, monita operaſque conferre. Salura, amabo te: nos te quando incoràm? veni, deinceps cum illis ſeriò amande. Seriò, inquam, mi Bonfræe. & reperies in nobis, eum Euripide, *

* Α᾿φθόνητον ἦθος, [illegible].

* [illegible]

Louanij, III. Idus Sextil. ∞.IↃC.

EPIST. L. *Duacum.*

RHETORIBVS *Collegij Aquicinctini* S. D.

INOPINATÒ vidi & affectum veſtrum in me, & eius teſſeram THESES, quas dedicatum mihi iuiſtis. Fateor animo, gratum mihi vtrumque accidiſſe. affectum, quia ex eo eumdem in bonas honeſtaſque artes colligo. cur enim aliter me ametis? Dedicationem, quia non tam honorem hunc habitum mihi interpretor, quàm ipſis ſtudijs; in quibus nomen aliquod veſtra & benignior fama mihi dedit. Amplector, ô mei iuuenes. quid rependo? monita, vt in hoc caſto & pulcherrimo amore ætatem perſe-

ueretis. Doctores habetis, fato natos (fas ità loqui) ad optimas artes, & cum ijs pietatem excitandam: audire, ſequimini, & militare ſub felici illo ſigno. Conſtantino olim cælitus oſtenſa & deformata ſacra illa crux, cum inſcriptione, *In hoc vince*: vobis ſimile dictum ingeſtumque eſto. & ſub ſacri illius nominis ductu auſpicijſque *Vincite*: quid? ignauiam, & cum eã ſuperbiam, duas peſtes iuuentutis. Fores animi ſi his aperitis: eruditio numquam init, prudentia, aut ſapientia. Fugite, vel potiùs fugate. & ſuboprimis illis gymnaſtis aſſiduè formamini ad doctrinam & virtutem. Aſſiduè, inquã. neque enim vt in agro ſatis eſt ſemel ſementem ieciſſe, & ille accipit, fouet, profert: ſic in animis. qui cottidiano, vt ſic dicam, vomere proſcindendi, & obſerendi ſunt ad meliorem illam frugem. Video & gaudeo vos facere, & ludi iſti non ludi mihi dicunt: quos ego quidem habeo & æſtimo ſuper omnes *Agones ſacros*. Vtinam intereſſe fas! ora videre, voces accipere, & fortaſſis interponere! ſed locorum abiunctio, & magis valetudo, vetant. Ergo igitur votis adſpiro tantùm, & animi iſto occulto fauore ac plauſu excito iam commiſſos. Athletæ mei pergite. & ſicut Mercurius ille apud Homerum talaria, ſiue vt ipſe appellat, καλὰ πέδιλα ſumebat: quæ ferrent eum

* —— Η᾿ μὲν ἐφ᾿ ὑγρὴν,

Η᾿δ᾿ ἐπ᾿ ἀπείρονα γαῖαν, ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο:

* *Seu ſuper vndam, Seu ſuper immenſam terram, auras æquiperantem.*

ſic vos alam duplicem Pietatis & Doctrinæ, quâ ſubuoleris & emineatis ſuper omnia humana. Deum veneror ita ſit, & vos tales aut faciat, aut ſeruet. Louanij, III. Idus Sext. ∞.IↃC.

EPIST. LI. *Leodicum.*

IOANNI DVLLARDO *Canonico & Archidiacono.*

LITTERAS tuas vidi, vel illo argumento gratas, quod per ſe tamen ingratum non ignoras. Quis vel conſtantiſſimus calumniis velit appeti? etſi cùm factum eſt, ſpernit, calcat, vincit. Sed gratum, vt dixi, te ſcribere, & in litteris (coràm non datur) alloqui & frui. Vtinam viarũ ſecuritas iter non impediat! diu eſt eùm Fontes me haberent, & ab illis Liberalia veſtra. Moriar enim, niſi conuictus, fabellæ, candor, benignitas iucunda mihi ſemper apud vos, & voto vſurpanda. Sed nunc voto. rem abnuunt Harpyiæ, quæ omnia infeſtant & fœdant. De Oratiunculâ

autem illâ,quid tu ais? dic ſeriò,non aperit ipſa & reuelat fraudem vel inſpecta? Quid enim in eâ Lipſianum eſt? non ſtilus, non res,non color: & malè nimis ſuſtinet hiſtrio perſonam. Sed iamdiu hæc talia præuidi. prouidi quoque, quod in me quidem fuit, publicâ denuntiatione & velut præconio, quod in fronte libellorum de Cruce exſtat. Nam vetare hæc qui poſſum? non magis quàm Pandati ſagittam Menelaus arcere, quam ille furtim & à ſocijs tectus, immiſit. Vndeuude hæ fraudes, à petulanti & improbo ingenio ſunt, mali exempli ſunt, & Principibus meritò caſtigandi. Illis permittimus, te Vir R^dæ & Cl^me ſaluere iubemus, & communem patronum atque amicum noſtrum, in occaſione, Billéum. Louanij, IX. Kal. Sept. ∞.Iↄc.

EPISTOLA LII.

FRANCISCO ORANO PETRI F. LEODICENSI, I.C^ti TITVLVM HODIE ADEPTO, I. LIPSIVS gratulatur.

QVIDNI autem? è meâ domo & diſciplinâ es. & ſicut arborem qui poſuit, fructus ex eâ cum voluptate carpit: ſic nos hæc gaudia ex ijs, qui ſi non ſati è nobis, tamẽ vt ſic dicam inſiti ſunt, & in meliorem quemdam ſuccũ directione & doctrinâ traducti.

Fortes creantur fortibus,

ait ille: & tu habes, quo parentum inſcriptione glorieris.

—— nec enim externo monitore petendus
Virtutis tibi pulcher amor.

ECCE Patrem habes, illum iuris & æqui non interpretem ſolùm, ſed arbitrũ & adminiſtrum: virum quo nec Iuſtitia iuſtior, nec Integritas integrior, nec Amor pęnè dicam amabilior eſt in illâ comitate & cãdore morũ. Patruos etiam habes, an habuiſti? alterum certè habuiſti (& doleo) illum Romanæ vrbi in amore pariter & cultu: virum incertum an modeſtiâ quietiorem, induſtriâ promptiorem, honore clariorẽ. Quem ſummi noſtri Pontifices in ſummo illo XII. virûm tribunali collocarunt: in quo æquitas, peritia, ſagacitas eius orbi lucerent,

—— trepidis vt dulcia nautis
Lumina noctiuagæ tollit Pharus æmula Lunæ.

QVID Patruum dicam, quem etiã nunc habes? & quidem ſacri illius & fructuoſi Ordinis, qui nominis quod ſupra omne nomen eſt, titulum gerit: in quo vel cenſeri laus eſt, quid? ſed ſileo, & modeſtia eius, ac contemptus vel odium potiùs gloriæ, os mihi frænant. His, dico, maioribus & hoc ſanguine, quid niſi ad magna & alta natum te, tu alijque cenſeant?

Doctrina ſed vim promouet inſitam:

& ſi quid rude in te, poliuit; ſi quid inchoatum, perfecit. Nam parentis curatione, tuâ inclinatione,

—— ſtudiis te protinus anni
Formauere rudes.

& primùm quidem illis rudibus: ſed felici ſidere non in ijs hærens, nec vt ille apud Euripidem,

*—— Πολλῶν γραμμάτων τιμῶν κηπτύς:

* ſummi doctrinarũ colens.

peruadis, eniteris, & ad ipſam Iuriſprudentiæ arcem contendis.

Felix curarum, cui non Heliconia cordi
Serta, nec imbelles Parnaßi è vertice laurus.

QVID autem video? euge, perueniſti. apud ſe collocauit

Aſtræa virgo, ſiderum magnum decus.

& coronam hâc Antiſtitum ſuorum manu impoſuit, quâ clarus honeſtuſque fulgeas, donec in cælo illæ ſtellæ fulgebunt. Sed vt eæ quoque non ſibi, ſed huic orbi, lucent: ſic ad alios nunc ingenij tui lux perueniat. Sicut nauta aliquis,

—— aßiduo cùm Dorida vicerit vſu,
Iam clauum totamque ſubit torquere carinã:

ſic tu poſt quinquennij legitima pericula & curricula, ad reipub. hanc nauim accede: ô in hoc turbido quàm fluctuantem! Accede, inquam, &

Hic conſulta Patrum, leges hic iuraque tractes:

ſed cũ fide (nam peritia adeſt) & religione:

—— Phalaris licet imperet, vt ſis
Falſus, & admoto dictet periuria Tauro.

SICVT amnes, mare qui influunt, ſalſuginem eius non mutant: ſic in te quicũque affectus, ne diluant Iuſtitiæ ſeueritatẽ. Originem & ipſum nomen tuũ cogitas? ORANVS es, CAELESTIS es. alta igitur & pura cogita: ita Deus te ab hac humo & turbis ducat aliquando ad illa ſecura & alta. Sed quid facio? Agamemnon apud Homerum, cùm alios prælio animaſſet, ad Aiaces veniẽs negat ſe id facere, neque decere apud ſponte ſic promptos: item ego in te ſtimulis parco, eorum non egenti. Vota addo tantùm,

Dij ſeruate pio genitori gaudia tantæ
Prolis, & vtrumque hunc patriæ ſeruate roganti.

Louanij, V. Eid. Octob. ∞.Iↄc.

EPIST. LIII. *Bruxellam.*

PHILIPPO RVBENIO *ſuo* S. D.

VIX abiſtis, ecce ſcribo: an non hoc affectus eſt? Fateor, tamen & occaſiuncula eſt, vt has tuâ operâ Lutetiam curem mitti. Qui curſui publico præeſt, is accipiat: & vnà à me ſalutem, & gratias etiam pro officijs quæ exhibuit benignè. In veſtrâ re aliquid decreuit ille prætor? De Italiâ quidem, vt anni tempus video, * ψυχρὰ μὲν ἐλπίς. Tamen, cùm poëtâ,

* *frigida ſpes.*

* Πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί:

* *Multa inſperatò dy dederunt:*

& hîc fortaſſis erit. Magis, ſi Antonium Sequani tenent, & ea quæ ſperata eius iam, an ſponſa? nam ſi ille non abit, faciliùs parens hunc dimittet, fratri Legato etiã ſolatium, vt alias cauſſas omittam. Siquid horum eſt, ſcribe. Quid etiam? de publicis, quæ curate nos, ſine curâ tamen, non neſcis. Galliæ regi res in Allobrogibus ſuccedunt? pax an bellum porrò ſperantur? Noſter & noſtri ceſſant? At mea domus calet, & Baronius iam in apparatu ſollennis pompæ. Non idem in N.N. qui vereor vt aliquot etiam menſes cogatur differre. Heu res intricatas, inquies. Ita ſunt, vbi bellua illa multorum capitum ſe miſcet. Sed peccatum etiam à noſtro, quòd non ſtatim in Catalogum relatus ſit: neque pro ſtudioſo cenſent, qui non inſcriptus. En cauſſam moræ, ipſi mihique moleſtam: ſed mihi eius cauſsâ. Hoc ſcribo, nequid in illo Carmine feſtines: in altero, non ſufflamino te aut ſiſto. Vale mi Rubeni, & noſtrum Guilielmum à me ſaluta. Louanij, v. Kal. Octob. ∞.IↃC. In Haechtianâ re ecquid fit? ſerio equidem commendaram, & velim ſcire de ſucceſſu.

EPIST. LIV. *Romam.*

FRANCISCO ORANO *ſuo* S. D.

PERVENISSE te iam, quò intenderas, id eſt, beatam illam Romam, opinio noſtra eſt & votum. Si ita, quid reſtat, niſi vt alacri pede in viam & veſtigia te des Ampliſſimi patrui tui, cuius fama & gratia illîc etiam flagrant? Fac ô mi alumne, & Probitate, Induſtriâ, Modeſtiâ ducibus ad faſtigium laudis & honoris conſcende. Manet te corona, ſi adniteris, & in aperto ſtadio ſine ignauiâ curris. Commendaui ſummari viro Baronio Cardinali: reperies & alios tui volentes, quoſdam etiã è ſodalibus, cum quibus cautè & iudicio tamen verſare. Antonius noſter illîc eſt, item Laſaillius, & Houius: ij boni honeſtique, & potes debeſque amplecti. vulgus illud populatiũ tuorum ne prehende, qui fraudem, fucum, vitia ſæpè afferunt, & affricant rudibus adhuc & morum ignaris. Hæc ego tibi,

* —— Πατὴρ ὡς ἠπιόμητις
Ἐκ θυμοῦ φιλέων ἐπιτέλλομαι:

* *velut pater ipſe, Ex animo cupiens, conſuadeo.*

audi & ſequere, & quid in re aut ſpe tuâ ſit, ſcribe. Louanij, VIII. Kal. xbres. ∞.IↃC.

Morbus me grauior habuit quattuor ferè ſeptimanas, capite emerſi, corpore adhuc teneor, & animo bono cetera langueur.

EPIST. LV. *Romam.*

CAESARI BARONIO, *Cardinali.*

ILL^{MO} & Reu^{me} Domine, Vereor peccare apud te, & ingeniti mihi pudoris limites tranſilire, dũ ſæpiùs adeò & in alienâ cauſsâ ac gratiâ interpello. Sed quî me ſubtraham? iſteipſe non ſolùm è diſciplinâ meâ, ſed è domo eſt, & plures annos modeſtè atque induſtriè hîc egit. Itaque aditum ad te auidè quærenti, da veniam, ſi breui hoc ſcripto ſtruam: præſertim cùm is ad beatos (ita confidimus) abierit, qui coràm potuit debuitque commendare. Is erat patruus eius, vir clari gratique nominis, Franciſcus Oranus, in Duodecimvirali apud vos concilio: cuius memoria vt nepoti gratiam aliquam conciliet, ego eius vicem rogo. Modeſtum, probum, iuris veteris non imperitum (pro ætate quidem) hunc quoque reperies: & me ſemper, Ill^{me} & Reu^{me} Domine, inter fidos addictoſque tuos clientes. Louan VIII. Kal. xbris. ∞.IↃC.

EPIST. LVI. *Bruxellam,*

NICOLAO DE WEERDT, *I^{do} & Cognato.*

EGO verò tui non obliuiſcor, nec vlla occupatio mihi ſubducat. Flores tamen non miſi: quid ita? in pœnam, vt rectè iudicas, abſentiæ tuæ, & quia vadimonij diem non obiſti Excuſas, ſed aures nũc mihi clauſæ, atque etiam manus. Sed heus, à cognato tuo tamen Batzonio nónne aliquid accepiſti? Dedi equidem, atque inter alia Colchicum album, quod nunc debeat florere. Mitto & ſemina tuliparum, ſtatim deſerenda. Quid videtur? an bonâ fide ſatis iraſcor? velim, ſi poſſim: imò nolim (abſit) nec vmquam

quam in tam mihi caros. Tamen legẽ aliam tibi dicam, vt hoc verno tempore circa Maium nos inuiſas, cùm hortus meus variè floret: atque ibi coràm arbitrere & eligas, quid velis. Spondeo, habebis: ex ijs quidem quæ pluſcula mihi erũt, & diuidi apta. Hoc tempore, terrâ omnia condita, nec poſſim ipſe diſcernere quid mittam, non mittam. Itaque fer breuem moram, & clementiam meam prædica, qui eâ ſolâ contentus ſum pœnæ vicem. Vale mi optime cognate, cum tuâ & meâ carâ, & vtrâque prole: quando & tertiâ? Da nobis, & in ſacris initijs myſtagogum & alterum parentem me voca. Louanij, v. Kal. Octob. ∞.Iↄc.

EPIST. LVII. *Hiſpalim.*

IANO WOVERIO *ſuo* S. D.

VALERE me nuntio, mi Woueri, ſed non valuiſſe. Túne vſque? placent, & hæres etiam in ijs locis? Iterùm ęgrotem, niſi ægrè mihi eſt te ſic abeſſe. Sed vincat voluntas patris, & tua vtilitas, ſi tamen ea adeſt. Res noſtræ rurſum eunt, & pænè ſpes nos relinquit. Quid ſingillarim denarrem? alij ſaciant, mihi morbo ſit vel meminiſſe. Ab illo aſtro an auxiliũ? In Pannonijs Caniſia, vnica in immanem hoſtem arx, amiſſa. In Allobrogibus bellum, & ſerpere ad nos voſque minatur: niſi Pontifex tamen, quod conatur, reſtinguat. Sed abite publica, id eſt, triſtia: in priuatis quid? ceſſare nos aut languidè agere, vt à languore. Tamen Centuriam vnam damus Epiſtolarum, ſed Italicarum aut Hiſpanienſium: & in numerum hunc tu venis. Separauimus enim à Gallicis aut Belgicis, & in fronte earum videbis cauſſam. Illam de Vitâ meâ, & Scriptis expetiſſiſti: deſcripta eſt, ſed ſemel: ſeruatur, & in publico fortaſſis videnda. Cetera noſter Rubenius, quem amo, quem amari à te volo, vt fratrem. Liberale ingenium eſt, & ad optima quęque factũ. Heus, ſcis tu ante biduum Batauos Antuerpiam tuam veniſſe nauibus, Prætotiam noſtram abduxiſſe, & ſeptem aut ſex alias è portu? O miſeriam! ſi nec modica illa pars Scaldis immunis manet ab incurſu & vaſtatione. Quid dicam aut cenſeam? niſi quòd ille

* Ζεὺς Κρονίδης, ὕπατος κρειόντων,

hoſtibus dat robur & gloriam:

* —— Ἡμέτερον δὲ μένος καὶ χεῖρας ἔδησεν.

Ita videtur. ſed in exitu lætiora ſpero, voueo, & pro cauſsâ ſucceſſum. Tu mi ſuauiſſime vale, tutu inquã primò, id eſt, animus, & ab illo corpus. Louan. III. Non. xbres. ∞.Iↄc. Luciano Negronio V. A. & à te laudato S. mitto.

* Rex regũ Saturnia proles,
* noſtraſq; manus vireſq; ligauit.

EPIST. LVIII. *Lutetiam.*

IO. BAPTISTAE PEREZIO BARONIO *ſuo.*

LVTETIA te habet mi Baroni? cur pet te non ſcimus? & tamẽ aduenitſe iam ante dies pluſculos debes, ſi bonus Genius (ita confido) iter tuum ſortunauit. Si es, bono & vſui tuo vt ſis opro & mõneo: & mores ac iudicium ſorines, polias, rum & linguam. In conſuetudine multum eſt, & eam iudicio elige, proborũ, & quos Deus ac virtus amarunt. In tanto illo populo, etiam inter populares tuos, ne cenſe gemmas & aurũ omnes eſſe. Elige, vt dixi: & grandiores atque honeſtiores maximè, à quibus & prudentiæ aliquid trahas & ſplendoris. Inprimis autem, deſtinata & conſilia tua omnia ad Sapientiam, id eſt, ad Deũ refer: certus, hæc nihili eſſe, in quibus verſamur, vinculis iſtis, & velut carcere, compediti. Sicut tota, quæ in terrâ voluitur, parte imâ & minimâ eam rãgit, cetera exſtar & eſt in alto: ſic nos oportet decurrere per hæc humilia, optimâ & maximâ parte altos & ſubleuatos. Eò facient pręcepta veterum ſapientũ, & lectio, quam, per Deum, ne omitte. Sicut limites in agris confundi non ſinunt & miſceri: ſic ſalutaria illa monita coërcent, & animum neque diffundi ad vana illa, nec miſceri. Sed monitionum ſatis. tu de te, de amicis ibi, de publicis etiam tange: ſi quid eſt inſtruendis nobis aut recreandis. Tum has litteras etiam trade, quibus inſcriptas vides: & alterum noſce, bonum ſine exceptione, vt opinor; alterum. ſed ſcis quid non dicendo dicam. Vale mi Baroni, ſemper noſter. Louanij, poſtrid. Non. Decemb. ∞.Iↄc.

EPISTOLA LIX.

OCTAVIO EPISCOPO TRICARICENSI, *Nuncio Apoſtolico.*

IN vnâ re duplex beneficium ſateor me accepiſſe: & quòd miſeris libellum mihi legendum, & quòd talem. Illud enim prius, nónne à benignitate tuâ eſt, & curâ aut æſtimatione etiam aliquâ mei? certè: nec vel in mentem veniſſet, niſi ego eſſem ſæpiùs in mente. At ipſe libellus, non mole ſed bonitate pretium habet. inuentione nouitius,

diſpo-

diſpoſitione, & totâ tractatione, laudabilis. Theologus eſt qui ſcripſit? agnoſcis igitur & Theologiam, ſed modicè; &, vt ſalem, inſperſam. Philoſophiam variè miſcet, à naturâ, à moribus, à ciuili gubernatione: & hæc omnia ingenio & ſubtilitate commendantur. Dicam quod res eſt. ſi hic liber breuior etiam fiat, id eſt in methodum & velut tabulam contrahatur: plus laudis, atque etiam fructus habeat, cùm in vno aſpectu vtrumque hoc corpus, & Humanum & Ciuile, liceret intueri: idque à nouo iſto Prometheo adfabrè aptatum & iunctum. Nam excurſus etſi haud magni, tamen leues ſæpè aut proprij ſunt, nec niſi Galliam ferè tangunt. Ecce, Ill^me^ & Reu^me^ Domine, meũ ſuper hoc ſcripto arbitrium: ſed arbitrium, & quod iudicium tuum ſpectat. quem Deus ſuo honori, Eccleſiæ bono, & noſtris vſibus vel tria ſæcla ſeruet. Louanij, prid. Idus xbres. ∞.IↃC.

EPIST. LX. *Mediolanum.*

LVDOVICO SEPTALIO *Doct. Medico.*

Ecce ad te litteras ab eo quem amas qui te amat: nonne hęc ſatis iuſta cauſſa ſcribendi? Vt vulgò amantes nihil æquè auent, ac colloqui: ſic puto in verâ animorum amicitiâ eſſe, qui gaudent affatu ſe aperire & iungi, aut certè ſcriptione eius vicem. Facio mi Septali, te adeò, & munus adeò offero. quod illud? pande ſinum, in eum accipiẽdus ſum, ego ipſe qui ſcribo. Me inquam offero: vis à me grandius aut melius? & cum fide offero, mancipio iam antè tuum, nunc vſu etiam & litterarum commercio, ſi voles. Voles autem, aut quæ ſcripſi reſcribo, & me recipio, qui volens non niſi volentis eſſe poſſum. Vale, & Puteanum etiam noſtrum mecum ama. Louanij, xv. Kal. Ianuar. ∞.IↃCI.

EPISTOLA LXI.

GVILIELMO SCARBERGERO *ſuo.*

Gavdeo, gaudeo ex animo mi Scarbergere, ſaluum te in Italiam, ex Italiâ in Galliam, & ô ſi ad nos, veniſſe. Quando fiet? non tui te magis & tuus ſanguis, quàm ego exſpecto: & videre deſidero ſtirpem illam noſtram, quæ iam in viri robur & modum, vt opinor, adoleuit. Diu hercules peregrinari te, non ego auctor. & Platoni propior ſum, vetanti ciues à ſuâ Republicâ diu abeſſe, imò (niſi in certâ ætate) abeſſe. Etſi turbæ tamen noſtræ cauſſam vel prætextum abſentiæ præbent: ſed quando ſedandæ? Exul ætatem à patriâ ſis vereor, ſi tranquillitatem & quietem apud nos exſpectas. Apud te, apud te potiùs mi Scarbergere. & animo ſic componere, vt gaudium & quies tibi ex te ſit, cetera vt flumen cenſeas labi. Veni igitur, & ad nos primitus. nam & via per nos te ducit ad parentes. Vale optatiſſime. Louanij, IV. Kal. Ianuar. ∞.IↃCI.

EPIST. LXII. *Duacum.*

CLAVDIO DAVSQVIO, *è Soc. Ieſu.*

Tva libens vidi, libentior legi & ruminatus ſum: ſanè polita, & quibus lima mea detereere aliquid potuerit, non leui are aut ornare. Itaque eam inſuper habui, vt nec libuit, nec mos meus eſt, * περιεργάζεσθαι. Μὴ ἄξιον ἴκοιμι, niſi recta hæc, non * ἐλλιπῆ, loquar. Voluiſſem inquirere [illegible] in ſenten[illegible]tiam, fateor: ſed ipſius Baſilij copia mihi aut inſpectio non fuit. Quid autem opus eſt? tecum iſtis ante me & alios etiam, qui proceres ſibi videntur, eſſe, liquidò ſcio: ſume fiduciam ex merito, ſed non ſuperbiam, quæ nec in ingenium tuum, nec vitæ genus cadit. Morbus me nuper concuſſit, & inſultauit deiecto victor: ſed ille ſummus iterùm erexit, & ſtare in muris dedit, ſi non in acie pugnare. Senecam affeci, an confecturus eam prouinciam neſcio. nam præter languorem & alias occupatiunculas, etiam faſtidium irrepſit, & tædium habet vniuſmodi laboris. Epiſtolas cœpi dare, & nunc CENTVRIAM SINGVLAREM ad Hiſpanos & Italos: ordine ad gentes alias meoſque Belgas, ſi Deus & fauor etiam publicus volent. Nam valdè excitati nos, non dicam: & publica ſiue priuata video,

* Κήδεά μοι καὶ μᾶλλον ἐνὶ φρεσὶν, ἤπερ ἄεθλα.

Saluere te mi Dauſqui, animitus opto, & meliorem mei partem per tuas preces. Louanij, XII. Kal. Febr. ∞.IↃCI.

Seriùs tua ſcripta accepi, id eſt ante dies IX. aut X. ne tarditatem accuſes. Epigrammation habes, quod tuis præſcripſi.

* ſuperflua agere. Nec diminutas [illegible]

* Curæ nũc magę ſunt, quàm pra[...]mia pectora noſtro.

IN D. BASILII SELEVCIENSIS ORATIONES *verſas à* CLAVDIO DAVSQVIO *Soc. Ieſu*, I. LIPSII *Epigrammation.*

GRAECA vertere, vertit in frequentem
Vſum nunc hodie, ſed ânne laudem?
Non hercles. neque verſio omnis audit
Fida ſenſibus, aut polita verbis.
Quod qui præſtitit, ille laudis omne
Punctum, iudice me, tulit: tuliſti
Omni iudice tu, erudite Dauſqui,
Qui ſacrum Baſilij & elegantem
Librum, veſte decenter induiſti
Romanâ: atque adeò decenter, inquam,
Vt iam pallia ſpernat, & Seleuci
Vrbem pra Latiare mutet orbe.

EPIST. LXIII. *Romam.*

ANTONIO RICHARDOTO *ſuo* S. D.

MEAS te nondum accepiſſe video, etſi miſſas ante binos ferè menſes: at ego tuas iam ternas. quam diligentiam amare me fateor, quare? quia teipſum. Suaue audire de te, amare: & in litteris quaſi videre atque alloqui, cùm incoràm non datur. Delectat etiam in tuis litteris, quòd Roma te capit: etſi quem non, qui ſit ingenuâ & altâ mente? Multa ibi vetus & noua inſpectio, multus ſplendor rerum atque hominum: & denique confluxus quidam ex omni orbe, quos vel ſacræ vel profanæ cauſſæ (ſed magis illæ) eò traxerunt. Itaque non tam in vrbe, quàm in altâ quadam ſpeculâ atque arce mihi eſſe videtur, qui Romæ agit: vnde diſpectio & inquiſitio ſit in omnes partes, & quod ſequitur, cognitio rerum varia, cum fructu maiore neſcio, an voluptate. O beatum te peregrinationis! præſertim quam ſine curâ altâ ſubis, in contubernio Ampliſſimi fratris tui, cuius munus & dignitas omnia tibi & peruia facit & tuta. Fruere igitur, & dum licet amplectere, & in ſinu te merge formoſæ illius Diuæ: me riuali & æmulo, non nego. & quamquam caneſcenre iam capire, amor hic etiam me habet, & feram mecum ad Orci illum theſaurum. Sed mihi amare, tibi potiri etiam datur: vide quò eam, fungere & meam vicem, ac vide & obſerua quod narratum etiam nos doceat aut delectet. Delectet inquam, cùm redieris:

Et non antè mihi langueſcant lumina morte,

quàm tua illa meis applicem, & reducem brachijs iſtis teneam & ſtringam. Publica, quæ illîc, per te didici: de noſtris reponere velim, ſed vtinam læta! In te non ſunt, ſpes fouet, etſi frigida; quia non actio ſolùm omnis, ſed ſermo elanguit de pace. Atqui bello vt res tranquillemus, vt pertinaciâ & loco munitas partes vincamus, votum eſt: quod vtinam ille Deus ratum reddat! Vtinam & de pace inter Gallum atque Allobrogem, quod fama tecens iamnunc adfert! Nam profectò illo rege, non dicam inimico, ſed dubiè amico, res ſpeſque noſtræ in arctum coguntur, & hoſtis câput atque animos valdè tollit. Sed quid ego

—— æternis minorem
Conſilijs animum fatigo?

Deo, & qui illi proximi ſunt Principibus, hæc relinquo: te valere cupio, & ſemper

Quò te cæleſtis Sapientia duxerit, ire.

Louanij, x. Kal. Februar. ∞ IↄCI.

Mea Iuno & mei te ſalutant. Eſt ibi *Io. Hemelarius* in familiâ Cardinalis Cæſij, gente Batauus, honeſti animi ac ſtudij adoleſcens. an videris obiter apud me & noris, neſcio: ſi non, adi & iam noſce, familiaritate tuâ dignum. Iubilæum trans Alpes iturum ſperabamus; & inter primos frui: ſi non, feremus

Quidquid corrigere eſt nefas.

EPIST. LXIV. *Bruxellam.*

REMACLO ROBERTI S. D.

ACCEPI vnà cum litteris tuis libellum, quem legendum dederam: atque is ſecum alium etiam traxit. Legi. ornata ſunt, ſed non ſine affectariunculâ, quæ mihi ſemper odioſa. De pace cum Allobrogum dynaſtâ, Deus fortunet, & ratum eſſe velit. Res magna eſt, & multis inopinata, pro ingenio, vel regis, vel gentis. Sed benè ſanè & opportunè cecidit, non ſolùm noſtris rebus iſtis, quas in arctum id bellum cogebat, ſed vniuersè Europæis, & periculum præſens imminebat ab immani & iurato illo hoſte. Etiamnunc imò imminet, ſed fœdere & iunctis viribus faciliùs depellendum. Vtinam diem hunc fidi mutuiq; conſenſus inter reges videam! ſed pro æui moribus, ſubdola multa & flexuoſa inretueniunt: & clàm per machinas fraudeſque noxij ſunt, qui palàm & honeſtè non poſſunt. De re tuâ priuatâ, vellem prolixior ſpes eſſet. ſed & hanc acciſam ego fouere non deſinam & vegetare nouâ commendatione, vt cupis, apud Legatum:

tum: vtinam tam efficace, quàm volente! Quod ſcribis ſubmiſſurum te quædam interim publica, ſi nuncium aut hominem certum haberes: ecce tibi iſtum qui has tradet, notæ fidei & induſtriæ. potes, me ſponſore, vti. Liber epiſtolarum cùm venerit (ſed vereor vt pluſculi dies intercedant, ob hoc frigus quod retardabit:) ſed cùm venerit, ſtatim habebis, & per te Legatus. Vale vir amice. Louanij, Nonis Febr. ∞.IↃct.

EPIST. LXV. *Mechliniam.*

IOANNI BERNARTIO S. D.

Ecce epiſtolas, quas cum alijs, ſed tu calidè, expreſſiſti. Quid ais? ſeriò & more maiorum, ſunt tanti? an ſingulæ placere fortaſſe potuerunt (ita eſt in hoc genere) vix vniuerſæ? Sed vtcumque iudicatio erit, res facta eſt; &, vt poëta princeps ait,

* ——— Οὐδέ τι μῆχος
Ῥεχθέντος κακοῦ ἐστ᾽ ἄκος εὑρεῖν.

* *non modo vllus id factum reuocare.*

O quoties ego vobis, quos ſubſannare ſolebã, pæne inuideo! vobis dico, qui Genium veſtrum propitiatis, ab arte & operâ veſtrâ viuitis, ſecuri potentium & Aulæ. Mihi crede, ne muta. ſapere pulchrum, ſed ſibi ſapere: famam & ſcripta hoc æuo ſpargere, vereor vt adſideat * filio Græcanici apud Troiam regis. Sed nobis vela vertere, ſerum eſt: complicare ea & tollere, hoc licet. faciemuſque etiam cum excuſatione iuſtiſſimâ: quia profectò

* *Orestis.*

——— *nos fortior ætas*
Iam fugit, & votis tantùm precibuſq; iuuamus.

Tu vale mi Bernarti, & meliori æuo te tuoſque Deus ſeruet. Louanij, IX. Kal. Mart. ∞.IↃct.

EPIST. LXVI. *Mantuam.*

ANTONIO BEFFAE NEGRINO S. D.

Epiſtolam tuam ego verò gratam habui, in quâ tam viuus & ardés mei amor expreſſus. Itaque nihil opus de Velſero meo, Hercule veſtro, aut alio proxenetâ interponere: ipſe mihi per te carus eſſe poteras, & præſertim ab ijs dotibus ingenij tui (ſcriptio docet) commẽdatus. Quòd imaginem mei vidiſſe ſcribis, miſſam à Velſero, benè eſt: illud mutem, ſi poſſim, de elogio, quod ille vir nimis amãter ſuperſcripſit & ſubſcripſit. Non ſum ille, quem me facit, eſſe conor: & has tales laudes, non iudicia habeo, ſed monita & incitamenta. Simile in vtroque verſu tuo ad me miſſo: in quo omnia, præter fidem, laudo. Et verò mi amice (ſic iam appello) quid magnũ effici à nobis poteſt, vel priuatim inter languores meos, vel publicè inter turbas? Eæ manent, & inuidere pænè dicam Italiæ veſtræ cogunt, vbi nunc

Pax ſecura locis, & tranquillæ otia vitæ,
Et numquam turbata quies.

O fruimini, & interdum miſerantes oculos ad nos reflectite, qui iactamur, & ſine ſpe portus. Certè Parca mihi lumina claudet, priuſquam Deus limina hæc noſtri Iani. Ferro, & Herculem Achillem in oculis (animi, dico) quem benignè ſic iudicas in me affectum. Idem à me repone, ſoluam, & tempore à vobis vinci potui, in modo pariabo. Louanij, XVI. Kal. April. ∞.IↃct.

EPIST. LXVII. *Bruxellam.*

MARCO AVRELIO VALLENSI. *Illmo Nuncio à Conſilijs & auditionibus.*

Litteras ex Italiâ te mittente accepi, gratiores (ingenuè dico) quia te ſic benignè mittente. Priuatim aliquid meritum me, non poſſum dicere: ſed iam antè & ex ſermone, & ex vultu ipſo tuo vidi in me affectum. quem redamare & æſtimare magis debeo, quia, vt dixi, nullo meo beneficio vel officio prouocaui. At velle me, hoc fateor; & ſeriò rogo ſi vſus mei non dicam tibi, ſed tuis ſit, ſignificatum velis, id eſt, impetratum. Nam voluntati tuæ (quam honeſtam ſemper fore ſcio) mea hæc deuincta: quod credere te equidem cupio, & magis, experiri. Louanij, Idibus Martijs. ∞.IↃct.

EPIST. LXVIII. *Brugas.*

HVBERTO AVDEIANTIO *ſuo* S. D.

Bene eſt vos perueniſſe incolumes, velim & re rediſſe. Nam non nego, operã tuam deſidero: erſi libens aliquot etiã dies cõcedo, vel rei, vel animo tuo. Sed tu ad nos, quantum commodè poteſt: etiam ſtudia tua te poſcunt. quæ ſi peragere apud me viſum tibi tuiſque, licet; & gratum te ſemper habui & habebo. Magni oneris aut auocamenti numquam imponam. Anchemantum noſtrũ video Brugas veſtras citò ire deſertum.

* ——— Μέγας αὐτὸν θυμὸς ἐπείγει
Δήμου ἐς ἀλλοδαπὸν ἰέναι:

* *mens nempe illum acris adurget in terras alias proficiſci.*

quod Deum precor cum ſecuritate faciat & fructu. Molem belli ne in vos ingruat, vos

timetis, nos ſuſpicamur: ſed tamen in biuio ſententiæ, donec hoſtis alibi certò ſiſtat, & pedem firmet. Vah, eò ventum, vt illi pauculi & nuper imbecilli, non contenti repugnare, vltro laceſſant? ventum, & plura indigna fient, niſi domi bellíque emendemur. Sed deſino querelarum: ad amicũ noſtrum Wyngardum lætiore cogitatione eo, quem corde * ἀσπάζομαι: quando brachijs facturus? tu ſpem inijcis, neſcio an fulcro nixam: ſed vt erit, amo virum, magno illi & æterno amico noſtro (Busbequium dico) amicum & heredem. In quem Carmen noſtrum, ſi tanti eſt à ſeſe, (affectu ſcio bonum) vulget, ſculpat, vtatur, vbi & quando ei viſum. Sed heus, de floribus, veteri & ingenuâ noſtrâ delectatione, quis ſpem ibi facit? quis tam amicè offert? ille dictus, an Pamelius, an quis alius? quicumque, næ ille me grato munere honeſtarit, qui ſubmitter. Addo & opportuno. nam hæc hiems & niues, quidquid mihi elegans, enecarũt. Ecce * πένθος, vbi * πα-[illegible]? omni Helenâ acceptior, ſi quis propinat. Quæris de hoc aut illo flore: nugæ. omnes grati meliores aut rariores, ſed inter omnes Tulipæ ſelectiores, quas * ἰδιοπαθείᾳ quâdã amo. Tu me & bona, mi Audeianti. Parentem vtrumque amicè reſaluto. Louanij, XI. Kal. April. ∞.IↃCI. Lernutio noſtro iterùm ſalutem & vxori voueo.

* ſaluto

* luctum,
* leuamen luctus

* propriâ affectione

EPISTOLA LXIX.

Philippo Ayalae, *Legato PRR. NN. apud Regem Galliæ.*

NIHIL præter affectũ me impulit ſcribere, & fortaſſe quia etiam diſcedenti ſic promiſi. Sed argumenti alioqui parum eſt: & res apud nos lentæ, & cum anni tempore frigentes. Apparatus Batauorum audimus, conſilia & ſcopum nondum videmus. Sunt qui de maritimis Flandriæ ſuſpicentur, quæ tuta ijs eſſe valdè interſit: ſed difficile opus videtur, præſertim noſtris iam paratis & intentis. Si à veſtris illis partibus quies ſit & pax fida, magni metus cauſſa non eſt, modò vt vigilemus. Ab Hiſpaniâ auxilia exſpectati dicebantur, ſed dicebantur: & fama iam tefrixit. Pacem Allobrogicam, diu vacillantem, nunc denique firmam habebamus: ſed an conditionibus pactiſque illis primis, an aliquid mutatum? Factam eam, mihi videtur pro noſtro, imò Chriſtiani orbis bono: Aſiatico illo hoſte ſic inualeſcente, & non vnâ in Pannonijs nuper plagâ. Nam Caniſiæ turpiter amiſſæ acceſſit de Tranſiluaniâ turbatâ dicam, an & ipsâ amiſſâ? Ego hoc vereor, vt initia & progreſſus ſunt, denique vt animi populariter ab Auſtriacis auerſi. Deus meliora donet, & te Vir Nobilis & Cl^me in munere tuo dirigat, è re Principum, & tuâ famâ. Louanij, VIII. Kal. April. ∞.IↃCI.

EPIST. LXX. *Mediolanum.*

Ludovico Septalio V. C.

AMANDO me anteueniſti, fateri debeo: at non ſcribendo, etſi caſus aut mala fraus litteras meas retardauit, an oppreſſit? Sed ſcripſi hercules, & miſi: atque en hîc exemplar. Intereà de amore, debere me tibi fateor tamen: quid fateor? reſcribo, & reddere me tibi ampliter adſero, non debere. Solò tempore, non modo aut magnitudine me antecedas. Quod facio equidem iuſtiſſimè, non ab illo ſolùm affectu impulſus, quem in ipſum me habes: ſed & quem propter me (ita intellego) in meum Puteanum. Quem iuuenem raris ingenij dotibus, & animi vitæque candore, ad vos miſi ornandũ tuendumque: quoniam parùm opportuna nunc ei hæc patria, tota armorum & turbarum. At Italia quieſcit, viget, floret, mihi ipſi optata nuper & ſperata: quod ſi fuiſſet, quo meo gaudio? quo nexu vos tales, animo iunctos, etiam corpori appreſſiſſem?

—— quod ſubdere robur
Illa dies, quantum potuit dempſiſſe ſenectæ?

Ita loquor, de ſenectâ. quæ maturior ingruit, & per tædia hæc temporum occupauit. Summi poëtæ illud noſti,

* Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσιν.

Nam anni alioqui non premunt, & LIV. iam etatem ingreſſus, an ad calcem decurrendum? Deus viderit, æquo me in vtramuis partem: & te Vir Cl. alterum Æſculapium tuæ patriæ, mihi amicum ſeruet. Louanij, VI. Kal. April. ∞.IↃ.XCI.

* Nam citò [illegible] in mærore ſeneſcunt.

EPIST. LXXI. *Tornacum.*

Dionysio Villerio S. D.

LIBENS imò lætus litteras tuas vidi, veteris & puri in me affectus teſtes. Inuitas in domum tuam: & quidni ſequar? Micaulrius reuocat, amicus & ille fateor: ſed tu æuo & tempore certè antecedis. Itaque ſi in loca veſtra vmquam venio (ſpero autem & deſtino, breuî:) rectà in tuam domum,

&

& corpore ac contubernio ſociabimur, qui animo iamdudum ſumus iuncti. O ſuauis mihi in hac ætate recordatio priorum & iuuenilium annorum! ô firmam & inconcuſſam, in omni motu temporum, tuam fidem! Quæ certè animum meum titillat, imò percutit, ſed ſuaui thyrſo voluptatis. Vtinam publica materiam ſic lætam ſuppeditent! quæ nunc quidem (apud te dixerim) fluere mihi videntur aduerſa non Auſtriacis tantùm, ſed Chriſtianæ rei. Ciuilia hæc & finitima bella omitto: quæ aliqua pactio aut fortuna ponat vel abrumpat: ſed illa Pannonica & Dacica, quid niſi iugulum noſtrum & ſalutem petunt? Ingraueſcit ille Barbarus hoſtis, agit & fert res vrbeſque noſtras: & nuper Caniſiâ, nunc Daciâ amiſsâ (ita audiebamus) aut certè alienatâ, quid niſi latus & tutus illi limes in penetralia Europæ noſtræ? Doleo & excrucior, cùm hæc audio: nec ob euentus ipſos, ſed eorum cauſſas. quas è ſecordiâ ſimul & ſuperbiâ noſtrâ eſſe, vtinam ne verè dicam. Intereà gens finitima nobis, pacata agit, & ſurgit in ſuis finibus: & paullatim vires colligit, citò aut ſerò in nos exercendas. Enimuerò ſupremum illum aurigam video currum hunc noſtrum regere & flectere, ſed ad Murciæ ædem, non ad Solis & optatas illas victoribus metas. Feramus, & philoſophemur: quod olim conſilio, nunc neceſſitate faciendum: & alijs excuſſi, ad Conſtantiæ illam anchoram adhæreſcamus. Sed hæc omitto triſticula: ad vos adſpiro (ſed in tempore) alacer & ſepoſitis curis,

Pinguis vt inde domum poſsim phæaxque reuerti.

Tu talis me exſpecta, & talem (Deus audiat) redde. Louanij, III. Idus April. ∞.IↃCI.

EPISTOLA LXXII.

P. PANTINO *Decano Bruxellenſi.*

VIDES incluſam epiſtolam, non etiam quod in ipsâ. Quid? inquies. mortuale aliquid, & Epitaphia inſcriptio, quam concinnaui forti viro & duci Gaſpari Zapenæ, rogatu Ludouici Blaſci. Ad hunc mitto, & rogo vt ſi quid mutandum, de tuâ ſententiâ fiat: ad quem ſanè rectâ ire poterant, me non appellato. Quid enim ego hîc melius? ſed fatum noſtrum eſt his talibuſque diſtrahi, vt deſtinatis noſtris ſcriptiunculis vix ſit locus aut tempus. O Politiane, quàm ſæpè mihi querela tua ſimilis in mente! & tamen aſſero, & liquidò etiam iurem, plures menſes me perdere & perdidiſſe, & perditurum etiam addo, in hiſce auocationibus, quàm te dies. Etſi reuoco illud, perdidiſſe. nam benè & ſæpè vtiliter opera ſumitur, quæ amico aut officio imputatur. Talia pleraque iſta. nam quòd ambitio mea ad hæc non eat, ſatis ego ſcio. Valere te opto, Vir Reu^de & Cl^me, & breuî nos ſpolia illa tua è Græciâ videre: è quâ iamnunc ad me epiſtola à Cyrillo, magno Archimandritâ Alexandriæ & Exarcho (ij tituli ſunt) ſed ſcripta * λογίμως, vt captus eſt captiuæ quidem huius Græciæ. Iterùm vale. Louanij, XIII. Kal. Maijas. ∞.IↃCI.

* *eruditè.*

EPIST. LXXIII. *Bruxellam.*

NICOLAO BRANDIO, *Conſiliario.*

EX longo interuallo, en meam manum. Cur non anteà? inopiâ non amoris, ſed argumenti: nec id te fugit. Nunc cùm EPISTOLAS cœpi edere, en tibi libamentum, quo volentem te iterùm & propitium reddam, ſi tamen ſubduxiſti aut contraxiſti. Vtinam & manum tuam laxem? Quid hoc eſt? inquies. quod ſolet: ad fontem vberem venio, & aquam poſtulo: arborem onuſtam concutio, & fructus velim legere. Sine ambagibus. ecce meus hortus cladem accepit, hac acritate hiemis, pluſquam Cannenſem. Pauci militum melioris & ingenui ſanguinis ſuperſunt: ad ſeruos redigimur, & honeſto nomine Volones. Tu aliquid ſuppeditas? Quid? inquies, defini. Iam dixi, Volones me quærere: ergo quidquid tu voles. Nam bonâ fide, non iam eligo, nec quo expleam aut ornem requiro: ſed quo nouum velut hortulum pangam. Iuua, iuua: & tuæ mortalitatis quoque memor, amici funera ſubleua & ſolare, non leſſo aut verbis, ſed manu & factis. Quid tibi videor? vrbanam, imò fori veſtri, frontem ſumpſi, & aliàs vel ad vitium verecundus, totam illam pro ſalute horti, id eſt delicij mei vnici, poſui. Vale V.C. Louanij, V. Kal. Maijas. ∞.IↃCI.

Carmen hîc habes, in re hortenſi meâ ſubitò ſcriptum: quo fine? vt tuum aliquid eliciam. mitte.

IN

In Pinvm arborem ex opaco et obsito in hortvm svvm translatam.

Arbor, quæ meliore cælo & aurâ
Noſtro pangeris hortulo, arbor olim
Sacra DIs tribus: & Deûm parenti, &
Fauno capripedi, ſimulque Pani:
Arbor myſtica, quæ comâ virente
Gaudes creſcere, & es perennioris
Naturæ nota: tu meo virenti
Sic vinas vireasque ſemper horto,
Vt quarto quoque numini ſacreris.
Nam Muſam colimus: ſacratur ipſi
Muſæ hic hortus, & hortuli colonus.
Creſce ergo hâc mihi lege, tolle culmen
Cæli ad ſidera, tolle nomen vnâ
Muſæ: audebône dicere? & coloni.

EPIST. LXXIV. *Romam.*

Antonio Richardoto *ſuo* S. D.

Semper enim te meum appellabo, & nec tempus eripiet, nec loca diuellét. Quamdiu autem ibi? volente & nolente me, vt rem dicam. Nam eſſe te quidem in illâ luce gentium, improbare non poſſum: ſed ſatis diu fuiſſe, animus mihi dicit, & ſuadet propiorem fieri nobis. Ætatē parentis & tuam cùm video, velim te quò deſtinaris ire, id eſt ad coniugium, & grandæuo parenti tuo nepotes eiuſdem ſanguinis & nominis etiam dare. Vnde hoc mihi in mentē? quia & Gulielmum noſtrum, qui mihi adeſt, iter illud velim ingredi, & te regredi illo vicario quaſi dato. Hæc à voluntate eius pendere, contra quem nihil velle debes, ſcio: ſed ad eum in occaſione ego ſcripſi, & puto diuerſum ab hoc conſilio non eſſe. Tamen ſuſtinendum eſt, & decretum illud exſpectandum: intereà à virtute & modeſtiâ non abeundum. Ab hac minimè. quæ omnes tuas dotes alias (Deus largiter dedit) commendet: & per quam verè ſis, quod poëta dicit de ſuo Mercurio,

——— *Superis Deorum Gratus & imis.*

De me autem, exactis his Ieiuniorū diebus mediocriter valeo: per eos langui, & animo & corpore pęnè collapſus. Epistolas edidi ad illos alioſque Heſperios, & inſcripſi Card. Borromæo: illinc alij ſque ſatis probatas? Lubet audire iudicia: non quia ſequar ſemper, ſed quia nec ſpernā. Ceterùm ipſum Cardinalem ſemper ego in magno habui colere, vel virtutis eius quæ eminet, vel beniuolentiæ in me, cauſſâ. Miſimus & ad te exemplar: & voluiſſem ad te vnū, vt primus traderes, ſi in mente mihi fuiſſet. Domus mea nunc minùs frequens, & paullatim in ſolitudinem, id eſt quietem redigor, meis ordine ſingularim digreſſis. Nam alios non ſublego: non quia priores diſplicuerint, ſed ne diſpliceant ſequentes. Varia ingenia, nec lubet vltrà periclitari. Quod ad publica, nihil nuncio, quia nihil agimus aut patimur, extra pacem magis (vt nunc res eſt) quàm in bello. Sed vtinam ipſa illa pax (ô Dei ſummū munus!) nos reſpiciat tam benigno vultu, quàm vicinos: qui fruuntur eâ & fruentur, niſi malâ ambitione aut cupidine ipſi eam pellent. In Italiâ nuper mirificos apparatus audiebamus, & magnarum rerum minas: ſed minas, & nunciant nunc diuulſas eas copias, & partem ad nos aduentare. Mallem in Thraeas, ne mentiar: niſi tamen, quod bello hîc manente, miles opus eſt, vtinam tamen compoſitus & ſub diſciplinâ. Reges, & Rex ille regum, videbunt: ego humana æquo animo atque oculis aſpiciam; te illo, quando & iſtis mi Richardote? Deus breuî faciat, & te ſpei parentis & noſtræ ſeruet. Louanij, prid. Kal. Maijas. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXV. *Auguſtam.*

Marco Velsero S. D.

Beffae Negrini litteras per te accepi, etſi iam antè ſimili argumento & pænè verbis alteras, quibus cùm reſponderim, non videbatur operæ nunc iterare. Ad Delrium noſtrum ecce habes. Satin' vt te vtimur, an abutimur? Sed hæc tua benignitas eſt in omne litteratorum nomen, *quæ te ad cæleſtem gloriam efferet*, vt Auguſti verbis hoc dicam. De epiſtolis noſtris, quòd Billiodo dante videris, gratum eſt: ſed an non & me mittente? Miſi enim certè, & te velut inter familiares Lares habeo, quibus primis offeram hæc libamenta. Vtinam melioris rei: & tu tamen vrges vt reliquas: dabo, dabo, gratia an infamia veſtra ſuaſorum eſto. Accingebā me ad iter in noſtros Neruios, quos finitimos nondum vidi: etſi amici illîc boni & multi. Nunc me ijs daturus dies aliquot eram, & corpus atque animum refecturus, ſi Deus annuet: quem tutorem tibi mihique, ô virorum optime, precor. Louanij, prid. Kal. Maijas, ∞.IↃCI.

EPIST.

EPIST. LXXVI. *Bruxellam.*

GASPARI TAIO V. N.

DEVS bone, tuam benignitatẽ! Munera mittis multa, rara, & quibus in gaudiũ etſi datum me fateor, tamen addo & ruborem. Nam quo meo merito? Promiſerã, inquies. Imò potiùs ſpem feceras, nec actio certè mihi tecum ex ſtipulatu. Totum, vt dixi, eſt benignitatis tuæ: & tantò plus debeo, quò minor fuit eius cauſſa. A me certè nihil elicuit niſi forte inſitus animo huic in magnum parentem tuum (nunc inter beatos) amor ſimul & cultus: quem virum Bruxella noſtra habuit, in tenebris turbiſque iſtis temporum, ductorem, tutorem, vindicem contra mala & malos qui imminebant. Deus illum eripuit, te eius germen reliquit, veſtigijs iiſdem inſiſtentem probitatis, fidei, & priſcæ virtutis. Sed hæc deſino, gratias agere paro, ſed paro. Verba deſunt, animus ſupereſt: & ſcito tamen breuiter & fidè, nihil te potuiſſe gratius pro ingenio meo mittere, qui illis hortenſibus delicijs vnicè delector & velut paſcor, vbi animum vel languor vel occupatio deiecit ſiue exhauſit. Debeo ergo tibi non vt amico tantùm, ſed vt medico: qui & animum meum recreas, & corpus reficis: quæ vtraque, Vir Nobilis, vt diu ſana habeas, intimum meum eſt votum. Fratrem tuũ aduenisse incolumem, gaudeo: ſpero, Louanium ſuum reuiſet, nos vnà, & amplectemur. Ibidem, prid. Kal. Maijas, ∞.IↃCI.

EPIST. LXXVII. *Romam.*

CYNTHIO ALDOBRANDINO *Cardinali* S. D.

DECORI limites egredi, & exclamare ſtatim initio cogor, O, benignitatem! ô quo alio nomine appellẽ hunc mixtum ex amore & promptitudine affectum? Promptitudine, quæ te in iſto culmine (ignoſce) non decet. Túne ad vnas meas bis ſcribas & reſpondeas? nam ita factũ: ſemel ipſis, & anteà exſpectationi earum & ſpei. Iterùm, ô benignitatem! quâ me quidem ſic capis & tuum facis, vt ſi ære olim & librâ emiſſes. Itaque vt in pauca ſed fida verba conferam, mancipio me tuum habes: imò mancipiũ, ſi tamen id verbi tuus meuſque ingenuus animus admittat. Quem animum ſeriò Illuſtriſ. & Reuerendiſ. Domine ad te mitto: habitet atque hæreat, quamdiu in corpore iſte habitabit. Fas & Fides audite. Louanij, Kal. Maijs, ∞.IↃCI.

EPIST. LXXVIII. *Bruxellam.*

HENRICO VANNETTEN, *Præſidi Ærarij Principum in Brabantiâ.*

FILIVM tuum reducem libens vidi, & vel ex eo gaudium tuum cognoui. Si enim nos alieni afficimur erga notos vel diſcipulos: quantò magis parentes erga ſanguinem ſuum & ſtirpem? Gratulor ergo tibi hoc gaudium, & vt alat idem ac foueat, Deum precor. Deſtinas eum ad forum mittere, vti ſcribis: quod equidem probo. quia, vt noſtri hodie mores ſunt, limen id eſt ad honores. Tamen libare eum ſuadeam tantùm; nec diu in ijs retrieis, & pænè tricis dixeram, haberi vel ingenium eius velit, vel poſcat vſus. Ad maiora eum Deus, tu, & ſua virtus ducent: id eſt ad ipſam remp. ô virorum quàm nunc egentem! Mitte, mitte meliores has ſtirpes, & labantem eam teneamus his fulcris. Equidem (Deus vota audiat) omnia bona ominor & pænè ſpondeo de tuo filio. ita indoles mihi videtur, ita inſtitutio: & tua manus ac directio accedent, ſicubi per ætatem vacillet. Etiam auctoritas tua in producendo accedet, quam merito virtutis tuæ habes. Iterùm voueo, Deus te illi tutelam, illum tibi gaudium ſeruet. Louanij, poſtrid. Kal. Maij. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXIX. *Mediolanum.*

IO. BAPTISTAE SACCO S. D.

ACCEPI Cardinalis Borromæi litteras, & vnà tuas. Ille gratum habet, tu gratias agis, quòd inſcripſi librum, quòd libro inſerui: vtrumque à me libenter & meritò factum. Certè de te, mi Sacce. qui & amorem iamdiu aerem in me oſtendis: & eâ virtute ac doctrinâ es, vt inter paucos veterem Italiæ gloriam ſuſtentes. Hortaris me porrò ad alia ſcribenda ac vulganda: quod facio ac faciam pro viribus. quas tenues tamen eſſe ſcito, & æuo ac morbo deficientes. Beatos ingenij alios! quibus cum eo & ſanitas adeſt: nec functiones aut fructus eius halitu morborum adflantur aut intercipiuntur. Deus mihi non dedit; fero ſortem, &

—— leuius fit patientiâ,
Quidquid corrigere eſt nefas.

Tu

Tu mihi diu ſalue, optime Sacce. Louanij, poſtrid. Non. Maias, ipsâ horâ quâ veſtras accepi. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXX. *Bruxellam.*

PHILIPPO MASIO, *Conſiliario & Graphiario Ordinum Brabantiæ.*

SVAVE nuper fuit (ex animo dico) renouare & quaſi vegetare in ſermone veterem amicitiam, contractam in adoleſcentiâ & litterarijs iſtis caſtris. in quibus ego quidem iam conſenui, te ad Remp. Deus, & tua virtus, & maiorum etiam exempla duxerunt. Sed quamquam loco & vitæ genere diſiungimur, rogo tamen vt animorum ille nexus maneat: quid rogo? ipſe vltrò ita nuper obtuliſti & affirmaſti. Itaque mearum hoc partium, vt ipſe cum omni officiorum genere conſtringam: quod facturum me animo ſemper, etiam operâ, vbi eâ opus, ſanctè & Romanâ fide promitto. Edidi EPISTOLARVM nuper librum, mitto: ſi tamen inter ſeria tua & tot negotia,

Quæ caput & circa ſaliunt latus

(vt cum poëtâ dicam) diuidere tempus his noſtris potes. Sed nihil opus, accipe tantùm, & vnà animum, Nobilis & Cl^me Domine, æternùm addictum. Louanij, poſtrid. Nonas Maijas. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXXI. *Mechliniam.*

OTHONI HARTIO, *Conſiliario ſupremi Senatus.*

AMICAM inuitationem tuam accepi, & mouit mihi dolorem. Animo obſequebar, & vobis aderâ: re prohibebar, & compedes meæ me tenebant. An non vellem, & adſpirarem ad tam amicos, & Otanum præſertim meum, iam diu, niſi animi oculis, non viſum? Profectò facio, & vix ita, qui ſitit, ad fontes: ſed ligant me cùm ſolennes occupationes, & tenuior ſemper valetudo, tum ædificatio, quæ nunc feruet. Domus meæ pars caduca erat, inſtaurare cœpi, & loculos meos deplere. Domini oculus hîc vſui eſt: nec ſine incommodo præſenti abellar. Tamen velim mihi (& iamnunc rogo) ſignificari, ecquid ibi hæſurus Oranus & collega ſint? Si dies octo aut decem; dabo me in viam, ad vos veniam, & illinc Bruxellam & Neruios (quò item inuitor) pergam. Etſi iuſtè, vel ipsâ Iuſtitiâ iudice, Otano ſuccenſeam, qui ita ad vos, vt nos de induſtriâ videatur fugiſſe. Nónne per hanc vrbem via rectâ & prætoria ducebat? Nónne ipſe ſpem fecerat ſcriptis, imò pænè promiſerat? Hoc dicito, ſaluta, & tu ſalue; & me etiam abſente Hilaria agite, ſed tamen dolente, imò inuidente. Heus tu, éſtne poculum quod Amicitiæ ſacræ & fidæ libes? fac meo nomine, luam præſens. Louanij, IV. Eid. Maias. ∞.IↃCI.

Orano meo, Oudarto meo, iterùm plenam ſalutem.

EPIST. LXXXII.[1] *Leodicum.*

IACOBO CARONDELETO V. R. & N.

ECCE Epiſtolas, quas bonâ fide remitto, ſed deſcriptas in finem illum edendi, quem adſuades. An tanti ſint, neſcio: ſed tamen amicorum voluntatis magis, quàm noſtræ fortaſſe famæ ratio ducetur. Itaque Centurias aliquot etiam paramus. SENECA noſter lentè procedit. ætas, valetudo, tempora non calfaciunt, nec ſtimulos ad hæc quidem ſtudia addunt. Enimuerò cùm res noſtras video, cum Homerico illo Vlyſſe dixerim:

* Κήδεά μοι ϗ μᾶλλον ἐνὶ φρεσὶν, ἤπερ ἄεθλοι.

adeò triſtia pleraque omnia aut adſunt, aut inſtant. Optimi ſanè Principes nobis: ſed fortunam pro virtute ijs fluere nondum videmus. Itaque aduerſarij inſultant, & ſupra ſpem ſuam faciunt progreſſus. Sed omitto. ego mei reficiendi cauſsâ Tornacum nuper excurri, & Villerium noſtrum amplexus ſum, ô virum omnibus elegantiæ & comitatis numeris perfectum. In domo eius dies aliquot egi, non dixerim quàm ſuauiter, molliter, & facetè: nec corpus ſolùm, ſed animum iſtum oculoſque paui inſpectione Gazophylacij (ſic appellem) quod inſtructum omni genere vel antiquitatum vel elegantiarum habet. Audieram ſanè, & magnum aliquid animo præceperam: vicit tamen omnem exſpectationem. Itaque, iterùm dico, valdè acquieui in tali hoſpitio. & omitto amorem, illum fidum & æternum in me ab ipsâ pueritiâ: quem iucundè veſtigijs relegimus, & fabellas, luſus, deliria narrauimus primæ illius ætatis. Hæc apud te, id eſt pænè alterum Villerium: & ſcio quàm illum virum, & cum illo me ames. Vos quoque ego videre profectò hauebam, & vina atque aquas magis veſtras bibere: ſed abſterremur periculis, quæ certa nobis eſſe experti ſcimus. Igitur hunc quidem affectum

* Sane curæ magis nunc, quam ludi in pectore noſtro.

ſectum coërceo, amorem largiter ad te mitto, vt tua fides eſt, reddendum. Louanij, III. Kal. Iul. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXXIII. *Romam.*

IOSEPHO MARTIO.

EPISTOLA tua, quæ ipſa & ſuo nomine, grata eſſe poterat, magis fuit Bencij mei inſerto, ô magni illius & fidi amici noſtri! Quem quòd tibi quoque talem fuiſſe ſignificas, eoipſo te meum facis: nec vmquam ille amauerit, niſi ab ingenio & virtute amandum. Itaque mi Marti, (etſi minimè pro tuo nomine: Muſarum enim totus es) mi inquam Marti, certò ita habe, vinculum aliquod amicitiæ vnâ hac ſcriptione te iniecisse, arctiùs ſtringendum ſi iterabis, & colloquio illo magis magiſque iunges, & nodum hunc animorum velut adduces. Enimuerò ſi Fata (ita loquendum eſt. nam voluntas mea adfuit, vel ſuperfuit) mihi indulſiſſent Romam illam coràm videre & venerari: te quoque in eâ licuiſſet, & libuiſſet, atque extremis iſtis oculis contemplari, quem nunc animi tantùm datur. Sed vel hoc iuuat, & lineæ tuæ paucæ ductæ, ſi non Apellem, aliquem eius diſcipulum ingerunt & producunt: quem ego vt fauore, ſic hortatione etiam (etſi opus fortaſſe non eſt) proſequar, pergendi in optimâ viâ & ad calcem decurrendi. Hæc ſtudia ſunt, quæ animo tuo fructum, apud alios gratiam aut famam ſunt paritura. Apud me quidem iamnunc amorem: quem & tu mihi æternum ſerua. Ita vale mi Marti. Louanij, Kal. Iul. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXXIV. *Duacum.*

FRANCISCO MONTMORENCIO, *V.N. Berſei Toparchæ.*

QVIDQVID manus hæc excuſat, animus me accuſat. Vt abierim non viſo te heri, & ſolennibus illis dictis? factū: & Deum teſtor, ſine meâ culpâ. Decretum ita fuerat, & in eſſedo te viſere: interrupit auriga, qui à domo tuâ aberrauit, & abnuit flectere aut redire. En peccati noſtri cauſſam: noſſe, & ignoſce. Atqui manſiſſes apud nos, inquies. Id quoque voluiſſem, nec ſum ille Caucaſo abruptior, vt precibus non mouear; ſed bonâ fide, mea & mei me reuocant, menſem totum iam ferè erronem. Sed in iſtis amicitia non eſt nixa: quam detractâ omni pompâ & velut perſonâ colamus, ſedulò à me faciendum. Equidem duo ad te adfero, Beniuolentiam & Obſequium: quorum illâ frui te rogo, iſto vti. Tornaci, in ædibus Dionyſij Villerij, qui te amat, colit, ſalutat, XVI. Kal. Iul. ∞.IↃCI.

Andream Hoyum da mihi veniam vt per te ſalutem.

EPIST. LXXXV. *Tornacum.*

DIONYSIO VILLERIO S. D.

NOVVM tibi, immane, incredibile erat, de liberis, quos veteres paſſim exponebant vel abijciebant: & alienum non à ratione ſolùm cenſebas, ſed à naturâ. Omnia conſentio & cedo, ſed non in fide: quia certò res ita fuit, & communis ac paſſiua adeò, vt dixi. Si vis homines accuſare, qui hominem non ſolùm parentem exuebant, in tenellâ & innoxiâ plantulâ extinguendâ, non abnuo, tecum imò accuſauero: ſed de facto, non de qualitate quæſtio nobis erat. Ego autem perrendo & vel ſcripto nunc doceo, ſic fuiſſe. Quid ſi lege etiam apud quaſdam gentes permiſſum, atque adeò pænè iuſſum? Ariſtoteles dicet in Politicis: Lib. VII. cap penul. atque adeò ipſe inclinat, *numerum definiri prolium procreandarum: & ſicut is augeatur ac duplicetur, priuſquam in vitam veniant, abortum eſſe procurandum.* Scilicet quia hoc mitius, quàm iam natas abijci ac necari. Quid ſecuri iſti ſint, apparet. nimirum ne nimiâ propagatione anguſta loca & fruges ac fructus fierent: ſed o diuinæ Prouidentiæ parùm gnaros! quæ in hac mundi œconomiâ omnia pariare poteſt & ſolet; & ſiquid redundat, aliâ viâ recidere vel auferre. Tamen, vt dixi, mos ille non apud barbaros aliquos tantùm, ſed politos & humanitati factos Græcos: & Comœdiæ palliatæ paſſim clamant. Iuſſio aut voluntas patris exſpectabatur, tollendum quod natum, an abijciendum eſſet: atque iſtud ſæpiùs, in fæmineo & minùs æſtimato ſexu. Inmanitatem tecum adſero: & Romulus rationi propior, qui lege tulit (apud Dionyſium) Lib. I. Ἅπασαν ἄρρενα γενεὰν ἐκτρέφειν καὶ θυγατέρων τὰς πρωτογόνους. ἀποκτιννύναι δὲ μηδὲν τῶν γεννωμένων νεώτερον τριετοῦς, πλὴν εἴ τι γένοιτο παιδίον ἀνάπηρον, ἢ τέρας εὐθὺς ἀπὸ γονῆς. ταῦτα δ' οὐκ ἐκώλυσεν ἐκτιθέναι τοὺς γειναμένους, ἐπιδείξαντας πρότερον πέντε ἀνδράσι τοῖς ἔγγιστα οἰκοῦσιν, ἐὰν κἀκείνοις συνδοκῇ: *Omnem maſculam prolem educari, & è femellis primogenitas. Nihil autem quod natum eſſet occidere, ante trien-*

trienniј tempus; niſi aliquid mutilum, aut monſtroſum ſtatim à partu eßet. Hæc enim talia non vetuit exponi, ſic tamen vt parentes priùs quinque viris è vicinâ oſtenderent, ſi & ijs ita videretur. Benignior, inquam, hæc Romuli lex: & quæ colorem magis æqui boni, ſed colorem habet. Ad eam Seneca: *Portentoſos fœtus extinguimus, liberos quoq; ſi debiles monſtroſíque editi ſunt, abijcimus.* Sed longiùs ab eâ Apuleianus ille patet, qui *peregrè proficiſcens, mandauit vxori ſuæ, vt ſi ſexus ſequioris edidißet fœtus, protinus quod eſſet editum necaretur.* Vbi enim hîc triennium exſpectatum? Et alij vulgò longiùs: qui paſſim abijciebant. Chriſtiani ſcriptores ſæpè Romanis obijciunt. vt Tertullianus: *Inprimis filios exponitis, ſuſcipiendos ab aliquâ prætereunte matre extraneâ.* vt Ambroſius: *Pauperiores abijciunt paruulos, & exponunt, & deprehenſos abnegant.* Et quid eſt Exponere? plerumque in aliquâ ſolitudine, feris in prædam. Suidas: Ἐκτιθέναι τὰ βρέφη. ἀντὶ τοῦ εἰς βορὰν θηρίοις, ἢ καὶ ἄλλως εἰς διαφθορὰν παρατιθέναι ἐπ᾽ ἐρημίαις: *Exponere liberos. pro eo quod eſt feris in cibum, aut aliter in exitium, ſolitudine aliquâ deponere.* Quinctilianus Declamator: *Velut expoſitos in aliquâ ſolitudine, aut in maria projectos.* Imò & ſtrangulare interdum ipſi ſolent atque obliderе. Arnobius: *Vos enim* (Romani) *video procreatos filios, nunc feris & auibus exponere, nunc adſtrangulatos miſero mortis genere elidere.* Lactantius: *Non poßunt innocentes exiſtimari, qui viſcera ſua in prædam canibus obijciunt, & quantum in ipſis eſt, crudeliùs necant, quàm ſi ſtrangulaſſent.* Idem iterùm: *Qui natos ex ſe pueros aut ſtrangulant; aut ſi nimiùm pij fuerint, exponunt.* Tertullianum hanc impietatem damnare & in his verbis arbitrer: *Quærenda nobis onera ſunt* (liberorum) *quæ & à gentilium prudentibus vitantur, quæ legibus locantur, quæ parricidijs expugnantur.* Negat Chriſtiano, qui de aliâ vitâ cogitat, valdè coniugia aut liberos quærendos. ad quos, inquit, liberos gentiles legum præmijs pœniſque vocantur & velut conducuntur: quas tamen leges etiam parricidijs expugnant, tollentes & ſtrangulantes iam natos. Sed mitiores paullùm illi, qui in publico aliquo vrbis loco exponebant: vt fas ſaltem ab homine tolli, vel in ſeruitutem. Athenis, aut iuxta eas hoc fuiſſe Suidas indicat. Κυνόσαργες, inquit, τόπος ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἐν ᾧ τοὺς νόθους τῶν παίδων ἐτίθεντο: *Cynoſarges, locus in Atticâ, vbi ſpurios infantes ponebant:* & cauſſam addit, *quia Herculis ibi templum, qui & ipſe inter ſpurios fuit.* Sed & Romæ *Lactaria columna.* de quâ Feſtus: *Lactaria columna in Foro olitorio, quòd ibi infantes lacte alendos deferebant.* Victor, in deſcriptione Vrbis: *Forum olitorium. in eo columna lactaria, ad quam infantes lacte alendos deferunt.* Id genus *Altellos* Latini dixerunt, vt Græci [illegible], ſiue etiam χαμαιφύτους, *Humi-repertos.* Tetigi *in ſeruitutem* ſublatos: & ita mos ſiue lex fuit. quam Declamator apud Senecam ingerit: *Expoſiti in nullo numero ſunt, ſerui ſunt: hoc legiſlatori viſum eſt.* Et tamen quæſtio ſubinde exorta, an tales non poſſent adſeri in libertatem? proponitur à Plinio, cùm Proconſul Bithyniæ eſſet, Traiano: *Magna, Domine, & ad totam prouinciam pertinens quæſtio eſt, de conditione & alimentis eorum, quos vocant* θρεπτούς. Et is reſpondet: *Quæſtio iſta, quæ pertinet ad eos qui liberi nati expoſiti, deinde ſublati à quibuſdam & in ſeruitute educati ſunt, ſæpè tractata eſt.* Et ambigit ipſe quid reſpondeat. tamen concludit: *Et ideò nec adſertionem denegandam ijs, qui ex eiuſmodi cauſſâ in libertatem vindicabuntur, puto: neque ipſam libertatem redimendam pretio alimentorum.* Quod vltimum ſatis nouum, ne iniquum* dicam, videatur, ne alimenta quidem reponi ei qui educaſſet: certè aliter in Senecâ parte, vbi lex eſt: *Expoſitum qui agnouerit, ſolutis alimentis recipiat.* Et hoc niſi indulges, quid niſi vetas aut tardas tolli? Nota autem, quæſtionem tantùm eſſe de liberis natis: non herculè ſeruis. nam & ij exponebantur. Declamator: *Naſcuntur,* inquit, *quidam aliquâ parte corporis multati, infirmi, & in nullam ſpem idonei: quos parentes ſui proijciunt magis, quàm exponunt. Aliqui etiam vernulas, aut omine infauſto editos, aut corpore inualidos, abijciunt.* Ait Vernulas. qui nempe à dominis abiecti. Omnia fœda, ſeruа, & ideò à Chriſtianis Principibus coërcita. Primi fuerunt, opinor, qui vetuerunt Valentinianus, Valens, & Gratianus: quorum lex in vtroque Codice Theodoſij & Iuſtiniani exſtat, Ad legem Corneliam de Sicarijs: *Siquis necandi infantis piaculum adgreſſus adgreſſave ſit, erit capitale iſtud malum.* Qui putant hoc iam antè legibus cautum; quia in Pandectis mulier *exſilio damnatur, quòd viſceribus ſuis vim intulerit* (intellege in abigendo partu:) errant. quî poſſet? cùm teſtimonia, quæ dedi, vulgati illius moris, tetriora ſint Pandectarum ſcriptis. Itaque abortus tantùm ibi vetatur: & meritò, quia neſciri de partu vtili,

Marginal notes: De irâ l. 1. — Lib. 2. de Aſino. — Apolog. cap. IX. — v. Hexa. c. XVIII. — Lib. VIII. — Lib. VI. cap. XX. — Lib. V. c. IX. — Ad vxor. I. cap. V. — Stob 476. Dioc 71. — Lib. X. Controv. IV. — Lib. X. — Lib. IX. Contr. III. — De Pœnis. l. XXXIX.

vtili, inutili, quidquã etiam poteſt: & odium item ſuberat prioris mariti. At Chriſtiani, vt dixi, damnarunt. & eſt etiã Canon Con-
Can. ix. cilij Vaſenſis, qui ait: *De expoſitis quœdam proceßiſſe, eos non miſericordiæ iam, ſed canibus exponi: quos colligere calumniarum metu mens humana detractet.* Ideò mox decernit, *iuxta vetera ſtatuta Auguſtorum & Principum, vt quiſquis expoſitum colligit, Eccleſiam conteſtetur, & niſi intra decem dies repetatur, ſit eius qui collegit.* Hoc totum pertinere & ſpectare Traiani reſcriptum illud videtur: quia certè calumniarum metum gignebat, cùm neſcirent an liberum tollerent, id eſt mox, & ſine pretio, reddendum. Itaque deſerebant. ſed Concilium miſellis ſubuenit, & contrà, vt audiſti, cenſet. Hæc cruda veterum, ſed non omnium. nam Iudæi ali-
v. Hiſtor. ter, de quibus Tacitus: *Augendæ tamen multitudini conſulitur, & necare quemquã ex agnatis nefas.* Vbi *gnatis* legendum monui: aut certè ita capiendum, quaſi nefas eſſet tollere eos qui adnaſcuntur. nam primos, quis velit? Etiam de Germanis idem ſcriptor: *Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, nefas habetur.* Vbi de *finitione* habes, in Ariſtotele ſuprà expreſſum. Eſtne aliquid? imò. olim Indis conſimilem illi Romuleæ legem fuiſſe, de quâ Curtius: *Gens, vt barbari, ſapientiá excellit, bonisque moribus regitur. Genitos liberos, non parentum arbitrio tollunt, aluntque; ſed eorum, quibus ſpectandi infantum habitum cura mandata eſt. Si quos inſignes, aut aliquâ membrorum parte inutiles notauerunt, necari iubent.* Satis meum dictum firmaui, vt Deus tibi valetudinem, rogo. Louanij, x. Kal. Iulias. ∞. IↃCI.

Ante biduum de priuatis ad te ſcripſeram: hæc libuit in otio contexere, & velut coràm ſermocinari.

EPISTOLA LXXXVI.

PHILIPPO CROYO, *Comiti Solrano, Equiti aurei Velleris, Gubernatori Tornaci & Tornaceſij.*

DOLEO equidem nec tuo, nec meo deſiderio, hoc quidem tempore à me ſatisfactum. Nam neque Condati te vidi, vt volebas & benignè inuitabas; nec Bruxellæ ad manus tuę oſculum veni, quod non cupiiſſe me tantùm dicam, ſed deſtinaſſe, imò promiſiſſe. Quid ergo impedijt? feſtinus meus tranſitus, & quia domum me, cùm tenuior valetudo, tum & res meæ vocabant. Rogo Illuſtriſſ. Domine iſtam mihi veniã dones, aliàs ex arbitrio, vel imperio tuo, emendaturo. Remitto ſcriptum, quod ſuper Repub. noſtrâ prudenter (ita me Deus amet) legi conceptum. O vtinam conſilia locum habeant, quæ Principibus augendis, rei noſtræ firmandæ ſint! Et ſpero aliquando habebunt, & fides noſtra, integritas, amor perſpicientur: quæ inter omnes gentes, propria nobis Belgæ vindicamus. O Deus audiat! & te Ill^me & Excell^me Princeps, bono Principum & noſtro diutiſſimè incolumem ſeruet. Louanij, XII. Kal. Iul. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXXVII. *Madritum.*

LVDOVICO TRIBALDO TOLETO S. D.

TV verò ad me perbenignè, mi Tribalde: quod mihi gratum acceptumque eſſe è talibus locis, & à tali ingenio debeo adfateri. Longè à nobis abeſtis: ſcripta ad vos & fama mei, & quod caput eſt, amor atque æſtimatio venit, vtinam ex vero, non opinione aut præiudicio, concepta. Sed veſtra hæc cura ſit; mea rependere affectum, & inuitantibus, benignè verbis atque animo reſpondere. Delectauit me autem epiſtola tua & ſcitè ſcripta (rem dico;) & in eâ iudicium de ſummo virorum, qui fuerunt aut erunt, & cuius magnitudinem non niſi magni capiunt, nec plenè etiam ipſi. Is Homerus eſt, ô apex ingeniorum, ô faſtigium & culmen ſcientiæ, prudentię, ſapientiæ, quò pertingere homini quidem datur. Nos ita cenſemus,

Nil orturum aliàs, nil ortum tale fatentes.

Et probamus igitur vtraque manu, non ſolùm pollice, iudicium ſuper eo tuum: ſed non illud, quod reſcribi velles ijs qui nuper eum detrahere conati è loco, quem omnis antiquitas cõſenſu adſignauit. Quis ſapiens aliter iudicauit? quis non maximè talis, talem habuit, & conatus pænè dicam

Stellis inſerere & concilio Iouis?

Equidem ſenſum meum liberè apud te promam. non arbitrari me ſine numine & entheâ quadam vi præclara illa ſcripta ſcripta, & aut ipſum (ſi fas dicere) Genium fuiſſe, aut Genium adſtitiſſe: ex illis quidem magnis, ſublimibus, & valdè conſortibus ſupremæ illius Mentis. Duo in eo ſingularia. & quòd primus, certè inter primos, Poëſim colere cœpit, eamdemque perfecit: & quòd ſemina omnis ſcientiæ, prudentiæ, ſapientiæ in eâ aut expreſſit, aut oſtendit.

 Et

Et aliquem huic conferemus? aut Vitgilium aliquis anteponet? ipſi viderint: ego quidem

—— vix lumine feſſo
Explorem, quàm longus in hunc deſpectus ab illo.

Sed omitto. tu me ama vel hoc nomine, quòd Hometum tuum amo, imò venerot, imò pænè adoto. Louanij, prid. Kal. Iul. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXXVIII. *Tornacum.*

HIERONYMO WINGIO, *I^{to} & Canonico* S. D.

EGO verò tria verba ad te debeo mi Wingi, quæ centena ac millena tam ſuauiter tecũ miſcui, cùm vnà eſſemus. Crede mihi, volupe fuit, & nune item iuuat, apud eandidas illas & vittuti amicas mentes egiſſe: cum vno illo morſu, non ſempet licere.

O crebrò memoranda dies, quæ mente reporto
Gaudia!

Ipſa mea ſctiptio incitata dicet, è calido & aperto pectore hæc eſſe, & fucum abeſſe. Veni igitur ad nos ſæpiùs, inquies. Imò quod iuſtiùs ego teponam, vos ad nos, & æmulamini exemplum. Seriò hoe rogo, & tam auidè me Deus in cæleſtem illam domum, quàm ego vos meam, teeipiat, teneatque. Quid ais? ſtipulot, teptomitte: & Villerium adhibe, non vt teſtem, ſed exactorem, & qui ſeſe teque vnà ſiſtat. Faeite, facite: ita Deus longùm vitâ, valetudine, amiçis ftui vos faeiat, & ſi quid optatis. Louanij, III. Nonas Iul. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXXIX. *Mediolanum.*

ERYCIO PVTEANO.

AMICO illi gratia, pet quem tandem noſttæ Septalio redditæ. nam nuntij illuſerant, & mitamut iute improbitatem. Tuas vltimas, & cum ijs [illegible] De Diſtinctione accepimus: bonum ſanè, vt ijs ſeriptum qui in ſtudiorum velut incude etiam ſunt, & tuo malleo fotmantur. *Promulſis Epiſtolaris* quando ad nos? auidè exſpectamus, vt ipſam illam olim, qui à gymnade aut balneo veniebant. Conſulis me autem seriò de genete vitæ, & ecquid * τὸ ἱερὸν illud probem, quò libta delibetationis tuæ vergit. Ego verò toto animo, mi Puteane. nam te cùm video, (* *sacerdotale*)

Eſt pudor ingenuæ mentis, tranquillaq; morũ
Temperies:

id eſt, indoles, ttanquillæ huic vitæ facta. Addo ſtudia, quæ es amplexus. quæ eaue alibi feliciùs, addam & vtiliùs, tractati cenſeas, quàm in hac togâ. Viden' tu philoſophos veteres, & pleroſque abhottuiſſe hæc nuptiarum vincla, vt vetè compedes quaſdam liberæ & ſeſe efferentis mentis? Ita ſunt, expertis crede. & ſi quietem, doctrinam, famam amas; ama libertatem & otium, quò iſtis vaces,

Expers curarum, atque animum virtute quietâ
Compoſitus, ſemperque tuus.

Hæc mihi ſic viſa in te, quem alra & ſetia capiunt: quid ſi in alio, quem vilia & externa? Eorum etiam hîc ſeges, nee patatiot alibi (vt Attici Oratoris dictum vſutpem) *aurea* illa *meſſis*. Itaque ego quidem, te præſertim inclinante, hue ducam, imò impellam: & ſi me audis, * ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον: ne iterùm fortaſſe de cælo in cœnum. Numquam me aut huius conſilij, aut te facti pœnitebit. Salue, cum Septalio. Louanij, v. Id. Iul. ∞. IↃCI. (* *dictum, factum*)

EPIST. XC. *Athum.*

PETRO IARDINO, *Rectori Scholæ Athenſis* S. D.

IVRE dolui, & prætet animi mei ipsâ mentem fuit, quòd rediens te non vidi. Cur feciſti? inquies. Feſtinabam, mea me reuocabant, & vel inuitum ad ſolita munia admouebant. Scis honeſtam aliquam ſeruitutem, nos qui publieam perſonam toleramus, ſed tamen ſeruitutem ſuſtinere: quæ apud te, togo, exeuſet, & animum, ſi non factũ, probet. Illum eertè iamolim ſcito tuum & illius loci eſſe: quem ſuauitet, & addam vtiliter, in ptimo titocinio meo velut caſtra aut palæſttam habui, animo huie exetcendo & fotmando. O iueunda cogitatio!

Quæ mihi flexanimo mẽtem perfundit amore.

Et verò, fateri debeo, aliquid noui ignis à te etiam adſpiraſſe: quem ſic benignum in me repperi, & ex animo volentem. Quid poſſum tependere? me ipſum: etſi iam totum olim vobis debeo, &

Quòd monſtror digito prætereuntium,
Quòd ſpiro & placeo, ſi placeo, tuum eſt,

ô Athum meũ, ô diatriba pueritiæ meæ & ſehola! Quam tu diu & felicitet rege, quod facis, tuæ laudi & patriæ bono. Louanij, III. Idus Iulias. ∞. IↃCI.

EPIST.

EPIST. XCI. *Tornacum.*

DIONYSIO VILLERIO *V. R.* *& Optimo* S. D.

PONE metũ mi Villeri, valeo. quid iſtuc tam timidi & anxij amoris eſt? Vultus meus in diſceſſu viſus pallidior? non à morbo, ſed ab amore fortaſſe fuit, quem in Neruios veſtros concepi. Citra iocum, vultus ille meus ſæpè imponit; & alterutram valetudinem fallaci colore mentitur. Sed à vobis equidem; vt meus habitus eſt, benè ſanus redij: & animò certè alacrior, quàm de more. Qui tamen animus ſæpè ad vos reuiſit, & vix auello hærentem. O ſermones, ô conuiuia, ô ambulationes! ô, quod caput eſt, pectora niuea & aperta! Iterate opto, atque etiam ſpero: ſed te præeunte, & choream hanc apud nos inſtaurante. Ita facies, ſi amate aut amari vis: & cur non inſtante hoc Autumno? fruamur.

—— improuiſa leti
Vis rapuit rapietque gentes.

De Bibliothecâ tuâ optimis libris adornandâ, curæ eſt & erit: Audeiantius meus Indicem breuî mittet. Iube ſiquid vltrà voles, ego hoc vnum, AMA. Louanij, XVI. Kal Sextil. ∞.IↃCI.

EPIST. XCII. *Romam.*

MARCELLO VESTRIO BARBIANO, *S. Pontif. à Secretis.*

BENEFICIO meà te affectum quidni agnoſcam, in miſſo Diplomate illo, quod SVMMVS noſter PONTIFEX, te ſcriptore, vulgauit? Ipſa miſſio animum & mei memorem & volentem ſignificat, gratum à talibus viris: & Diploma delectauit, inuentum & publicatum ad tutelam rei Chriſtianæ. Vtinam ne malo noſtro ſciremus, quos progreſſus immanis ille hoſtis fecerit, dum Principes parùm inter ſe concordes, quiſque res ſuas agunt, & omnes paullatim vincuntur, dum ſinguli pugnant. Vidit hoc noſtrum illud Caput, monet, clamat, & remedium intereà auxiliumque à ſe fert, vtinam & audiendus, & imitandus! Quam vertatur mox alea rerum? quàm gloria & victoria ad nos redeant? quàm fines & fides ipſa Chriſtiana propagetur? votis à nobis optandum; factis, ab ijs qui poſſunt, iuuandum. Sed, vt illuc redeam, tibi gratia eſto & pro animo in me tuo, & pro Diplomate: in quo te ſcriptorem agnoui, & eâ parte vt tuum ſuum amplexus. Deus tibi porrò det vtiliter & decorè hæc agere,

—— tantamque verendi
Mentem implere PATRIS, *iuſsiq; ingentibus vnum*
Sufficere:

& me inter cultores tuos cenſere & amare. Louanij, XV. Kal. Sextil. ∞.IↃCI.

EPIST. XCIII. *Bruxellam.*

D. GEORGIO AVSTRIO, *Præpoſito Louan. & Academiæ Cancellario.*

DELECTAT meritò apud te eſſe. qui ſermonem & conuictum non ſolùm comitate condis, ſed nectare quodam miſces rerum veterum, aut obſeruationum rariorum. Multa legiſti, vidiſti: & præter hiſtorias, locorum etiam ſitus & ingenia noſſe tibi cura fuit,

Quà parte debacchentur ignes,
Quà nebulæ pluuijque rores.

Itaque in his tabulis inquiris, doces, audis, regeris; & plurimùm *Ioue æquo* (vt ille ait) *iudicas* & definis. Velut nuper, cùm in menſâ Ampliſſimi Præſidis Richardoti eſſemus, diſſertatiuncula de itinere Annibalis & ingreſſu eius in Italiam à te iniecta: ac dixi, quæ memoria tunc ſuppeditabat. ſed quia non omnia, nec tam compoſitè, vt ſolent deprehenſi, & ſermocinantes: libuit ea & plura ſcripto complecti, in otio à te legenda atque arbitranda. De itinere Annibalis, triplex opinio. Alij * *Peninis* iugis intraſſe volunt, alij *Graijs*, tertij *Taurinis*. Primi auctorem Plinium habent: *Alpiũ fauces Graiæ atque Pœninæ: his Pœnos, Graijs Herculem tranſiſſe memorant.* Ammianus in eâdem parte: qui *à Pœnis Alpes excogitatas Pœninas* ſcripſit. Quid, quòd ipſum Liuium cõtrahit Paullus Iouius? *Liuius*, inquit, *grauiſsimus hiſtoriarum ſcriptor, de tranſitu Annibalis ambigens, non Graijs, ſed Pœninis eum traieciſſe memorat.* Sed verè trahit, inuitum & in alia omnia (mox dicam) palàm euntem. Altera ſententia de * *Graijs* eſt. quæ auctorem Æmilium Probum, ſeu quis alius ſcripſit in vitâ Annibalis habet: *Ad Alpes Annibal venit, quas nemo ante eum cum exercitu, præter Herculem Graium tranſierat: quo facto is hodie Saltus Graius appellatur.* Silius accedit, apud quem ipſe Annibal gloriatur:

* Monte maiore S. Bernardi.

* Monte minore S. Bernardo.

—— quà ponere greſſum
Amphitryoniadæ fuerit labor, iſſe ſub armis
Pœnorum turmas.

Et Liuius fauere videtur, in oratione Scipionis: *Vtrùm Annibal hic ſit æmulus itinerũ Herculis, vt ipſe refert.* Itaque plerique litteratorum hodie in hanc manu & voce inclinant. At tertia Polybij eſt & Liuij, de *Taurinis*: quam ibo aſſertum. Polybius clarè ſcribit, *octingenta ſtadia à Rhodano Annibalem progreſſum, & tum* ἤρξαι τῆς πρὸς τὰς Ἄλπεις ἀναβολῆς: *initium feciße adſcenſius ſui ad Alpes.* Computa & metire, ſodes: non inuenies hoc interuallum à Rhodano aptari poſſe ad vllas, niſi ad extimas has Alpes. Iam clariùs idem apud Strabonem adfirmauit: Τέτταρας δὲ Πολύβιος (inquit Strabo) ὑπερβάσεις ὀνομάζει μόνον. διὰ Λιγύων μὲν τὴν ἔγγιστα τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει· τὴν διὰ Ταυρίνων, ἣν Ἀννίβας διῆλθεν εἶτα· τὴν διὰ Σαλασσῶν, τετάρτην δὲ τὴν διὰ Ῥαιτῶν: *Quatuor tranſitus Alpium Polybius agnoſcit tantùm. per Ligures, qui proximus eſt Tyrrheno mari; per Taurinos, quà Annibal tranſiuit; per Salaßos, & per Rhætos.* Hęc ita ſentire etiam Liuium dixi. quid certius ſcrutanti? Nam facit Annibalem flexiſſe à Rhodano in Vocontios, inde in Tricorios, mox tranſiſſe Druentiam: ac tum demum ſcãdiſſe. Vide & gentes, & ipſum maximè flumẽ: non poteſt vel Graiis, quę interiores ſunt; vel Peniuis, quæ etiã magis, niſi flexu & reditu trãſiſſe. At quę cauſſa itinis laboris fuiſſet? quis rediſſe cũ ſcripſit? cur etiã feciſſet, cùm Gallos viæ duces habuerit, quibus loca ea nota? Plura ſunt, ſed in ipſo Liuio, ſi placet, videnda: cuius verba ſuper hac re dabo, illuſtrabo, emendabo. Nam ab eo Prętore arbitriũ maximè huius litis pendet: & tu ad ipſum appellabas. Scribit lib. XXI.

> *Sedatis certaminibus Allobrogũ, cùm iam Alpes peteret* (Annibal) *non rectâ regione iter inſtituit, ſed ad leuã in Tricaſtinos flexit: inde per extremam oram Vocontiorum agri tetendit in Tricorios, haud vſquam impeditâ viâ, priuſquam ad Druentiam flumen peruenit.*

En non rectà ad Alpes (quod fuiſſet per Peninas aut Graias) iuit: ſed flexit in vlteriora, vt ad Cottias poſteà dictas veniret. *Ad leuã,* inquit. quomodo? profectò *ad dextram*: niſi ſit elegere iter, & tranſire iterùm Rhodanum voluit. Tabulas Geographicas vide: & Glareanum, qui Liuium incutię vel erroris hîc notat. Ego legendum putem, *à leuâ*: & verum eſt. nam fluuium ad læuam reliquit, & ab eo flexit in Tricaſtinos, & mox Vocontios. Pergit Liuius:

> *Annibal ab Druentia, campeſtri maximè itinere, cum bonâ pace ad Alpes incolentium ea loca Gallorum peruenit.*

Tranſito igitur Druentiâ, cœpit ſcandere, & vt ipſe ſtatim addit, *erigere in primos cliuos agmen:* quod factum putem circa *Ebrodunum* opidum, quod hodie *Ambrunum* dicunt: atque ita deſcendiſſe per aut iuxta montem *Veſulum* (hodie *Viſo*) ad fontes Padi. Sed videamus propriè verba, in quibus ambigit diſſentitque de hoc tranſitu. cùm narraſſet, quæ in Alpibus feciſſet paſſuſque Annibal eſſet:

> *Hoc maximè modo peruentum in Italiã, quinto menſe à Carthagine nouâ, quintodecimo die Alpibus ſuperatis.* Et ſtatim: *Quantæ copiæ tranſgreſſo in Italiam Annibali fuerint, nequaquam inter auctores conſtat. L. Cincius Alimentus, qui captum ſe ab Annibale ſcribit, confundit numerum Gallis Liguribuſque additis. Ex ipſo autem Annibale audiſſe, poſtquam Rhodanum tranſierit, triginta ſex millia hominum, ingentemque numerum equorum amiſiſſe in Taurinis, quæ Gallis proxima gens erat, in Italiam digreſſo. Id cùm inter omnes conſtet, eò magis miror ambigi, quánam Alpes tranſierit: & vulgò credere Pœnino: atque inde nomen & iugo Alpium inditum, tranſgreſſum. Cœlius per Cremonis iugum dicit tranſiſſe. qui ambo ſaltus eum non in Taurinos, ſed per ſaltus montanos ad Libuos Gallos deduxiſſent. Nec veriſimile eſt, ea tum ad Galliam patuiſſe itinera; vtique cùm quæ ad Penninum ferant, obſepta gentibus ſemigermanis fuiſſent. Neque Hercules montibus his, ſi quem fortè id mouit, ab tranſitu Pœnorum vllo Veragri incolæ iugi eius norunt nomen inditum: ſed ab eo quem in ſummo ſacratum vertice Penninum montani appellant.*

Luſtremus verba. *Amiſiſſe in Taurinis.*] In ſolis ergo Taurinis tanta ea iactura? imò modica ibi, aut nulla: in ipſis Alpibus perierant. nec tamen XXXVI. M. (nimium ſit) ſed XXVI. ſcribe. Hoc primum. de Taurinis autem, viderunt Glareanus & Sigonius, conatique mederi: *in Taurinos.* quaſi ab Annibale hoc Cincius audierit, digreſſo iam in Taurinos. Logi: diſtinguo, & lego: *aliorumque iumentorum amiſiße. E Taurinis, quæ G. p. g. erat, in Italiam digreſſum, cùm inter omnes conſtet: eò magis.* Firmat ipſa res, tum & libri priſci, in quibus *amiſiſſe, Taurinis,* ſine vocula illâ mediâ ſcriptum. Vides igitur clarè, [in] Taurinos deſcendiſſe. quod & Liuium, [vt] ſolet, ſecutus Silius expreſſit:

> *His tandem ignotas trãſgreſſus caſibus Alpes,*
> *Taurinis ductor ſtatuit tentoria campis.*

Sed de ipſis Taurinis addit, *quæ Gallis proxima*

ma gens.] An non igitur Taurini tunc Galli? non, ſed Liguribus videntur accenſiti. Strabo de ijs: *Λιγυστικὸν ἔθνος*: *Ligurum natio.* quod ad originem fortaſſe veriùs referas, & ſitu tamen Galli erant. ideoque hîc reſcribas, *quæ Galliæ.* Ea gens Galliæ, proxima Italiæ erat, in illo tractu. Pergit, *Vulgò credere.*] Siue potiùs, *vulgum.* Audíſne portò vulgum hoc credere de Penino, non Liuiú, qui apertè nunc & in ſequentibus damnat? vt neſciam vbi mens Ioni fuerit, cùm Liuio hoc affinxit. Item: *Per Cremonis iugum.*] Hęc Cœlij ſententia eſt, & incidit in noſtram ſecundam de Graijs: quam & nunc Liuius adſpernatur. Nuſquā tamen lectum hoc *Cremonis iugum:* & ideò Glareanus inclinat legere *Centronis*, quia populi *Centrones* in eo ipſo tractu. Atqui *Centronum* tunc potiùs dixiſſet. Leuis mihi ſuſpicio, ne *Greionis*, vel *Graionis iugum* ſit vera lectio: quod à *Graijs* Alpibus non abludit, & Plinius ibi *Graios* populos locauit. Germanicæ originis vox eſt, & *Grawi* dicti fuerunt: hodieq; is mons *Graw-alp* tabulis quibuſdam inſcriptus. Cauſſa autem, cur abnuat hac aut illac tranſiiſſe, additur: *quòd ij ambo ſaltus eum non in Taurinos, ſed per ſaltus montanos ad Libuos Gallos deduxiſſent.*] Verbum obſerua, & mecum ſperne. qui *ſaltus montani?* aut potiùs, qui *ſaltus* non *montani?* adhærent iſta: & inamœna etiam repetitio ſit vocis iam antecūntis. Itaque ſcribam, * *Per Saliuas montanos:* quos in eo tractu, & circa Ticinum, Liuius diſertè lib. v. agnoſcit. An magis placet, *Salaßos Montanos?* nam & valles & montes habitaſſe eos, Strabo prodit. Alterutrum ſanè verum. Pergit argumentari de Penino, vt ipſe appellat & ſcribit: *Neque ab tranſitu Pœnorum vllo Veragri.*] Vbi ſcripti codices verborum monſtra ingerunt, ſed in natiuam formam ducenda. In ijs eſt: *Pœnorum nullo ſed vno vel acri.* Lego: *Pœnorum vllo Seduni vel Veragri.* Vtrumque hunc populum Cæſar, Plinius, alij, montibus his ponuere. Negat igitur Liuius à Pœnis *Peninum* dictum: vnde? *ſed ab eo*, inquit, *quem in ſummo ſacratum vertice.*] ſiue potiùs, *verticem*, cum priſcis libris. Nam hoc dicit, ipſum verticem & caput montis ſacrum eſſe, barbaro ritu, qui & alibi obtinebat. Docui ad 1. Hiſtor Taciti: & addo in Sacris Concilijs noſtris verari aliquoties, *ſacrificari ad ſaxa aut petras:* conſimili hercle ſuperſtitione. Intellegit autem Liuius verticem, qui pòſt quoque nomen tenuit, & leges in Antonini Itinerario: *Summo Apennino:* corruptè, pro *Summo Pennino.* Sanè *Pinnas* aut *Pennas*, locorum vertices etiamnunc nos Belgæ appellamus. Perambulaui hæc Liuiana: & quis de eius vltrà mente ambiget? At enim dixit in oratione Scipionis, *æmulum itinerum Herculis.* Ita, ſed κατὰ τὸ πλατὺ & laxè, quòd vterque per Alpes ierit, ſed non ſignarè eaſdem earum partes. Quæ mens & in Silij ſuprà, fortaſſè & Æmilij verbis. Annibalem verò per Taurinos ſaltus veniſſe, cùm dicta ſuadent; tum & illud, quòd Gallos vię duces habuerit; Gallis autem vetus is tranſitus & ſolens. Ipſe Liuius lib. v. *Galli per Taurinos ſaltuſque Iuliæ alpis tranſcenderunt, fuſiſque acie Tuſcis, haud procul Ticino flumine condidere vrbem.* Vbi mira tamen hæc *Iulia alpis:* & quomodo iamtunc ſic dicta? an [illegible] Liuius anticipat? Poſſet, ſed video *Iulias alpes:* in Carnis & Rhætis, non illîc poni. Corruptio eſt: & bonus meus codex, *ſaltus qua inliæ ante alpes.* Alterutra emendatio vera: ſiue, *Taurinos ſaltus, quà minimè altæ alpes*, res enim ita habet: ſiue, *quà inuiæ antè alpes.* Vt concludam. tranſijt per alpes, quæ *Coctiæ* poſteà dictæ: etſi itinere parùm commodo, & per fraudes vel errorés (in Liuio notatum) aſpero: & quod poſteritas videtur defiijſſe. Cn. Pompeius, apud Salluſtium, in epiſtolâ ad Senatum: *Hoſtes in ceruicibus Italiæ iam agentes, ab Alpibus in Hiſpaniam ſubmoui, per eas iter aliud, atque Annibal, nobis opportunius patefeci.* Itaque fruſtrà hodie quæras, & ſuo nomine deſignes. De ipſis Alpibus, earumque diſcrimine & ſectione, dici quædam poterant opportunè: ſed epiſtolæ modum exceſſi, & iamnunc veniâ video mihi opus eſſe. Largire, Deus tibi valetudinem & vitam, Domine illuſtris & Reuerende. Louanij, XII. Kal. Sextil. ∞.IↃCI.

* Siue Salyas, vt Græci.

EPIST. XCIV. *Hiſpalim.*

IOANNI WOVERIO *meo S. dico.*

SED & robur item precor. nam quid iſtud iacere aut trepidare eſt? turpe mi Wouerì, in ictu non maximo, & qui tuum nil petiuit. De re aliquid detractum eſt, omnia tua ſarta & tecta habes, ſi tamen talem ipſam veterem tuam mentem. Ego adeò non ſolor te, vt gratuler etiam hanc occaſionem datam deſinendi, & ſpes illas incidendi, quæ catenam negotiorum nectebant.

Satis tibi Dei benignitate & parentum virtute partum eſt:

—— deſiſte, nec vltrà
Sollicitam in vaſtas puppim dimitte procellas:

Collige vela,' collige animũ, & melioribus cũ ſtudijs, quibus natus eſt, defige. Dij boni, quouſque aliorũ potiùs iudicijs & ſenſibus, quã tuis ſapies? Quando erit illud tuũ,

Ætas per tacitum fluens?

Iterùm dico, omitte nugas; & vnum hoc Sapientiæ ſtudium amplectere, quod

Aequè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè,
Aequè neglectum pueris ſenibuſque nocebit.

De Italiâ parens mihi ſcripſit, & quòd per eam redire te patietur. Sed meo conſilio, redite tantũ. diutiùs inſidere te, & à nobis imò à teipſo abeſſe non ſuadeo: veni, & illud Sophi noſtri audi: *Compoſitæ mentis ſignum eſt poſſe conſiſtere, & ſecum morari.* Quid opus eſt pedes & corpus hoc circumferre? quantò iucundiùs vtiliuſque animus peregrinatur per grande hoc vniuerſum? Quod ego ſæpè facio, imo in ambulatiunculis meis cottidianis cælum hoc, terras, maria, nouũ priſcumque orbem, & cauſſas rerũ indago vel luſtro. Veni, ades, & hæc talia inter nos ſuauiter altercemur, cum mutuo etiam fructu. Epiſtolas habes ad duos amicos: ſi ad aliquos è grandibus, pete, ſubmittam. Eſt & ad Veſtrium, illîc in auctoritate & gratiâ: prima mea eſt, trade. EPISTOLARVM tertiam CENTVRIAM edidi, in eâ ad te vnam alteramque. Videris, aut videbis, & me ac BONAM MENTEM, vt ſoles, amabis. Louanij, IX. Kal. Sextil. ∞. IↃCI.

EPIST. XCV. *Gratium.*

MARTINO DELRIO *Presb. Soc. Ieſu.*

FALSVS ſum in tuo diſceſſu. doliturum me in abſentiâ ſciebam: ſic doliturum nulla opinio fuit, ſed res condocefecit. Seriò, deſtitutus mihi videor: de ſcriptis & ingenio etiam loquor,

—— Labat incerto mihi limite curſus
Te ſine, & orbatæ caligant vela carinæ.

Sed dolor etiam à te increſcit. quò iuiſti? ad quietem? cenſebas, aliter euenit: in turbas & flammam rerum. Animum tuum noui parem fortunæ aut ſupra eam: ſed in certamen te venire hoc ætatis, & neceſſitate nullâ producente, noluiſſem, ſi quod ego tu & Deus voluiſſent. Loqui me de bello & diſcrimine propinquo intellegis, an pace ponendo? ſcribis, & riſi. Colloquantur, adſimulent, nihil fiet, & poëtæ olim tui hoc audi:

Mars grauior ſub pace latet.

Nos ſine ambage in bello, & res ad Oſtendam valdè calent. Breuî noſtrâ fore, ſpes & ſermo erat: ſed validũ tamen intus præſidiũ, & Britanna rem ſuã facit, & ſic tuetur. Tamen ea etiã de pace, & litteræ nuncijque non deſinunt commeare. Intereà Bercka nobis erepta, & Batauι Romanũ in morem vallo & foſſis clauſerant: quod noſtri imitẽtur, vtinam imitẽtur. De SENECA vrges. quid opus ſit, ſi qui fui ego ſim? Volo[illegible] hercules, ſed & potui: nunc valetudo abijcit, & manum pęnè tollere cogit & fateri victum. An non etiam (ſine ſuperbiâ) partes meas in hoc theatro functus ſum? non licet perſonam veſtemque ponere, & me redire? Da tu alijque veniam: ſi non, à me ſumendam. Siquid lucis in nobis & à nobis olim, non lubet tenebras inducere, & oſtendere

Dilapſam in cineres facem.

Tamen EPISTOLAS nunc edebamus, & in ijs ad te quaſdam: omnes nam nefas, nec arcana & μυστηριώδη noſtra ſciant βέβηλοι iſti & profani. Editas nuper, habebis his Nundinis. Vale, & cùm aliàs, tum in ſacris votis memor eſto

De te pendentis, te reſpicientis amici.

Louanij, Idib. Sextil. ∞. IↃCI.

P. Leonardus te ſalutat, ego ex animo P. Deckerium, & illum Satyræ duplicis auctorem quando videndæ? A titulo malum omen eſt, *Veſpertilio* timet lucem.

EPISTOLA XCVI.

NICOLAO DAMANTIO, *Cancellario Brabantiæ, & à conſilijs Status.*

BENIGNITAS tua aditum mihi ad te facit, ſed & aliena importunitas, qui renitentem impellunt. Cognatus hic meus eſt, qui litem in tuo Tribunali habet, quæ Lipſianũ nomen in parte tangit. Nomen, non rem: & eſt quæſtio de titulis & tabulis, quæ videntur, obſcurando illi & maiorũ meritis, in alienũ locum inductæ. Si ita eſt, ego tuâ auctoritate ius noſtrum conſequamur, nec aliud. Nam ego te Iuſtitiæ rigidum Præſidem ſcio, & gaudeo: & abſit vt vlla inſinuatio mea aliud velit aut poſſit. Talem te, Nobiliſſ^me & Ampliſſ^me Domine, ille Deus diu ſeruet Principibus, patriæ, & nobis. Louanij, XVI. Kal. Septemb. ∞. IↃCI.

EPISTOLA XCVII.

RICHARDO *Baroni* STARREN-BERGIO.

AGNOSCIS hanc manum? Lipſij eſt, illius qui iam olim te nouit, colit, amat. Per locorum ſpatia, quæ nos abiungunt, non fuit promere hunc affectum: ſed eſt qui antè, vtinam in te ſic perennet. Etſi cognati tui, quos iamnunc vidi, adoleſcentes ingenui vultus ac ſanguinis, & in quorum ore habitat atque offert ſe nobilitas, idem mihi adfirmarunt, & in ſermonibus, imò laudibus tuis, Lipſium multum eſſe. Ab ijſdem didici, in coniugio & quiete agere, à publicis remotum: gaudeo, gratulor: atque illud mihi, non iſta contigit. quia malo fato Belgarum

Nos rurſum in bellum reſorbens
Vnda fretis tulit æſtuoſis.

Erigo me tamen & compono, quà datur: id eſt animo, & inter medias turbas Muſis ſtudijſque operor, & videris illîc opinor, induſtriæ meæ aliquos fructus. Parùm coctos aut maturos fortaſſè: ſed ſi non illos, vt me ames tui amantiſſimum rogo. Louanij, XII. Kal. Octobr. ∞. IↃCI.

EPIST. XCVIII. *Leodicum.*

PETRO ORANO *I^{to}*.

TVI hîc fuerunt, te non vidimus, & ſemper aliquid eſt quod Oranum nobis ſubducat. Ego intereà Antuerpiæ, & hæc cauſſa ſilentij, quam nec tu damnes. De filio, ô gratum! ô benignum illum in te tuoſque Principem! ô Billéum etiam amicum! nam & hunc operam nauaſſe non ambigo, & partem ei beneficij iure inſcribas. Pecuniam Taboleto adnumeraui. In ſtudijs, EPISTOLAS edebamus, & Centurias earum plures. Tum & SENECAM recipiemus, neſcio quo frigore aut faſtidio ſepoſitum ac pænè relegatum. Sed recipiemus, vt dixi: auctor eſt cui meritò laborem, imò vitam impendam, nato ad ſapientiam animis infundendam. Veſtri collegium hîc meditantur, & domum iam emerunt: cedet vſui & gloriæ Eburonum, vt ſperamus. Valere te mi amiciſſime opto. Louanij, XII. Kalend. Octob. ∞. IↃCI.

EPIST. XCIX. *Mechliniam.*

IANO BERNARTIO *ſuo*.

QVID hoc eſt mi Bernarti? monſtra & prodigia clamas, & quaſi lapides pluerint, flumina ſtiterint, ierintque à mari ſurſum. Quid factum? Mechliniam vidi, & te non vidi. Peccatum fatear, ſi hoc fatear. Quid ergo? vix dicam vidiſſe me Mechliniam, ſed tranſiſſe. ita curſim inquam, vt vix Ladas aliquis aut cum Pegaſo ſuo Perſeus. Vt rem ſcias, Antuerpiæ cùm eſſem & deſtinatum certò te in reditu viſere & amplecti, ecce nuntius Richardotum meum à patre reuocari, in Italiam mittendum. Rem moram non ferre (& vides ipſe anni tempus) eamdem velle, ante diſceſſum vt conuenirem. Itaque ſtatim manè facto celocem conſcendi, ventis fluctibuſque aduerſis Willebrokam veni: inde curru conducticio in veſtram vrbem: ſed ſic ſerò, vt de curru in currum fuerit tranſſcendendum, ſi Louanium eo die vellem. En factum, quod rationi adſidet, non monſtro. Dixiſſe hoc ſatis eſt, & ſimul purgaſſe. A te quidem mi Bernarti;

Me nec Chimeræ ſpiritus ignea
Diuellet vmquam:

nec alia vis aut fraus, ſecutus eius eſto De nuptiis quod audiſti, ita eſt. domum meam ſera Venus intrauit, & ancilla viro iungitur grauior iam in annis. Hoc potiùs ſi non monſtrum, monſtellum dixeris: aut non dixeris, ſi noris ſexum. Nuptiæ ea proximâ ſeptimanâ celebrandæ, ſi vis interuenire, licet, & gratus eris: ſi pòſt venire, iam tempus dixi. In Boëtio videbo, & adminiculabor, quod copia temporis aut ingenij mei feret: & Verſiculos pro eo ecce habes. Sanè Verſiculos, inquies. quid refert? ipſi breues, tenues, ab animo tamen amplo longoque ſunt; & hunc amabis. Ita vale cum tuâ tuiſque. Louanij, XI. Kalend. Octob. ∞. IↃCI.

IN BOETI CONSOLATIONEM à IANO BERNARTIO I. C. & cognato ſuo illuſtratam & emendatam.

En BOETIVS *ille, qui ſophorum*
In primis ſophus eſſe gloriatur:
Qui doctum nimis, & ſatis diſertum
Scriptum hoc edidit, omnium bonorum
Bonum iudicio. ſed id tenebras,
Æui aut ingenio ſuopte, habebat.
Quas BERNARTIVS *ille, flos meorum*
Belgarum pepulit; facemque claram
A ſe prætulit. hanc ſequere, quiſquis
Doctrinæ ſapientiæque cultor
Non audire, ſed eſſe, concupiſcis.

EPISTOLA C.

FRIDERICO TAVBMANNO, P. L.

TVNE ad me ſæpiùs? credere me par eſt, ſed & te mihi, vnas has vidiſſe: atque eas ſerotinas. nam Maio ſcriptæ, hoc vltimo Septembri ad me venerunt. Nihil miri. rara per hæc tempora fides eſt, atque ea citra verba ferè conſiſtit. Illud miri, ſi veteri meo more & ingenio expers ego factus, tibi humaniſſimè prouocanti, & optimas noſtras artes profitenti non reſponderem, aut communione affatus mei cenſerem indignum. Ah, fuge credere. non eſt mihi præligatum pectus, quod molle & affectui penetrabile gero: vtique in tales, qualem te ſentio magis, quàm dico. Quid, quòd ſingulari iudicio, aut certè raro, Plautum noſtrum amas? vel te ego ideò, vt alia abſint. Nemo illum, quem non melior Muſa & Phœbus. Perſuades hoc ibi tuis? dic ſeriò. non ſolent, & vidi nouellæ eloquentiæ addictos, & qui magiſtrorum dictata vel oratiunculas, crederent

——— *Albano Muſas in monte locutas.*

Scilicet imperitis tanti vitreum eſt, quanti margaretum. Nos ſapiamus, inter nos amemus, à me tibi promptum. Louanij, IX. Kal. Octobr. ∞.IↃCI.

IVSTI

IVSTI LIPSI
EPISTOLARVM SELECTARVM
CENTVRIA SECVNDA
AD BELGAS.

AD
ILLVSTRES DOMINOS
PRÆSIDEM ET SENATORES
CONSILII PRINCIPVM SANCTIORIS.

EPISTOLAS has nec ſi mittere aliò vellem, poſſem; nec ſi poſſem, vellem. Certè non debeo, neque decet, eas quæ priuatim ſemel vobis miſſæ & velut conſecratæ ſunt, in aliud nomen & mancipium publicè tranſire. Pleræque enim harum ad te IOANNES RICHARDOTE Præſes, te CHRISTOPHORE ASSONVILLI, vetuſtiſſime Senatorum, olim iuerunt: & nunc quoque deſtinatione meâ conſtanter pergunt. Vt hoc non eſſet, an non dignitas & ſplendor veſter me alliceret? qui in alto illo culmine conſtituti, lucetis in Belgicâ, imò in Europâ; & Solis inſtar, communicatis ſplendorem, ſi quis applicat ſe vobis, aut applicatis. Iam in patriam merita, in Principes officia, nos deuinciunt, qui vel illam amamus, vel hos colimus: eoque, iure teſtimonia aut elogia damus virtutis, prudentiæ, fidei: vtinam pro voto noſtro, pro meritis veſtris, diuturna! Quid priuatim de me dicam? in quem ab annis decem, id eſt ex quo in has patrias ſedes, Deo duce, reueni, non benignitas ſolùm ſed beneficentia veſtra apparuit: vt animo quàm ore potiùs promam, & paria vnâ re faciam, imparem me non ſolutioni ſed profeſſioni confitendo. Hoc velut publico præconio nunc facio: legant & credant, quiſquis hæc mea: vos vt tutelaria numina quædam habui, inter nubes & nimbos publicos, inter calumnias aut ſuſurros priuatos: denique quòd Genium meum & Muſarum propitiare, quòd in honeſto vtilique etiam aliis (ita ſpero, certè voueo) otio agere fuit, vobis adſcribo INCLYTI SENATORES, & inter vos duobus apicibus, quos nominaui. Nunc quoque in hac ipſâ EPISTOLARVM, id eſt ſimplicium ſermonum & cogitationum editione, vos adſpicio: date manum & præſidium, ſicubi opus: defendite, imò producite non tam me, quàm optimas artes: ſine quibus parùm ornata aut inſtructa reſp. vlla aut fuit vnquam, aut erit. Apud vos audacter dicimus, olim earumdem cultores, nunc patronos: nec ipſæ indignentur ante omnes Mercurios aut Apollines vos adoptare. Facite, & hanc etiam Academiam, veterem earum ſedem, caram ſanctamque habete: ita vos Deus magnos & felices, & conſiliis veſtris Principes faciat, ſeruetque. Louanij, VII. Kalend. Mart. ∞. IↃCII.

INDEX EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIÆ II. AD BELGAS.

A

Andreae Hoyo xxv.
Antonio Beſancenoto lxxvj.
Antonio Richardoto ſuo lxij, lxviij, lxxj, lxxxviij.
Antonio VVingio, Priori Latienſi xl.

B

Bartholomaeo Lintrenſi, Doct. Theologo xc.

C

Carolo Billéo, Conſiliario xxiij, xxix, lxxxvj, xcviij.
Carolo Broomano lxxxvij.
Chriſtophoro Aſſonuillio, Conſiliario x, xiij, xviij, xxviij.
Claudio Cabeitio I^to lxxiij.
Cornelio Anchemanto V. N. xxxix.

D

Dionyſio Villerio Cancellario & Canonico iiij, lxxxix.
Dominico Lampſonio iij.

E

Erycio Puteano, ſuo lxix.

F

Ferdinando de Salinas, à conſiliis arcanis lxiij, lxxix.
Franciſco Montmorencio, Berſeij Toparchæ lxxxj.
Franciſco Orano ſuo lxxvij.

G

Guilielmo Aſſonuillio Chriſtophori F. viij, xxij.
Guilielmo Breugelio Conſiliario liij.
Guilielmo & Antonio Richardotis fratribus lij, liiij.
Guilielmo Richardoto & Philippo Rubenio, ſuis xcvij.
Guilielmo Richardoto ſuo lvj, lxvij, lxxiij.

H

Henrico Cuyckio, Epiſcopo Ruremundenſi xxiiij.
Henrico d'Oultremanno Senatori xcij.
Henrico Stramo, I^to & Canonico xlv.
Heriberto Roſvveio, è Societ. Ieſu xxxvij.
Hieronymo Berchemio I^to & Canonico xxvj.
Hieronymo VVingio I^to & Canonico xxxiij.

I

Iacobo Catondeleto V. N. & ... vij, xiiij, xx, lxx.
Iacobo Varicio I^to xv.
Iacobo Vvveno lj.
Iano Lernutio j, l.
Ioanni Bernartio vj, xij, xxvij, lv, lxxv, c.
Ioanni Baiſato xvij.
Io. Clementi Xandrino, I^to & Canonico xcv.
Ioanni Hemelario ſuo lxxxv.
Ioanni Orano, Preſb. Soc. Ieſu lxxij.
Ioanni Richardoto, Præſidi v, xix, xxx, xxxv, xxxviij, xlj, xliij, xlvij, xlix, lx, lxxxiiij, xciiij.
Ioanni Viuiano xvj.

L

Lucæ VVyngardo V. N. lxxviij.

M

Martino Delrio Preſb. Soc. Ieſu ij, xxxvj, liij.
Maximiliano Seſtichio Canonico lxxxij.

N

Nicolao Fabri xlij.
Nicolao Micaultio V. R. lxvj.
Nicolao Oudarto, Canonico & Officiali xxx, xliiij, xlvj, lvij, lxj, lxxx, xcix.
Nicolao de VVeerdt I^to lxxxiij, xcj.

O.

Othoni Hartio V. C. ix, xxxj, xlviij, lxv.

P

Petro Carlerio, Preſb. Soc. Ieſu xciij.
Petro Coreto Theol. & Canonico xxxiiij.
Petro Orano I^to xj, lix.
Petro Scriuerio xcvj.

R

Remaclo Roberti. xxj.

V.

Vibrando Anſkema lviij.

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA II. AD BELGAS.

EPISTOLA I. *Brugas.*

I. LIPSIVS IANO LERNVTIO S. *dico.*

NIHIL audio. in ius ambula. At ſolam Epiſtolam debebas mihi? imò etiam carmen, ad Tacitum meū illuſtrandum nomine amico. Neglegis, & facis te ſubitò magnum. An & tu Biturigas euocatus es? Moriar, niſi riſu ſolutus ſum in epiſtolâ amici cuiuſdam mei ſuper hoc Lacone. Iam neglego valetudinem, & abire Morboniam volo: ne videam, ne audiam iſta. Vos autem quid? an ſatis bellè in hoc bello? Ego in iſto Lugdunenſi otio conſeneſco, nec medicina vlla niſi à litteris; non iſtis amœnioribus, (luſoria hæc tela aduerſus Fortunam ſunt) ſed ab illis robuſtioribus. Philoſophiam dico. in quam me penetro: & quidem Stoïcam. Rides, & exſpectas, vt me videas? vultum non mutaui, ſed animum. Humanitas in nobis eadem, imò fortaſſe maior. Scio vnde iſta haurias, inquies: à Senecâ. Imò ab Epicteto & Arriano, quos in pectus penitum demiſi, & in animum. Incredibile eſt, quàm me in hac vitiorum hominumque colluuie iuuent. Taciti Commentarios videbitis breuî; ſed dumtaxat volumen prius, id eſt Annales. Quæ tamen ratio maxima eſt. nam reliqua non habent eamdem obſcuritatem. Iudicia veſtra aut legam, aut coràm audiam. Vale. Lugduni, Prid. Kal. Ianuarij. Saluta vxorem à me & meâ.

EPIST. II. *Leodicum.*

MARTINO DELRIO, *Preſb. Soc. Ieſu.*

MISERVM me & beatum, qui tam probè tibi adſum, nec adſum. Epiſtola tua afflictum & inualidum me recreat: quid ſpirans ille ſermo? quem breuî, etiamſi omnia impediant, guſtabo. eò magis, quòd latere me video parùm bonâ fide. A Lampſonio hodie litteras plures. vnde ille ſcit? te quidem & tuos ſcio extra culpam. Sed cauſſa non eſt cur hîc quaſi ignotus hæream, & neglegam agere quæ neceſſariò mihi peragenda. Etſi de rebus in Batauiâ bona mihi ſpes eſt: ita vxoris induſtriæ fido (cui ante diſceſſum omnia hæc iam mandata) & inprimis Deo, qui dux & auctor huius conſilij diriget certò in bonum finem. A Batauis etiam ipſis cur, aut quid metuam? amant me & ægrè carent, fateor: ſed nos deuincti nemini mortalium ſumus in vnam horam. Itaque honeſtè & primo tempore miſſionem petam, conſtet modò mihi de tranſlatione rerum mearum, quas nolim equidem amiſſas. Et tamen ita ſit: petierint. quid tum? ego & optima illa pars mei ſalua. quod cùm erit, ita ſum affectus, vt ſpernam ex alto & rideam omnia hæc externa. Vt ij qui cum Rege aut Principe in aulâ verſantur, viliores res homineſque faſtidiunt: ſic qui animum ad diuina applicant, tenuia hæc & humana. Nimis ea mihi nota, nec niſi ſuis pretiis apud me æſtimantur. Falſa gemmula puero aut ruſticulo poteſt imponere, gemmario mangoni numquam: tale eſt hîc. Non diu nimis viximus: ſed tamen abundè guſtauimus quidquid fellis aut mellis eſt in rebus humanis. & illud exſuperat. In vno Deo requies, & beatæ mentes quæ ſe applicant ad verè beatam æternamque illam Mentem. Ego volo, & vt poſſim Deus me (ſpero) iuuabit, & tu quoque precibus tuis ſacris apud ipſum. P. Oranum ſæpiùs conuenio, & ſolatium ac conſilium ab eo, quamdiu hîc erit, mutuabor. O cur non etiam à te? ſed breuî fiet, ſi Deus me in paucos modò dies ſeruat. Ille idem te, R. P. meo voto, vel Sibyllæ æuum. Spadanis Aquis, VI. Kal. Iun. ∞. IↃ. XCI.

EPISTOLA III.

DOMINICO LAMPSONIO *gaudium nuncio.*

QVOD illud? cuius cupiens maximè es: ego ad te venio. Bonâ fide? opti-

sine morâ aut dilatione mâ. Quando; * ἄνευ παρολκῆς καὶ ὑπερθέσεως (niſi quid humanitus) ſub hebdomadis huius finem. Ergo ſanus planè? inquies. non, ſed quaſi ſanus. comedam, bibam, garriam vt vos ſani. Manſurus hîc etiam aliquot dies etiam, ſed neſcio quid rumor occul- *mussitat* tus * ὑποτονθορύζει de Prædonibus. Apage autem, mihi non lubet obtorto collo iterùm *salutares.* in Batauos. Denique ſi fontes iſti * σωτηριώδεις, alibi in viciniâ iis vtar. Nam hic infimus & paganus, transferri quaquauerſum poteſt, & ſolet: illo autem vtor. Non quin alter famâ nobilior, ſuperior ille inquam: ſed hic vſu melior, mihi quidem. Ergo veniam, & ſiquid litterarum alicunde ad me; recipe, & ſerua nec tranſmitte. O quàm te vtor, ſiue abutor? ſed excuſatiùs, quòd libente. Apud ſic amantem, ſic amans, non peccat. Salue. Aquis, VII. Idus Iul. ∞. IↃ. XCI.

EPIST. IV. *Tornacum.*

DIONYSIO VILLERIO *Cancellario & Canonico* S. D.

EST quod timui, profectò meas illas Spadanas non accepiſti. Cur enim ſileres? & in hoc epiſtolio, quod ad me recenter mittis, de meis verbum nullum. Tamen leue damnum eſt: atque adeò non damnum, quia exemplar eccе ipſum remitto, vt conſtet tibi ſaltem de officio meo in te & adfectu. Decanum Santelium incolumem ad vos veniſſe, ego gaudeo. nam vix quàm intutæ nunc paſſim ſint, probè ſcio: qui tres totos menſes, in longâ & difficili peregrinatione hac iactor. Cogita Lipſium, cogita Germaniam (per eam enim circumuagati ſumus) & quid paſſus alter ab alterâ ſit, non ignorabis. Deus tamen, dux auctorque noſtri conſilij, mirabiliter & præter ſpem, robur dedit; & huc deduxit, vbi nunc in otio & tranquillitate hæremus. Amicos hîc habemus complures, in iis etiam Carondeletum, virum grauem, ſerium, & ſtudiis ac tibi, atque vtroque nomine mihi amicum. Eſt & Lampſonius noſter, lepidiſſimi ingenij ſenecio (talis iam vel inuitus audiet) Flandriæ veſtræ ornamentum. Sunt plures, ſed tibi, vt opinor, ignoti: inter quos, & ſæpiùs inter libros, tempus ſuauiter fallo. Quid ſi conuiuiis etiam interdum, vt cum Plauto meo dicam, diem comburimus? profectò fit, & ſæpiùs quàm ego aut valetudo vellet. Quæ ſi tamen aliquo loco eſt, breui pariemus aliqua iamdiu nobis concepta. Alij enim aliâ re prodeſſe reip. poſſunt: hæc mea Militia eſt. nec ingloriam, nec infructuoſam eam cenſeam, ſi velut tubicen ſaltem excitem alios, ſtilo & voce, ad Virtutem & Doctrinam. Valetudo & imbecillitas noſtra, &c, ſi verum nomen vis, deſidia, non plus poſſunt. Vale. Leodici, VI. Kal. Sept. ∞. IↃ. XCI.

EPIST. V. *Bruxellam.*

IOANNI RICHARDOTO, *Conſiliario Regio intimo.*

IGNOTVM me ad te ſcribere, mirum fortaſſe ſit; niſi omnibus nota humanitas tua, prudentia, virtus. Prior inuitat; reliquæ ſpondent, non ingratum tibi fore officium, quod ab effectu manat & cultu quodam tui. Eò minùs, quòd haud planè ignotum tibi me, litteris *Oudarti* Canonici, & *Hartij* I^ti^ perſuadeor: qui imò ſpem faciunt beniuolentiæ tuæ, & inclinantis in me affectus. Quod ſi ita eſt, adeò non pecco ſi ſcribam, vt peccem niſi ſcribam, & magis magiſque beniuolentiam tuam mihi firmem: quod valdè fateor mihi eſſe in votis. Non ob ea tamen (dicam liberè) ob quæ vulgus: non enim ambimus ea quæ vulgus: ſed quia amare & colere magnos viros virtuteſque ſoleo, ſed ob ipſos. Hoc ita eſſe, facilè noſces, cùm interius me noſces. cui rei occaſio aliquando fortaſſe erit (ego ſpero & opto) cùm propior vobis, ipſum me tibi ſiſtam, & ſermone teſtificabor, quæ nunc ſcripto. Nam Batauos, Deo duce, tandem deſerui: verè Deo duce, quia & ipſi inuiti me dimiſerunt, & mihi in viâ longinquâ incommoda & diſcrimina varia obiecta, quæ illo tutore euaſi. Sum nunc in Spadanis aquis, valetudinis cauſſâ: & hærebo hîc, aut in viciniâ, aliquamdiu; tum quia vxor etiam nunc in Batauis, quam exſpecto, tum quia nobis qui ex hoſtico venimus (etſi reuerâ nunc & ſemper amicis) non tutus in patriam ſine Diplomate regreſſus. Mihi ſiquâ tali te opus (vide fiduciam) ad te, vir ampliſſime, audacter ibo, & auctoritatem tuam auxiliarem ſumam, conſcius mihi animi in te, qui eſt & erit æternùm deuotus. Aquis Spadanis, IX. Kal. Iulij, ∞. IↃ. XCII.

EPIST. VI *Mechliniam.*

IOANNI BERNARTIO.

STVDIVM tuum & affectus iam olim mihi nota, magis ſe aſſerunt & oſtendunt in poſtremâ epiſtolâ tuâ, & adiuncto ſcripto. Quî magis te potes meum oſtendere, quàm quòd pro me ſubis diſcrimen, & arma capis in protervum illum hoſtem? Amo, & meminero ſemper huius affectus: ſed quo vno contentus nunc ſum, rem mi Bernarti & pugnam nolo. Meum exemplum vide, qui omne hoc tempus ſilui: non rei, ſtili, aut ingenij inopiâ, ſed animi quodam decreto, & quia ſic magis decebat, atque adeò expediebat. Turpe nobis commoueri & conuerti ad eiuſmodi inclamatiunculas: & ſi fecero, quid euincam? Cauſſa mea facilis apud bonos & æquos eſt, & tribus verbis poteſt peragi: apud iſtos qui malâ libidine nos incurrunt, numquam me probabo. Contraſcribi hoc quærunt, vt iterum poſſint contraſcribere, & vt bella ſcilicet hæc pugna ſpectetur, Lipſius compoſitus cum Domanno. Amplius. vitam eiuſmodi libellis & famam damus, ſi reſpondemus: ſolitarij per ſe corruunt. Olim quàm multi in magnos viros, atque adeò à magnis etiam viris, libelli eiuſmodi editi ſunt? cedo vnum, non habebis. Pereunt ſcilicet in flore hæc talia, & in Famæ templo non dedicantur improba & petulca monumenta. Credo à Demoſthene ſcriptum: * Διαβολὴ καιρῷ μὲν ἰσχυρὰν ἐργάζεται τοῖς ἀκούσασι τὴν ὑπόληψιν, χρόνῳ δὲ σαθρὰ ἀληθείᾳ γίνεται. Itaque, hoc vindice, Tempore inquam, nos vtemur. In me aut in mea incurrant: quidquid ego aut illa ſumus tempus aperiet, & tunc magis cùm non ero. *Suum cuique decus poſteritas rependet.* De illo hactenus: nunc de meâ ſede, quam Louanium eſſe gratularis & exſultas. Atque ego mi Bernarti libens & alacer eò veni, ſed pænè cecidi animo cùm tam fractam & collapſam eam vidi. Heu, vbi vetus illa mea es? vix agnoſco eius vmbram. Tamen ſi aliqua quies hîc aut ſecuritas, poteſt reſurgere, opinione etiam celeriùs, quia vt ait Lyricus,

Ὠκεῖα δ' ἐπειγομένων θεῶν πρᾶξις, ὁδοί τε βραχεῖαι.

Certè diuinus fauor & tuitio palàm in hanc vrbem: & ſperamus portò fore. Tu cùm veneris, me pro opinione tuâ reperies, i nô ſupra opinionem, comem in tui ſimiles & volentem. Amo bona & amabilia iſta ingenia, & infundere ego in ea pronus, ſi quid melioris nectaris infu[...] nobis Deus. Veni & experire. Louanij, VIII. Kal. Sept. ∞. IↃ. XCII.

Oudartum, ſi illîc eſt, anımitùs ſaluto, ad quem ante dies paucos ſcripſi. Ipſum interiorem Oudartum noui, corticem tamen & velamentum eius velim etiam videre.

*Calumnia in occaſione apud audientes valet, tempore infirmatur.

EPIST. VII. *Leodicum.*

IACOBO CARONDELETO, *Canonico & Cancellario* S. D.

EPISTOLA hac teſtor memoriam tui, vix aliud. Quid enim ſcribam? mea ſunt, vt ſolent, in quiete & ſtudijs: niſi quòd publicè etiam legere ante paucos dies cœpimus, nec ſine fauore iuuentutis. Quæ aliqua hîc, non nimis frequens tamen, ob metum magis quàm ob mala quæ circumſtant. Nam teipsâ quieti, & tuti etiam videmur: homines cogitationes longiùs iaciunt, & prudentiam putant, timere non timenda. Præfectum noſtrum obiiſſe, iamdiu auditum haud dubiè vobis: nec euênit illi hoc Platonis, * ἐν εὐφημίᾳ τελευτᾶν. Multi de illo multa: & audaciùs lacerant iam defunctum. An iure, neſcio; & ſolet hoc euenire, vt miſeriæ maledicentia plerumque ſit adiuncta. Supplicatio hodie publicè hîc habita, ob felicia auſpicia noui Gubernatoris. Deus audiat: ſolatio valdè egemus. Bonus de eo ſermo eſt: quis tamen ipſe, aut quo ingenio, haud firmiter adhuc ſcimus. Sunt qui in tempus modò præfuturum eum dicant, & donec adueniat filia Regis, vxor Sabaudi. Non nouum, vt ſcis, Belgis * γυναικοκρατεῖσθαι. De rebus Galliæ aut Pannoniæ (nam & illinc metus) ſi quid habes, gratum ſi participas. Vale. Louanij, poſtrid. Non. Decemb. ∞. IↃ. XCII.

* in bona famâ mori.

* à fœminis regi.

EPIST. VIII. *Bruxellam.*

GVILIELMO ASSONVILLIO, CHRISTOPHORI F. S. D.

AVIDIS oculis epiſtolam tuam legi, non ſolùm quia magni affectus in me teſtem, ſed magis quia ſtudium ardoremque tuum præferebat in virtutem & doctrinam. Sunt ij ſanè gradus ad veram gloriam: nec aliunde exempla, quàm à domo tuâ petas. Vides illuſtrem parentem iamdiu inter patriæ decora, imò fulcra: & tu quandoque eris, ſi viam quam iniſti, firmo pede calcas.

Ante biennium, cùm in Batauiâ etiam eſſem, venit in [illegible]anus Oratio tua, publicè in hac vrbe dicta; teſtis & non fallax argumentum cùm ſtudij tui in optimis artibus, tum progreſſus. Et adiunxiſti iuris etiam prudentiam, neceſſarium futuro gubernatori reip. inſtrumentum. Itaque (vt ad epiſtolam tuam veniam) quòd reditum mihi in patriam gratularis, ſed ſortem tuam doles, quòd me non audias: alterum admitto, alterum minimè. quid enim meâ, aut alterius editione tibi opus, qui iam quaſi faſtigium impoſuiſti ædificio huic doctrinarum? Non quin diſcenda tibi aliqua ſuperſint (eius rei, quamdiu viuimus, numquam inopia) ſed quia id quod reliquum eſt, per te potes addere, & expolire. Ego quidem initium lectionum mearum breuî cogitabam facere, idque in hiſtoriis. Faxit Deus, vt cum bono huius ſcholæ, & audientium fructu. Certè quod ad ſcholam, iacentem & ſqualidam eam repperi, & longè aliâ facie quàm reliqui. Sed potens eſt Deus exſuſcitare, præſertim ſi aula & magnates etiam adnitentur: inter quos illuſtris parens tuus plurimum poteſt. Cui vt affectum meum nuncies, & cultum omnem à me deferas, ſeriò te rogo. Ego id coràm aliquando facturus ſum, ſi viuo: & cùm primùm Bruxella mea me habebit, pulſabo fores, & limen veſtrum nouus ſalutator accedam. Dum id fiat, amemus inter nos, Vir nobilis, eò puriùs, quia ſola interna nos iungunt. Vale. Louanij, Prid. Idus Nouemb. ∞.IↃ.XCII.

EPISTOLA IX.

OTHONI HARTIO Ja. S. D.

PVER tuus, vt priſci loquebantur, vt nos hodie, miniſter aut famulus, apud me fuit, ſalutem dixit, quam repono breui ſcripto. Aliud profectò in re meâ non eſt, niſi me totum eſſe in priſcâ ROMANA MILITIA, ô quàm diuerſâ ab hac noſtrâ! Iuuat & paſcor occupatione, ita multa reperio prudentiæ, imò acuminis plena. Mihi crede mi Harti (etſi quid apud te affirmem, talium iamdiu gnarum?) ſed mihi crede, in omni genere vitii illi fuerunt, cuiuſmodi nec voto nos ſimus. Pudet & piget, cùm flagitia iſta audio noſtrorum, & video. Nam & video quoque, cùm hàc ſcilicet iter habent. Quæ agmina iſta, crebra non calonibus, ſed fœminis? quas aliquis ambigat plures, an viros, eſſe dicat. Erneſte alter vbi es? veni, vt ſit quò venias. Nam profectò, per hunc ſtatum, vix eſt vt diu ſtemus. Neque ego culpo qui rebus præſunt, nec poſſum aut debeo: aliunde fortaſſe culpa eſt: vndeunde tamen, apud nos eſt pœna. Sanè prudentes, & qui in futurum proſpiciunt, negabunt hunc ægrum diu ſpirare poſſe, ſine celeri medicinâ. Sed hæc apud te: in calamum venerunt, alioqui minimè querulo, aut talium ſermonum. Mihi viuo, cum paucis loquor; & ſi loquor, de publicis rarò, nec cum affectu. Vide quàm Tranquillitati ſtudeã; publicè breui Senecæ hoc argumento & titulo libros ſum lecturus. Vtinam aliis imprimam, quod in parte contigit mihi. Tu vale mi Harti, ſemper noſter. Ad Vwenum noſtrum ſi ſcribis, ſalutem adſcribe, & gratulari me vtrique veſtrûm dicito, in victoriâ hâc apud multos inopinatâ. De *Scorza* re loquor. O triumphum veſtrum, in lauro, an in litterâ detractâ? Louanij, XII. Kalend. Ian. ∞.IↃ.XCIII.

EPIST. X. *Bruxellam.*

CHRISTOPHORO ASSONVILLIO, *Conſiliario Regio intimo.*

BENIVOLENTIA & affectus, quo me nuper excepiſti, nec verbis tantùm, ſed toto pectoris, vt ſic dicam, ſinu, impulit vt ad te ſcriberem: etiamſi alia cauſſa ſcribendi non eſſet. An non hæc ſatis iuſta, agnoſcere quid debeam, & gratitudinem ſi non re exhibere, ſtilo & verbis offerre? Quod equidem facio, ſic ex animo, vt magis non poſſim: & ſcit ille qui interiora hæc noſtra videt & arbitratur. Vtinam manare aliquid à me poſſit, non dicam vtile tibi (id non poteſt) ſed gratum & acceptum! non libenter ſolùm, ſed auidè id facerem, & quî ſcio, an non occaſio erit? imò erit, ſi Deus vitam & valetudinem mihi dat, & concedit per partes efficere, quæ pluſcula cõcepi. Tibi Amp. D. (quod vnum hoc litterario affatu volui) obnoxium & addictum me defero, futurus admirator & cultor tuus æternùm. Louanij, Nonis Nouembris, ∞.IↃ.XCIII.

EPIST. XI. *Leodicum.*

PETRO ORANO Ia.

ECCE & meam tertiam. quid obloqueris? erro. & calculum reuoco, eſt quarta. Nec ego reſponſum tuum exſpecto, ſed preuenio;

uenio, & quaſi per voluptatem tecum loquor. Ita eſt. delectas me cùm in mente ruminor, cùm ſtilo alloquor, magis & maximè cùm ſermone. Malè prædonibus, malè fautoribus, per quos ad vos non licet. Si ſcias qui vir nunc ſim? paria tecum poſſim vel ad menſam: idque etiam in conuiuio meridiano. Nam de veſpertino, iam olim te vici. Sed faxit Deus, vt præſens videas, ſiue in meâ domo, ſiue in tuâ Atque vtinam, vtinam, illud fiat! quis ſcit ecquid proxima æſtas dabit? hæc quidem Regi & reip. parùm felix, & quod ſequitur, parùm læta bonis: etſi nos tamen ſeponimus curas & abiicimus, idque decreto. Vt flores quoſdam eſſe ſcimus, qui non niſi ad ſolem ſe vertunt: ſic nos mentem à nubilis iſtis auertimus, vel ad diuina, vel ad amœna. Inter amœna, ſcis litteras noſtras eſſe, in quibus pangimus quod non deleat hæc ætas atque alia, ſi petagere nobis datum quæ iam cœpta. Sed priuatim etiam turbamur: & neſcio quis (ita nunciant) à Germaniâ iterùm minitatur. Per fidem Orane, quieto mihi, qui neminem inquietaui, eſſe non licet? Quæ hæc æui proteruia, & licentia eſt? Clamem iure cum poëtâ:

*Ἤδη νῦν αἰδὼς μὲν ἐν ἀνθρώποισιν ὄλωλεν.
Αὐτὰρ ἀναιδείη γαῖαν ἐπιστρέφεται.

*Nunc certè pudor in mortalibus eſt extinctus, Terrarum improbitas occupat imperium.

Sed illi faciant, non ego deterior, imò nec obſcurior. quin vt ſtellæ in cælo per ipſas tenebras fulgent; ſic noſtra fama per obſtantes has nubes. Louanij, prid. Kalend. Sept. ∞. IↃ. XCIII.

EPIST. XII. *Bruxellam.*

IOANNI BERNARTIO I[to].

ME venire ad tua ſollennia, commune noſtrum votum eſt: ſed hoc tantùm. A Kalendis huius anni noui (malum auſpicium) morbus & domus me habuit: extra quam pedem non poſui, ne ſacrorum quidem cauſsâ. Itaque nec tu venire me velis, ſi me amas: & ſcio amas. Carmen tamen aliquod mitto, quod in remiſſiore morbo panxi dicam, an effudi? Res dicet: ſed qualecumque, debui, volui, & pro viribus feci. Vale mi amice, & cùm hæc leges, fortaſſe iam cognate. Louanij, XVII. Kalend. Februar. ∞. IↃ. XCIV.

IN NVPTIAS IANI BERNARTI I. C. ET CATHARINÆ BREVGELIÆ Gratulatorium.

PIERIDES quondam cultæ mihi, verba praite
Verſibus, & liquidum diffundite gutture carmen.
Muſa Venuſq; voluit. iubet altera, & altera Diuæ:
Muſa quidem ſtudioſa viri, Venus ipſa puellæ,
Quis nunc ſollennes thalamos Hymenæe paraſti.
Nam venit illa dies Parcarum condita fauſto
Vellere, quo IANVS CATHARINAQVE *fœdera iungent,*
Fœdera perpetuùm manſura, manentibus ipſis.
Quæ nullæ poſſint violare aut ſoluere luces,
Quæ nullæ poſſint violare aut ſoluere noctes,
Excipiq te Nox *æternùm continuanda.*
Surge, age, mi Vates, Muſarum cultor, & idem
Eunomiæ, ac voti tandem ſatiare petiti.
Illa tua eſt. curas licet & ſuſpiria ponas,
Fræna momordit amans, ſubitque iugalia vincla.
Talis in Eurydices complexus Thracius Orpheus
Venit, & extinxit quos ſuſpirauerat ignes,
Molliter alternis & carmen & oſcula pangens.
O iuuenis, cui Dij certatim dona tulerunt
Naſcenti, creſcenti, ad culmina conſcendenti
Fortunæ! & tantùm Liuor neget. En tibi Iuno
Quàm fauet, qualem dederit, qualiq́ue parente!
BREVGELIVS *pater eſt, iuris legumq; peritus*
Arbiter, & magni pars idem magna Senatus.
Vir quo nec Probitas probior, nec iuſtior ipſa
Iuſtitia; & Græco par Romanoq́ue Catoni.
At tu Virgo etiam, ſtirps ò mea, tu quoque gaude,
Iam tali iungenda viro. quem Muſa benigno
Excepit fouitq́ue ſinu: quem Iupiter, omnes
Corporis atque animi dotes largitus, honeſtat.
Hoc fruere, & ſtantes vitis velut implicat vlmos
Auxilium fulcrumq́ue ſibi, complexa maritum
Stringe. licet tenerum nunc ablegare Pudorem:
Lex, ritus, materq́ue volunt. ò mihi coràm
Hæc fari, & tenui fas inſtillare ſuſurro!
Fata negant: aliter te ſponſe & ſponſa viderem.
Te quoque, qui noſtris ſpes vnica & vltima rebus
ERNESTE *Auſtriadum, properas, decus: alma deorum*
Progenies, idemq́ue deos aliquando datura;
Omina ni noſtræ docuerunt vana ſorores.
Sed propera. ventis feruet mare, mergitur vndis
Hæc ratis, atque omnis laterum compago fatiſcit.
Nivemens, nimbosque fugas ſ[illegible]mque reducis,
Cuiq; tuo ZEPHYRO *iā ſpiras mitior* AVSTER.

EPISTOLA XIII.

CHRISTOPHORO ASSONVILLIO, *Conſiliario Regio.*

MVNVSCVLVM meum ad te venire ſine litteris nolui, quibus miſſitandis occaſionem iamdiu quæro. Non enim è ſermone ſolùm aliorum, ſed coràm ipſe cognoui affectum in me tuum, & honeſta de me iudicia: quibus vt par ſim, opto magis quàm ſpero. Sed profectò vt aliquid tamen poſſimus, fulcro & alleuatione veſtrûm talium indigemus. & vt vitis iacet, nec fructum fert, niſi ad ſtipitem aut arborem applicita: vix etiam nos, niſi gratiâ & fauore veſtro ſubnixi. Quem contigiſſe mihi vt gaudeo, ita vt retineam nitar: & dabo operam, pro ingenij huius viribus, vt ſi quid dotium à magno illo Deo accepi, id refundam in publicum bonum. Nunc peto, vt libellum hunc, Ampliſſime Domine, non vt munus, ſed vt animi mei pignus accipias; qui virtutibus tuis & meritis in patriam debet, & iamnunc vouet, omnem cultum. Louanij, poſtrid. Kalend. Febr. ∞.IↃ.XCIV.

EPIST. XIV. *Leodicum.*

IACOBO CARONDELETO *V. R. & N.*

CVM nuper aderas, parùm commoda valetudo mihi erat, eoque ſermo parùm fortaſſe liberalis, etſi tempus etiam excludebat. nam tu properabas. Alioqui iuuiſſet profectò horas aliquot tecum abſumere, qui raró hîc video amicos melioris illius animi & ſortis. Siqui ad nos, ferè ab Aulâ ſunt: quam ſcito non eſſe Franciſci regis aut Alphonſi. Interdum aliquot exteri, ſed rari ob has turbas. Veneti non ceſſant me non dicam compellare ſed pænè compellere. ita litteris aliis aliisq; vrgent, etſi palàm & ſiue exceptione negaui. Faciunt idem Mediolanenſes & Senatus ibi regius, ſcribente pro iis Ioh. Baptiſtâ Sacco, viro mehercules docto. Sed quid? ſors mea eſt, credo, hîc quieſcere, & fortaſſis vileſcere. nam pretium mihi, quid mihi. unò omnibus artibus noſtris eſſe apud eos qui præſunt, magnum haud dicam. Iuuentus tamen & qui hîc in ſtudiis, amant, & ſpero ij omnes, qui honeſta. Tu inter eos es, & perſeuera. Louanij, poſtrid. Id. Iul. ∞.IↃ.XCIV.

EPISTOLA XV.

IACOBO, VARICIO, *Iᵘ* S. D.

EX epiſtolâ tuâ, mi Varici, affectum tuum in me liquidò & certò cognoui; illud quod ſcribis, incertò. Significas enim magis, quàm promis: & vt ego verum fatear, nullum munus noui, cui idoneum me vel mores, vel valetudo reddant. Ad publica eam? ingenio & iudicio abhorreo. & ſi hoc non eſſet, quis mediocriter ſapiens vellet, hoc rerum ſtatu? Quæ facies ac forma rerum ſit, vides: ambitionis, confuſionis, corruptionis pleraque plena: ego inter iſta iacter tiro & rudis, & conſilio fortaſſe aut iudicio, quàm animo melior? Scis enim mollem mihi frontem eſſe; videre & dicere magis vera, quàm contentè aſſerere: quæ omnia aliena ab Aulâ, & moribus hodiernis ſunt. cùm vix ſapientia in pretio, niſi quę pompam & colorem habet; imò etiam, quæ duritiam aut impudentiam habet. Alia multa ſunt, quæ auocant. imprimis quietis ſtudium, & amata mihi ſemper expers publicæ priuatæq; curæ tranquillitas. Quid ſtudia noſtra, & Muſæ? ibunt ad faſces & purpuram? id eſt, iacebunt aut peribunt inter ciuiles ſtrepitus, aut ſplendores? Atqui & hac parte vtiles eſſe Reipub. poſſumus, & iam fuimus: nec malè olim, qui fecere duplicem remp. Paruam & Magnam. illam cuique genti propriam, vt Romanorum, Athenienſium, Belgarum: hanc communem omnium mortalium, id eſt orbem ipſum. Ecce ad paruas reſpublicas quàm multi admouentur, aut adſpirant? iidem illam, & ſeſe per eam, iuuant? Magnam haud æquè multi: & ſalutaria præcepta aut conſilia, quæ non præſentibus ſolùm, ſed poſteris, non iuxtà modò poſitis, ſed longinquis & exteris proſint, haud omniũ in voto aut manu eſt dare. Stilo pangimus, quod hæc & alia ætas legat, Principes & ciues formamus: & partem reipub. nonne tangimus? ô negotioſum hoc otium, cuius fructus per homines & ætates ſpargitur, & quo vſui aliis ſumus, etiam cùm non ſumus! Mentem meam vides, nec facilè dimouebor, niſi aut euidens patriæ vtilitas (quod vix credam) aut imperium & vis cogant. Quidquid ſit, pòſt audiero: tu quidem fidem ſilentij nihil violaſti, qui hoc tantùm indicaſti, aliquid de me agi. Excitaſti me vt paratior ſim & munitior, ſiquid

pete

petetur; & officium amici feciſti, quem eſſe te ſcio, & me quoque tibi viciſſim non ignoras. Vale mi Varici. Louanij, IV. Kalen. Octob. ∞.IↃ.XCIV.

EPIST. XVI. *Aquaſgrani.*

IOANNI VIVIANO S. D.

BINIS me occupas, quid excuſem niſi quòd occupatum? Tori enim in MILITIA edendâ eramus, & Typographus vrgebar, cui damno ſit vel leuis mora. Vt igitur oculi, etſi agiles, ſupera & infera ſimul non aſpiciunt: ſic nec iſta mens dat ſe vno tempore ad diuerſa. Poteram leuiter & breuiter reſpondere, fateor: ſed tuæ aliquid etiam poſcebant. Priùs quidem abſciſè negandum, de reſponſione ſuper meo Stilo. Itáne hoc argumento? itáne illi, qui niſi quòd nomen meum præſcribit, nihil in me, vix de me, dicit? Riſi, cùm legi, adſatim: etiam te, ſi petere hoc ſeriò imbibiſti. Et quid dicam? me & mea laudem? hoc neceſſum eſt, neque aliter excuſem. Atqui niſi æuum, & tacitus iudiciorum conſenſus hoc facit; fruſtrà omnis conatus huius ſim ego. Loquar, ſileam: ſi Genium & Venerem ſcripta mea habent, viuent. ſi non, eant iamnunc, quò Voluſi olim annales. At calumnias ferre, graue eſt: & ferendo, alias inuitas. Ego contrà cenſeo. nec graue eſſe animo perſuaſo & deſtinato: & vbi conſilium hoc & robur eſſe, non frigus aut conſcientiam vident, ipſi aut ſuſtinent ſe, aut mutant. Mihi crede. aranearum telæ ſunt omnes iſti calumniarum contextus: minuta animalia inhærent, fortiora ſpernunt & perrumpunt. Itaque omittamus, non quidem cum Homerico Achille,

Θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι φίλον δαμάσαντες ἀνάγκῃ:

non, inquam, *neceſſitate animum vincentes,* ſed ipſo animo, id eſt ratione. Alterum, quod petebas, erat de Ciceronis loco an locis. & adhæſiſſe me fateor: ſed nunc denique videor expediſſe. Erant iſti, è libro VII. ad Attic. epiſt. XV. *Pompeius ad legiones Actianas profectus eſt.* Iterùm epiſt. XX. *Cnæus Luceriæ eſſe dicebatur, adire cohortes legionum Actianarum non firmiſſimarum.* Quæris, quæ iſtæ *legiones Actianæ?* Non ab Actio Varo, aut Actio Peligno: qui Auxini & Sulmône cohortes habuerant: ſed cohortes, non legiones, atq; illas ſubitò ſcriptas, & ante hoc tempus dilapſas, aut ad Cæſarem tranſgreſſas. Ex ipſo Cæſare diſcas. Quæ ergo? nuſquam ego reperi, ſed emendatiunculam ſuggero, *Appianas.* Nam intellegit profectò duas illas legiones, quæ à Cæſare per ſpeciem belli Parthici abductæ, & Pompeio traditæ, circum Luceriam hærebant. Ex veteranæ. & ideò (vt idem Cicero) *omnis ſpes in duabus penè inuidioſè retentis legiunculis.* Eæ circa Luceriam, aut in ipsâ. Lucanus, lib. II.

> —— *commiſſæ deſeris arcem*
> *Scipio Luceriæ. quamquam fortiſſima pubes*
> *His ſedeat caſtris, iampridem Cæſaris armis*
> *Parthorum ſeducta metu.*

Ita ibi legendum, non *Nuceriæ* (quod editur) & res & meliores libri dicunt. Sed quare *Appianæ* iſtæ? Plutarchus dicet: Πρὸς δὲ τούτοις Ἄππιος ἀφίκετο κομίζων ἐκ Γαλατίας ἣν ἔχρησε Πομπήϊος Καίσαρι στρατιάν: *Præterea Appius redierat, è Galliâ adducens legiones, quas Pompeius Cæſari vtendas dederat.* Sunt iſtæ duæ: & res ex Hirtio, Cæſare ipſo, aliiſque nota. *Appianæ* igitur à Legato ſuo dictæ: ſicut paſſim illo æuo *Africanæ, Fabianæ, Varronianæ.* Mihi ſic viſum: quid tibi? reſcribe. Louanij, XII. Kal. IXbres. ∞.IↃ.XCIV.

EPIST. XVII. *Bruxellam.*

IOH. BOISOTO S. D.

DVO me tenuerunt, quò minùs gratias adhuc egerim, pro florum munere ad me miſſo, Pudor & Occupatio. Ille non iniuſtus, aut ruſticus. quid enim rebus tuis toties reponerem nuda verba? & mallem habere etiam gratias, quàm agere, ſi fortuna mea aut occaſio ferret. Quid tamen eſt? ſcio magno animo te hæc dare, nec in aliam ſpem gratiæ, quàm hanc, quam fideliter reddo. In animo beneficium tuum repono, & illâ parte omnes mortales gratitudine laceſſo. Cauſſa altera ſilentij, Occupatio. Ab ædificio hoc me non explico, & video Dædali labyrinthum eſſe, & mihi quoque opus tandem fore Theſeo. Sed quo? qui non filum, ſed aurum præferat, nec Minotaurum, ſed nomina noſtra occidat. Arculæ quidem noſtræ venimus ad fundum. Sed terrenus aliquis Iupiter nos iuuabit, & impluet aureum imbrem. Extra ioca, fortiter & cum fiduciâ ædifico, quod in vacillante hoc ſtatu rerum multi mirantur Sed illi parùm ſciunt, quàm iſta me non alligent: quæ ego habeo, non habeor, & cùm opus eſt relinquo. Reuerà tempora dura & ferrea: & hoc magis occupatiunculæ aut dele-

delectatiunculæ quærendæ, quæ auocent aut ſolentur. Sed inter eas litteræ noſtræ eminent, interiores etiam illæ & philoſophicæ, quas ſeriò tracto. Addo hortulos, & eâ parte nihil nego me eſſe in caſtris Epicuri. Tu noſter hîc imperator, & cui Cluſius ipſe dexterum locum cedat. Nam hortum eius Francofurti vidi, & ſcio tuum abomnibus copiis inſtructiorem. Fruere longùm, mi Boiſore, & ſtudioſo tuo otio, & beato cælibatu. Louanij, poſtrid. Nonas Nouemb. ∞.IↃ.XCIV.

EPISTOLA XVIII.

CHRISTOPHORO ASSONVILLIO, *Conſiliario Regio.*

AFFECTVS in me tuus impellit (affatim mihi notus) vt conſortem te habeam conſilij, quod ſummam rem meam tangit. Conſortem? imò etiam arbitrum, & in alteru̅tram partem adiutorem. Res breuiter ita eſt. Pænè triennium hîc iam egi, in exiguo ſtipendio, & quod alendo mihi non fuerit, niſi vetus parcimonia aliquid ſuppeditaſſet. Non diſſimulo, ſperaſſe me vt à maximo Rege noſtro ſubſidij aliquid acciperem, & ad ſtipendium, quod Ordines ſubminiſtrant, additamenti. Nihil eſt factum, temporum haud dubiè culpâ (nec aliter interpretor) quæ turbida & militaria, vix patiuntur pretium aliquod nobis eſſe, aut artibus his pacatis. Intereà tamen conſtanter perſeueraui, & vocationes etiam aliquot à magno Dynaſtâ Etruriæ, Venetis, Summo ipſo Pontifice, reieci aut ſpreui, ſpe mutationis ſemper, & meliorum. Nunc cùm id non fiat, imò in peius ire res videantur; nemo impudentem me arbitrabitur, vt opinor, aut intempeſtiuum, ſi de rebus meis ad vos procetes, & capita conſilij Regij, referam, & ſeriò petam aliquid ut tribui mihi, aut permitti. Tribui dico, ſi manſio mea hîc placet. alendus enim ſum, & id, pro conditione ac ſtudiis noſtris, honeſtè. Si id fit; ecce me, vocent orbis Principes in ipſas inſulas beatas; figo pedem, nec turbæ aut procellæ à Rege meo aut patriâ abducent. Si tamen non, & neceſſitates publicæ largitionem aliquam non ferunt; benignè equidem interpretor, nec reiectum me cenſebo, ſed dilatum. Sed tum eſt, quod velim mihi permitti. nempe, vt cùm aliò etiamnunc inuiter, idque in locum pietati & ſtudiis amicum, & Regi non alienum (Bononia enim eſt) rogo, inquam, vt cum bonâ gratiâ agere & paciſci mihi cum illis liceat, ſaltem in paucos aliquot annos. Nam bonâ fide, cùm turbæ iſtæ reſederint, ſi patria etiam tum me requirit aut deſiderat; is reſpectus & cultus meus in Regem & illam eſt, vt omiſſis omnibus ſim venturus. Ampliſſime Domine, æquum me petere, ſpero in animo tuo tibi dices. Quod ſi ita cenſes; tum illud pro magno beneficio mihi adde, vt ne diu anceps & incertus ſententiæ veſtræ hæream: ne occaſiones mihi prouectionis (quæ præcipites eſſe ſolent) elabantur. Addo etiam verecundè, vt ſi decernete aliquid & addete Maieſtas mihi Regia volet, ſolutio ne ardua & incerta ſit. quod nobis ſtudioſis, & qui ad legem viuimus, quàm moleſtum ſit, contigit mihi etiam in ſtipendio iſto Ordinum experiri. Scripſi de hac re (ſed breuiùs & minùs fortaſsè expreſsè) ad Præſidem Vander-Burchium: cum quo ſi putabis communicandum aliquid, me volente fiet, qui totam hanc rem prudentiæ & beneuolentiæ tuæ gubernandam permitto. In animo meo iamdiu ita ſenſi, ex animo te mihi amicum eſſe, & me tibi fidum clientem. Nob^me & Ampl^me Domine, opto diu ſaluum te Regi, Reip. & nobis. Louanij, v. Kal. Mart. ∞.IↃ.XCV.

EPISTOLA XIX.

IOANNI RICHARDOTO, *Conſiliario intimo Regio.*

ETSI verecundia, & pænè religio mihi eſt, interpellare te, vel in grauiſſimis curis tuis, vel in luctu, qui te nuper cepit: tamen cùm amici identidem peterent iterùm commendatiunculam, in negotio N.N. qui lectionem publicam hîc ambit: non potui non refricare memoriam commendationis veteris, & teſtimonij quod de illo dedi: & dedi ex vero, certè ex intimo animi mei ſenſu. Vir moribus compoſitiſſimus eſt, doctrinâ variâ, non iuris tantùm, egregius: atque ego ex re Academiæ & iuuentutis cenſeam, talem promoueri. Sed enim cùm calamum ſumpſi & fiduciam ſcribendi, cur non etiam breuiter, in hoc luctu tuo alloquendi & ſolandi? In quo ſi tarda aut ſuperuacua mea cura ſit; velim & optem: atque hoc vnum tamen aſſequar, vt animum & cultum meum tibi probem. Amiſiſti vxorem optimam, diu vitæ & tori conſortem, tot liberorum parentem: vulnus

nus eò tibi grauius, quò magis à domo in Rempublicam virtus & fortuna tua te traxit. Curæ, quæ diuiſæ anteà erant, in vnum incumbunt, &

Tota domus cœpit nunc onus eſſe tuum.

Quid tamen eſt? ſubſidium à te, & ab animo tuo, tibi petendum; illo animo ad magna nato, ad omnem prudentiam à doctrinâ & vſu facto. Quid te talem virum communis legis admoneam, quæ naſcentibus dicta eſt, mori? & incertò quidem mori, limite aut termino nullo nobis fixo, niſi quē Deus in tabulis prouidentiæ ſuæ ſcripſit. Tua igitur obiit: ſed, quod omnes facturi ſumus, fecit; & quàm multos in ſpatio & curſu ipſo vitæ ſuperauit? Non in auſpiciis matrimonij, & in crudo ſtatim amore erepta tibi eſt: ſed ſuauiter diu conuixit, ſolatia dedit, etiam poſt te & illam manſura. Reſpice florentiſſimam familiam tuam (& diu talis ſit, precor) quomodo non viuere eam putabis, è cuius ſinu & ſanguine tot viuunt? Propone tibi ora quorumdam: non dubito quin imago & vultus etiam maternus in iis ſpirent. At enim hoc ipſum dolorem auget, liberos videre altero fulcro orbos, & quibus ſuauiſſimum illud nomē iam periit *Matris*. Apud vulgum ita ſit: te verò excitet, & amor in mortuā, caritas in viuos iubeat, animum attollere ad eos attollendos. Te intuentur, à te pendent: nec luctui ſolùm iis luctus tuus eſt, ſed cladi, ſi iaces. Sed non conuenit in te hoc verbum, quem ratio, ſcio, erigit; tum etiam publici aſpectus, vt priuatos iam omittam. En in ſummo Patriæ conſilio te ſummus noſter Rex conſtituit, columen es & tutela (verè profiteor) apud nos rerum: tu luctui te dabis, id eſt Regi & rebus ſubduces? Non facies. ſed vt magni illi viri olim, in media negotia ibis, & ſolatium ex ipſis petes. Tiberium Principem legimus, vnico filio Druſo orbatum, tanti Imperij deſtinato ſucceſſore, eâ firmitudine animi fuiſſe, vt defuncto necdum ſepulto, curiam ſit ingreſſus: Rempublicam ſcilicet velut filiam amplexus, & in eâ conquieſcens. Huc te voco. Non ſunt viro politico, & ad bonū publicum nato, digniora ſolatia, quàm quæ actio ſuppeditat: & apud alios vincendus rationibus aut die dolor eſt, apud hunc mole negotiorum obruendus. Philoſophia id ipſum ſuadet, abducere animum à cogitatione & ſolitudine: quæ duæ velut nutrices ſunt dolorum. Vt ij qui amore laborant, fugiunt & peregrinatione excutiunt affectum: ſic qui dolore, vtiliter ſe abducant. Ipſa loca illa vitanda ſunt, quæ memoriam aut deſiderium excitent: & exigua ſæpè punctura cicatricem rupit, iam coëuntem. Sed quid ego hæc? prudentia tua ſuper omnem noſtram eſt: nec Deus ſiuerit vt obnubilet eam & ſubducat dolor. Ego eumdem Deum precor, à quo verum robur & fortitudo, vt te Ampliſſime & Nobiliſſime Domine magis magiſque erigat, firmum valentemque Patriæ, tuis, & nobis reddat. Louanij, XII. Kal. Decemb. ∞. IↃ. XCV.

EPIST. XX. *Leodicum.*

IACOBO CARONDELETO *V. R. & N.*

EXCVSAS raritatem ſcriptionis, & ſum ego in eâdem culpâ, ſi tamen culpa. Sed tu cauſſam pro vtroque agis, & certè hoc mihi probas, litteras planè vacuas rerum & inanes eſſe haud debere. Interdum tamen vel ſalutationis obſequium libandum tibi à me, hoc fateor: vel eo fine, vt tibi probem veterem illum me eſſe, id eſt tui amantem & colentem. Fiet magis ſeriò publicè in libris POLIORCETICΩN, in quibus ſermonis tibi partes, cum Billeheo, Furio, Orano, Lampſonio: nec quidquam editionem moratur, præter meam præſentiam, qui imaginum cauſsâ debeo adeſſe. Paro me breuì ad non longinquum hoc iter. Tranſiit hac ante biduum Vicarius Lindenus, & ſalutem à te dixit: tum etiam læta quædam de Hungaricis rebus. Deus victorias aliquot illîc dedit, vtinam ſeriam vnam & grandem; quæ præmium oppida aut regiones ſecum trahat! Sed fiet, ſpero, in tempore. Gallus Feram obſidet, ſi noſtri opitulantur, video certamen, aut turpem illius abſceſſum. Si certamen, res totius Galliæ huc aut illuc inclinant: id eſt, vt reſurgant, aut vt planiſſimè cadant. Tu ſiquid in Turcicis certi (ita ſoles) ne grauare ad nos mittere, nos, qui ſemper tui. Louanij, poſtrid. Kal. Ian. anni huius ∞. IↃ. XCVI. qui felix tibi eſto.

EPIST. XXI. *Bruxellam.*

REMACLO ROBERTI.

CVM fide remiſiſti Montanum meum, an noſtrum potiùs, quia vos quoque eum amatis. Profectò vir ille magnus eſt, & factus ad mores iudiciumque formandum, ſed maximè ad robur animis ingignēdum, ſine quo quid niſi fluctus hæc vita?

Aſſi-

Aſſiduè in metu, ſpe ſumus, & ab omni vndâ cupidinum rapimur: firmat hæc Sapientiæ anchora, quam ille nauigio noſtro aptat. Litteræ eius apud me ſunt, ſed paucæ, & plura talia apud Franciſcum Raphelengium memini me depoſuiſſe. Siquid tamen dignum lectione tuâ aut aliorum repetero, videbis. Nunc quidem diſtinebar concinnandis quibuſdam, quæ ad Militiam priſcam ſpectant. Hanc quoque videbis, ſed neſcio an ad veſtrum, & præſentem vſum: unò vix ad iſtum, ſed ad Hiſtoriæ tamen lucem, cui ſcripſi. Vale, Louanij, Non. April. ∞.Iↄ.XCV.

EPISTOLA XXII.

GVILIELMO ASSONVILLIO, *Bouchautij Domino* S. D.

CVM è cognato tuo Præpoſito Arienſi intellexiſſem, de vitæ conſorte, quam capis; affectus meus in te, in parentem cultus, iuſſit vtrique veſtrûm gratulari, & apprecari felix hoc conſilium & ſalutare. Vtrique, inquam, veſtrûm gratulari. tibi, qui genus vitæ ſuſcipis, coërcendis vagis cupiditatibus diuinitus inſtitutum; parenti, qui poſteros & nepotes ex te (vt ſpero) videbit, quod vnicum felicitati eius deeſt. In ſummis honoribus vir ille, tot annos, in omnium laude & gratiâ vixit: opes non nimias, ſed tamen honeſtas & dignitati ſuffecturas peperit: quid deerat, niſi quò vota occulta & à naturâ inſita trahunt, videre natorum natos, & ex optimâ arbore frutices & ſtirpes propagatas? Mortales ſumus, imò nec diuturni ſumus: vnâ ratione diu ſuperſumus, ſi proſeminamus qui ſuperſint. Viuimus in poſteris, & non quidem anima (abſit hoc dicere) ſed tamen indoles & igniculi in eos tranſeunt: & amamus eos, & amamur. Vagum aut barbarum genus hominum, vagos & indefinitos amores etiam habent, copiam & incertitudinem vxorum: nos pij & compoſiti Chriſtiani, diuinâ lege adſtringimur, vnus vnius eſſe. Hoc eſt quod Plato philoſophatus aliquando ſubabſurdè videtur, ſed mente & fine bonâ: homines olim è mare & fœminâ conſtitiſſe: diuiſionem & velut ſectionem corporum eſſe factam: ſed manere deſiderium veteris iunctionis, & ideò appetitum hunc copulæ in nobis eſſe. Fabella eſt: ſed hæc veritas, à Deo inſitam illam cupidinem. quam pauci vicerunt, niſi quos idem Deus ſupra communem ſortem extulit, & ad ſe traxit. Ij caſti, puri agunt, felici ſorte, & quam miramur plures, quàm imitamur. Sed nec nos, qui ſecundarij, vt ſic dicam, ſumus, contemnendi aut improbi: imò id quoque laudabile & pium eſt, qui planè non abſtinet, vnâ contentum, ab aliis abſtinere. Et habet hæc vita ſuas Veneres, honeſtiſſimasque voluptates. Ecce primùm aſpectus ille familiaris & mutuus, quem non delectet? *aut quid eſt* (vt Varro ait) *quod homo maſculus libentiùs videre debeat, quàm bellam vxorem?* Adde colloquia, ambulationes, conuiuia: & hæc omnia cum ſincerâ & tutâ delectatione, cui cautio aut metus non miſcentur. Illa eſt, in cuius ſinum læta, in cuius ſinum triſtia liceat deponere: illa, cui tutò fidere domum, pecuniam, liberos: excipio arcana, ſiquis remp. tractat. Etſi in rep. video fuiſſe honeſtarum coniugum etiam partes. Liuia, vt noto exemplo vtar, Auguſtum ſuum ſæpè temperauit, & modeſtè atque opportunè inſtruxit. Angebatur ille & inſomnes noctes agebat, deprehensâ coniuratione in ſe L. Cinnæ. Senſit, & blandè exquiſiuit Liuia: Et potes, inquit, fœminam audire? Omitte conſilia de puniendo, cogita de ignoſcendo. Vindicta & ſeueritas quod hactenus non dederunt, vide an benignitas & clementia dabunt. Paruit Auguſtus, ignouit: & in poſterum (is fructus muliebris conſilij) liber ab inſidiis vixit. Poſſem & noſtri æui magnos reges dare, quos nihil puduit publicas etiam curas cum hac ſui parte miſcere: ſed parcè & cautè tamen faciendum, & præſtat omninò in priuatis nos manere. Iam voluptas alia, quanta & quàm penetrans? videre natos liberos, luſitantes, balbutientes, mox garrientes: fouere ſinu, iungere ori, apprimere pectori: & habere in egreſſu, in regreſſu, triſtibus etiam rebus, lætificantem hunc occurſum. Quid ipſa vxor, & honeſtus ille amor, quàm inardeſcit præſertim in aliquâ abſentiâ? Qui ſtimuli ad redeundum? quæ gaudia in reditu, & complexus?

Omnis amor magnus, ſed aperto in coniuge maior:

Hanc Venus, vt viuat, ventilat ipſa facem.

Iucunda adhuc narro: vtilia etiam volo. Vxor eſt, quæ curas tuas diuidit, & partem ad ſe trahit. Illa familiam, & rem familiarem tractat: illa parcere & reponere ſuadet, natu-

naturâ ita facta. Pulchrè hoc Xenophon: *Quoniam hunc ſexum*, inquit, *cuſtodiæ & diligentiæ* Deus *aſſignauerat*, *idcircò timidiorem reddidit*, *quàm virilem. nam metus plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi*. Iam in ægritudine aliquâ tuâ, quis fideliùs aut ſolicitiùs aſſidet, curat? in ſenectute aut imbecillitate, molliùs fouet? Quæ omnia vera ſunt, ſi amor, ſi concordia adſunt: aſſiduæ comites, niſi vitio aliquo partium pellantur. Homerus Vlyſſem Nauſicaæ ita facit loqui, & ad coniugium hortari:

* —— οὐ μὲν γὰρ τοῦ κρεῖσσον καὶ ἄρειον
Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή. πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
Χάρματα δ' εὐμενέτῃσι.

** non aliud pulchrius est meliusque Quàm cùm vir mulierque ſuam concorditer vnà ætatem degunt. in quo dolor hoſtibus eorum, Sed ſit gaudium amicis.*

Quod ego tibi, Vir Nobiliſſime, & tuæ opto: & ſimul liberos, reip. etiam cauſsâ. Sint *Aſſonuillij* aliqui, & parui *Chriſtophori*, qui ad curas auitas ſuccreſcant & educentur; qui Regi, qui Patriæ, fidam operam nauent & ſalutarem. Sed quò labor? teneo te, aliis iam intentum. mitto, abi, validè vale. Louanij, Nonis Maij, ∞. IↃ. XCVI.

EPIST. XXIII. *Leodicum.*

CAROLO BILLEO, *intimo Conſiliario Sereniſſimi Electoris*.

LIBROS hos quos SERENISSIMO ELECTORI noſtro inſcripſi (noſtro. nam & ego me inter clientes eius habeo) eos ad te mittimus, portò ad eum, pro iudicio tuo, tranſmittendos. Serium & grande magis opus eſſet, ſi vires pro voluntate eſſent: ſed vel ſic non diſplicebit, ſpero, quia materia alibi ſubtilior, operoſior, & acri & ſublimi ingenio Principis non indigna. Vtinam pictoris mihi pro libitu copia fuiſſet! accuratiùs & elegantiùs quædam oculis ſubieciſſemus. quod nunc non licuit, ſed & Typographi defugiunt hos ſumptus. In iis autem libris, quia Dialogi ſunt, tuum quoque nomen, velut emblema, inſerüi: nec indignaberis, etſi vanitas eſt, cùm ſperem à decoro & conuenienti non abiſſe. Certè affectu & iudicio inductus feci, cùm te diligam pariter & colam: atque ea ratio prompta mihi viſa & commoda, vtriuſque tei teſtandę. Nobiliſſime & Clariſſime Domine, diu ſupereſſe te cupio, Principi & rebus. Louanij, XII. Kal. Sept. ∞. IↃ. XCVI.

EPISTOLA XXIV.

HENRICO CVYCKIO, *Epiſc. Ruremundenſi.*

GRATVLOR tibi ex animo felicem aduentum in locum, & ad homines, fidei tuæ commiſſos. Quibus, non dicam vt fructuoſa & ſalutaris (nec enim ambigo) ſed vt grata etiã cura & gubernatio tua ſit, Deum precor. Enimuerò onus aliquod grauius in iis locis eſſe, vtrique hoſti vicinis, & Pontificio & Regio, facilè ſuſpicamur: ſed peruincet, vt ſperamus & vouemus, cùm pietas & prudentia tua, tum & patientia. quã ipsâ in ſummo culmine ſæpè, imò vel maximè opus. Nos hîc qui ſolemus, quod ab aliis te ſcio audire. priuatim ego in meâ quiete & ſolitudine, niſi quòd à magnatibus inductus ſum, haud libens ſanè, vt quoſdam in domum & contubernium meum reciperem: quod neſcio an ex re meâ futurum ſit, ſcio quòd non ex voto. Louaniũ mihi, cùm ob alia placuit, tum ob tranquillitatem, & ſine turbâ aut faſtu vitam, quam degimus in eâ qui volumus, niſi ab altiore axe ventus turbet. Sed ferendum eſt, & moleſtiæ cuique pro ſuâ ſorte ſubeundæ. Ab iis te quantum licet immunem, & gregi tuo diu ſuperſtitem Reu^me Domine opto. Louanij, XIV. Kal. Octob. ∞. IↃ. XCVI.

EPIST. XXV. *Duacum.*

ANDREAE HOIIO S. D.

LIBRVM à te accepi, & putabam eſſe commune & pluribus deſtinatum donum: at ego propriè meum etiam repperi, mihi inſcriptum & dedicatum. Quid dicam mi Hoij, niſi inopinantem me beneficio affici, adeò non merentem? Quò magis id gratum eſt in iſto animo, qui & plurimi facit optimas artes, & te inſignem earum cultorem. Atque vtinam tibi honos ſit pro meritis, aut gratia! ſed fatum huius æui noſtri, quo iacent & vilent omnia ferè, quæ olim honeſta & magna. Iſta occulta clades, inter alias apertas, à Marte eſt: quem vtinam Venus iſta fuget, quæ ab Iberiâ exſpectatur! Sed vt ad librum, legi equidem, & pleraque ſupra vulgum, & ideò nec placitura fortaſſe vulgo: tu autem mihi & Muſis, quod audacter dicam. Vale, & memorem me beneficij fore (ſic interpretor) in omni loco & occaſione ſcito. Louanij, VIII. Kal. Ianuar. ∞. IↃ. XCVII.

EPIST. XXVI. *Ipras.*

HIERONYMO BERCHEMIO, *Ito & Canonico.*

QVID hoc eſt mi Berchemi? rogare te vt aſſeram, & rationibus euincam, Deum eſſe? Sanus es? Ego quidem, inquis: ſed amici illius cauſsâ, de quo tecum egi. Egiſti, fateor: ſed vellem ipſe, & medicinam coràm afferre liceret huic non impietati ſolùm, ſed infelicitati, quæ in hominem cadere ſuprema poteſt. O iam hoc ipſo nec hominem! certè non ratione præditum: quia vbicumque aliquod eius lumen eſt, notitia etiam iſta & fides, numen, rectorem, tutorem vniuerſi eſſe. Da mihi quemcumque voles, ſanum hactenus,

Poſſit qui rupem & puteum vitare patentem:

ipſe ab interno animo dicet: & tuus iſte an noſter (nam & ego noui olim & amaui) quòd aliter loquatur in acrimoniâ iſtâ ingenij, ſentit an per delicias diſſerit & ludit? Peccat, ſiue hoc ſiue illud: & aut docendus, aut coërcendus eſt; & hoc quia non poſſum, alterum faciam pro ingenij mei copiâ. quam vbi promptiùs aut digniùs impendam? Ades mens, ſtile, manus, exſurgite & incaleſcite ad illum aſſerendum, qui vos fecit, rexit, mouit. Tu quoq; ades mi Berchemi, & ſiquid illi mouendo dicam (neque enim tibi hæc ſcribimus, niſi illo fine) transfunde & inſinua, & Deo & nobis vindica ingenium, quod malè ab vtriſq; abiuit. Nam mihi quidem quæ non dicam amicitia, ſed vſus vel notitia cum illo ſit, qui à communi ſocietate & ſenſu hominum ſe abiunxit? Ita dico. & Deum eſſe, inter communes receptasque illas notiones eſt, quas Natura parens omnibus, quę vbique orbis ſunt aut fuerunt, gentibus

1 de cæl. cap. III. inſeuit. Ariſtoteles: Πάντες ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσι ὑπόληψιν: *Omnes homines de diis habent*

Epiſtolâ CXVII. *exiſtimationem & ſenſum.* Seneca: *Nulla gens vſquam eſt adeò extra leges moreſque proiecta, vt non aliquos deos credat.* Veriſſimè alia alibi religio eſt, vbique aliqua: nec in veteri & noſtro ſolùm orbe hoc apparuit, ſed in rudi illo nouo. vbi inter barbaros, feros, homicidas, homicidones, quis angulum adhuc repperit, quem religio & numen non vindicaret? Adeò verum eſt, hoc de Deo ab ipſo Deo nobis inſitum, & animam ab æthere adferre ſecum, etſi confuſam, tamen firmam hanc opinionem. Vniuerſum genus humanum hoc dicit, & dixit: quis tu vnus altérve es, qui opponis? Imò Diagoras etiam olim, & Prodicus, & Theodorus. Neſcio. deos planè & plenè negaſſe, haud arbitror: ſed illos, quos tunc colebant, hoc opinor: & ideò ἀθέων cognomine affectos. Sed eſto. etiam duo tréſve illi negauerint, inſani homines aut monſtra: ideò erroris vniuerſum genus humanum damnemus, & quidem in re ſummâ? Non facimus: & arguat nos ipſa hæc ſocietas hominum, & iure legibuſque deuincti cœtus, aliquod non caput ſolùm rerum ſed vinculum eſſe, quod conſeruet. Age enim in hac malitiâ noſtrâ, quæ leges ſatis validæ ſint, niſi opinio & frænum de Numine accedat? Atqui falſa aliqua opinatio nec tam efficax, nec tam diuturna vmquam ſit: eſt igitur reipsâ Numen. Tertiò, ab animo cuiuſque ſuo argumentum. Conſule te, ille ipſe qui diſſentis. in rectè factis ecquid lætari aut diffundi te ſentis: contrahi in ſceleribus & angi? ne diſſimula, ſentis: atque id etiam in occultis. Vnde autem ille alteruter ſenſus, niſi quia animus iudicat iudicem alium eſſe, & aliquid homini præter hominem timendum? quod profectò eſt Numen. Quartò, eſt etiam interior animi motus an metus, qui in omnibus, & malis præſertim, ſe prodit. Quis ad tonitru non concutitur? & vt cum poëtâ dicam,

——cui non correpunt membra pauore,
Fulminis horribili cùm plagâ torrida tellus
Contremit, & magnum percurrunt murmura cælum?

Iſti ipſi qui Deum ſpernunt, Deum tunc agnoſcunt, & vel inuiti oculos animoſque ad cæleſtes illas minas demittunt. Audi Suetonium de Caligulâ: *Cùm deos,* inquit, *tanto opere contemneret, ad minima tamen tonitrua aut fulgura conniuere & caput obuoluere, ad maiora verò proripere ſe è ſtrato ſub lectumque condere ſolebat.* O noſter ſupra Iouem Iupiter, quid aut quem times? Eiice naturam, eiice rationem, redeunt: & ad cæli murmur metuis, quem debebas vereri. Adeò verum, ſenſu quodam, illud poëtæ eſt:

Primus in orbe deos fecit timor:

etſi non fecit propriè, ſed aperuit & oſtendit. Quintò denique ab ipſo etiam te. in quo nempe Mentem aliquam agnoſcis vegetantem, ſentientem, gubernantem: & non vis in magno hoc vniuerſo eſſe? præſertim cùm vetus Sapientia commodiſſimè dixerit, *Hominem eſſe paruum quemdam Mundum.* Si ergo in te, ſit in illo; non tuam vides,

non

non illius; ſed ab affectibus nempe tuam, ſic & hanc agnoſce. Atque homine relicto, ad effectus iſtos, & extra eum ibo. Age, Motum primò hunc rerum vides? cælum volui & reuolui? aſtra habere diuerſos vel aduerſos inter ſe curſus? Atque eos omnes certos, & ad legem: dic mihi à quo præſcriptam? Sibi certè nemo normam hanc adſiduæ ſeruitutis indicet. Alius igitur? quis? adſcende, & gradibus peruenies ad immotum illum, & omnia mouentem. Vt in horologio, cùm gnomonem ſerpere ſenſim vides, non illîc ſiſtis, ſed ad rotas rotulaſque abis & miraris, & denique manum & ingenium auctoris primi: idem hîc fac, & Deum repperiſti. Secundò, Ordinem in vniuerſo intuere: qui eum admiratione vel ſtupore potiùs examinetur. Supera illa locum ſuum habent & ſeruant; tum media, & ima: nihil exorbitat aut mutat. Ignis in terram non deſcendit, terra in cælum non aſcendit; aër, mare, flumina locum, fluxum, curſum ſuum ſeruant: omnia ex vſu & decoro, vt melius pulchriusque nihil poſſit: & non auctorem horum agnoſcis & rectorem? In domum aliquam magnam ſi veniſti, vbi aulæa expanſa, pauimenta conſperſa, ſedilia diſpoſita, vaſa expoſita, ſuccincti & pexi miniſtri: an non ab ipſo illo ornatu dominum, cùm non vides, præſumis? Fac in verè hoc mundo, & Deum habes. Tertiò, Conſeruatio rerum eò ducat. Diſſident elementa inter ſe, & à naturâ iis eſt luctatio & pugna: cur autem alia non interimunt, aut vincunt? cur tanto æuo in modo & finibus ſuis perſeuerant? Ipſæ animantes dente, cornu, vngue, veneno noxiæ ſunt, aliæ alias inſequuntur: quid tuetur quodque genus & ſeruat? Nos homines ſic aſperi & aſſidui in bella, in mutuas cædes; quomodo non perdimus aut perimus? Manent omnia, eriguntur aut coërcentur: & vis profectò atque imperium eſt quod tam diuerſa continet atque adſtringit: id autem eſt Deus. Quartò, à fine rerum ad principium & caput eſt peruenire. Nónne agunt ſingula, atque etiam inanima ſpectant & tangunt certum aliquem ſcopum? Atqui neſciunt illum, nec à ſe eligunt: tangunt igitur aliquo dirigente, qui ſciat eligatque. Vt ſagitta ſponte ad ſcopum non peruenit, oculus eſt qui collineat, manus quæ impellit: ſic in iſtis, & ductorem & directorem habent, quem niſi Deum? Dixi effectus, qui mundum tangunt: age iam, vide mihi ipſum, & quæ in ipſo. Poteſt melius, pulchrius, aptius aliquid cogitari? quid in toto eſt non mirabile, delectabile, & quod animum oculoſque ſimul mulceat verberetque? Vide rotundam illam Vniuerſi formam; vide connexionem inter ſe partium; vide varietatem, & ſuper omnia magnitudinem & ſpatia finita, nec tamen oculis & vix mente finienda. Quis inſiſtit & ſcrutatur, & non ſimul magnum, pulchrum, bonum auctorem horum ſentit & admittit illabentem? Vis partes videre? tolle in cælum oculos, & mirare illud ſine colore cæruleum, ſine igne lucidum, ſine quiete & ſine fatigatione motum. Tot aſtra in eo ſcintillantia, & æternùm lucentes faces: atque has minores, maiores, iunctas, diſſitas, ſine numero, & in numerum choreas ſuas ducentes. O aſpectum illum oblectabilem an venerabilem, cùm nigra nox terras tegit, cælum aperit,

——currumque ſequuntur
Matris laſciuo ſidera fulua choro.

Vix auellor: ſed tamen ad Aërem te demitte. quid fluor ille videtur, & tenui filo puritas? ſed puritas (aliter quàm in cælo) incerta, & ſæpè ventis, niuibus, grandine, ſæpiſſimè pluuiis turbata. Quid in aëre ipſi ignes, & imagines quædam aſtrorum? Sunt ſtellæ cadentes, ſunt horribiles cometæ, aliique ardores in trabem, facem, capram. Iam Aqua nos excipit, multiplici facie. vides fontes perenne manantes, fluuios obliquis rectiſque meatibus decurrentes, ipſum mare arcanam & pænè aliam naturam. Hoc ventis modò inhorreſcit & attollitur, nunc placidâ tranquillitate ſubſidet, & malaciâ blanditur: & tamen in omni ſtatu, ſtatas ſuas habet creſcendi & minuendi vices. Terræ denique noſtræ inſiſte, & totam conſpice, ſic grauem, ſic brutam, in medio aëre, naturâ librante, ſuſpenſam. Partes diſpice, quas pulcherrimè variat, & in ardua montium, accliua collium, depreſſa vallium, plana camporum diſtinguit. Quid deinde ex eâ: alibi arbores ſtirpesque attolluntur, & velut comæ matrem inumbrant; alibi fruges, herbæ, flores, veſtiunt & exornant. Flores, quorum vnum ſi videas acriùs & ſcrutère: mentior, niſi in eo ipſum Deum. Ita omnia in ſubtili corpuſculo, formâ, odore, colore, bella, ſuauia, deſcripta: vt mens ſtupeat, & manus aut ars nulla ſit æmulando. Iam quæ ſuper eam vide. tot illa genera claſſesque auium, quæ tamen in eâ nidulantur,

paſcunt,inſiſtunt: tot animantium, formâ, robore, ingenio diſſidentium, quibus illa habitaculum eſt & alimentum. Singula diduc & timare. quid non in ſuo genere pulcherrimum, perfectiſſimum? ita dico, vt homini numquam ſatis ſagacis ingenij ſit, ad vnum culicem aut formicam plenè dignoſcendam & doformandam. O mira! ô ſuper omnia mira, rex & caput animantium Homo? quis ille,& quàm condecens, erectus ſtatus eſt? quid caput in vertebris ſuis mobile? quid oculi ignei, in altum petentes? manus & pedes agiles? omnia membra in mutuum auxilium apta & nexa? Stilus deficit in exteriore illâ formâ deſcribendâ: interiores dotes audebit libare? ita, ſed libare. Deus bone, quæ meus illa noſtra eſt? quàm celeris in eâ cogitatio, & ictu oculi cælum, terras, maria peruadens? quæ memoria ſic capax, ſic adſeruans? quæ ratio ſubtiliter colligens & concludens? quod ex omnibus iudicium dirigens & decidens? Profectò tanta vnius illius animantis pulchritudo, dignitas, vis & vigor eſt: vt ſi Deus non eſt, ipſe ſit Deus. Atqui non eſt, agnoſcit auctorem alium: ego patrem, pater auum, auus proauum: & quis primum illum fecit? qui ſolus eſt infectus, Deus. En, vt eò reuoluat vnde incepi, Homo homini clamat & ingerit,Deum eſſe. At enim, inquiunt, quæ tu attollis & magnificas, hæc omnia per Naturam ſunt. Ita enim loquuntur & ſentiunt, & tuus etiam acriculus, vt dicebas. Per Naturam? quid ea eſt? vis aliqua non ſentiens mundo huic inſita, & per partes eius omnes permeans? Ita, inquit. Ita?& hæc igitur ſine ſenſu, ſine mente, tam pulchra, tam varia, tam diſtincta facit, ordinat, atque etiam ipſa, quæ animam atque animum habent? Quomodo poteſt ignobile in nobilius, deterius in melius agere, & vim ſuam efficaciter exercere? non ſequentur, & parebunt. At ſentiens, intellegens,& animata quædam illa vis eſt, dicet alius. Si ita, iam conuentio inter nos eſt: & hoc quod Naturam ſic appellas, ipſa eſt Deus. De nomine quid litigem? niſi quòd turpe tamen, eum qui naſci omnia facit, & quòd ſunt eſſe, non à gignendo dici ſed naſcendo. Vides ab *Homine*, ab *Euentis*, ab ipſo *Mundo*, rectorem in eo eſſe: & pulcherrimè Tertullianus: *Habet Deus teſtimonia totum hoc quod ſumus, & in quo ſumus.* Sed adiungam etiam aliquid de *Signis*, & quas ipſa diuinitas adſiduè ſuggerit ſui notas. Proh Deum,Deum aliquis abnuit aut ambigit,qui Diuinationem videt? Et quis non videt,& ab omni æuo vidit,vates futore inſtinctos, ſomnio monitos, aliter edoctos, futura edicere, idque in ſæcula & ætates? A ſe ille Martius aut Sibylla habent, an vis alia ſuperior & doctior eſt quæ inſpirat? Si à ſe, cur non alij pariter homines? cur non iidem illi omni tempore & ſemper?Clarum eſt: idemque in Magicis, in Miraculis, in tot operibus præter aut ſupra Naturam,vbi Numen &Genij eius adminiſtri ſe miſcent. An hæc nôn ſunt? non omnis vetuſta lectio & hodierna obſeruatio dicit? Hærent. & obſcura ſunt,inquiunt: ita,ſed iis quibus prima illa cauſſa obſcura eſt, à quâ ſolâ palàm hæc manant. Iam Geniorum etiam luſus aut illudia, apparitiones, præſtigiæ, & plura notata & noranda cottidie, aliquid ſuper hominem & communem Naturam adfirmant: fruſtrà rationibus indaganda, niſi hoc fundamento ſuperſtruas, Deum eſſe. Veni Diodore, renaſcere Epicure, non aliud habebis dicere: & ſolum hoc à Signis rem confecerit,vt rationis capax iudex nihil hîc diffindat. Vnum etiam,& deſino.obſeruatum crebrò, ne dicam ſemper, iſtos Numinis palàm ſpretores, pœnas palàm luiſſe ab ipſo immiſſas,& pleroſque infelicem vitam triſtiore morte conſummaſſe. Caucant, & Euripidem audiant, de Pentheo:

Εἰ δ' ἔστιν ὅστις δαιμόνων ὑπερφρονεῖ,
Εἰς τοῦδ' ἀθρήσας θάνατον, ἡγείσθω θεούς:
At ſi quis eſt diuina qui contempſerit,
Is fata in huius intuens, putet Deos.

Finiui mi Berchemi, ô vtinam cum eius bono, cui hæc vis ſcripta! Etſi ego quoque noui, qui in iſto erroris barathro: ſed ferè adoleſcentes, & quos proteruia aut laſciuia magis, quàm ratio aut deſtinatio impellit. Quos equidem Platonicis iſtis verbis compellem: Ὦ παῖ, νέος εἶ· προϊὼν δέ σε χρόνος ποιήσει πολλὰ, ὧν νῦν δοξάζεις μεταβαλόντα, ἐπὶ τἀναντία τίθεσθαι. περίμενον οὖν εἰς τότε κριτὴς περὶ τῶν μεγίστων γίγνεσθαι. μέγιστον δὲ, ὃ νῦν οὐδὲν ἡγῇ σὺ, τὸ, περὶ τοὺς θεοὺς ὀρθῶς διανοηθέντα, ζῆν καλῶς: *O adoleſcens, iuuenis es etiam. & ſequens ætas efficiet, vt multa quæ nunc ſentis in aduerſa commutes. Differ igitur in id tempus iudex de rebus maximis eſſe. maximum autem, quod nunc pro nihilo ducis, de diis rectè opinantem,* VITAM RECTE INSTITVERE. Hæc illis, hæc tuo dixerim. qui ætate non mente maturior, amplectatur cum bonâ religione & talem

r. aduerſ. Marc.

x de Legibus.

talem vitam. Vis tria verba? ab iſtâ malâ, malus hic ſenſus. Vale. Louanij, III. Idus Ianuar. ∞.IↃ.XCVII.

EPISTOLA XXVII.

IOH. BERNARTIO, *Cognato & amico* S.

SANE gratæ mihi tuæ litteræ iſtæ vltimæ fuerunt, quæ & valere te ac tuos (en fructum coniugij) dicerent, ac benè & commodè te agere, quod maximè deſiderabam. Anteà punctiunculæ aliquæ in tuo animo, ob deſideria noſtrarum virginum, & nondum plenè te ceperat iunxetatque cæleſtis illa Aſtræa. Vides quàm honorificè? & ſanè ita ſentio, ſi habes tractaſque ex dignitate. Quàm multos iuuandi ac demerendi tibi fas, per bonum fidumque patrocinium? nec mouet, quòd dedecorant multi, qui ſplendorem eius Deæ non vident, oculos animumque habent tantùm in ſplendore auri. Non tu ex illis, ſcio: rectam viam ipſe ini, atque aliis præi, & forum tuum iuua atque orna etiam exemplo. Mane, inquam, in tuâ Iuliâ, quam Imperator ille ſummus tibi iunxit: nec vero tamen veteres amicas reſpicere. in quas meus pænè amor (certè ſtudium, aut cultus) elanguit, cum hoc languore. Qui me grauiùs ſolito iam vrſit, ab aliquot ſeptimanis. Heu, quando finis! quando ad lætos illos locos

Fortunatorum nemorum, ſedesque beatas?

Nam harum turbidarum iam tædet: & tu vale mi Bernarti, ac pænè dixeram, vale vita. Louanij, Idibus Maiis. ∞.IↃ.XCVII.

EPISTOLA XXVIII.

CHRISTOPHORO ASSONVILLIO, *Conſiliario Regio intimo* S. D.

DOLOREM meum, quem ex obitu filij tui accepi, ſeriùs fortaſſe teſtor, ſed hoc ideò, quia nec ipſe libenter in ſermonem hunc veniebam, nec apud te illum refricabam: An deſunt, qui ſolati ſunt? copia tibi amicorum, ſcio, quos beneficia & merita tua, cùm publica, tum priuata parauerunt: & quidem magnos principesq; viros: Quid ego feſtinarem interuenire, & nebulam hanc, vt ſic dicam, ſpargere inter eas ſtellas? Et verè nebulam dixi. nam lucem illam animi, aut alacritatem, ad ſolandum non adfero: quia & me priuatim dolor ille tangit, vt qui filium tuum amaui; & illum viciſſim ſemper benignum in me ſenſi, & peramicum. Cùm initio in hæc loca veni, paucos habui quibus nouitas mea niteretur: te inter primos, Vir Ampliſſime repperi, ad quem acclinatem, & vnà filium tuum, qui velut manu iniectâ duceret ac commendaret. Ac perpetua deinde nobis amicitia litteris, etiam aliis officiis, culta fuit. An igitur non doleam, in iacturâ & amiſſione eius, ſic immaturâ? ex animo doleo: atque vtinam, vt flumen in riuos plures ſparſum minuitur; ſic tuus dolor, communicatus cum aliis, leuior minorque fiat! certè ego quoque inter minuentes eſſem: ego inter canales, qui exciperem & deriuarem. Sed vereor, vt hoc ipſum augeat, & cogitatio tibi ſubiiciat, maius illud bonum eſſe, quod tam multi amiſſum lugent. Itaque huic parti non inſiſto: etſi in vero amore, & paterno affectu: grande ſolatium, filium amiſiſſe in bonâ & florente famâ. Incerta ſunt omnia rerum humanarum. qui hodie virtutem amplectitur, cras vitium poteſt; qui nunc benè audit, cras malè; & nemo liberos vel optimos habet, vt non cum gaudio & metu aliquo aſpiciendos. En, magnus ille Deus, tuus atque illius parens, hunc eripuit: in optimo quidem æuo, ſed & in famâ optimâ: acquieſcamus, & ſciamus ſic expediuiſſe. Sicut hortorum peritus cultor, plantas quaſdam priuſquam degenerent, euellit, & vtitur; quoſdam florum in calice, quoſdam & fructuum in acerbitate decerpit, & in mel ac saccharum recondit: ſcito ſic facere magnum illum mundani horti cultorem, alios alioſque aliàs carpere, quemque in ſuum vſum. Atque en, alterum incluſum hîc ſolatium: Deus facit, Deus tollit, quid mortalis ô homo obſtrepis, & voces aut lamenta ſpargis? Quin ſcito, nihil ab eo niſi tempeſtiuè, niſi vtiliter, & ex ſalute noſtrâ fieri. Certè Chriſtiani ſic edocti ſumus, vitam hanc eſſe carcerem, peregrinationem, miſeriarum abyſſum: quid ergo querelis proſequimur, quod votis debebamus? Ille obiit? à vinculis ad libertatem iuit. Obiit? à curis & angoribus ad gaudia, vti ſperamus. Obiit? abſoluit iter, decurrit ſtadium, palmam & coronam habet. Quiſquis luget; videat ne ab inuidente propior ſit, quàm ab amante. Atqui priuari iucundiſſimo & familiari conſpectu graue eſt, diuelli à parte noſtri ſanguinis, viſcera, vt ſic dicam, euelli & in putrem hanc terram dari.

Hi ſunt affectus paterni, non neſcio, aut nego: ſed Ratio quæ homini propria, & telum in omnia fortuita data, quid dicit? non nouum eſſe: legem communem, quam alij ſubierunt ante nos, nobiſcum ſubeunt; poſt nos ſubibunt. Quot parentes orbos vidiſti, aut vides? & quidem omni ſtirpe & prole. Ecce tibi benignus Deus alterum ramum ſeruat; & ex iſto ipſo iam detracto, fruticem & ſtirpem. Atque vt diu ſeruet, ſupplex eum rogo. Solare te igitur, & oculos ab illo, quem Deus & cælum habent, ad hos mitte, qui etiam nunc ſuperſunt in noſtrâ terrâ. Habes filiam, habes neptem: habes vbi cogitatio, vbi & vultus tuus conquieſcat, cùm à Curiâ & rebus grauibus domum tedis. Quin ſolare etiam te ab ipsâ Curiâ, & ſollennibus tuis curis. Ille ſapiens & potens noſter Rex, tot annos te habuit, arcani; magniq́ue conſilij capacem & conſortem: in fluctibus tenebriſq́ue rerum, cùm alij vacillarent aut caligarent, tu firmus obnixusq́ue ſtetiſti pro Deo & ipſo: fer tecum egregiam hanc laudem, ſi publica non turbarunt, nec priuata dimouiſſe te à clauo. An iacebis, & in filij iacturâ manum remittes, aut languebis; quem cadens circa te, pænè dicam, ipſa Belgica non commouit? qui ruentem in licentiam, & ab hac in exitium, quantum vnâ manu poterat, retraxiſti & firmaſti? Age vir magne, firma te quoque his cogitationibus: munus tuum inſpice, & ſtationem quam in orbe hoc tenes. Non es tui iuris, vel affectus: Reſpublica totum te iam pridem habet. Ne deſere. id quoque gratum illi filio tuo, qui amantiſſimus patriæ, è cælo (ita ſpero) & ſuperis locis, robur tuum lætante oculo videbit, & votis etiam iuuabit. Sed & hoc gratum Regi, Sereniſſimo noſtro Proregi; qui, in tumore hoc rerum, conſilij animiq; tui egent. Ea igitur vt Deus (nam & illius ope opus eſt) tibi det, Ampliſſime Domine, toto pectore eum rogo. Louanij, VII. Kal. Iulias. ∞. IↃ. XCVII.

EPIST. XXIX. *Leodicum.*

CAROLO BILLEO, *Ser.mo Electori ab intimis conſiliis.*

AMPLVM, atque adeò duplex munus à Principe accepi, ſed per te mihi miſſum. Addam & per te datum? non mentiar, & in animo ſentio poſt Principem, & pænè cum ipſo, hoc tibi deberi. O tuam benignitatem, eò clariorem, quò obſcuriora mea in te officia! neque id animi vitio, ſed occaſionis aut facultatis inopiâ, quâ vſque adhuc fateor & doleo me deſtitutum. Certè animi tamen teſtis erit, quamdiu ſcriptum illud erit, nominis tui inſertio in POLIORCETICΩN Dialogiſmos: & alibi fortaſſe clariùs promam, ſi Deus etiam vitam & valetudinem mihi producit. Ad quam quia Fontes veſtri facere videntur, ad eos adſpirabam, & ſimul ad vos, vt coràm gratias agerem: ſed pericula me terrent, & occupatiunculæ etiam tenent. Occupatiunculæ dico litterariæ. nam à publicis aut ciuilibus mihi feriæ: & ſemper erunt,

——*nec iſtæc*

Otia diuitiis Arabum liberrima mutem.

In iis vt ſecurior etiam aut inſtructior perſeuerem, fateor liberalitate veſtrâ factum: quam hîc calamo, in animo velut ſtigmate imprimo, non delendam. Ampliſſime & Nobiliſſime Domine, voueo te Principi & rebus diu ſaluum. Louanij, Idibus Iulis. ∞. IↃ. XCVII.

EPIST. XXX. *Mechliniam.*

NICOLAO OVDARTO, *I.co Canonico, & Officiali* S. D.

EGO verò mi Oudarte, te cum Hartio noſtro nuper libens vidi, atque vtinam occaſio ſæpè ſit huiuſmodi ſermonum! Vt herbas creſcere ſcimus à pluuiâ, ſic mihi & huic animo fit à tali rore. Nam te quid amicius? quid Hartio ſuauius? qui, ita me Deus amet, totus ex leporibus & Veneribus factus mihi videtur. Atqui etiam amicum tertium mihi adiunxiſtis Antiſtitem Maſium. Vbi is nunc eſt? ſi apud vos, ne abeat ſine meâ hac ſalute. Sin autem abeſt, quæſo vel per litteras (nam ſcribere te arbitror) mitte. Vir prorſus eſt dignus eo honore, quem bono publico ſuſtinebit. De ſcriptis meis quod audiuiſti, ita eſt. POLITICA emendamus, quia ſic moniti Româ fuimus: vbi liber ille in pretio, ſed quædam quæ apertiùs dici volunt, aut non dici. Fecimus: videbis, cùm ipſe lucem. Augmentum tamen nunc ne exſpecta: ſumus in aliis curis. & mi Oudarte (vt liberè agam, quod apud te non poſſum, ſed debeo) quid valdè ad ſcribendum nos inuitet? Iudicia? apud exteros benigna ſunt, hîc nonniſi apud vos paucos. Atque vtinam non eſſent, qui calumniarentur aut premerent: quod largiret

gitet mihi factum hos tres annos. Niſi Deus adiuuiſſet, non fuiſſem teſiſtendo. At nunc tamen caput paullùm tollo, & vnà ad ſtudia ſtilumque redeo; & ineitat etiam iuuentus, quæ hîc in nos prona. Si veſtri proceres, videbo: & tibi atque Hartio nihilominus debebo, quia Beneficia ab animo metior, non à ſucceſſu. De Rege Galliæ, & hoc mirabili eius facto, quid cenſeam, quæris. Mihi verò mirabile eſt, atque etiam laudabile, ſi rectâ mente conſilioque ſuſceptum. Cur id non credam? multa ſunt quæ me inducant, quidquid alij diffidant. Regem & Principem eum eſſe, ac tali animo: quàm fœda autem iſta fraus, & nullo præmio ſuſcipienda? Alij alia, reges infamiam curant, aut certè debent: quæ ipſum apud præſentes & poſteros maneat, ſi iterùm mutet. Sunt & alia quæ teneant. Maxima pars Galliæ, antiquâ in religione: ipſi proceres plerique tales, & præſertim ij qui è cognatione eius, & quos *Sanguinis* vocant. Hos alienet omnes aut offendat? non expedit, non faciet. Et caput denique rei, quod caput religionis noſtræ, id eſt Pontifex, recipere eum indicauit, & bonis ſociato: quis bonus igitur abnuet aut diffidet? Habes breuiter meum ſenſum: nec tamen diſſimulo, hæc non eſſe pro bono aut augmento noſtri Regis fortaſſe: ſed pietas, vt ſcis, præit, & primas in humanis ducit. Opto illi ſalutem, & per eum toti regno. Vale mi Oudarte, cum Hartio noſtro, quem cenſeo & cupio hac ipſâ epiſtolâ me affari. Louanij, XIII. Kal. Sept. ∞. IϽ. XCVII.

EPISTOLA XXXI.

OTHONI HARTIO I^{to} & V. C. S.D.

ANTONIVS verò tuus rediit, qui ita vicinus mihi, vt pænè contubernalis & in eâdem domo cenſeri poſſit. Sed de domo parum eſt, animo non emigrauit: In quo & ipſe ſeſe, & tu eum aſſeres, qui veterem & firmam in eo ſedem habes. De Præſidis in me beniuolentiâ & ſcio, & triumpho: & ab illo igne accenſam hanc flammulam, quæ in Principum animis eluxit, non ignoro. Egi cum eo de filiis nuper, & dixi quod ipſa res eſt, ex re eorum fore vt peregrinarentur. Ætas iam adeſt & paullatim admouendi ſunt, quiſque ad munia, quò pater deſtinauit. Ego vrbe hac totâ reſte poſſum dicere, benè, modeſtè, induſtriè eos ſe gerere & geſſiſſe: ſed nempe nec in beatorum inſulis incluſum ſedere me iuuet, & alacri huic adoleſcentiæ plura & plures videndi ſunt. Abſit vt tanti ſit vnus Lipſius, nec vel immortalitatis lege Circe retinuit Vlyſſem. Eant, videant, prudentiæ atque etiam auctoritatis aliquid abſentiâ colligant: tum ad nos redeant, patrem oblectent, patriam iuuent. Antonium quidem ſi pater fulcrum &, vt verbo hoc vtar, deſtinam familiæ deſtinat: cur tardat? Iam adoleuit; iam & coniugio maturuit, è quo Richardotos poſteris etiam donet. Hæc ad te, vt tu in occaſione apud patrem: cui ſtare equidem hanc ſententiam puto, ſed ne labaſcat, aut nimis protollat. Quod ais de munere ab Aulâ; noſti me, ſeriò, ſeriò paucis contentum, nec inter hiantes illas aues. Quid ſi tamen obiiciant? non abiiciam, vel vno iſto fine; vt hîc & in Iſcano meo ædificem, alterum neceſſitati, alterum voluptati. Nam hîc pars domus meæ ruinam minatur: Iſcanum prætoriolum partim incuriâ collapſum eſt, partim hoſtili nuper igne conſumptum. Et quàm me iuuet tamen receſſum aliquem animo & viribus recreandis habere? Spero. Principes mei quæ vſui ſunt ſaltem ſuppeditabunt, ſi non quæ voluptati. At hæc tibi, quid mentior? per te etiam aliis; ſed melioribus amicis, ſi qui volunt & poſſunt iuuare. Occaſionem fortaſſe breuî dedero de me cogitandi, editione *Panegyrici* quem Plinius Traiano dixit: qui diuinus planè liber eſt, & nouo Principi, Dij boni, quàm aptus? Illi Oratiunculam ſubiunxero, quam hîc extemporaneam dixi. Vtinam meditationi locus fuiſſet, dignius aliquid ipſis & me dediſſem! nunc parendum fuit, & quærenda non ingenij, ſed obſequij gloria. Vale V. C. Louanij, poſtridie Kalend. anni Sæcularis ∞. IϽC.

EPISTOLA XXXII.

IOANNI RICHARDOTO,
Præſidi Conſilij Regij.

SVSTINVI me, & cohibui iam aliquamdiu à ſcribendo, etſi animus & cauſſa impellebat: tamen locus vbi eſſes, & res in quibus eſſes, diſſuadebant. quid ita? quia caſtra & turbæ te habebant: & verebar calamo aut verbis tibi obſtrepere, inter armorum ſonitus & tubarum. Sperabam etiam, breuî te ad nos & ad quietem reuerſurum: & tunc duplici nomine gratulaturum, & dignitatis partæ, & retentæ incolumitatis.

Nunc cùm longiùs id fiat, ego indecorè ſilere mihi viſus, & abrupi, & laxaui frænum affectui, qui gratulari tibi iamdiu non cupit, ſed geſtit. Cauſſa publica eſt, & omnes; atque in iis me, tangit. Rex noſter magnus primarium munus tibi detulit, & caput ac præſidem declarauit Conſilij ſui ſanctioris. Liceat dicere quod res eſt, eras tu iam antè ipsâ rè caput, & eminebas: quod prudentia tua ſingularis, & vſus rerum, & dexteritas quædam rara agendi, tibi dabant omnium conceſſu: ſed auctoritas & teſtimonium à primo capite acceſſit, & is tibi præmium diu debitum non dedit, vt hoc quoque verè dicam, ſed ſoluit. Ergo gratulamur tibi, qui in ſenio iam & ætate ingraueſcente conquieſcis, tum in factorum conſcientiâ, tum in Regis teſtato iudicio: ſed magis gratulamur Reipublicę, & ipſi etiam Regi, qui tali electione te ornat, illam & te curat vel auget. Beatum ſtatum ominamur, vbi præmia talia ex merito ſunt: nec aliud certius optimi & ſapientiſſimi Regis argumentum, quàm boni ſapientesque miniſtri. O Reſpública, ô Belgica propriè noſtra, quàm eges? Et mihi atque aliis ſpes acceſſit, aut potiùs fiducia, rerum meliorum & tranquilliorum, ſub tali Prorege; qualem Publica felicitas dedit; ſub tali Præſide, qualem eadem illi adiunxit. Vt periculoſum mare, & hiemis tempore, qui ingreditur; conſulere & interrogare ſolet de gubernatore & nauarcho: ſit populariu m animi intenti, per turbida hæc tempora, in eos qui ad clauum noſtrum ſedent. Ille & tu ſedetis, cum bono Deo: atque vt diu ſedeatis, & turbas has ſedetis, idem numen rogo. Ecce in Galliâ res non pro ſpe aut voto fortaſſe: nihil eſt: magni nòn ſolùm animi, ſed fortunæ indicium eſt, obniti, & non cedere ad incurrentem aut aduerſantem aliquam ſortem. Vetus illud dictum fuit, *Et agere, &* PATI *fortia, Romanum eſſe:* eſt profectò & illorum omnium, qui rés mágnas animo voluunt. Atque aduerſa iſta quædam hoc etiam boni habent; vt doceant, aut certè moneant, in poſterum non nimis tardare, & occaſionibus rerum temporumque vti. Sed quò ego delabor? gratulari ſolùm mihi propoſitum, toto & effuſo animo (velim ipſum videas) tum & hoc, poſt publica, priuatum ſignificare, tuis apud me benè eſſe. Vterque, inquam, filius valet, & magis magiſque indies ſe mihi & aliis probat. Non vt apud patrem hoc loquor, imò liberaliùs ſi non apud patrem. Guilielmus planè etiam ſe erigit, corpore & animo fit valentior & alacrior, & iam dubitare incipio, vtrum tuorum magis probem. Maneat ſemper hoc certamen, hæc mea ſuſpenſio: & ipſi alios vincant, inter ſe dubiam faciant palmam. Ampliſſime & nobiliſſime Domine vota concipio, vt diu nobis Præſes ſis, remp. iactatam conſtituas, & tuos (cùm idonei erunt) admoueas ad aliquam eius partem. Louanij, Idib. Octob. CIↃ. IↃ. XCVII.

EPIST. XXXIIII. *Tornacum.*

HIERONYMO WINGIO *Iᵗᵒ & Canonico* S. D.

LEGI epiſtolam tuam ab ipsâ Beniuolentiâ tibi dictatam. Iamdiu noui hunc animum mi Wingi, nec in pectore ſolùm, ſed in vultu tuo habitantem. Dicam tibi breuibus & fidis verbis? redamo vero & plèno affectu, ac Deus mihi det ſemper & probari talibus, & probare. Doctrinæ partes tuas habes, ſed eam ſolam ſpectari à me aut æſtimari ſi cenſes, ah quàm falſus ſis? Amo candorem, virtutem, & eius ſtudium: cetera huc eant & ſubſeruiant; atque ipſa doctrina modò ſit ornamentum, vel adiumentum. Miſera & ambitioſa vita, quæ finem tantùm habet ſcire aut ſciri! Multi celebres improbi fuere, & quorum gloriam nihil æmulamur. Sit nobis hîc benè viuere, cum modeſtiâ & prudentiâ æquor hoc tranſire, ſæpè tumidum & vndoſum: ſit ab iſtâ tranquillitate, ad poſteram & æternam beatitudinem venire. Hæc facere te pro parte tuâ ſcio, & nos conamur: atque iſti conſentientes ſenſus firmiter nos iungunt. Quòd autem rogas me, vt ipſum hoc corpuſculum vobis ſiſtam: velle bonâ fide, & mecum meditor: ſed hac hieme, id verò nō poteſt. Ne valetudo quidem ſuadeat, vt ſcis, tenuis fili & imbecilla. Æſtate ſi poſſum, faciam: niſi compedes me ligant adoleſcentium aliquot honeſtiorum, quos in contubernium admiſi. Eos ſolos deſerere, & ſine capite, ſcis quàm neque ex re ipſorum ſit, nec ex honore item meo. Tamen videbo: amoliri hæc onera in iſtâ ætate velim, & *nauibus atque quadrigis*, vt ille ait, petere Tranquillitatis portum. Vale vir Reuerende & Clariſſime. Louanij, poſtrid. Non. Nouemb. CIↃ. IↃ. XCVII.

EPIST.

EPIST. XXXIV. *Tornacum.*

PETRO CORETO, *Theologo, & Canonico* S. D.

NON impoſuit is, qui non de memoriâ meâ tui ſolùm, ſed & de affectu narrauit. Ita enim profectò res habet, ſæpê mihi amica mentio aut quæſitio de te fuit, quem in primo illo ſcholaſticæ militiæ tirocinio noui, & ex eo firmiter in iſtâ mente habui incluſum. Renouauit memoriam, & adfectum addidit liber, quem piè & eruditè ſcripſiſti in id genus hominum, qui Politiæ prætextu pietatem mouent aut eiiciunt: quæ peſtis, inter alias, miſero quoque hæc æuo nata eſt, & vtinam non viuat vigeatque vbi minimè deberet! Hæc igitur à me in te fuerunt: gaudeo apud te eadem. & quod notitia adhuc aut in occulto amor fuit, age, ſit amicitia: quam ego tecum ſanctè coëo, & per has litteras paciſcor. Spero & coràm ſermone, dexterâ datâ, me facturum: ſi Deus valetudinem aut viæ ſecuritatem in æſtate annuet. quâ mihi decretum excurrere, & vrbem veſtrâ viſere, & in eâ amicos. Tempora haud læta ſunt, fateor: quid ſi erunt? quid ſi miſeritus noſtri ille Deus, inopinatam lucem & quietem; poſt tenebras & tumultus inſanos dabit? Spem fecit, & Iris aliqua à Galliâ apparuit: ô ſeriò & fideliter fiat, & ſol ille pacis erumpat! Vale. Louanij, IV. Kalend. Ianuar. ∞. IↃ. XCVIII.

EPISTOLA XXXV.

IOANNI RICHARDOTO, *Preſidi.*

AVDIVIMVS læti de diſceſſu tuo (nec id indignare) non quia ipſum gratum haberemus, ſed quia eius cauſſam. Deus bone, quis Belgarum non gaudeat & excitetur ad Pacis illud nomen, tot annos pulſæ & exſulantis? Ad quam procurandam te mitti inprimis intereſt, ob ea quæ nihil opus eſt apud te dici. Si hæc inopinata lux nobis affulget, quæ exſultatio erit? quæ tua etiam gloria & gratia? Iterùm dico, lætor in tuo diſceſſu: quem Deus breuem tamen faciat, celerem reditum det & ſucceſſum. Ampliſſime & Nobiliſſime Domine, abi, perfice, redi. Louanij, III. Kalend. Febr. ∞. IↃ. XCVIII.

EPIST. XXXVI. *Leodicum.*

MART. ANTONIO DELRIO.

ABIIT muliercula nuper ſine meis litteris, ſed non ſine affectu aut cogitationibus, quas ad te miſi. Cur non & illas? audi non tua, id eſt vana & mundana. Nuptias in domo meâ habebam: quid hoc eſt? inquies: nam liberos non habes, aut qui in domo tuâ te tangunt. Fateor, ſed vxor mea in vrbe habet, qui ſanguine & affectu iunguntur: inter eos ſororis filium, qui vxorem duxit, & quidem (ô meam bonitatem!) in meam domum. Ego ineptias illas omnes toleraui, conuiuia, ſaltationes, potationes, & ſiquid adhæret. Beatos vos, qui hæc auditis tantùm! & me tamen in propinquo gradu, qui video tantùm, ad animum ea non admitto. In theatro aliquo cùm maximè tunc mihi eſſe videor, & ſpectare non comœdiam, ſed mimum aut Atellanas. O curas, ô occupationes hominum! intereà vita labitur, & iſti miſeri numquam aut rarò quid ſit verè viuere, niſi cùm deſinunt, vident. Sed habes excuſationem, à te fortaſſe accuſandam, aut vt optimè cedat, ridendam. Quid intereà ADMIRANDA tua? dices. Illa ſufflaminatur in fine curſus à magno noſtro Gubernatore vel aurigâ, cui habenas eorum in manus dedi. Nam ipſi, vt ſignificaſſe me puto, inſcripſi. Ecce autem hæſitatio eſt de Titulis, & verùm illum *Sacræ purpuræ* omittemus: quod Rex in litteris ſuis facit. Conſului ipſum Aulæ oraculum. dictionem retuli, exſpectandum aliquamdiu eſſe, donec ex Hiſpaniâ confirmantes aliæ litteræ venirent. Itaque exſpecto, & Typographus mecum, etſi non libens. Scis & in ipsâ Præfatione aliquid dicendum aut non dicendum eſſe, prout Zephyrus ille adſpirabit. Publica autem nunc in magnâ & erectâ ſpe, per colloquia & conuentus hos de pace. Sunt verò, qui & conueniſſe iam inter Reges putent, & hæc Parerga nobis pingi. Faxit ille Deus, & quia video in bello nos parùm calere, libenter frigus noſtrum ducam ad pacem. Huic maturandæ Rex in Britanniam Gallicam copias Hiſpanorum expoſuit ad ſex millia, vt dicunt. Hoc non aſſero, de pecuniâ aſſero, quæ tandem huc pedem tulit. In menſes XVIII. ſuppeditata dicitur certò, & in ſingulos CCL. millia aureorum. Ecce Carmen (ad noſtra enim redeo) Burdigalis ſcriptum in

mot-

mortem I. Spondani; ibi mei quoque mentio ſatis ſcita, & totum carmen bellum & eruditum: ideoque vt volebas, mitto. Præfert auctorem Ioh. Sammartinum Aquenſem. Quis ſit neſcio, niſi doctum & pium eſſe. Dominicus Theologus hîc ægrotabat, aut potiùs moriebatur tabe confectus. Cetera ferè ſunt vt reliquiſti: aut ſiquid mutat, per alios hæc ſcitis. Te valere opto, te publicè dicere & ſcribere opto, vti iam cœpiſti. Louanij, prid. Non. Febr. ∞. IↃ. XCVIII.

EPIST. XXXVII. *Antuerpiam.*

HERIBERTO ROSWEIO, *è Soc. Ieſu*, S. D.

ERGO tu etiam nunc Antuerpiæ? tacitâ obiurgatione te verbero, quòd illîc tamdiu, & tam propè, & ſine alloquio noſtri. Sed factum nunc tamen, vnaque illâ epiſtolâ mihi ſatisfactum. Scribis N.N. libros te vidiſſe, atque in iis quædam de me, alia in me: quid miraris mi Heriberte? Ita mores & litteratura huius æui eſt, & præſertim in Criticis, vt vix aliter litare ſe putent in his ſacris. At vide quàm ego curioſus. audieram iamdiu à noſtro Orano, neglexi inſpicere, & nec nunc quidem te monente vidi. Quid hoc eſt? famæ negligentia, aut iudiciorum contemptio? non eſt: ſed non lubet tangere aut propiùs adſtare hunc morbum, ne & in me contagium transfundat. Appello quicumq; mea legerunt, candorem in iis & benignitatem eſſe, ſine morſu directo vel obliquo: vnicam Satyram excipio, quæ ipſa quid eſt, niſi in vniuerſum genus innoxius quidam luſus? At ille bonus etiam defenſione noſtrâ offenditur in *Cruce:* quæ tamen nuda defenſio eſt, & ſcutum modò præfert, gladium non ſtringit. Nec ſtringit vmquam hæc manus, ne in Germanos quidem quoſdam proteruos, qui ſtilo me laceſſunt. Ego verò extra culpas non ſum, nec extra notas eſſe cupio: hoc velim, vt ſint modeſtæ, & quæ humanitati condecent, quam profitemur. Tu & Schottus noſter ADMIRANDA valdè probatis: ſed ego ipſe iamnunc quædam improbo, & editio altera emendabit. Suggerite intereà, ſiquid habetis. P. Schottum ſaluere iubeo, cum aliquâ pæne irâ. Quid enim ille nimis amicè ADMIRANDA noſtra apud Auguſtanos deprædicauit (ex Velſeri litteris vidi) & famam excitauit, quam non ſuſtinebunt? Comprime meo nomine, non amorem eius, ſed laudem. Vale mi Heriberte. Louanij, poſtrid. Nonas Febr. ∞. IↃ. XCVIII.

EPISTOLA XXXVIII.

IOANNI RICHARDOTO, *Præſidi.*

E GRAVI & grandi legatione iſtâ te reducem eſſe, & ſic reducem, quis amicorum tuorum non gratuletur? imò quis ciuium, & mediocriter bonorum, non gaudeat & gratuletur? Cauſſa profectò iuſta eſt, ſi fuit vmquam; cùm rem perfeceris & arduam, & non Belgicæ ſolùm, ſed Europæ optabilem & ſalutarem. Diſſidia inter potentiſſimos Reges, quæ cauſſas veteres aut nouas habebant, quæ variis flabellis etiam excitabantur: ea prudentiâ tuâ & Collegarum, addam & felicitate quadam ac fauore numinis, compoſita ſunt, & ſimul tot mala & clades ſublatæ, quæ triplicem Galliam hanc vaſtabant. Et non iure omnes gaudeamus, gratulemur, gratias agamus? Facimus profectò, ore & animo; & nos amici hoc magis, quòd iſte tam ſplendidus velut aditus, & auſpicium ſit, nouæ tuæ dignitatis. Quomodo magis ea inſigniri vel decorari potuit, quàm tam ſollenni hac actione? quæ non finibus locorum noſtrorum aut temporum continebitur, ſed in orbis ſpatia & æui totius ibit. Quamdiu Annales & rerum memoria erit (ſemper autem diuinâ quadam prouidentiâ erit) & inclyta hæc actio, & tuæ in eâ partes ac nomen celebrabuntur. Itaque non tibi ſolùm hunc titulum & ſplendorem, ſed etiam poſteris tuis gratulor: qui hanc nobilem famam, & velut ius imaginis, inter cetera, à parente ſuo habebunt. Creſce animo ô noſter Præſes, & hunc quoque longiùs mitte à tam felici incepto, quò vota omnium noſtrûm vocant. Quò? ad totam plenamque pacem: quam ſi hilum ſapiant Bataui noſtri, iam habeamus & fruamur. O non pertinaces ſolùm, ſed malè ſagaces! alij præueniunt, fortaſſe & præuenient; & portum cùm occupauerint, patientur in fluctibus vos iactari. Audite Deum, Regem, nos, qui ſic ex animo cupimus vobis factum. Sed quò eo? in Batauos affectum mihi eſſe non nego (qui tamen boni inter eos ſunt aut eſſe volunt) atque is me a te abduxit: & ſi hæc ipſa auerſio te ſpectat. Felicem noſtrum Gubernatorem, ſi vobis adnitentibus & auxiliantibus, hoc quoq; diſſidium compoſuit,

&

& infauſta ciuilia bella ad Orci tenebras relegat! Fiat, fiat: & tibi quoque ouatio ex hoc succeſſu debeatur. Ego toto animo Deum illum pacis rogo: & eumdem, vt te Ampliſſime & Nobiliſſime Præſes, diu frui partâ gloriâ, & nouam parere, in faſtigio iſto dignitatis ſinat. Louanij, prid. Kal. Iunias, ꝏ. Iɔ. XCVIII.

EPISTOLA XXXIX.

I. LIPSIVS CORNELIO ANCHEMANTO BRVGENSI V. N.

IVRISCONSVLTI TITVLVM GRATVLATVR, ET AD VSVM EIVS PRÆIT.

QVARTVS è meâ domo prodis, qui legum & Iuſtitiæ ſacraria inis: quod felix, lætum, vtile tibi, tuis, patriæ eſſe, illo animo voueo & opto, quem noſti. Verſu & altiore ſono volebam, & fortaſſe debebam: ſed ad pedeſtrem ſermonem valetudo mea abiicit, & Spartanos imitari adigit. quos vt tibia in pugnam, non tuba animauit: ſic ego te ad honeſta,

Errabunda regens tenui veſtigia voce.

Quidni regam? ſeriò nunc hoc iuris & legum pelagus intras: in quo ſcopuli & vada, imò & Scylla ſua & Charybdis eſt: & quamquam natura & inſtitutio iuuant ac dirigunt, tamen, neſcio quomodo, vitio humani ingenij,

—— procliuior vſus
In peiora datur, ſuadetque Licentia luxum.

Coërcebo igitur, &, quod in me eſt, efficiam vt verè I.C^tus ſis atque audias,

Candidus, & talos à vertice purus ad imos.

Sicut victores circulis quibuſdam vaſa adſtringunt atque alligant, ne quid effluat: ſic ego paucis monitis tuum animum, ne humor ille melioris doctrinæ, quem combibiſti. Tria ſuggero, ad vſum fructumque tituli: SCIENTIAM, ABSTINENTIAM, CONSCIENTIAM. quæ ſi vſurpas,

—— ô ſidere dextro
Edite, multa tibi Diuûm indulgentia fauit.

SCIENTIAM adfers nunc quidem: ſed recolenda, atque adeò augenda eſt:

—— dubiis vt litibus addere finem
Noueris, & merſum latebris educere verum.

Recolenda primùm. quia vt apud Iudæos illa animalia pura, & ſacris apta, quæ ruminant: ſic huius Diuæ aris ille myſtes, qui iura & leges repetit identidem, & apud ſe colit. Sed augenda etiam. nec leges has ſolùm à Romano principe hauries, ſed illas veteres, &

—— tabulas peccare vetantes
Quas bis quinque viri ſanxerunt.

Iuuabit ab ipſo capite & origine ius petere: iuuabit longiùs ire, & Platonis, Ariſtotelis, Charondæ, Zaleuci, & talium leges addere: quid leges? etiam hiſtorias, aut alia ſcripta, ſi qui è Sapientiæ & Prudentiæ libris hauſerunt, & ad vſum generis humani contulerunt. O ſuauem mixtionem & cinnum! Ac ſicut lupini, per ſe amari, aquâ perfuſi dulceſcunt: ſic tetrica iſta legum à tali temperie mitigantur. Quod modo & iudicio feciſſe, profectò

Attinget ſolium Iouis, & cæleſtibus æquat.

Alterum, quod ſuggeſtum eo, ABSTINENTIA eſt. quo ſenſu? vt ſeriò ſis

Vindex auaræ fraudis, & abſtinens
Ducentis ad ſe cuncta pecuniæ.

Peſtem, dico, illam auaritiæ vires, Iuſtitiæ ipſum exitium & peſtem. Thebani olim arguté, Iudicum ſtatuas ſcalpere & effingere ita ſoliti, vt ſine manibus eſſent, & oculis auerſis: nempe vt ne aurum caperent; imò nec cuperent, & poſſent eius, quamquam

—— ingentes, oculo irretorto
Cernere aceruos.

Iaſonas & Argonautas hodie vides? fuge, non ad Aſtræam, ſed ad Medeam & auream pecudem nauigant: quos ſcænicè, ſed verè & liberè tetigit olim Ammianus. *Hi,* inquit, *nec fas vllum præ oculis habent, ſed tanquam Auaritiæ venumdati & vſucapti, nihil præter inſeminatam petendi licentiam norunt. Et ſi quem ſemel intra retia ceperunt, caſſibus mille impedicant, per morborum aut occupationum ſimulationem viciſſim conſultò ceſſantes: vtque peruulgati iuris lectio vna proferatur, ſeptem vendibiles parant introitus, dilationum examina longiſſima contexentes.* Et latus hic locus ſit. quoniam ab iſto ferè capite, &

—— fonte, deriuata clades
In patriam, populoſque fluxit.

Sed ſtringo,

—— nec plura adnecto, tuiſve
Moribus indubito:

quos puros ab hâc labe fore, ſpondet mihi & altior tua indoles, & ipſæ opes, quarum largiter Dei virtute & maiorum habes. Tertium monitum CONSCIENTIA: & an non in eo omnia? poſſis includere. Qui

hanc,

hanc, id eſt rectam cæleſtemque Rationem conſulit: Iuſtitiæ ſacerdos re, non verbo, erit. nec vt hiſtriones, qui Regum Principumque perſonam agunt, veſte, geſtu, ſermone ſimiles, introrſum nihil eorum habent: ſic iſte apparebit

Introrſum turpis, ſpecioſus pelle decorâ.

Ille verò toto animo & mente Iuſtitiam diliget, promet, aſſeret:

——rectique tenorem
Flectere non odium, non vis, non gratia, coget.

Procul ab eo iſti, quibus in hoc ſtudio vnum ſtudium,

Verba dare vt cautè poſſint, pugnare doloſè,
Inſidias facere, vt ſi hoſtes ſint omnibus omnes.

Malè, & ô malos! ille Deum, iura, ſe intuebitur: & finem ſemper, pacare & ſedare. Da vt poſſit fallere, &

Noctem peccatis, & fraudibus obijce nubem:

mundo teſte geri arbitrabitur, quidquid ſupremo illo teſte geritur: & habebit impreſſum pectori,

Ἔστι δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ᾽ ὁρᾷ:
Eſt æquitatis oculus, omnia qui videt.

Satis (vt tempus eſt) monui: tu tria hæc ſeruabis, ô noſter. Neque enim vnum aliquod ſatis eſt. ſed vt in citharâ ſi vel vnica fides diſcrepat, concentus & harmonia tota periit: ſic Iuſtitia, ſi quid horum delinquat. Non erit, precor & ominor.

——ſed, vt altus Olympi
Vertex, qui ſpatio ventos hiemeſque reliquit,
Celſior exſurgit pluuiis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & cæca tonitrua calcat,

ſi tu ſuper INSCITIAM, AVARITIAM, AFFECTVS, ſpernes ea & calcabis Facies quod magni animi ſcito tuo præfers, PACEM SVMMA TENENT; ita Deus hoc atque alio æuo illam donet. Louanij, III. Kal. Mart. ∞.IↃ.CI.

EPISTOLA XL.

ANTONIO WINGIO, *Priori in Abbatiâ Lætienſi.*

EPISTOLAM tuam libens vidi, notam & characterem animi quem ſermone nuper expreſſiſti. Quid niſi pietatem & modeſtiam iſte & illa ſpirant: atque ea inſita animo, non aſcititia aut efficta? Gratulor, moueor, & à contactu iſto ſentio me quoque ad ea excitari & adduci. Vt aqua igni admora caleſcit; ſic noſtrum frigus ad hunc ardorem. Et licuit tibi inter paucos eſſe ſplendido, & vt amici, in-
genium, opes erant, magno: ſpreuiſti & ſpernis,

—— & tua
Virtute te inuoluis, probamque
Pauperiem ſine dote quæris.

Felicem! & quid hoc eſt, niſi æternum decus, pro his fugacibus, meditari, & ſeſe terris ſubductum

Stellis inſerere, & concilio Iouis?

Atque equidem non te tantùm reguſtare, ſed & locum illum videre aueo, pietati & quieti conſecratum: qui inſignes viros dedit & dabit, lumina & ſtellas in tenebras huius æui. Aueo inquam: & ſi Deus votis meis annuit, effectum hoc dabo, non ſine Hieronymo fratre tuo comite, quem in Neruiis videbo. Placet? precibus ergo tuis nos adiuua, vt quod animo volumus, viribus poſſimus. Louanij, Kalend. Iuniis. ∞.IↃ.XCVIII.

EPISTOLA XLI.

IOANNI RICHARDOTO, *Præſidi.*

ABEVNTE ad te Rubenio tuo, mihi indecorum, tibi inopinatum eſſet, venire eum ſine litteris. Quas haud magno tamen argumento mitto, niſi illo veteri, (& gaudeo ſic ſemper eſſe) liberos tuos benè & induſtriè agere, & viam rectam pergere ad Virtutis & Honoris templa. Enimuerò hoc tibi lætitiæ & ſolatio eſſe debet, inter quædam nubila aut triſtia, quibus vita humana diſtinguitur ex communi quâdam lege. Sicuti dolens equidem intellexi Cognatæ tuæ fatum properum & importunum, in ipſo vitæ & rerum eius flore. Sed quid, niſi pati & modicè ferre, ſapienti viro reliquum? Eſt mare quoddam, hæc vita. Fluctus in eâ aſſidui, ſæpè tempeſtates: & iterùm malacia aliqua & tranquillitas diſtinguit. Felices, qui, vt periti & duriores nautæ, aſſueuerunt: nec ad ſingulas concuſſiones nauſeant & ægreſcunt. Prudentia hoc robur tibi dedit: & confirmare debet etiam dignitas, qui in alto illo poſitus, vitam viuis in exemplum. Ad quod vt liberi tui adſpiciant, & curſum ſuum dirigant, Deum oro: & eumdem, vt te Ampliſſime & Nobiliſſime Domine, ex voto noſtro & publico, diu patriæ ſeruet. Louanij, prid. Non. Sextil. ∞.IↃ.XCVIII.

EPIST. XLII. *Bruxellas.*

NICOLAO FABRI, *Moderatori iuuentutis.*

SCRIPTIO tua, Vir optime, affectum tota ſpirat, ſicut & nuper ſermo. Originem ei & fontem das ſcripta mea, & quæ in laudem noſtram adiungis: parcè à me agnoſcenda, qui nec maxima ea noui; & ſi eſſent, à primo illo fonte bonorum manare ſcio, id eſt, Deo. Agamemnon ille Homericus hoc ingerat:

* Ε'ι μάλα καρτερός ἐσσι, θεός πού σοι τό γ' ἔδωκεν.

* *Robore ſi vales, nempe hæc ſunt munera Diuûm.*

Itaque intra modeſtiæ limites meritò me ſiſto, nec euehar aut educar vanitatis vllâ aurâ. At ego te coràm amaui, & tuum inſtitutum vitæ, quod in iuuentute moribus & litteris formandâ occupatur. Præclarè occupatur, ne ambige. & apud veros iudices, apud ipſum Deum, præmia tibi & laudes, ſuper vulgi iſtas laureas aut coronas. Quid Reſpublica omnis ſit, ſine hâc inſtitutione? quid ſpei in hâc noſtrâ, ſi iſta neglegitur? Imò quia olim neglecta fortaſſe, hinc labes iſtæ morum & lapſus rerum, quos dolemus & miſeramur: nec medicinam iis ego ſpero, niſi à iuuentute, id eſt, aliâ quaſi ſemente virorum, quæ puriter & ſeueriore diſciplinâ ſit imbuta. Fac, fac pro tuâ virili, & de patriâ benè merere, in re magis quàm in ſpecie, & bonorum animos tibi ſic pignera, meum inter illos. Vale. Louanij, III. Nonas Decemb. ∞. IƆ. XCVIII.

EPISTOLA XLIII.

IOANNI RICHARDOTO, *Præſidi.*

FILIVS tuus heri publicè dixit: & quid ego verba faciam? habes ecce teſtê, imò teſtes. Ita Deus mihi omnia bona faciat, vt benè, vt optimè dixit, & cum approbatione vel & admiratione (eo verbo vtendum eſt) auditorum. Nomen in hac Scholâ peperit, quod venturi aliquot anni non exſtinguent. Gratulor tibi, ipſi, mihi: & Deum precor, vt hæc bona ſi non auget (augebit tamen) ſeruet. Te vnà Ampliſſime & Nobiliſſime Domine, communi bono. Louanij, XVII. Kal. anni noui ∞. IƆ. XCIX.

EPIST. XLIV. *Mechlinam.*

NIC. OVDARTO, *I^ae^ & Canonico* S. D.

EGO verò conſortem te, vel conſcium non quidem vocationis (iamdiu eas ſpreui) ſed inuitationis facio: quam mihi pænè decretum obire. An renuam tam amanter elicienti, & quod ipſe iamdiu affecto? Nam Italiam, & vrbem ſacram, in ſacro illo anno, videre vetus, & pium eſt meum votum. Si Deus vitam, & vires aliquas dat, peregrinari certum eſt, ſed in paucos menſes. Patriam non deſero, niſi Deus me ad cæleſtem illam euocat; quod tam hîc, quàm illîc poteſt. Fatalem meam nec horam, nec locum effugiam. Et, ipſa Roma ſi mihi ſepulchrum ſit, quid mali? imò optandi fortaſſe aliquid (ſepono religionem) homini in Romanis ſtudiis, ſcriptiſque verſato, & ab iis etiam (ne ſuperbum ſit) laudato. Sed hoc vt Deus, & Parca mea volent. Interea an non tuo quoque, & amicorum conceſſu, poſt XXX. ampliùs annorum aſſiduos labores, aut ſcriptiones, menſes aliquot valetudini, & honeſtæ voluptati dederim? mihi videtur: &, ſi ij qui nobis imperant, recuſent, aut tergiuerſentur: quid dicam, niſi immites dominos eſſe? Sed non facient. clientes ſumus, non mancipia, & nobis quoque iuris aliquid eſt in nobis. Hæc ſatis maturè ad te ſcribo: multa cadere poſſunt inter os & offam, vt aiunt: ſed garrire tecum libuit, & primas etiam cogitationes conferre. Eadem hæc cum Hartio noſtro, quem nunc tecum eſſe opinor, aut breuî fore. Sed cum duobus vobis tantùm: hoc rogatus eſto. Quid enim opus hæc in ora hominum venire, & variis iudiciis agitari? In tempore indicabitur, quibus oportet: tu nunc habe, & vale mi optime Oudarte. Louanij, XI. Kal. Feb. ∞. IƆ. XCIX.

EPIST. XLV. *Bruxellam.*

HENRICO STRAVIO, *I^ae^ & Canonico.*

ACCEPI litteras, quas Româ ad me Illuſtriſſimus Cardinalis Sfortia miſit, Deus bone quàm benignas? Neque enim diſſimulo apud te earum argumentum. quod cùm cetera beniuolum & honeſtum ſit, tum etiam inuitationem habet ad annum ſacrum Sæcularem: quâ equidem eò magis puto me vſurum, quia ſpóte propendebam. Italiam, & vrbem dominam reuiſere, arcanum mihi iamdiu votum eſt: ſed reuiſere tantùm, & patria mea (niſi Deus, & Fatum impediunt) iterùm me habebit. Hoc ei reſpondeo, & ſub conditione valetudinis addico. rogo vt tuâ operâ ſciat, & has accipiat: tum etiam Illuſtriſſimo Nuncio cultum,

tum, & obſequia mea deferas, nec conſilium hoc meum celes. Apud alios propalare nihil opus, quia adhuc immaturum eſt, & plures menſes interſunt. Vale Reu^de & Cl^me Domine, & me tuum cenſe. Louanij, VIII. Kal. Febr. ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. XLVI. *Mechliniam.*

NICOLAO OVDARTO I^to & Canonico S. D.

OMNINO id rectius tutiuſque, mi Oudarte, non epiſtolam noſtram, ſed quædam fortaſſis ex eâ tranſſcribere, ſi tamen vſus ita videatur Nam ego nec hoc nimis probem, vel ob vnicam hanc cauſſam. quòd nos procul à rebus conſtituti, & conſiliorum ignari, velut per caliginem iudicamus, & laude aut culpâ proſequimur interdum, quæ neutrum merentur. Vniuersè aliquid dicere de Rep. poſſumus: diſtinctè & ad rem illi, qui rebus miſcentur & interſunt. Itaque vt vitâ abſtinemus & abiungimur ab hac parte; ſic mihi etiam placeat iudiciis, & certè ſcriptione. Nam de ſermone parùm eſt, qui benè an malè prolatus, abit mox in auras. Quod ad iter meum, iterùm miror te diſſentire, miror nec tamen queror, quia ab amore eſſe cenſeo, non ab animi iudicio hunc diſſenſum. Et dupliciter fortaſſe times, ſiue valetudini, ſiue conſtantiæ etiam noſtræ. Illi, vt iter parùm toleret; huic, ne precibus aut ſuaſionibus Italorum ſuccumbar. De priore, in manu Dei eſſe ſcimus, & hîc quoque certè non bonam aut firmam eam eſſe: de alterâ, ſecutum ego te, & per te alios, eſſe iubeo, tam certus & deſtinatus redeundi quàm eundi, ſi vita & ſpiritus tantùm mihi adſunt. Et quæ cauſſa etiam diffidendi eſt? ne vocatus quidem olim, & honeſtiſſimè vocatus ac reuocatus, parui: nunc mutabo aut nutabò in ſeniò iſto, in rebus meis compoſitis pænè ad votum? Nam & in ſtipendio acquieſcimus; nec pænitet gratiæ, quam in aulâ aut apud magnates habemus; & ſupereſt etiam fauor & beniuolentia iuuentutis. Denique patria hæc eſt, quam non omitto aut deſero; quamdiu ea me non deſerit aut ſpernit. Obſecro te, apud alios ita affirma & loquere: hac in re nihil equidem fallam. At verò peregrinari mihi & vel animi cauſſâ (omitto religionem) menſes paucos non concedere, quæ, vt leuiter dicam, inhumanitas ſit? Annos plus triginta iam hoc ſaxum voluimus, ſcribentes aſſiduè aut legentes: corpus fractum, & animus etiam labaſcit aut faſtidit: nemo qui Lipſium amat, arceat eum ab hac breui & honeſtâ voluptate. Liceat oculos amato aſpectu iterùm paſcere, liceat animum reficere ſermonibus illuſtrium virorum. Prodeſt ſanè hoc omnibus, & vigor à peregrinatione ſumitur: ſed nobis manifeſtius, quibus continua hæc deſidia & pertinacis ſtudij continuatio, non triſtitiam aut tædium ſolùm induxit, ſed morbum. Age, patiatis te vel hoc telo deiici: & Lipſium ſi diu eſſe vis, imò ſi eſſe vis, permitte exſpatiari, varietate & motu refici, & reddi (ita Deus faciat) ſibiipſi. Vale mi optatiſſime Oudarte. Louanij, VII. Kal. April. ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. XLVII. *Bruxellam.*

IOANNI RICHARDOTO, *Præſidi.*

CONSILII, quod cepi, conſortem facere te inter primos meritò debeo; ſiue pro cultu quem tibi defero, ſiue quia ea res tuas quoque cogitationes in parte tangit. Eſt autem tale. Inſtat Romæ annus Sæcularis ſacer, quem Iubilæum dicimus: ad quem & Religio me, & viri aliquot Principes inuitant. Decreui obire (quod cum bonâ tamen veniâ veſtrâ fiat) & hunc capere ante obitum pietatis fructum, ſiue etiam voluptatis. Non enim diſſimulo, ſuaue mihi erit ea loca olim viſa recognoſcere: ſed & valetudo fortaſſe melior, per mutationem hanc & motum. Vt aquæ diutino ſitu vitium contrahunt: ſic noſtri animi aſſiduâ hâc vel ſeſſione, vel quiete. Ingenio denique & ſtilo proderit, diſcuti nonnihil & excitati hunc veternum, qui, fateor, ab aliquot menſibus me nunc habet. Iſta ſunt quæ ſuadent, Ampliſſime Domine, & rogo vt aſſenſus tui calculus accedat, quo vel ſolo mihi & aliis decretum meum probem. Cur id non ſperem? breuis emanſio erit, ſi Deus volet, nec niſi menſium aliquot hibernorum. Nam in Autumno proximo ire ſtatui, redire cum primo Vere. Quòd aliquis ſuſpicetur de emanſione aut altiore cōſilio, falletur: & teſtor æternum Numen, nihil eſſe, & ſi vita mihi adſit, adfuturum iterùm vobis ſub tempus dictum. Hæc in conſilio de me ſunt: ſed idem, vt dixi, te etiam aliquà tangit. Nam liberi tui in meo contubernio ſunt, atque iis quid fieri velis, in tempore deliberandum eſt. Enimuerò ſatis diu

eos

eos fuiſſe in vno loco, ſub vnis ductoribus & quaſi ſignis, ſeriò dico; & ex te atque etiam ex more ſit, alia alioſque luſtrare. Sed nihil præeo: prudentia tua ſuper noſtram eſt, & fortaſſe iamnunc conſilia habes (vt amor & cura paterna eſt) præmeditata & explicata. Ego teſtor ſeriò & ex penitiſſimo pectore, conſuetudinem illorum caram mihi eſſe: & ita ſe probaſſe modeſtiâ, induſtriâ, obſequio, vt animo eos induerim, nec niſi fato ex eo delendos. Ampliſſime & Nobiliſſime Domine, habes conſilij mei ſummam: quod iterùm rogo probari à te, imò & iuuari, ſi opus erit. quod equidem à beniuolentiâ tuâ, quam eximiam ſemper ſenſi, ſpero aut potiùs confido. Vale. Louanij, VII. Kal. Maijas. ∞. IƆ. XCIX.

EPIST. XLVIII. *Mechliniam.*

OTHONI HARTIO, *in ſupremâ curiâ Senatori.*

SVAVE nuper fuit, mi Harti, ſermonibus veſtris, ſed & epulis paſci: cur negem? & hilaris illa ac libera per Liberi pocilla diffuſio, eſt vegetandæ & recreandæ noſtræ menti. Scis quàm adſiduè in triſtibus aut ſeriis curis ſimus, ſcis quàm ſæpè in languore & caliginosâ illâ bile: age, vel ex Senecæ præcepto, non ſolùm conſilio, potiuncula interponatur, *non tamen vt mergat nos, ſed vt curas deprimat:* quia & Cato ipſe

Explicuit vino contracta ſeria frontis.

Sed in ſermonibus, ſedulò tunc agitatum de *Recitatione* veterum: quam ego laudatum ibam, & pro meo voto reuocatum. Certè ſi quis mos hodie vtilis, in hac copiâ ſcribentium aut ſcripturientium; ille ſit, vel ſiſtendis quibuſdam ingeniis, vel dirigendis. O quàm optabile, eruditorum & beniuolentium, id eſt veſtri ſimilium iudiciis ſenſibuſq́; ſcripta & publicanda recenſere! quod Recitatio illa dabat, licebatque per eam

Egregio inſperſos abſtergere corpore næuos.

Vt videas, cuiuſmodi olim fuerit, diſtinctè dicam: & notâ eâ, non dubito quin in partes & vota mea cum Oudarto noſtro ibis. Vetus ea Romæ, ſaltem inter Poëtas: quod vnum aut præcipuum tunc genus ſcriptorum: & reperio apud Valerium, *Collegium Poëtarum* iam liberâ Republicâ fuiſſe. quid niſi vt recitarent inter ſe, iudicarentur & iudicarent? Et manſit etiam poſteà *Schola Poëtarum:* quam Martialis nominat bis ter & agnoſcit. Ouidius hoc ampliùs, etiam diem fuiſſe quo conuiuia annua agitarent, ipſis Liberalibus: & dolet ac queritur exſuli ſibi hoc ſolatij ereptũ. Scio nos in Batauis olim vſurpaſſe; & cum delectatione, dico & fructu, vſurpaſſe. Ab hoc exemplo, niſi fallor, propagata ad alios ſcriptores Recitatio, ſiue etiam à Græcis, quos cauſſas & teſtimonia habeo, quibus inducor habuiſſe. Sed vndevnde origo, duplex tamen Recitatio: Priuata, & Publica. Dico illam, quæ domi & inter amicos tantùm notoſq́; vſurpata: iſtam, quæ publicè, inter plures, & ignotis etiam aduocatis. Hæc plus ſpeciei aut ambitionis habuit; illa prior plus fructus, & hæc eſt quam mihi votum vſurpari. Fecit Horatius: qui de ſeſe,

Nec recito cuiquam, niſi amicis.

Fecit & Auguſtus, de quo Suetonius: *Nonnulla* (è ſcriptis ſuis) *in cœtu familiarium, velut in auditorio, recitauit.* Sed Auditoria igitur Publicæ Recitationi erant. cui primus auctor Aſinius Pollio, ſub Auguſto, cùm ingenia ſcilicet florerent, & ſe efferrent, ac paſſim proferrent varios & ſuaues illos fructus. Is (vt Senecæ patris verba ſunt) PRIMVS *omnium Romanorum, aduocatis hominibus, ſcripta ſua recitauit.* Notà aduocari homines. nam ita ſolebat: atque ij voce, codicillis, libellis inuitabantur. De voce, ridet ambitionem iſtam Epictetus Arriani, & verba quoque exprimit: Ἄκουσόν μου σήμερον διαλεγομένου ἐν τῇ οἰκίᾳ τῇ Κοδράτου: *Audi, ſodes, me hodie diſſerentem, in domo Quadrati.* Atque hoc quidem apud familiares & obuios fiebat; alij monebantur per ſcripta. Plinius in Epiſtolis: *Nunc otioſiſſimus quiſq́;, multò antè rogatus, & identidem admonitus, aut non venit; aut ſi venit, queritur ſe diem, quia non perdiderit, perdidiſſe.* Et clariùs alibi: *Hunc librum cùm amicis recitare voluiſſem, non per Codicillos, non per Libellos, ſed ſi commodum & valdè vacaret admoniti; fœdiſſimis inſuper tempeſtatibus, per biduum, conuenerunt.* Diſtinguit autem inibi Codicillos à Libellis. quia illi mitti ad amicos aut notos ſolent, vicem epiſtolæ; iſti, ſparſim & in publico proponi. Tacitus, ſiue Fabius, Dialogo de Cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Baſſus cùm toto anno vnum librum extudit & elucubrauit, rogare vltrò & ambire cogitur, vt ſint qui dignentur audire: & nec id quidem gratis. nam & domum mutuatur, & ſubſellia conducit, & Libellos diſpergit.* Id fiebat, die edicto. Iuuenalis:

—— lætam fecit cùm Statius vrbem,
Promiſitque diem.

Vides breuiter totam ſcenam ambitionis: quam fatendum eſt, largiter rei initio optimæ ſuperueniſſe. Itaque inuitabant audituros; ſed & inducebant & alliciebant, principiis operum publicatis, velut ad guſtum. Plinij verbis dici hoc videtur lib. II. Epiſt. *Nec aliâ ex cauſsâ principia librorum circumferuntur, quàm quia exiſtimatur pars aliqua etiam ſine ceteris eſſe perfecta.* Domum etiam, vt dixit Fabius, mutuabantur. nempe tenuiores, & quibus à ſe laxa & magna atria non erant. Nam in iis ſcilicet recitabant. Iuuenalis:

Frontonis platani conuulſaq; marmora clamant
Semper, & aſſiduo ruptæ lectore columnæ.

Platanones iuxta atria, & in iſtis columnæ: quas *rumpi* dicit à recitante, ob vim pronunciantis, vel plauſum ſtrepitumque auditorum. Ita idem de Statio, placente:

——fregit ſubſellia verſu.

& Sidonius de quodam: *Hunc olim perorantem, & rhetorica ſedilia plauſibili oratione frangentem.* Potes & ad diuturnitatem referre, & homines, imò columnas, audiendo fatigatos & fractos. Sed de Domo, idem Iuuenalis alibi:

——at ſi dulcedine famæ
Succenſus recites, Maculonus commodat ædes,
Ac longè ferrata domus ſeruire iubetur,
In quâ ſollicitas imitatur ianua portas.

Vbi etiam Satyricè ridet & naſo agit excubias, diſpoſitis ad portam, quaſi in bello, qui admittant venientes aut excludant. Addit autem Fabius, *& ſubſellia conduci.* nimirum quæ in atrio diſponerentur ſeſſui, orbe quodam & ordine, ac theatrico exemplo. Iuuenalis iterùm:

Nemo dabit regum, quanti ſubſellia conſtant,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo;
Quæque reportandis poſita eſt orcheſtra cathedris.

Tria oſtendit in his Auditoriis fuiſſe, Subſellia, Anabathra, Orcheſtram. Subſellia, in medio ac planicie, atque, ita vt dicam, æquore atrij: Anabathra ad latera, quæ adſurgerent gradatim & per ſcalas, theatrali more: denique Orcheſtra, è cathedris, quæ ante ipſum ſuggeſtum poſita recitantis. De Anabathris, quæ ſic in orbem, aliquid innuere & iuuare Diogenes Laërtius videtur in Menedemo. quem dicit fuiſſe ἀπερίεργον, καὶ τὰ τῆς σχολῆς ἀδιάφορον. Οὔτε γοῦν, inquit, τάξιν τινὰ ἦν παρ' αὐτῷ βλέπειν, οὔτε βάθρα κύκλῳ διακείμενα, ἀλλ' οὗ ἂν ἕκαστος ἔτυχε περιπατῶν ἢ καθήμενος, ἤκουε, καὶ αὐτοῦ τοῦτον τὸν τρόπον διακειμένου: *ſimplici negligentiá, & eorum quæ ad Scholam pertinerent, indifferentem. Neque enim erat ordinem aliquem apud eum videre, neque ſedilia aut gradus in orbem diſpoſiti erant: ſed vbi quiſque ambulans aut ſedens fortè erat, ibi & eum ſic affectum audiebat.* Sed & Suetonius in Claudio: quem refrigeratum dicit, *cùm initio Recitationis, compluribus ſubſellüs obeſitate cuiuſdam defractis, riſus exortus eſſet.* Si plura ſubſellia ab vno defracta; nónne conſequens eſt, exſtructa alia ſuper alia fuiſſe? Et planè ita decorum aptumque ad audiendum: & cur non vel in Scholis publicis hodie imitantur? Sicut & illa parua Orcheſtra in theatris fuit: in quâ, primore ſcilicet parte, honeſtiores ſederent & velut Senatores. Apertè etiam Arrianus, in hos ambitioſos recitatores: Τοῦτο ἵνα γένηται, δεῖ τεθῆναι χίλια βάθρα, καὶ παρακληθῆναι τοὺς ἀκουσομένους, καὶ σὲ ἐν κομψῷ στολίῳ ἢ τριβωνίῳ ἀναβάντα ἐπὶ πούλβινον, διαγράφειν πῶς Ἀχιλλεὺς ἀπέθανε: *Hæc vt fiant, oportet collocare mille ſubſellia, & vocare audituros, & teipſum in nitidá togulá aut palliolo puluinum conſcendere, & deſcribere morientem Achillem.* Qui præter Anabathra ſiue gradus, hominem ipſum deſcribit recitaturum, III. Diſs. cap. XXIV. a Subſellia.

——pexumque, togáque recenti,

vt Perſius: & *aſcendentem in Puluinum,* ſiue vt idem poëta,

——ſede legentem Celsá,

in quâ tamen puluinus, molliori ſeſſui. In *Orcheſtrá* eum ſediſſe, Scholiaſtes vetus ad Iuuenalis hunc locum ſcribit: *Orcheſtra, inquit, ſpatium in theatro dicitur, quod Pantomimo ſaltanti vacat. eiuſmodi autem & Poëta eligit, in quo ſtans recitet ante tabulata.* Ita hæc emendamus, etſi non approbamus. & ſedit profectò, non ſtetit poëta, atque adeò, vt diximus, in puluino. Iuuenalis autem mentem arbitror, Subſellia, Anabathra, & in fronte ante ipſum recitatorem *Orcheſtram* fuiſſe, planè vt in theatris: vbi inferiore & primore illâ parte, primores & Senatores ſedebant. Itaque hîc cathedræ aliquæ diſpoſitæ honeſtioribus, extra auditorum plebem. Plinius de ſe recitaturo: *Poſitis ante lectos cathedris amicos collocaui.* Martialis vniuersè:

——circum pulpita noſtra
Et ſteriles cathedras baſia ſola crepant.

In noſtris auditionibus poëtarum, nihil ſerium aut ad quæſtum; amores, & baſia tantùm. *Reportandas* autẽ *cathedras* eas Satyricus dixit: vel quia vſurariæ, vel quia conductæ: vel

vel denique ab ſuis locis huc collatæ. Atque hæc igitur in Domibus recitatio: fuit etiam in publico loco. quo? Apollinis templum alij volunt, ex Horatio:

——hæc ego ludo
Quæ nec in æde ſonent. reſonantia, iudice Tarpâ.

vbi Apollinis Palatini ædem Scholia etiam vetera interpretantur. ſicut & hoc eius loco:

——& vacuam Romanis vatibus ædem.

Nec refellam: etſi de Athenæo, magis mihi liquet. Imò & Horatianus quidam Scholiaſtes: *In æde, in Athenæo* interpretatur. Hæreo tantùm & quæro, an Athenæum ſiue Mineruium illud ſic Romæ antiquum. Poſteà tamen fuit, & huic vſui frequens. Capitolinus in Pertinace: *Proceſſionem, quam ad Athenæum deſtinauerat, vt audiret Poëtam, diſtulit.* Lampridius, Alexandro: *Ad Athenæum, audiendorum Græcorum & Latinorum Rhetorum vel Poëtarum cauſsâ, frequenter proceſſit.* Ac uoto etiam ibi theatricam illam poſitutam graduum fuiſſe. Ita enim Sidonius *Athenæi cuneos* dixit. & alibi: *Quo recitante, crepitantis Athenæi ſubſellia cuneata quaterentur.* Nota *cuneata*, nota & *quaſſa*, à plauſu & ſtrepitu, vt dixi. Nam hunc mirè captabant. Adſurgebant igitur, clamabant, plaudebant. De primo, Martialis:

Lib. 11. epist. 1x. Lib. 1x.

Sæpiùs adſurgam recitanti carmina? tu ſtas,
Et pariter geminas tendis in aſtra manus.

Quod eſt hominum ſcilicet admirantium, & nec ſede ſuâ ſe tenentium. De clamoribus autem, & qui fuerint, idem poëta:

Effætè, grauiter, citò, nequiter, euge, beatè.

& ſæpiſſimè, καλῶς, σοφῶς. De plauſu autem, paſſim. Sed pulchrum, quòd conducerent etiam id genus operas, aut iamantè præpararent. Iuuenalis:

Scit dare libertos extremâ in parte ſedentes
Ordinis, & magnas comitum diſponere voces.

Nempe iſti *Sophos* illud acclamabant, & modulatè laudabant, ſportulis inuitati & cænis. Sæpè Martialis tangit, & Plinius iunior: qui etiam * *Sophocles*, & *Laudicænos* facetè appellat. Addit autem, quòd rideant vel ſeueri: *Heri*, inquit, *duo nomenclatores mei (habent ſanè ætatem eorum, qui nuper togas ſumpſerunt) ternis denarijs ad laudandum trahebantur. tanti conſtat, vt ſis diſertiſſimus. Hoc pretio quamlibet numeroſa ſubſellia complentur, hoc ingens corona colligitur, hoc infiniti clamores commouentur, cùm μεσόχορος dedit ſignum. Opus eſt enim ſigno apud non intellegentes.* Lepidè, & vel exſcribens rideo. Sed de *Meſochoris* & *Signo*, Scholiaſtes Iuuenalis illuſtrat in Sat. XI. ad verba *Teſtarum crepitus. Teſtis nam anteà* (inquit) *percutiebant ſaltantibus Pantomimis, quidam huc non erat vt meſocori percuterent manus.* Legendum: *quia adhuc non erat, vt Meſochori.* Ergo nouitium hoc inuentum, vt ille in medio quaſi laudantium & cantantium choro conſiſteret, & manu percuſsâ ſignum daret concinendi. Hæc igitur Publica Recitatio, & ſæpè vitioſa: in quâ laudes, non iudicia captabant. Sed vtebantur etiam vulgò. vt Ouidius ille:

* Quia Sophos illud clamarent: & Laudarent, cænæ cauſsâ.

Carmina cùm primùm populo iuuenilia légi.

Vt Silius, de quo Plinius: *Nonnumquam iudicia hominum Recitationibus experiebatur.* Ipſe Domitianus Princeps, cùm ſtudium Poëtices adſimularet, *recitauit etiam publicè*, vt Suetonius ſcripſit. Sed & Claudius Imperator, *Hiſtoriam in adoleſcentiâ, hortante T. Liuio, ſcribere aggreſſus, frequenti auditorio commiſit.* Quid, quòd Principes ipſi audirent? magnus ſtudiorum honos, aut calcar. Auguſtus certè (in Suetonio) *Recitantes & benignè & patienter audiuit, nec tantùm Carmina & Hiſtorias, ſed & Orationes & Dialogos.* Legi alibi, & Claudium Imperatorem vel inopinatò recitantibus quibuſdam superueniſſe. An non ſtudia atque ingenia tali auditorio excitarentur? Sed ex Suetonij illâ de Auguſto notâ, appâret rarò Orationes legi ſolere; plurimùm Carmina, Hiſtoriaſque. Quod etiam Plinius oſtendit, & damnat, epiſtolâ XVII. libri VII. Poëmata autem, ob ſuauitatem, recitata & audita creberrimè. idque Iulio menſe maximè vel Auguſto. Plinius: *Iulio menſe, quo lites maximè interquieſcunt, poſitis ante lectos cathedris, amicos collocaui.* Et addit, ſe verſus ſuos recitaſſe. Iuuenalis autem quaſi ex more notat

——Auguſto recitantes menſe poëtas.

At Plinius iterùm *Aprilem*, vt ſollennem, ingerit libro II. Epiſt. *Magnum prouentum poëtarum hic annus attulit. toto menſe Aprili nullus ferè dies, quo non aliquis recitaret.* An quia præuenerunt, & graue iis exſpectare Iulium vel Auguſtum? an toto anno licebat, & ſolebat? Hæc Recitatio, & vſus eius vel abuſus. Sed vſus in bonâ eâ profectò magnus fuit: ac verè Theophraſtus, Αἱ ἀναγνώσεις ποιοῦσιν ἐπανορθώσεις: *Recitationes pariunt emendationes*: quod ſcitum & breue dictum, Laërtius ei adſcribit. Optima autem ratio,

quam Plinius ſe vſitatum eſſe refert, lib. VII. *Nullum*, inquit, *emendandi genus omitto. ac primum, quæ ſcripſi, mecum ipſe pertracto; deinde duobus aut tribus lego; mox aliis trado adnotanda, notaſque eorum, ſi dubito, cum vno rurſus aut altero penſito: nouiſſimè pluribus recito.* Macte Plini! hi gradus ad limam ſunt, hi ad vitam: atque vtinam nobis facultas (voluntas eſſet) imitari! Sed claudo hoc totum de Recitatione, recitatiunculis ſiue fabellis. Seneca narrat comiter de quodam: *Recitator hiſtoriam ingentem attulit, minutiſſimè ſcriptam, arctiſſimè plicatam. & magnâ parte perlectâ, Deſinam, inquit, ſi vultis? Acclamatur, Recita, Recita, ab his qui illum obmuteſcere illicò cupiant.* Magis lepidè, pater eius in Suaſoriâ pro Cicerone: *Sextilius Enna fuit, homo ingenioſus magis, quàm eruditus, & poëta inæqualis. Is hanc ipſam proſcriptionem Ciceronis recitaturus in domo Meſſallæ Coruini, Pollionem Aſinium aduocauerat. & in principio hunc verſum, non ſine aſſenſu, recitauit:*

Deflendus Cicero eſt, Latiæque ſilentia linguæ.

Pollio Aſinius non æquo animo tulit, & ait: Meſſalla, tu quid tibi liberum ſit in domo tuâ, videris; ego iſtum auditurus non ſum, cui mutus videor. atque ita conſurrexit, ne interfuiſſet recitationi eorum. quod Cornelium ſcio: cui non æquè diſplicuiſſe hunc verſum quàm Pollioni, apparet, quòd meliorem quidem ſed non diſſimilem compoſuit. Intellegit hunc verſum:

Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ.

Sed quod ad verba de Cornelio attinet, corrupta ſunt; mihi ſic emendanda: *conſurrexit. Huic interfuiſſe recitationi Seuerum quoque Cornelium ſcio*; & ſic cohæreat narratio, aliàs ſoluta aut inconcinna. Fabellam tertiam Plinius porrigit. *Paſſienus Paulus*, inquit, *ſplendidus eques Romanus, & inprimis eruditus, ſcribit Elegos. Is cùm recitaret, ita cœpit dicere*, PRISCE IVBES. *Ad hoc Iabolenus Priſcus (aderat enim, vt Paulo amiciſſimus) Ego verò non iubeo. Cogita, qui riſus hominum, qui ioci. quod eſt omnino Priſcus dubiæ ſanitatis.* Concludit, & ſubiicit: *Tam ſolicitè recitaturis prouidendum eſt, non ſolum vt ſint ipſi ſani, ſed etiam vt ſanos adhibeant.* Habes, quæ de more hoc præcipua occurrerunt, ſatis ad eum noſcendum: quid iuuabit? vtinam ad reducendum. Nam mihi crede, hoc noſtro æuo (iterùm dico) vtile; cum Typographia ſta[illegible] nos p[illegible]tahit & diffundit, nec vel locum pœnitentiæ aut emendationi relinquit. O ſi igitur Recitatio! ſed cum Plinianâ exceptione, *vt ſani aduocent, & aduocentur.* Tu diu inter eos mi Harti, & mei amantes eſto. Louanij, XVI. Kalend. Mart. ∞. IƆ. XCIX.

EPIST. XLIX. *Bruxellam.*

Io. RICHARDOTO, *Præſidi.*

CONSILII mei copiam in hac re filiorum tuorum petis, quam ingenuè fateor haud ſatis mihi ſuppeditare. Egóne vt plus aliquid, quàm tu, videam? certè abeſt: & ſi meum ſenſum dicam, vt vis, palam & ſine ambage, hoc quoque fateor, diſtrahi eum vtrimque, & rationibus impelli. Ire mecum poſſe, & expedire, hæc ſuadeant. Primùm communis mos, cui ſua certè eſt ratio, adoleſcentes id ætatis in longinquas aliquas diuerſaſque oras mittendi; ſiue vt linguam diſcant, mores videant; ſiue vt iudicia forment, & ex variâ rerum notitiâ ad prudentiam aliquid addant. Ratio altera ab eorum affectu. valdè ambiunt, & vereor vt remittant aut langueſcant in ſtudiorum hoc curſu, ſi ſtadium hoc iis claudis. Atque is affectus per ſe alioqui haud magni ponderis, tamen id accipit ab exemplo: quòd vident quoſdam, aut pleroſque, è contubernio noſtro mecum ire. Itaque mœſtitia quædam ex eo & tædium oriatur; cui etiam ſeuerum parentem par ſit occurrere aut mederi. Tertia denique cauſſa aliqua à me ſit. cum quo pluſcula certè videbunt, quàm ſi cum gregalibus ſuis ineant hoc iter. Nec ipſa via otioſa planè aut fe[illegible]ta fuerit, ſed ſermonibus aut monitis melioribus peragenda. Quid quòd aditus nobis (ita ſpero) ad pleroſque magnates erit? quos pretium aut vſus ſit, vidiſſe & nouiſſe. Hæc in iſtâ parte ſunt: in alterâ, quod [illegible]oretur etiam aut ſiſtat. Primùm, ætas illorum viridis adhuc & planè iuueneſcens: atque expediat fortaſſe paullò grandiores, firmo magis dilectu & iudicio, res homineſq; intueri. Alt[illegible], quòd non longa e[illegible]anſi[illegible] mea futura, nec niſi ad Italiam, Galliam, Germaniam (nam & ea loca tangemus, aut tranſibimus) libandam & guſtand[illegible]. At tu manere & imbui eos fortaſſe malis, & ſenum aliquem capere pe[illegible]inationis ſuæ fructum. Eſt & tertia ratio in animo [illegible]ij [illegible]a-rentis (qualem te ſcio) valida. quod caſi[illegible] exponuntur, qui itineribus ſe [illegible]t. Inſidiæ, vis, morbus, fatum d[illegible] timenda; & quidquid in fragilem han[illegible]r

tem

tem cadit. Quæ eadem etſi domi etiam nos manent; tamen prouocari magis & laceſſi diſcurſibus videntur, & triſtiore omnino telo, ſi euenerunt, feriunt parentes. Hæret illa cogitatio: Cur paſſus abire ſum? cur domi & in meis oculis, aut certè iuxtà, non habui? Et quamquam, vt prudentia tua eſt, ſcis decreta hæc talia ab æterno: tamen in vno filiorum cùm ictum exceperis, & Italia eum tibi remiſerit non qualem optabas, iuſtè in iſtis timeas; aut ſi non tu, pro te ego. Quàm triſte mihi, imò pænè letale, in comitatu meo tale aliquid eueniſſe? Etſi nolo malè ominari, ſed nec plura addere: & rem totam ad tribunal iterùm tuum remitto. Ad me autem quod attinet; gaudeo probari conſilium, etſi de viribus diffidis. Ego verò ſpero & opto firmiores eas ipſo itinere redditum iri: quod non ſemel equidem ſum expertus. Si etiam aliter eſt, quid? nónne & hic Parca mea me aſſequetur & deprehendet? Neque improbum ſit in ſancto illo conatu nec inglorium in vrbe Dominâ mori. Sed diffundor: ego me ante abitum tibi ſiſtam, & Vale etiam illud dicam, in Salue, vt ſpero, commutandum. Deus faciat, ô Deus: & te Ampliſſime & Nobiliſſime Domine nobis ſeruet. Louanij, XIII. Kal. Iun. ∞. IↃ.XCIX.

EPIST. L. *Brugas.*

IANO LERNVTIO *ſuo* S. D.

ITA eſt, mi Lernuti. Romam imus, ſed & redimus, niſi Fata aut Vis maior obſtant. Animus quidem ille eſt in patriâ, nec dona aut promiſſa eum auertent. Quid autem ibi quæram? opes aut famam? vtraque in hac ætate, quod ſatis ſit habeo: neque illas auide vmquam petij, & hæc etiam ſuper vota adeſt. Acquieſcamus in partis, adoleſcẽtioribus ingenijs relinquamus conſilia & ſpes nouas. De filio tuo voluiſſem & potuiſſem ſi præſciſſem: nunc duos admiſi, & alter eſt Audeiantij filius, quem commendas. Sed breuis mea emanſio cùm futura ſit, non video quis magnus filio tuo fructus, etiam ſi eat. De Itinere hæc ſunt: de Iracundiâ tuâ neſcio quid ſignificas, neque vel à cogitatione indago. Mens hæc ſibi conſcia nec facto, nec dicto, nec ſeipsâ te læſiſſe: ideoque ſecura, ſiue prodis hoc ſiue tegis. Sed illud facito, & aut putationem, aut ſi quid fortè commiſi ſatiſfactionem expecta. Vale mi Lernuti, & nos vereri illo & fido amore ama, eoipſo æternum amande. Louanij, IX. Kal. Iul. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. LI. *Nouiomagum.*

IACOBO VVENO S. D.

ET fratrem tuum Henricum iamdiu, V. Cl. & te nunc incipio amare. Quid dicam incipio? mentiar, iam ante amaui ex ſermonibus tui fratris, & affectu quem litteræ tuæ crebriuſculæ in me declarabant. Sed hoc volui dicere, declarare me nunc amorem, cui viam liberam & apertam ſcriptione tuâ muniuiſti: per quam licebit mutui affectus iſti interdum decurrant, & ſibi occurrant. O ſi libertas illa maior etiam ſit, ſi pax hæc diſiuncta iungat, & vnius patriæ quondam ciues factionibus aut partibus non diuellamur! Diuturnum hoc malum fuit, & velut tabes animos conſumpſit: ſed medicinam tamen nunc ſperamus, aut æternùm deponimus hunc ægrum. Noſter quidem Princeps cum illâ conſorte ſuâ adnititur: ſed & Germani, vt ſagaciores quidam muſſant, ſpecie armorum ad quietem & pacem noſtram eunt. Fac ſac ô magne Deus: & ſemel ſi non ſanari plenè, liceat vel reſpirare. Quod autem de abitu meo audiſſe te ſcribis, & dolere: nolim ſic loqui, nec abire ego à meis Belgis vel per ſomnium cogitaui. Sunto miſeri: hoc magis amo & adhæreo, vt ſolent parentes quoque affici erga prolem imbecillam. Sed peregrinatio dumtaxat propoſita mihi fuit a Principibus viris, & à me ſuſcepta: ſed vereor vt verbo ſuſcepta, re non repræſentanda. Vt tibi apertè dicam, valetudo & vires meæ abnuunt: & periculum iam in leuibus motiunculis feci, & non vult caducum ædificium hoc transferri. Quid, quod potius contagio iam in iis locis eſt? vt nec ſi vires cum voluntate conſpirent, prouidè aut honeſtè poſſim. Itaque iter hoc differo, ad ſcripta & libellos meos redeo, & quod cœpi in iis [illegible]. Sum in SENECA expoliendo & illuſtrando, nec quidquam eſt quod anteuertam huic curæ: adeò & vtilis ille generi humano ſcriptor eſt, & [illegible] ſenſibus meis carus. Alia, de quibus ſcribis, non aſpernor aut abnuo, ſed aliàs nec iis donem. [illegible] autem, quem [illegible] me & [illegible] ſuauiter [illegible] E[illegible] valet, vi[illegible] im[illegible] mort[illegible] valeat, & ſcribat,

bat, planè alter Liuius, *indefeſſi calami & ſtili.* Mirabilis vigor in illâ ætate, & quem ego nec voto adſpirem. At tu vale Vir Clariſſime, & deinceps palàm inter meos, ego inter tuos ſimus. Louanij, Kalend. Sextil. ∞. IϽ. XCIX.

EPIST. LII. *Bruxellam.*

GVLIELMO & ANTONIO RICHARDOTIS *fratribus* S. D.

AB vtroque veſtrûm litteras pænè eiuſdem argumenti accepi: ergo vtrique ſimul fas ſit reſpondere, imò decorum, quia fratribus, & domo, ſtudiis, animo iunctis. Gaudeo vos incolumes aduenisse; manere ſuadeo, donec maneat hîc* οὐλομένη illa νοῦσος. Nam & nunc perſeuerat Apollo ille,

* pernicioſus morbus.

* —— βέλος ἐχεπευκὲς ἀφιείς:

* acutum letale telum.

& funera ſunt, etſi rariora quàm pro veſtrâ illîc famâ. Ego verò philoſophor, id eſt, mortem meditor: etiam parte alterâ, quòd SENECA me totum habet. Illud opus emoliri ſi poſſum (potero ſi hiemem hanc viuo) licebit in hoc* σεμνύνεσθαι, quòd duos optimos auctores protraxerim, & lucem dederim. Tacito & Senecæ: illi ad prudentiam, huic ad ſapientiam duci. De publicis, lætum Principes aduentare: minùs, in caſtris inopiam, atque vtinam pecuniæ tantùm, eſſe. Ego verò nec conſilij magnam copiam, ſed nec concordiæ, video: & de magno aliquo ſucceſſu quid ſperem? Vos, ſi quid amplius erit, ſcribetis: vel ſtili veſtri cauſsâ, quem exerceri ſic vtile: ſed & meâ, cui gratum à vobis appellari. Valete, ſaluete cum fratre, ſorore, Rubenio. Louanij, VI. Idus Sextil. ∞. IϽ. XCIX.

* gloriari.

EPISTOLA LIII.

MARTINO DELRIO S. D.

ERAT animus ad te venire, & garrire, vt ſolebam: domi tenuit valetudo. Garritum tamen non potuit, & vel in chartâ ad te mitto. Docui hodie in Suetonio, & illud in Veſpaſiano eius, cap. IV.

Id de Imperatore Romano prædictum, Iudæi ad ſe trahentes rebellarunt: cæſoque Præpoſito, Legatum inſuper Syriæ Conſularem, ſuppetias ferentem, raptâ aquilâ fugarunt.

dixi corruptum videri, imò emendaui. An rectè? ſubitò incidit, atque excidit: ſed tu vel poſt iudicium meum iudicato. Corruptum, inquam, hoc de *cæſo Præpoſito* aiebam: nam quis ille fuit? Per hæc quidem tempora Felix, Albinus Florus: ſed nemo eorum cæſus, quod in Ioſepho quidem, aut Hegeſippo eius interprete legas, qui hæc curioſè & partitè exſecuti. An antè alios de Sabino initiùnt interpretes, aut Metilio: quorum ille ſub Auguſto turbas dedit, nihil ad hoc æui, & tamen caſipſas effugit. Alter nec Præpoſitus prouinciæ fuit, neque item cæſus: ad ſcriptores illos appello. Itaque vana iſta: vide an mea emendatio, *Geſſiumque Præpoſitum.* Certè ex hiſtoriâ eſt, & *Geſium* ſiue *Geſſium* Florum rebellantes Iudæi fugarunt, & mox Ceſtium Gallum Syriæ legatum. Nomen gentile hoc rarius aut ignotius, fuerit loco & ſententiæ vitiandæ. Sed hoc te poſt factum conſulo: illud ante. In eodem Veſpaſiano, cap. XVIII.

Ingenia & artes vel maximè fouit. præſtantes poëtas & artifices coëmit: item coloſſi refectorem inſigni congiario magnaque mercede donauit.

Coëmendi hîc verbum ſuſpectum vel improbum, quidquid conentur. Aſſero ſcriptum fuiſſe: *& artifices ſcenæ, item coloſſi.* Quiſquis inſolens aut hoſpes non es in Criticâ, quid crebrius, quàm confundi ſic & reperi ſyllabas? quod factum in *coëmit item* palàm: ſic vt litterula à fronte ab anteriore voce ſit trahenda. Frequens, tibi notum: & ipſi item *Artifices ſcenæ* qui ſunt Græcis περὶ τὸν Διόνυσον: id eſt, ſcænici actores. Seneca de Beneficiis, Ammianus, alij ſic appellant: ipſe Suetonius in Iulio, cap. LXXXIV. Sequitur autem mox appoſitè, de Terpno & Diodoro ſcænicis ab eo donatis. Cap. etiam II.

Inſenſus Senatui, Caium neque non genere officij demereretur.

Non ipſe herclè, ſed Caius Senatui inſenſus. atque igitur lego, *inſenſum.* Cap. V.

Singulos repentè ramos à frutice dedit.

Ineptè. à frutice non creuerunt hi rami, ſed ab ipſâ arbore: ideoque ſcribam, *ramos an frutices.* Ambigit, quia ex ex imâ parte hæc enata, ramos an veriùs frutices appellet. Habes garritum: quid videtur? deſtinata corrigi, an aberratu? dic liberè, id eſt vt ſoles. De publicis, nihil: niſi Gubernatorem nouum in finibus iam eſſe, ô ſi innouandis his rebus & emendandis! Vale. ego peſſime, cui & deſtillatio, præter ſolita mala, acceſſit. In Muſæo noſtro, ab ipſo prandiculo: nam tale fuit.

EPIST. LIV. *Bruxellam.*

GVILIELMO & ANTONIO RICHARDOTIS *fratribus* S.D.

ITERVM ego ad vos, & affectus veſter, ſed & ſedulitas inuitat. Crebri eſtis in litterario hoc affatu: quod delectat, ſiue quia grata nunciatis, ſiue quia qui nunciant, grati. Si negem in animo iſto partem vos habere, mentiar: conſuetudo inſeruit, ſed magis honeſti ſtudium, quod in indole veſtrâ libens lætuſque obſeruaui. Id verò educendum magis magiſque, & explicandum eſt; & ſemina iſta ſparſa à magno agricolâ, fouenda & maturanda in ſuam frugem. Quomodo fiet? ipsâ viâ, quam iniſtis, litteratâ Prudentiâ, & amore ſerio Virtutis. Alia, mihi credite, fumi, quiſquiliæ, campæ ſunt: illa ſola & hîc vobis

*Ὤπασεν κλέος ἐσθλὸν, ἐ ἀσφοδέλοισιν ἀΐδῃ.

*Præſenti tribuunt famam, tribuentq; futuram.

Quamquam de gloriâ, parùm eſt: ſed tranquillitatem & quietem vobis adſerent, id eſt perpetuum, internumque gaudium, & fructum. Hæc ideò ingero (non enim lubet, nec doctorum ſit, importunè philoſophari:) quia in vrbe Regiâ, ſiue vt nunc loquendum eſt, Principali eſtis: & multa illic vana oculis animiſque obiici, eſt neceſſum. Ne abducant vos: imò contrà, ſicut ij, qui à litore in altum prouecti ſunt, oculis votiſque terram requirunt: ſic vos identidem è fluctibus illis ad iſtum portum adſpirate. quem ſcio, abſentes magis ſentitis & creditis portum, quàm præſentes, eſſe. Qui aſſiduè in turis aut lætis rebus, parùm eas guſtant aut oblectantur: qui in contrariis, ſuſpiriis poſcunt. Idem ſit vobis, ſed in tempore. nec reuoco ad munia, donec & mala lues nos deſeruerit, & Principes optati aduentarint. Iſta hactenus. de publicis, bona nunciatis, ſed ſatin' vt fida? Opto equidem, & in viâ iſtâ vitæ, quam pænè confeci, turbidâ & nimboſâ, quàm ſuaue ſit vel extremum ſpatium ſudum & ſerenum habere! Fac ô Deus, me & meos cò ſerua, & vos inter illos. Louanij, XVII. Kalend. Septemb. ∞.IↃ.XCIX.

EPISTOLA LV.

IANO BERNARTIO *ſuo* S. D.

IN morte auunculi tuâ cauſsâ dolui, quia amantem tui fuiſſe dicis; & quia eiuſmodi cognatorum & vſus eſt, & naturâ in eos affectus. Quod ſolatium? Illud commune, ſed Deus bone verum, mortales nos eſſe, & illam atram Diuam cuique noſtrûm ſuper caput cottidie ſtare. Quàm hodie Louanij experimur! ſerpit enim etiam illa popularis lues; ſerpit tamen, nondum graſſatur. Si iſtud faxit, tum videro de ruſticanâ aliquâ domo ad ſeceſſum: quam amanter offerri à Socero tuo gratum. Nam de tuâ vrbe & domo, abſit vt cogitem. in aliâ occaſione & lætiori videndi amici ſunt, non in hâc triſti & apud quoſdam metuendâ. In SENECA iam eram, quem publicè dare molior. ſanè opportunè, & ille me erigit, & aduerſus hæc talia munit. Ille mihi, cum poëtâ tuo, clamat:

Quidquid habent ortus, finem timet: ibimus omnes,
Ibimus: immenſis vrnam quatit Æacus vmbris.

O caput ô finem Sapientiæ, hæc meditari! mortem habere in animo, in oculis; & quæ ad felicitatem poſt ipſam ducant, præparare. Faciamus, mi Bernarti, ſenes, iuuenes. neminem ætas immunem facit: & cùm nati ſumus, ſubiicimur huic tributo. Vale cum tuâ tuiſque. Louanij, XI. Kal. Sept. ∞.IↃ.XCIX.

Oudartum illum noſtrum ſaluto, quantum animo & ſtilo poſſum.

EPISTOLA LVI.

GVILIELMO RICHARDOTO *ſuo* S. D.

TV verò non ceſſas in ſcribendo, ergo nec in amando, & hæc diligentia vnde niſi à mei diligentiâ? Itaque vicem tibi refero. vtique cùm tam bella nunc occaſio, & Scarbergerus à nobis abiret. Sed ſubitò abiret, nec moram indulgeret longæ ſcriptionis. Quid etiam opus eſt? breuî te videbimus;

* —— ὥς ἐνὶ θυμῷ ἀθάνατοι βάλλωσι.

*—vt nobis mentem Immortales dent.

Nam quòd feralis illa Diua vltrà vos arceat, nihil eſt: & nunc (Deus dicto faueat) liquida omnia & puta ab eâ apparent. In Parthos iuerit aut Thracas, & Muſarum hanc ſedem Æſculapius cum Higeiâ ſuâ reuiſant, & firmiter colant. Opto. & vos valere, patrem autem veſtrum (ſi id poſſit) reip. immortalem eſſe. Louanij, prid. Idus Sext. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. LVII. *Mechlinium.*

NIC. OVDARTO *ſuo* S. D.

PRINCIPES apud nos fuerunt, excepti pro vrbis copiâ, honeſtè, & certè beneuolè: quod & ipſi agnouerunt, ac vieiſſim affectum hunc rependerunt. In ipſam Academiam & Scholam noſtram venerunt: & meam audiuerunt. quomodo, aut quâ occaſione? inquies. quam ipſi quæſiuerunt & ſuggeſſerunt. Vocauit me circa vndecimam matutinam ad ſe Princeps, benigniſſimo vultu & verbis excepit, de valetudine meâ (in ſolitum illis) tum etiam de ſtudiis percontatus. Hæc omnia Latinè. tum adiecit, Velle ſe audire me docentem, &, Numquid poſt prandium poſſem? Nihil decorè, aut pro dignitate veſtrâ, inquam: ſed tamen imperium omne, vt debeo, accipio. Imò fiat, inquit: veniemus. Sed Infans te videre etiam vult, illi te ſiſtam. Hoc quoque factum. & ego mox domum, & duabus horis meditor aliquid, & me paro. In ſcholis Theologorum res gerenda erat, poſt *Actum* aliquem, vt loquuntur, Theologicum. Itaque ſurrexi, & cœpi dicere. Quid? inquies. Præfatus aliquid pro tempore, Senecæ pauca verba è Cap. III. lib. I. De Clementiâ, quorum initium: *Illius demum* (Principis) *magnitudo ſtabilis, fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt:* & pauca etiam quæ ſequuntur. Ea, inquam, Senecæ verba, & in iis munus Principum explicaui. & denique addidi de Fructu qui tunc maneret, nempe Beniuolentiâ & Fide ſubditorum, quam nos Belgæ vtramque ſemper erga Principes habuiſſemus, erga ipſos haberemus. Quid plura dicam? auditi ita benignè ſumus, vt Princeps oculos à me non dimouerit, non animo ſolùm ſed corpore in me inclinatus. Idem alia Nobilitas, quæ frequens adfuit: & in eâ Legatus Regis Hiſpaniarum, vir doctus & in me volens, quod ſcire te cupio. Ipſa etiam Infans adfuit; quid intellexerit, aut an intellexerit, tu cogitabis. Habes quod hîc geſtû, ſatis raro, imò nullo fortaſſe exemplo, quòd etiam fæmina Princeps in has auditiones venerit. De Republicâ ipsâ meliùs ſperare ego & quiuis prudens incipiat, quia Principes dare ſe magis ſuis Belgis & eorum moribus palàm incipiunt. Saperent modò Batauï, ſeſe noſque in veterem, id eſt felicem & tranquillum ſtatum, vindicarent. Vale vir amiciſſime, & Hartio etiam noſtro ſcripta hæc ſunto. Louanij, pridie diei, qui D. Andreæ ſacer, ∞. IↃ. XCIX.

Accepi antequam obſignarem tuas, quibus amicè inuitas, ſed non venturum. Egóne ad pompam, quam hîc iam vidi? quî magis, quàm tu ad noſtram? Sed circa Quadrageſimam, ſi Deus volet, cum Senecâ meo Antuerpiam ibo, & (ſi poteſt tutò) te amicoſq; ibi videbo: inter eos Cl. Maſium, & Reu. P. Sedulium, quos ſaluto. De Carminibus tuis, omnino faciendum eſt: atque ego ad Moretum (etſi nihil opus) tamen vel ex ſuperuacuo ſcribam. Carminum autem mentio facit & meum hoc mitti, ex tempore nobis inter ignes hîc natum. Et tu, ſi voles, mitte in ignes.

EPIST. LVIII. *Mechlinium.*

VIBRANDO ANSKEMA S. D.

SERIO mihi placuit in epiſtolâ ſtudium illud Quietis, quod præfers. O perſeuera in eo mi Vibrande, ſperne iſtæc vana, &

——— *omitte mirari beatæ*

Fumum & opes ſtrepitumque Romæ.

In nobis eſt, quidquid mirabile: alta & diuina illa pars. quam ſi colimus, quod homine dignum eſt facimus, & meliore illâ origine noſtri. Quomodo colemus? virtutis & ſapientiæ ſtudio, quò noſtra hæc ſtudia niſi ducunt, valdè à recto abducunt. In paucas mentes hæc cadunt: debent in eas, quas benignius ſidus naſcentes adſpexit, &

Quis meliore luto finxit præcordia Titan.

De me, ego ex animi ſententiâ polliceor fidem & conſilium: & apud patrem etiam lenimenti ſiquid poſſum. In ceterum, vt ille dicebat *Militemus*, ſic noſtra ſit teſſera, *Sapiamus*: & ne calor aut vanitas abripiant. Agam cum Lamberto veſtro, & ad me vocabo, vt quidquid decorè à me poteſt (aliter uolle debes) fiat. Vale tu, &, quoniam Deo ita placuit, Tua. Louanij, III. Kal. Octob. ∞. IↃ. XCIX.

EPIST. LIX. *Leodicum.*

PETRO ORANO *I^to* S. D.

EGO inter eos ſum, mi Orane, qui ſeriò & fideliter, quos amant, amant: & vbi occaſio eſt, libenter quod animo incluſum eſt, rebus factiſque prodo. Eò promptiùs nunc ad te venio, veterem & fidum amicum, opem rogatum pro virgine piâ & honeſtâ,

neſtâ, & de me (ita loquendum eſt) benè meritâ, cùm apud vos vixi. Ea eſt ANNA, quæ has litteras tradet: & non litem, ſed rem habet, arbitrio tuo cum aliis (ſed tuo, ipsâ eligenre) commiſſam. Obſecro te, quantum me amas, vt ei quod ius faſque ſit (nec vltrà) adſis: & ita cenſeas, hoc ſic mihi gratum fore, vt accepto relaturus ſim, & meo Codici inſcripturus, quidquid in illam amicè à te fiet. Vale, & me adamantino vinculo tuum ama. Louanij, prid. Kal. Febr. ∞. IↃC.

EPISTOLA LX.

IOANNI RICHARDOTO, *Præſidi.*

HABES ecce Antonium tuum, cur non & meum addam? Formaſſe me aliquid fateor, amare etiam & curare: atque adeò inuitus pænè eum dimitto, neſcio an inuitum. Sed voluntas tua, & vſus eius, reuocant: tum etiam vtriuſque ætas. quia ille ſuccreſcit, nos inclinamus: & intereà auctoritate tuâ, velut manu, producendus eſt, & paullatim ad res admouendus: quò, mihi crede, indoles & natura eum vocant. Habes plures liberos, & gaudium ex omnibus, aut ſpem gaudij: ſed accipe ſponſorem me de iſto, per veſtigia tua ibit. Vero & veteri verbo, lignum eſt è quo Mercurius fiat. Peregrinatio in Germaniam & Cæſaris aulam mihi probatur: ſic tamen, vt non nimis diuturna ſit. Loca & mores videat, linguam diſcat: ad nos redeat, ſed Italiâ, Galliâ (ſi voles & Hiſpaniâ) obiter luſtratâ. Hîc deinde ei ſedes, vxor, dignitas ſint, te conciliante. Vides quò eam? ignoſce, ſi conſilium etiam vltrò ad te mittam, conſilij omnis fontem. Sed amor hoc facit, & cura quam nec in abſentem deſeram. Atque vt aucupes, nobiliores illas aues non patiuntur liberè euagari, ſed loro illigatas reuocant aut retinent: ſic ego in meliore hoc ingenio, & monitiunculis interdum ducam vel ſiſtam, necubi ab illâ veri honoris, vt ſic dicam, prædâ aberret. De Guilielmo porrò filio, fiat quod tibi videbitur, aut potiùs iam viſum eſt: quia nec opinor id immutaſſe. Iter tuum & eius cauſſam, Deus fortunet. qui tibi, intimo meo voto, Ampliſſime & Nobiliſſime Domine, ſecundam hanc palmam, apud præſentes & poſteros præbeat, confectæ Britannicæ etiam pacis. atque vtinam deinde tertiam illius Bataux, id eſt, propriè noſtræ; ô vtinam! & te glorioſum, nos felices! Louanij, Kal. Martiis. ∞. IↃC.

EPISTOLA LXI.

NIC. OVDARTO *ſuo* S. D.

O REMPVBLICAM noſtram, vt vacillat aut labitur! & cauſſas videmus, & mala quæ premunt: ſed quid cenſeam niſi fato fieri vt videamus, nec medeamur? Vbique prouidæ & honeſtæ voces: res manent, & feruntur viâ illâ, quâ cœperunt, ad. Abrumpo. tu ſperare me iubes: ego verò confido etiam, & animo non cadam vel in caſu hoc rerum. ſed vt amans patriæ ciuis, quàm vellem & optarem eam firmari! Quàm facilè etiam ſit, ſi conſiliis ſanis rectiſque, addam & priſcis, vtamur: quæ alius tamen à me donet. Iamdiu publicè feci, vtatur non vtatur qui volet. Itaque in *Plinij Panegyrico* nihil præter Commentatiolum habebis: nihil, inquam, ad Politica, & aliò reſeruamus. En querelas. in iis deſinis? inquies. Imò ſolatium meum vetus & internum hîc conſigno, in Principum conſiliis altius aliquid latere, in tempore prodendum: imò breuî & poſt Britannicam hanc pacem prodendum. Si nihil eſt, clamo,

—— ſpes & fortuna valete,
Nil mihi vobiſcum eſt, ludite nunc alios.

Ephemerides tuæ prodeant, & hîc & alibi certè gratæ. Louanij, XI. Kalend. April. ∞. IↃC.

Qui has tradet, olim mihi hîc bonarum artium partiumque cauſsâ notus fuit: commendaui Bemartio, & nunc tibi, ſiquid fauere ei potes.

D. Conſiliario Hartio intimam ſalutem.

EPIST. LXII. *Bruxellam.*

ANTONIO RICHARDOTO *ſuo.*

EN tibi Teſtimonium: quid opus erat? ipſe à te vbique dabis. Sed accipe vel meâ cauſsâ, & vt apud alios effundam, quod parciùs apud te dici aut non dici, diſciplina domeſtica & tua modeſtia voluerunt. Tu hæc iamnunc vera magis magiſque facies, perſeuerando vel potiùs augendo. Vale ô mihi ſemper care. Louanij, Kal. Iuniis. ∞. IↃC.

TESTIMONIVM.

ANTONIVM RICHARDOTVM, *adoleſcentem nobilem, Ampliſſimi patris* PRAESIDIS *ſanctioris conſilij filium, etſi ab indole & moribus ſuis commendandum, ſi quis propè noſcet;*

noſcet; tamen & mei iudicij ac teſtimonij calculo producendum ornandumque cenſui. Quippe à contubernio & diſciplinâ meâ, in quâ tres ampliùs annos egit: ita modeſtè, induſtriè, laudabiliter, vt mihi affectum ſui æternum reliquerit, & aliis famam bonam & exemplum. Obſecro vos, ſiqui Lipſij cauſsâ aliquid vultis, in hoc oſtendite, & vt in mei partem transfundite & deriuate. Falli aliquando in teſtimonio poſſumus, fateor:

* ——— στρέπται γάρ τε φρένες ἀνδρῶν,

* —namque hominum mutabilis eſt mens,

ait ille: ſed tamen ita de hoc adoleſcente deque ingenio eius facto ad virtutem & prudentiam imbibi, vt confidam eum, velut arborem ad flumen irriguam, ad omnem laudem magis magiſque aſſurrecturum, & ſuis honori, patriæ vſui futurum. Quod Deus ille donet, quo teſte hæc ſcripſi. Louanij, Kal. Iunijs. ∞. IↃC.

EPIST. LXIII. *Bruxellam.*

FERDINANDO DE SALINAS, *à conſiliis arcanis.*

VIDI litteras tuas, & in iis erga me affectum. vidi inquam: ita calida atque acria verba ſunt, è pectore profecta, non nata in ſummis labris. Quid niſi gaudere me dicam in tuis iudiciis, & votum apponam, mereri? De nepote porrò quod ſcribis, ego verò fautor adiutorque illi & fui & ero, quâ potero: idque tuâ maximè, tum & eius gratiâ. nam & ipſe per modeſtiam & induſtriam meretur. Sed teipſum non eliciet & huc transferet iſta Panegyris? Ad optantes venies, me inprimis, qui te, Nobilis & Clariſſime Domine, iamdiu eſt cùm ſeriò æſtimo, amo, colo. Louanij, III. Idus Iunias, ∞. IↃC.

EPIST. LXIV. *Bruxellam.*

GVILIELMO BREVGELIO *Conſiliario, cognato ſuo* S. D.

IN reditu vos non vidi, ob cauſſam quam vxori tuæ nuper ſcripſi. Neque alia ſanè fuit, quàm illa: & nos tenelli, ſicut iumenta defeſſa, domum ſcilicet properamus. De Baronij noſtri ſollenni die quod petis; ego arbitror non ante finem proximi huius Septembris futurum: etſi hoc nonnihil etiam pendet, vt ſcis, ab arbitrio Doctorum. In tempore autem certum tibi ſignificabo. Auus, patet, amici aduenturi videntur; vt mens quidem illorum erat, cùm reliqui. Nam tempora ſi quid immutabunt, quis dicet? non pro meo quidem voto aut ſenſu ea ſunt: & hi tumultus militares tam diuturni, vereor vt in ſummâ aliquid turbent. Demiror, non placari. A Galliâ enim nimbi minantur: ſi vera, quæ de bello in Sabaudum audimus. Nam Rex Hiſpanus neceſſariò deſcendet in partes: & nos, ſi non vt membrum, vt appendix trahemur. Quid precabor? illum vniuerſi tectorem & tutorem, vt nos ſeruet. & ſicut Minerua illa, apud Homerum, Pandari ſagittam arcuit ab interiori corpore Menelai, cutem dumtaxat eius paſſa ſtringi: ſit nobis ſalus ſit, etſi attritis & afflictis. Quam tibi & vxori, Ampliſſime & Clariſſime Domine Cognate, diuturnam & ſolidam precor. Louanij, IV. Idus Sextil. ∞. IↃC.

Spero futurum, & iamnunc rogo, vt tu & vxor, & liberi apud me ſitis in Encæniis vrbis noſtræ primâ Dominicâ Septembris.

EPIST. LXV. *Mechliniam.*

OTHONI HARTIO, *Conſiliario in ſupremo Senatu.*

CVRA quam meritò in tuos, & propriè in hunc noſtrum habeo, adegit me pauca ad te ſcribere, & quaſi (da veniam) aurem vellere negotio eius indormienti. De Italicâ peregrinatione loquor. quam ſi ille hoc anno ſuſcepturus eſt, quid tardas? Ecce æſtas abit, hiems in manibus: & viæ difficiles, imò clauſæ, ſi quid etiam protollis. Ipſe toto animo eò propendet: quid mirum eſt? Amat iuuentus peregrinari, & ſodalium exemplo etiam incitatur. Sed, quod caput, vtilitas eò vocat: & præſertim cùm locus ei ſit in contubernio Duodecimuiri illius, amici tui, vbi ſine magno impendio tuo agat. Obſecro, mi Harti, cogita, vigila, fores ei aperi (liceat ominari) ad dignitatem & honores. Roma multos beauit, & præſertim qui ſacræ vitæ, vt tuus, ſe dicarunt. Vale Vir Clariſſime cum Oudarto noſtro longùm. Louanij, X. Kal Octob. ∞. IↃC.

EPIST. LXVI. *Tornacum.*

NICOLAO MICAVLTIO *V. R.*

TANDEM à te aliquid, ego autem vel ipſum te exſpectabam. Sed inquiſiui, & diſco moram ibi longiorem requiri: in quâ etſi doleam, cur diſſuadeam? cùm ex vſu tuo ita ſit, & vitæ etiam genus, quod elegiſti, velit honeſtam illam ſedem. Age ergo, mane,

in

in diuinis oblectare, apud optimum illum virum, quem iudicio elegiſti, & magiſtrum. Quæ de notis N. N. ſcribis ad noſtram CRVCEM, vt liberè dicam, nulla earum placet, præter de formâ Furcæ. quam tamen & nos ante Theognidem natum, quod dicitur, nouimus: & videbis in poſterioribus editionibus aliquid nos mutaſſe. Quod ſupereſt, Criticam exercere non omnium eſt, nec ingenium aut doctrinam solùm ea res, ſed iudicium, id eſt animam Sapientiæ, quærit. In meis rebus, ſunt ſollennia. Valetudo tenuis, ſæpè prompta abiungere: ſtudia hunc & lucubratio in SENECA; ab Aulâ ſubſidia, quæ fuerunt. Nam cur mutent? Hiſtoriographi quidem titulo ea mihi data: ſed reipsâ velut penſatio aut præmium manſionis, cùm Itali, vt ſcis, maiora longè offerrent. Et animus aut ætas tunc non abhorrebant peregrinari. Sed tamen quod ad Hiſtorias, nec ab iis ſcribendis fugimus (leue nobis opus) ſi quædam antè peregerimus iam concepta: & tempora ſi campum aperient liberæ ſcriptioni. Blandiri, laudare, inſultare, non eſt meum, nec eorum quos melior Fama aut poſteritas amet. Desboiſium tuum ſemel vidi, iuuenem mitem, comem, & ingenio planè ad virtutem & pietatem facto. Deus illum, te, me ad iſta ducat, aut ſeruet. R. D. Decanum, quantum poteſt, ſalutare cupio, cui gratias pro beneficentiâ in Hub. Audeiantium meum & debeo, & ago. Louanij, VII. Kal. Octob. ∞. IↃC.

EPISTOLA LXVII.

GVILIELMO RICHARDOTO *ſuo* S. D.

LIBET nec libet ſcribere, vt rem dicam. illud, ob affectum, qui in te calet: iſtud, ob languorem, quem epulæ (ô Lipſio dignam cauſſam!) nobis gignunt. Per hos dies aut conuiuator ego, aut conuiua: & velut Penelopes aliquis ſponſus. At tu etiam Solem me facis, & tibi proponis, ad quem Aquila ſubuoles. De te, agnoſco: feris pulcherrimi amoris alâ ad lucem illam puram doctrinæ & ſapientiæ: at de me quid dicam? eſſe vt ipſam hanc Autumni auram, fuſcâ mente & nubilâ, atque vtinam melior ille ignis perrumpat! Sed docti hæc ferimus, & regno ſubiicimur, quod, vt poëta ille ait,

——*regibus imperat ipſis.*

De puero, quòd me conſulis; illud mihi, quod parenti tuo videbitur, videtur. Haud nego decorum fore: & veniat cum præſcripto fidei & modeſtiæ, quam debet adferre. Cetera coràm. Rubenius noſter ſalutat, cuius vberi & accuratæ epiſtolæ reſponſum debeo: ſed nunc debeo, nec nomen expungo. Louanij, III. Nonas Octob. ∞. IↃC.

EPIST. LXVIII. *Bruxellam.*

ANTONIO RICHARDOTO *ſuo* S. D.

CVM magnus hic amicus noſter adeſſet, dimittendus ſine ſcriptiunculâ ad vos non fuit. Simul & proſpera tibi vouenda, cum Ampliſſimo parente, iam in itineris (ita audimus) procinctu. I mi Antoni, & redi, & negotium tuum in publico iſto age: id eſt, obſerua, diſce, & vndique hauri quæ faciunt ad prudentiam & virtutem. Vtramque enim debes iungere, & vtilem te mox pluribus atque ipſi patriæ præſtare, ô quàm viris & auxiliis egenti! Si quos illîc amicos aut beniuolentes Gallos reperis, quæſo ſalutem & affectum à me quoque nunciato: nominatim, ſi Cancellarius ibi *Belleureus*, vir meritò Galliæ ſuæ Neſtor. Si & Præſes fortè Rhotomagenſis, *Grollartus*, iam olim ſupra meritum in me pronus. Mandata alia non habeo, niſi illa ſollennia & numquam obliteranda, Virtutem, Doctrinam, me ama. Louanij, V. Idus Mart. ∞. IↃC.

EPIST. LXIX. *Mediolanum.*

ERYCIO PVTEANO *ſuo.*

LAETVM mihi, lætum, te muneri huic publico admotum, in quo exſeri atque exerceri ingenium & induſtria tua poſſint. Fac, dum ætas & occaſio adſunt: & gradum hunc ſterne ad altius culmen. Neque enim, vt meum votum & præſagium eſt, hîc ſiſtes. De modeſtiâ quod polliceris, nimis gratum eſt: ego eam fulcrum omnium virtutum & vinclum habeo, quæ labuntur aut diffluunt, niſi eâ nixæ, niſi eâ nexæ. Ita te attolle ſemper ab humo, vt abſis à fumo. Sicut ille ab igne, oculos mordicat & inumbrat: ſic iſte ab ambitione, lumen omne mentis. Pinellum noſtrum in cœlis eſſe vt abeat, doleo magis quàm queror. Nónne ætas ei acta eſt, vt pulcherrimè ac per laudem acta? Vt in ſcænâ partes qui peregit, perſonam veſtemque ponit, & libens domum abit: ſic noſter hic animus, à temporario theatro in æthercam illam ſedem.

Ad quam, mi Puteane, quàm penè ego nunc nuper tranſlatus? Iuro hos oculos, digitum vix abfui ab iis claudendis. Defluxio acris in pectus incubuerat, ſebricula acceſſerat, tabes & μαρασμὸς minabantur aut aderant: tamen Deus in gradum me repoſuit, etſi nondum illum priſcum. Vires ægrè recipio, & ſum, vt ita dicam, medius ſanitatis & morbi. EPISTOLAS tuas editas libens videro: vos breuî CENTVRIAM noſtram tertiam, quæ ad Italos aut Hiſpanos eſt, aut ſiqui in iis locis. Saccum hîc noſtrum & te alibi agnoſces. Saluere illum iubeo, ſemper huic animo incluſum: item CLL. VV. Quinctium & Septalium, quos vel quia te amant amo. Louanij, XII. Kal. Decembr. ∞.IↃC.

EPIST. LXX. *Leodicum.*

IACOBO CARONDELETO *V.R. & N.*

DELECTARVNT me amicæ tuæ litteræ, & refecerunt in ipſo morbo iacentem. Quattuor enim ſeptimanas is me tenuerat, & abire iam videbatur, ſed lento & plumbeo pede, & halitus eius etiamnunc afflabat. Sed reuerà tua ſcriptio recreauit. & ſicut nauris vel eminus conſpecta Pharus lucem & ſolatium adfert: ſic nobis afflictis etiam abſentium amicorum affectus. Redij quidem ad docendi meum munus, ſed ad lucubrandi aut ſcribendi nondum poſſum: & SENECA meus vnà mecum iacet. Sine vigore, imò ſine calore, nihil ego fecero, quod fama aut æuum probent. Sed Deus, quod ex re erit, dabit: cuius voluntati certum mihi meam ſubiungere, & vocantem ſine murmure comitari. Sed hæc priuata. publica noſtra quietem & penè frigus habent, vides. A pace tamen longinqui ſumus, & adeò actio de eâ non eſt, vt vix ſpes, imò ſermo. In Allobrogibus res calent: Montiſ-miliani arx, ſitu & opere permunita, dedita nunciabatur, non ſine macula fidei in Præfecto. Quid hæc ad nos? inquies. Imò ad nos, ſi bellum ibi perſeuerat: & veremur vnà cum Ibero inuolui, à quo imperio abiuncti, non fœdere ſumus. At de Imperatore quod ſcribis, non ita κρύφιον, & iam ante dies octo nobis auditum. Etiam hoc triſte vnà, Caniſiam in poteſtatem hoſtium veniſſe. Si vtrumque verum, libeat exclamare:

* Πῶς τ' ἄρ' ἴοι τάδε ἔργα; τί ῥέξομεν ὦ φίλοι ἥρωες;

* *Qualia erunt hæc facta? quid aggrediemur, ô heroes?*

Nam in Germaniâ magni & decumani fluctus ſurgent: & quis componet? Diſtracti animi religionis cauſsâ: auerſi multi ab Auſtriacis: & niſi tamen ex iis caput imperio ſit; quis limitem tuebitur contra potentem illum hoſtem? Res intricatæ:

* —— χαλεπὸν δὲ θεοῖς αἰειγενέτῃσι δῆριν ἐρύξαι.

* *difficile omnia idem diis æque Consilia capere.*

Omitto igitur, te valere Vir Reuerende & Nobiliſſime opto. Louanij, VI. Kalend. xbris. ∞.IↃC.

EPIST. LXXI. *Romam.*

ANTONIO RICHARDOTO *ſuo* S.P.

SVAVE mihi fuit intellegere de aduentu tuo Romam, ſuaue: ſed & illud, quòd conſpecta iam ea placeat, & animo tuo vnà cum veneratione ingignat voluptatem. Quomodo non faciat? aut quis honeſti ingenij, vetera illa cogitatione recolat, & non locum ac veſtigia tot viris, tot virtutibus inſeſſa, miretur atque amet? Atque ea vtraque, ſi iudicio inquiris & eligis, etiamnunc ſunt; & reperies ex Europâ noſtrâ virorum primos, quos vel pietas, vel negotium, vel etiam voluptas eò traxit. Innoteſcere te iſtis, quibus potes, meum conſilium & votum ſit: atque iis peregrinis maximè, quorum conſuetudine aliarum regionum etiam mores atque ingenia condiſcas. In ipſâ Româ variè quaſi peregrinari & circumire te fas eſt, ab hoc meo monito: quia varij ibi hominum, & compendium Europæ iure dicas. Sed hæc ad te quid opus eſt? qui fratrem illîc habes in dignitate & prudentiâ, qui te, velut parens alter, diligit, dirigit & curat. De ſtatu noſtro, credo vos illîc, imò ſcio, omnia audire. etſi quid audiatis? quies & ceſſatio eſt, & minæ magis armorum, quàm arma. non ſic in Allobrogibus, vbi Gallo res ſuccedere nunciabatur. Multis importunum hoc bellum videtur, & quod duos magnos Reges iterùm fortaſſe inter ſe committet. Si fit, noſtræ res quo loco? & an non inuiti quoque in partes trahemur, & inuoluemur? Sed publica mitto: priuata aliquid mutarunt à tuo diſceſſu, & Oranum ac Baronium dimiſimus laureâ Iuris donatos. Illum alterum, puto, Romæ iam habes: alterum Gallia elicuit, & linguæ cauſsâ aliquamdiu tenebit. Cetera, quæ fuere: niſi quòd valetudo mea nuper inclinauit, grauiore morbo concuſſa, à quo etiamnunc titubat & tremit. Te, mi Antoni, valere opto, virtute & prudentiâ creſcere in parentis

tis tui gaudium & tuum bonum. Louanij, v. Kal. xbres. ∞. IↃC.
Ampliſſimo Domino Legato, fratri tuo officia & ſalutem à me velim deferri.

EPIST. LXXII. *Leodicum.*

IOANNI ORANO, *Preſbytero Soc. Ieſu.*

ALVMNVM noſtrum fines Italiæ attigiſſe & hibernas Alpes ſine noxâ tranſiſſe, volupe mihi auditu eſt. Amo cum ſeriò, & quod adhæret, etiam curo. Scripſi ante biduum ad illum, & pro illo ad Card. Baronium: id eſt, vt aditum ad eum habeat, & magno illi viro innoteſcat. Deus reliqua vota mea audiat, & per veſtigia patrui ad Honoris templum, ſed per illud Virtutis, ducat. Te illic in quiete & ſubductione eſſe, equidem gaudeo, & gratulor dicam an inuideo? O beatum vitæ ſtatum, qui hîc interna gaudia præſtat, & poſteà ſpondet æterna! At nos iactamur, & publicè ac priuatim circumſtrepunt turbæ. Has minuere & lenire conſilio licet: in illis, quid niſi tolerare ſupereſt? Et piget tangere quæ fiunt, non fiunt: præter ſpem multorum, etiam prudentum, qui ſub optimis Principibus (tales ſunt) deſtinabant ſibi optimum ſtatum. Sed Deus eſt, qui hæc occulto ſuo decreto temperat, neque abnuit fortaſſe, ſed differt. De Caniſiâ, quam in Pannoniâ turpiter amiſimus, grande præſidium Germaniæ, credo vos audiſſe & doluiſſe. De ipſo Imperatore & eius ſanitate, fama occulta non bona. O Deus adiuua, & miſerante oculo adſpice labentem hanc Europam! Idem te Reuerende P. ſeruet, & mihi veterem & purum tuum affectum. Louanij, poſtrid. Kal. xbris. ∞. IↃC.

EPIST. LXXIII. *Veſuntionem.*

CLAVDIO CABEITIO I^te^.

NON nego gratam huic animo eſſe ſatis frequentem tuam ſcriptionem. Vnde enim ea niſi ab amore? qui ipſe etiam gratus, quia cauſſæ eius laudabiles & honeſtæ, ſtudium ſcilicet virtutis & honeſti: quod corâm in te ſemper notaui, & nunc perſeuerare aut creſcere potiùs, ex litteris tuis diſco. Perge verò mi Cabeiti, nec huic rei vocem meam aut doctrinam deſidera; cùm ipſe ant à te, aut ab aliis, abundè quidquid eò facit, haurire poſſis. A quibus autem aliis? fidis illis vetriſque doctoribus, id eſt mortuis: quorum libros, ſodes, lege, relege, & in iis præcepta & monita ad omnem prudentiam, atque etiam conſtantiam, quam animo tuo ire te quæſitum nunc ſcribis. Turbæ enim, inquis, circumſtant aut imminent, & nimbus aliquis à tempeſtate, quæ in Allobrogibus ſæuire cœpit: & credo metum aut vaticinium tuum (niſi Deus tamen illa ſerenat) non vanum eſſe. imò amplius credo, etiam nos remotiores illâ nube inuoluendos, niſi idem ille Deus amouet & diſpellit. O Reges, ô Principes! cur arma in alium hoſtem feliciùs non vertitis, communem illum Chriſtiano orbi? qui nunc per interna noſtra diſſidia creſcit, & in Germaniæ limite firmiter pedem ponit. Nam de Caniſiâ amiſsâ credo vos audiſſe, & aditu ſcilicet patefacto in Stiriam, Carinthiam, & finitimas regiones. Triſtia ſunt, & magis quæ exſpectantur: quid ſolatij? quod Sapientia ſuppeditat, ad quam vnam te mitto, & ſupremam hanc eius legem, Externa ſpernere, ſola illa animi æſtimare. Hæc æterna, illa fugacia: hæc ama igitur & amplectere, & me vnà, mi Cabeiti, tui peramantem. Louanij, xv. Kalend. Ianuar. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXIV. *Bruxellam.*

GVILIELMO RICHARDOTO *ſuo.*

IN hoc certè ſenſu non aberras. & corâm mihi gratus ſuauiſque es, & abſentis tui ſcriptio, quæ velut imaginem tui exhibet ac ſiſtit. Sicut ſolem qui iucundum habemus, etiam cereum noctu aut candelam: ſic in amicitiâ, cùm præſertim cauſſa aliqua ſubduxit, grata eſt ſcriptio, quæ vicem eius refert. Facilè autem de cauſsâ euocationis tuæ ſuſpicabar. quæ tui ornandi & augendi eſt: & nos gratulamur; & Ampliſſimo parenti tuo, quas gratias dignas dices, pro te tuâ ſic amplitet auctâ? Quamquam ille gratias ſummas vnaſque habet, ſi ipſe in te ornando virtutibus litterisque pergis: quod ſedulò te feciſſe vſque ádhuc, debeo adſtipulari. Imò ardorem tuum in hac re & vidi ſæpè, & laudaui: quia nihil nimium hîc poteſt, & valet illud πυθαγορειῶδες,

* —— ἄκρον λάβε, καὶ μέσον ἕξεις. * *medium vt teneas, cape ſummum.*

Idem ille ardor te breuî ad nos aget, puto & cupio: & exſpectant te epulæ noſtræ, id eſt, paſtus illi animorum. Veni, ſed priùs

* —— τὸ δή μοι κρήηνον ἐέλδωρ, * *deſideriũ iſtud perfice noſtrum.*

vt cum Homero dicam: & has litteras in

Sequanos tuos ferendas certo alicui homini committe. Vides cui inſcribantur. & is iam ſæpiculè ad me ſcripſit, & affectum & gratitudinem calidè expreſſit. De publicis, pauca tu & dubia: nos hic certiora, de Allobrogicis quidem rebus, quæ Gallo fluunt valdè ſecundæ. Arx Montiſ-miliani dedita eſt XVI. Kal. Decembres, & conditiones habemus expreſſas: quid expreſſas? etiam impreſſas (liceat cum vulgo loqui) Lutetiæ. idq; cum veniâ vel auctoritate Senatus. Vtinam pax excipiat hæc turbida, & nobis metuenda, ſi perſeuerant. Tu me & honeſta amare. Louanij, XIV. Kal. Ian. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXV. *Mechliniam.*

I. BERNARTIO *ſuo*, S. D.

VOTA tua vti animo ſignaſti, ita eodem accepi: & Deum precor, vti ea & ſolui velit, iterumque ſignari. Valetudo quidem nunc paullùm ſurrexit. nam iacebat, & infra humum adeò mittere minabatur: niſi potens ille & beneficus Deus reſpexiſſet, & ſalutari manu erexiſſet. Itaque ſolita munia, id eſt ſtudia litteraria, me habent: imò ipſæ litteræ, quas ſparſas colligo, & paullatim editioni apto. Italicæ & Hiſpanicæ iam lucem intra duas treſve ſeptimanas videbunt: & ego plauſum an ſibilum, quo publicè excipientur. Vt ille aut hic erit, pergam, reſiſtam: etſi animus trahit ad Gallicas & Belgicas, quas item concinnaui, & vt ſic dicam, corporaui. Sed heus mi optime Bernarti, an ſæculum eò vocat? Nam certè

——ciuilia paſſim
Bella tonant, trepidumque quatit diſcordia mundum.

Niſi quòd Sapientia tamen firmat, & nauim hanc noſtram, inter medios fluctus, rationis illâ anchorâ ſiſtit. Cuius beneficio clamem:

Expers curarum, atque animum virtute quietâ
Compoſitus, ſemperque meus.

quò eodem te voco. Quid tu Boëtium illum, verum Sapientiæ myſtem, tenebris damnes: cùm eius maximè nunc vſus, & ignes iſti paſſim accendendi ſint, ad trepidos vel naufragos dirigendos? Hoc facito, & quod facis ne omittito: vt capax tua mens eſt, vtriſq; curis ſufficis, & in fructum huius atque illius æui. Ita valetudo tibi faueat: ita

——Troïca vincas
Sæcula, & Euboïci tranſſcēdas pulueris annos.

Louanij, V. Idus Ianuar. anni ∞. IↃCI. Tuam ſaluto, tuos amplector: & vtrumque Oudarto noſtro.

EPIST. LXXVI. *Dolam.*

ANTONIO BESANCENOTO S. D.

LIBENS epiſtolam tuam vidi, & in eâ animum ſic erga nos affectum. Iuuat habuiſſe in diſciplinâ gratos & memores, & qui in ſeriis artibus ita promouerunt, vt patriæ, amicis, ſibi, vſui decorique eſſe poſſint: & vos (nam & fratrem includo) futuros non dubito, ſi faſtigium & culmen imponitis ædificio iam pænè extructo. Quò equidem hortor & impello, & delectatus ingeniis veſtris ſemper, delectandus & honore ac commodis, quæ vos manent. Quod ad publica, nuſquam hercules læta aut ex voto ſunt. nam de nobis quid dicam?

——vicina pericula ſurgunt
Vndique, & impoſitæ radiant ceruicibus enſes.

Bataui & Britanni obdurant, & ad nomen omne Pacis aures animoſque claudunt: imò palàm noua arma & noua fœdera parant. Nam & Mauretaniæ regem, qui legatum in Britanniâ habuit, aiunt trahi in partes. At Gallia magis prudentes mouet aut turbat. Diſiungitur ille Rex? quæ ſalus nobis vndique ſic cinctis? Et ne diſiungatur, magnus iuſtuſque metus eſt, ſi bellum hoc Allobrogicum vires ſumit & perdurat. Sanè vos vicini, &, quod caput eſt, ſoli: niſi ſpes in Heluetico fœdere ſuſtentat, quod Galli haud temerè ibunt violatum. Sed quid iſta? abite triſtia, ſpem lætam toto ſinu admitto & excipio, & nuncios qui iamnunc nos adflant de Allobrogicâ pace. Pontificem valdè niti, id certum eſt: vt perficiat, non Belgicæ ſolùm noſtræ, ſed Europæ ergô, Deum veneror & rogo. Barbarus in iſtâ pedem valdè promouet, niſi fœdere & viribus iungantur Chriſtiani. Fiat, fiat, & mecum vouete, & tu fraterque ſaluete. Louanij, XVI. Kal. Febr. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXVII. *Romam.*

FRANCISCO ORANO *ſuo.*

BENE eſt, te meas accepiſſe: optimè, te valere, & vt video, in Româ tibi non diſplicere. Ego iamnunc binas tuas: ſanè gratas, non mentior, & audire te iuuat (quem animo huic indui) cùm te non poſſum. Conſtitui etiam paullatim à te rem fami-

familiarem & diſponi, approbo: & eâ ſi te honeſtè tolerare potes, (vt puto poſſe) non equidem auctor ſim in vincula te des, etiamſi purpurea, imò aurea, parentur. Tibi viue, Deo, & ſtudiis; ac Fortunam auguramur non deforc, Oranis in eâ regione amicam. At tua regio, id eſt, Ebutones, vereor vt diu ſit in tranquillo: & nubes cogi, & turbines inflare incipiunt, etſi occultiùs. ſed plebem tuam noſti, & quæ ſemel mota ægrè ſedeat, & accipiat frænum. Neſcio quid cum vicinis Gallis quidam clàm paciſcantur aut machinentur: ſperamus impedirum aut diſſipatum iri, & Princeps ipſe aduentat. Non nobis, non vobis expediat (præſertim vobis Claſſicis) ſi quid infimates iſti turbellarum cieant, paratis aliis longiùs ducere, & catenam aliquam nectere malorum. At Deus auertet. ſicut audimus nimbos illos Allobrogicos iam poſuiſſe, & optatam pacem omnia ſerenaſſe. Et hercules eâ opus in Chriſtianâ republicâ, niſi conſultò eam barbaris proditum imus; qui in Germaniæ limite mirum quantum inualeſcunt. Scimus & adſiduè audimus curam in hac procuratione ſummi noſtri capitis: quod Deus ſeruet fœderi alicui inter Reges ſanciendo, ipſi gloriam perpetuam, nobis bonum. Sed ad priuata. Antonium noſtrum ibi eſſe, gaudeo: & potes honeſtè ac iucundè eo frui. De altero, qui omnia magna iactat, quid dicam neſcio, niſi ingenium non demutaſſe: quod vtinam ſemel firmiter liget & occupet in certo genere vitæ. Te inter eos eſſe nolim,

Quos tulit ad ſcænam ventoſo gloria curru:

firma & ſolida appete, idque virtute & doctrinâ ducibus, quò tui te vocant. Vel patruum cogita & æmulare, nauis tua eſt in portu. Vale mi Otane, & in Occaſione (nam otio nolo dicere) ad nos ſcribe, atque etiam publica, quorum illîc eſt ſeges. Delectari nos ſcis, quamquam quies habet.

Et ſecretum iter & fallentis ſemita vitæ.

Louanij, XI. Kal. Febr. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXVIII. *Brugas.*

LVCAE WYNGAERDO, V. N. S. D.

QVOD Audeiantius meus, de voluntate meâ & ſtudio promiſit, in te quam petebas: id ex animi mei interioris ſenſu fecit. quem fortiter affirmo ita etiam in functum & beatum noſtrum Busbequium propendere, vt nihil ſit quod mea copia poſſit, quin vltrò velim honori ſiue memoriæ eius delatum. Oblitus ego ſim fidi illius in me affectus? oblitus prudentiæ, virtutis, & quæ hæc condiebat, doctrinæ? Non fuit; non erit: amo, ſuſpicio, in pectore & ſæpè in ore gero virum, quem inter æui noſtri primos vero elogio eſt prædicare. Itaque & faciam libens, quod petis: & tibi heredi amici noſtri amicitiam etiam vltrò defero, & voco in conſortium iuris, quod cum illo ſanctum mihi fuit. Si voles, iamnunc

——— collato pectore mixtos

Iungat inabruptâ Concordia longa catenâ.

Fiat atque ita ſalue. Louanij, prid. Kalend. Febr. ∞.IↃCI.

Carmen adiunxi in noſtrum amicum, ſed breue, leue, & vno verbo ſubitum. Neſcio an aliquid Audeiantius meus, quem à probitate & ingenij dotibus commendo, Brugis veſtris non indecorem futurum.

IN AVGERI GISLENI BVSBEQVI TRISTEM MORTEM, ET SITVM.

AVGERIVS *iſtic eſt ſitus* BVSBEQVIVS,
Quis ille? quem virtutis & prudentiæ,
Habuêre carum, gratiâ, ipſi Cæſares.
Hunc aula eorum vidit, aula & extera
Aſiæ Tyranni. quæ viri felicitas!
Probauit hæc, & illa. in omni tempore,
In munere omni, Neſtorem ſe prabuit
Linguâ atque mente. Iam quies eum ſibi
Et patria hæc ſpondebat: ecce ſuſtulit
Viam per ipſam miles incertum, an latro.
Sed ſuſtulit, ſimulquè ſidus Belgicæ,
Quod nunc choreas fulget inter aſtricas.

I. LIPSIVS magno amico exiguum monumentum P.

EPIST. LXXIX. *Bruxellam.*

FERDINANDO DE SALINAS, *à conſiliis arcanis, & maritimis.*

IN dono miſſo ego donum à te accepi, tam amicam epiſtolam, tam benignam interpretationem, & mei meorumque æſtimationem. Quæ ab affectu grata habeo, & admitto: à re & à iudicio equidem teiicio, qui probè ſcio non me, non mea tanti eſſe. Sed incitamenta hæc magis ſint, quàm teſtimonia: & certè grata, à tali viro, à tali animo profecta. De republicâ noſtrâ, quis tecum nõ dolet, & inſtantes etiam nimbos videt? valdè augendos, ſi pax illa Gallica

Sequanos tuos ferendas certo alicui homini committe. Vides cui inſcribantur. & is iam ſæpiculè ad me ſcripſit, & affectum & gratitudinem calidè expreſſit. De publicis, pauca tu & dubia: nos hîc certiora, de Allobrogicis quidem rebus, quæ Gallo fluunt valdè ſecundæ. Arx Monuſ-miliani dedita eſt XVI. Kal. Decembres, & conditiones habemus expreſſas: quid expreſſas? etiam impreſſas (liceat cum vulgo loqui) Lutetiæ. idq; cum veniâ vel auctoritate Senatus. Vtinam pax excipiat hæc turbida, & nobis metuenda, ſi perſeuerant. Tu me & honeſta amare. Louanij, XIV. Kal. Ian. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXV. *Mechliniam.*

I. BERNARTIO *ſuo*, S. D.

VOTA tua vti animo ſignaſti, ita eodem accepi: & Deum precor, vt ea & ſolui velit, iterumque ſignari. Valetudo quidem nunc paullùm ſurrexit. nam iacebat, & infra humum adeò mittere minabatur: niſi potens ille & beneficus Deus reſpexiſſet, & ſalutari manu erexiſſet. Itaque ſolita munia, id eſt ſtudia litteraria, me habent: imò ipſæ litteræ, quas ſparſas colligo, & paullatim editioni apto. Italicæ & Hiſpanicæ iam lucem intra duas treſve ſeptimanas videbunt: & ego plauſum an ſibilum, quo publicè excipientur. Vt ille aut hic erit, pergam, reſiſtam: etſi animus trahit ad Gallicas & Belgicas, quas item concinnaui, & vt ſic dicam, corporaui. Sed heus mi optime Bernarti, an ſæculum eò vocat? Nam certè

—— ciuilia paſſim
Bella tonant, trepidumque quatit diſcordia mundum.

Niſi quòd Sapientia tamen firmat, & nauim hanc noſtram, inter medios fluctus, rationis illâ anchorâ ſiſtit. Cuius beneficio clamem:

Expers curarum, atque animum virtute quietâ
Compoſitus, ſemperque meus.

quò eodem te voco. Quid tu Boëtium illum, verum Sapientiæ myſtem, tenebris damnes: cùm eius maximè nunc vſus, & ignes iſti paſſim accendendi ſint, ad trepidos vel naufragos dirigendos? Hoc facito, & quod facis ne omittito: vt capax tua mens eſt, vtriſq; curis ſufficis, & in fructum huius atque illius æui. Ita valetudo tibi faueat: ita

—— Troïca vincas
Secula, & Euboïci tranſſcēdas pulueris annos.

Louanij, V. Idus Ianuar. anni ∞. IↃCI. Tuam ſaluto, tuos amplector: & vtrumque Oudarto noſtro.

EPIST. LXXVI. *Dolam.*

ANTONIO BESANCENOTO S. D.

LIBENS epiſtolam tuam vidi, & in eâ animum ſic erga nos affectum. Iuuat habuiſſe in diſciplinâ gratos & memores, & qui in ſeriis artibus ita promouerunt, vt patriæ, amicis, ſibi, vſui decorique eſſe poſſint: & vos (nam & fratrem includo) futuros non dubito, ſi faſtigium & culmen imponitis ædificio iam penè extructo. Quò equidem hortor & impello, & delectatus ingeniis veſtris ſemper, delectandus & honore ac commodis, quæ vos manent. Quod ad publica, nuſquam hercules læta aut ex voto ſunt. nam de nobis quid dicam?

—— vicina pericula ſurgunt
Vndique, & impoſitis radiant ceruicibus enſes.

Batauì & Britanni obdurant, & ad nomen omne Pacis aures animoſque claudunt: imò palàm noua arma & noua fœdera parant. Nam & Mauretaniæ regem, qui legatum in Britanniâ habuit, aiunt trahi in partes. At Gallia magis prudentes mouet aut turbat. Diſiungitur ille Rex? quæ ſalus nobis vndique ſic cinctis? Et ne diſiungatur, magnus iuſtuſque metus eſt, ſi bellum hoc Allobrogicum vires ſumit & perdurat. Sanè vos vicini, &, quod caput eſt, ſoli: niſi ſpes in Heluetico fœdere ſuſtentat, quod Galli haud temerè ibunt violatum. Sed quid iſta? abite triſtia, ſpem lætam toto ſinu admitto & excipio, & nuncios qui iamnunc nos adflant de Allobrogicâ pace. Pontificem valdè niti, id certum eſt: vt perficiat, non Belgicæ ſolùm noſtræ, ſed Europæ ergô, Deum veneror & rogo. Barbarus in iſtâ pedem valdè promouet, niſi fœdere & viribus iunguntur Chriſtiani. Fiat, fiat, & mecum vouete, & tu fraterque ſaluete. Louanij, XVI. Kal. Febr. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXVII. *Romam.*

FRANCISCO ORANO *ſuo.*

BENE eſt, te meas accepiſſe: optimè, te valere, & vt video, in Româ tibi non diſplicere. Ego iamnunc binas tuas: ſanè gratas, non mentior, & audire te iuuat (quem animo huic indui) cùm te non poſſum. Conſtitui etiam paullatim à te rem fami-

familiarem & diſponi, approbo: & eâ ſi te honeſtè tolerare potes, (vt puto poſſe) non equidem auctor ſim in vincula te des, etiamſi purpurea, imò aurea, parentur. Tibi viue, Deo, & ſtudiis; ac Fortunam augutamur non defore, Oranis in eâ regione amicam. At tua regio, id eſt, Eburones, vereor vt diu ſit in tranquillo: & nubes cogi, & turbines inflare incipiunt, etſi occultiùs. ſed plebem tuam noſti, & quæ ſemel mota ægrè ſedeat, & accipiat frænum. Neſcio quid cum vicinis Gallis quidam clàm paciſcantur aut machinentur: ſperamus impeditum aut diſſipatum iri, & Princeps ipſe aduentat. Non nobis, non vobis expediat (præſertim vobis Claſſicis) ſi quid infimates iſti turbellarum cieant, paratis aliis longiùs ducere, & catenam aliquam nectere malorum. At Deus auertet. ſicut audimus nimbos illos Allobrogicos iam poſuiſſe, & optatam pacem omnia ſerenaſſe. Et hercules eâ opus in Chriſtianâ republicâ, niſi conſultò eam barbaris proditum imus, qui in Germaniæ limite mirum quantum inualeſcunt. Scimus & adſiduè audimus curam in hac procuratione ſummi noſtri capitis: quod Deus ſeruet fœderi alicui inter Reges ſanciendo, ipſi gloriam perpetuam, nobis bonum. Sed ad priuata. Antonium noſtrum ibi eſſe, gaudeo: & potes honeſtè ac iucundè eo frui. De altero, qui omnia magna iactat, quid dicam neſcio, niſi ingenium non demutaſſe: quod vtinam ſemel firmiter liget & occupet in certo genere vitæ. Te inter eos eſſe nolim;

Quos tulit ad ſcænam ventoſo gloria curru:

firma & ſolida appete, idque virtute & doctrinâ ducibus, quò tui te vocant. Vel patruum cogita & æmulare, nauis tua eſt in portu. Vale mi Orane, & in Occaſione (nam otio nolo dicere) ad nos ſcribe, atque etiam publica, quorum illîc eſt ſeges. Delectari nos ſcis, quamquam quies habet.

Et ſecretum iter & fallentis ſemita vitæ.

Louanij, XI. Kal. Febr. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXVIII. *Brugas.*

LVCAE WYNGAERDO, V. N. S. D.

QVOD Audeiantius meus, de voluntate meâ & ſtudio promiſit, in re quam petebas: id ex animi mei interioris ſenſu fecit. quem fortiter affirmo ita etiam in functum & beatum noſtrum Busbequium propendere, vt nihil ſit quod mea copia poſſit, quin vltrò velim honori ſiue memoriæ eius delatum. Oblitus ego ſim fidi illius in me affectus? oblitus prudentiæ, virtutis, & quæ hæc condiebat, doctrinæ? Non fuit; non erit: amo, ſuſpicio, in pectore & ſæpè in ore gero virum, quem inter æui noſtri primos vero elogio eſt prædicare. Itaque & faciam libens, quod petis: & tibi heredi amici noſtri amicitiam etiam vltrò defero, & voco in conſortium iuris, quod cum illo ſanctum mihi fuit. Si voles, iamnunc

—— collato pectore mixtos

Iungat inabruptâ Concordia longa catenâ.

Fiat atque ita ſalue. Louanij, prid. Kalend. Febr. ∞.IↃCI.

Carmen adiunxi in noſtrum amicum, ſed breue, leue, & vno verbo ſubitum. Neſcio an aliquid Audeiantius meus, quem à probitate & ingenij dotibus commendo, Brugis veſtris non indecorem futurum.

IN
AVGERI GISLENI BVSBEQVI
TRISTEM MORTEM, ET SITVM.

AVGERIVS *iſtic eſt ſitus* BVSBEQVIVS,
Quis ille? quem virtutis & prudentiæ,
Habuêre carum, gratiâ, ipſi Cæſares.
Hunc aula eorum vidit, aula & extera
Aſiæ Tyranni. quæ virifelicitas!
Probauit hæc, & illa. in omni tempore,
In munere omni, Neſtorem ſe præbuit
Linguâ atque mente. Iam quies eum ſibi
Et patria hæc ſpondebat: ecce ſuſtulit
Viam per ipſam miles incertum, an latro.
Sed ſuſtulit, ſimulque ſidus Belgicæ,
Quod nunc choreas fulget inter aſtricas.

I. LIPSIVS magno amico exiguum monumentum P.

EPIST. LXXIX. *Bruxellam.*

FERDINANDO DE SALINAS,
à conſiliis arcanis, & maritimis.

IN dono miſſo ego donum à te accepi, tam amicam epiſtolam, tam benignam interpretationem, & mei meorumque æſtimationem. Quæ ab affectu grata habeo, & admitto: à re & à iudicio equidem reiicio, qui probè ſcio non me, non mea tanti eſſe. Sed incitamenta hæc magis ſint, quàm teſtimonia: & certè grata, à tali viro, à tali animo profecta. De republicâ noſtrâ, quis tecum nō dolet, & inſtantes etiam nimbos videt? valdè augendos, ſi pax illa Gallica non

non coit, & bellum in Allobrogibus perſeuerat. Regem enim Hiſpaniæ miſceri, aut miſcendum, omnis ratio poſtulat: & ſi illum, vereor vt nos, qui ita ſeiuncti ſumus, vt tamen ab eo deuincti pendeamus. Sicut maiori naui cymba ſua adhæret & ſequitur, ſic dixerim hîc eſſe. Enimuerò in conſilia aut actiones Principum non temerè me immitto aut penetro: ſed tamen an pro re Chriſtianâ, an pro tempore præſenti, & certè ſtatu noſtræ Belgicæ ſit, grande illud bellum ſuſcipi, prudentes controuertunt. Quantumuis potentem regem pluribus ſimul inuolui & diſtrahi, non è re videatur, neque exemplo Principum, qui conſultè & feliciter imperarunt. Sed quid hæc ego? apud me maneo,

——nec æternis minorem
Conſiliis animum fatigo.

Reuerà enim hæc à ſupremo rege & fato ſunt: iure nobis non æquo, & aſſidua magnaque hæc viria

Iuſtificam à nobis mentem auertêre Deorum.

Te valere, Vir nobilis & Clariſſime ex animo opto. Louanij, III. Idus Mart. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXX. *Mechliniam.*

NICOLAO OVDARTO V.R.S.D.

SILVI equidem ad tuas vltimas: ſed nec rei multum erat, & occupatio aut & languor me habebat, ab his cibis, qui vires aut ſpiritus corpuſculo non addunt. Rogabas de Nummis tuis. quos vidit & ordine luſtrauit Nicolaus Rokoxius, vir vt morum, ſic artium veterum; ſed negabat electum aut rarum aliquid eſſe. Idem ego cenſeo, & gratos tamen habeo, quia ab illo Oudarto, qui non hæc ſed animum, ſcio, ipſum mihi donet. Momus ille olim in fabricâ humani corporis requirebat, feneſtras non eſſe quîs interiora pectoris luſtrarentur: in te nec illeipſe deſideret, ſi candidum illud tuum probumque norit, & oris, vultus, animi conſenſum. Sed hoc de Nummis: de EPISTOLIS Belgicis vrges, & vereris ne (vt tuis verbis vtar) Lethæis tandem aquis mergam. Non hercules faciam, & legi vel amicorum cauſsâ ac viuere cupio: ſed meâ etiam cauſsâ adhuc premi. Sunt mihi aſpectus vel metus certi, quos haud facilè etiam pello: ſi inclinatio aliqua aut ῥοπὴ rerum ſit, decîdam. Imò & ſi ea non ſit, & ſpe meliorum ſemel ſublatâ, mappam iis mittam. Annæus noſter iamdiu iacuit, reprehendam, & illi quoque faciam lucem. O quando ea patriæ noſtræ!

Non ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros:

canit Lyricus: & nos ergo ſerenum aliquando, ex rerum lege, ſperemus. Deus donet, & te mi Oudarte ſeruet. Louanij, VIII. Kalend. April. ∞.IↃCI.

EPISTOLA LXXXI.

FRANCISCO MONTMORENCIO, *Berſeij Toparchæ.*

VERSVS tuos cœpi legere, id eſt, mella & fauos guſtare. Non mentior. ſuauia omnia ſed cum punctiunculis, ſine affectatione polita, ſine ſcabritie antiqua. In quibuſdam inuenio aliena eſt, ſed quam facilitate ita tuam facis, vt ſurripere vel ipſis poſſis, nec auſint vindicare. Si auſint, iudex aliquis captus contra eos donet. Ego pro gemmeis iſtis vitrea mea mitto, EPISTOLAS, quas amicorum neſcio an conſultus fauor edi expreſſit. Sed factum eſt. tu donantis ſaltem animum, ſi non donum, ama: & vt aliis, non illo me vinces. In Muſæo noſtro, à meridie ſcripſi.

EPIST. LXXXII. *Traiectum.*

MAXIMILIANO SESTICHIO *Canonico* S. D.

ET donum tuum gratum habui, & litteras gratiſſimas: quæ vtraque amorem tuum, iſtæ & gratitudinem miram referebant. Gratularis tibi, & gratias agis, pro manuductione & doctrinâ, quam hauſiſti: & maximè in Sapientiæ ſtudiis, quæ æſtimas, amas, & amplecteris, vt ſic dicam, vtraque manu. O ſuaue mihi lectu, te ſic affici! Atque vt ille Darius, aperto malo Punico, granisque vbertim effuſis, totidem ſibi Zopyros optabat: ſic ego mihi diſcipulos, eâ mente, & eâ curâ. Amœniora ſtudia tractare & præire me, fateor: ſed Numen teſtor, eo fine, vt via ad ſapientiam & medicinam illam animorum ſint: non vt occupentur ibi ingenia & adhæreſcant. Itaque in ipſis lectionibus hæc talia aut miſceo; aut ex profeſſo etiam tracto, vt in Senecâ noſtro, te audiente, factum. Quem virum amare te ita ſuadeam, vt ipſam Sapientiam: quia reuerà ille

——iudice me pulcherrimus auctor
Naturæ rerùmque.

Acer

Acer in ſcriptis; & verba in animo, non à ſummis labris profundit; ſtimuli & ſubiti ictus ſententiarum, quibus qui non excitetur, non inter frigidos, ſed mortuos, à me habeatur. Enimuerò alta illa & Prouidentiam, item viriorum odium, & rerum externarum contemptum, nemo magis infuderit: nemo, inquam, ex omni gente aut æuo, cuius ſcripta quidem exſtent. Itaque moliebar illum correctum & leuiter illuſtratum hominibus noſtris dare: ſed reſiſto aut reuocor; cùm æuum video magis magisque turbidum, & talibus non dicam auerſum, ſed inimicum. Heu Belgica! non res & opes tuæ ſolùm, ſed mores & artes labant aut ruunt. Ferendum eſt, philoſophandum eſt: quò te, etſi incitatum, voce & corde, mi Seſtichi, voco. Louanij, Kal. Aprilib. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXXIII. *Bruxellam.*

NICOLAO DE WEERDT, *I^{to} & cognato.*

VIDI quæ cum Fabro noſtro egiſti, & ſimul ab eo qui litteras tulit, intellexi. Gratiam tibi debeo & pro operâ, & pro ſucceſſu. Nam ego eouſque rem deductam gaudeo, cùm ius Hannonicum nobis in hâc parte non faueat: & villâ venditâ aut alienatâ, actio in perſonam periiſſet, per ſententiam parta. Itaque tranſactio vtilis: & præſertim iſta, in quâ, etiam re certâ, aliquis acquieſcat. Ergo approbo acta, & hortor vt finem ac firmamentum imponas: id eſt, CCC. illos accipias, anno tamen excepto vectigalis, quod nunc cedit. De quo ipſo paciſci tibi permitto, vt ſemel & vniuerſè finiamus. Paratam pecuniam exiſtimo, & tu eam recipe: quod hîc etiam actori aut adiutori eius dixi. De horto quod iniicis, vt rem ſuauem & delectabilem: ita ſanè fuit, ſed fuit. Nam nunc, ô funera, quæ hiems iſta dedit! Clades Cannenſis eſt, vt ſic dicam, in meo horto: flores proſtrati, occiſi, & vix tertia pars ſupereſt copiarum. Quid tamen? etiam amico aliquid ſupereſt interiori, & tibi. Veni, me & illos vide: vxorem & liberos adducito. quod te ſub hoc feſtum Paſchatis valdè rogo. Feriæ tibi erunt: atque eas apud me potiſſimùm viurpa. Domus mea nunc laxior, & pars eorum abiit, qui ſtipabant. Vale Cl^{me} D. Cognate, cum vxore cariſſimâ, quam animitùs ſaluto. Louanij, III. Idus April. ∞. IↃCI.

EPISTOLA LXXXIV.

IOANNI RICHARDOTO, *Præſidi* S. D.

VIX legi litteras tuas (ô humanè & benignè ſcriptas!) & calamum ſumpſi, atque huic chartæ impreſſi, & ſimul meam mentem. Etſi quid opus erat? clarè & verè ſcripſeram, me eam rem facere arbitrij tui. Enimuerò, Deum teſtor, adeò grauis tuus non eſt, vt gratus iucundusque ſit, iſtâ indole, probitate, comitate; quibus non dicam me tantùm, ſed & vxorem cepit; ita vt eum carum eximiè habuerit atque habeat inter omnes. Hæc res eſt: & ſiquis Deus mihi tales in contubernio ſemper ſpondeat, ſemper admittam & habeam, cum meâ voluptate, cum aliorum fructu. At hodie quàm multi alij? & ideò mihi mens alia, & poſt horum diſceſſionem (non enim dimiſſionem) certum mihi ad quietem & ſolitudinem redire: nec prece vel auctoritate aliò flecti. Sed de tuo tamen quod ſubmonueram, id ipſius cauſsâ, non meâ, factum. Ecce Vir Ampliſſime, ætatem habet, apud me annos paullò minùs quinque egit, in ſtudiis optimam viam feliciter iam ingreſſus: quid ſupereſt, niſi vt te volente alia etiam loca hominesque leuiter videat, vſum aliquem & peritiam hauriat, tum redeat, maneat, te oblectet? Cogitabam & de Antonio tuo-meo (patere me ſic loqui) qui iam quod ſatis ſit Italiam fortaſſe luſtrauit: & an non illo reuocato, hunc vicarium dare, ex vſu vtriuſque eſſet. Nepotes quidem & florentem familiam habes, ſed adhuc è ſexu altero, & qui nomen tuum ad poſteros non propagat: noſtrum illum cum pari ſuo iungi, paullatim ad res admoueri, non dicam conſilium, ſed eſt meum votum. Habes liberè (ita imperabas) interioris mei animi ſenſum: quem vt æterno nexu tibi tuiſque deuinctum cenſeas, Ampliſſime & Nobiliſſime Domine rogo. Louanij, IX. Kalend. Maias. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXXV. *Romam,*

IOANNI HEMELARIO *ſuo* S. D.

IACES mi Hemelari, non oportet. Dij boni, tale ingenium? vtinam te ſine ſuperbiâ nôris! Sed erigere, & fiduciam à virtute ſume. Quantò alij altiores, qui non digni tecum. ſed deſino: me audi, & mo-

deſtiam ita ama (caput virtutum) vt ad *μικροθυμίαν* illam, & ſui contemptum non deſcendas. In ſæculo iſto multi fumi, multi fuci interueniunt: non fugabunt bonas vtileſque apes. operas tuas exerce; & in aluearibus mella conde. Vbi illa ſapientiæ præcepta, alta, ſed ô vera?

Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent.

te vultus adductior, aut ſublimior, te faſtus aut faſtidium alicuius contubernalis? Omitte nugas, & totum hoc viuere ſpinas & aculeos ſuos habere ſcito: ſed iis maximè, qui velut vltrò ingerunt ſe & opponunt. Quędam non videnda, non audienda ſunt: & ſi ſunt, tranſmittenda vt venti. & quid aliud ſermones ſunt? Numquam progredietur, qui timidè nimis explorat omnia & reſiſtit. Bonus animus & ſibi conſcius, ſummum bonum eſt: ſummum etiam gaudium eſt, ſi non patiare infuſcari aut deminui ab externis. Multis ſola impudentia, aut *ἀναισθησία* quædam & ſtupor, hoc dedit: & vides quàm illi ſe proferant, & quò aſcendant: tibi Sapientia non dabit, ſaltem ſtare & non deiici à vanis iſtis rerum? Obſecro te, tolle cum vultu, quem erectum Deus dedit, etiam animum: & ſimplicem virtutem ipſe ama, ſequere: ſed in aliis tolera mixtionem, & homines Choïcos etiam in ſacrâ illâ vrbe eſſe cenſe. Dic mihi ſeriò, ſiquid voles vltrà à me factum aut ſcriptum: fiet, & tuâ cauſsâ pænè vel vltra decoris limites eam. ita ſeriò te & acriter amo. Vale. Louanij, prid. Kalend. Maiias. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXXVI. *Leodicum.*

CAROLO BILLE'O *V. N. & Ampl^mo* S. D.

OFFICIVM ego feceram, id eſt libri mei munuſculum (verè tale) ad te miſeram: quid tu? ô benignitatem! beneficium rependis, & quidem duplex. Nam & amicâ ſcriptione me affaris, quæ animum recreet: & munus etiam adiungis, quod corpus paſcat. Debeo tibi, & libens debeo. nam in hoc certamine vinci à te fateor, & cupio: amorem tamen excipio. quem ego ita æquo pondere (an grauiore dicam, & verè dicam?) tibi repono, vt ipſa Æquitas ſi iudicet, ſententiam à me donet. Perſeuerabo. te rogo Ampliſſime & Nobiliſſime Domine, vt idem facias, non meriti mei, ſed conſtantiæ tuæ cauſsâ. Louanij, III. Nonas Maias. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXXVII. *Bruxellam.*

CAROLO BROOMANO S. D.

QVOD voluiſti, feci mi Broomane! & amici illius abſentis, & tuâ præſentis & prenſantis cauſsâ. Bonâ fide, vtere me ſicubi vſus erit: reperies pronum & affectum. Nam etſi familiaritas non iunxit, tamen iam inde à parentibus aliqua notitia (neque enim oblitus ſum:) & certè

—— ſimiles iunctaque Camenæ
Sunt nobis, multumq; pares bacchamur ad aras.

Quæ ipſa cauſſa Billiodum mihi conciliauit, in eleganti ingenio, elegantiarum veterum & artium amantem. Amo ipſas, amo eos qui ipſas: nec vt in profano amore abiungit bibere ex eodem riuo, ſed magis ſtringit. Ceterùm, quod ad ipſam rem, egi cum Patribus, & dilationem conceſſuri videntur: ægrè tamen longam, quia vnum illis hoc exemplar. Matura igitur, & fidem tuam meamque libera: ſed nos æternùm ea iungat. Louanij, VIII. Kal. Iun. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXXVIII. *Romam.*

ANTONIO RICHARDOTO *ſuo* S. D.

O METVM noſtrum, ô nunc gaudium! Bruxellam veneram, & à parente iſtud triſte audieram de tuo morbo. Numen teſtor, ſic me ſollicitum fuiſſe, vt ipſum. Romam enim noram, & quàm ancipites, ne dicam præcipites, ibi iſtæ febres. Itaque inquies mihi animus, & ſpe metuque ſuſpenſus: donec hunc mihi ademerunt tuæ litteræ, & quidem à tuâ manu, quibus nec dediſti nec dabis gratiores. Euge, conualeſce, & plena ſanitas tua plenum gaudium nobis donet. Ego in Neruios & illa loca, animi ac valetudinis cauſsâ iueram, & nunc ante biduum redij, valetudine quâ ſoleo, id eſt tenui, & quæ certò ad communem illam metam ducit. Quid mali erit? imò à malis auellemur, quorum ſeges ſuccreſcere in dies videtur, & ſub optimis Principibus patria non optimè habet: quod, etſi fortes & ſemi-Stoici, tamen dolere fatemur, & angi, an & indignari, promptis remediis quæ. ſed omitto, mearum, vt ſcis rerum, & publicarum amans magis, quàm curans. Neque mea ſanè hæc curatio eſt: te magis nunc cogito, & tuam valetudi-

tudinem, quam vt ex voto noſtro Deus tibi teſtitiat, calidè eum rogo. Mi Antoni, ſic eſto. Louanij, XI. Kal. Iul. ∞. IↃCI.
Legatum fratrem tuum ſaluto, & obſequia defero.

EPIST. LXXXIX. *Tornacum.*

DIONYSIO VILLERIO *Canonico & Cancellario.*

INVITVS ad te ſcribo mi amice. quid hoc eſt? quia ſcribo tantùm. Ita me affecerunt ſermones veſtri, conſuetudo, conuiuia, & ante omnia inaffectata illa comitas & candor, vt deſiderem eadem, & languor ac tædium mihi ſit carere. Sed nimirum

Non ſemper idem floribus eſt honos
Vernis, neque vno Luna rubens nitet
Vultu.

neque nos in ſuauitate illâ & diffuſione ſemper animorum. Reduxi & contraxi, & apud me maneo, in functione munerum, quæ Patria adſignauit. Intereà non poſſum, quin mente & deſiderio ſæpè ad te recurram, quem olim amaui, ſed nunc totum noui, & ſic mihi indui, vt Soſiæ Plautini verbo congeminaſſe nos dicam, & duos ex vno, imò in vno eſſe. Nihil blandior. nec Deus aut Genius mihi vmquam, niſi te quaſi me habeo atque amo. Satis, ſatis, de re libtariâ quod mandaueras, Corſelio & mihi curæ erit: atque ego ecce quædam eius generis ratiora ad te mitto, quæ vt donum à me (quid aio?) imò à te tibi habeas, cupio ſiue rogo. Iubeo pænè ſcripſeram: & hoc quoque licuiſſet. De Neruiis, nondum inquiſiui. ſcripta & exſignata quædam habeo: ſed diſtinebar, vt ſolet poſt abſentiam, & amici, litteræ, lectiones interpellabant. Aliàs fideliter & plenè fiet. De publicis, quod nunciem vix habeo, niſi in exſpectatione triſtium aut lætorum nos eſſe. Batani Berekam ad Rhenum obſident, flumine & Germanicis commerciis compotes futuri, ſi potiantur ipsâ. Præſidium intus validum eſt: ſed ego à circumuallatione metuo & operibus, quæ iſti ad Romanum morem & diſciplinam hodie ſtruunt. Noſtri Principes in Flandriam iuerunt, vt fama communis & veſtra etiam vota ſunt (ſcis quid dicam, & quàm è re veſtrâ ſit vrbem eam capi) ad Oſtendam expugnandam: vt occultior ſermo manat, ad inſulas hoſtium tentandas, tritemium nouarum aduentu. Actio pacis inſtituta cum Aſiatico hoſte: & comitia etiam futura ſuper electione noui Rom. regis. Sed quorſum iſta? aliunde audis: à me illud, amo te, me ama; valeo, vale. Louanij, III. Non. Iul. ∞. IↃCI.
Reuerendo Domino Decano in occaſione ſalutem & officium à me defer.

EPIST. XC. *Duacum.*

BARTHOLOMAEO PETRI LINTRENSI, *Doctori Theologo* S. D.

ITA me cepit humanitas & beniuolentia, quam vtramque vultu, verbis, factis in me prompſiſti, vt non conquieuerim, niſi & deuinctum hoc nomine faterer; imò & amicum vltrò tibi offetrem. Calidè à me fit, fateor: ſed & candidè, & quàm promptè offero, tam fideliter cultum à me iri amicitiam, Numine illo teſte promitto. Virtus tua mihi aliiſque nota eſt: & hanc etiam inuito te amabimus. patiaris vt te vnà, in quo domicilium illa legit. Voluiſſem equidem diutiùs & te, & vrbe veſtrâ, alterâ in Belgio Muſarum ſede, frui: ſed cupidini legem & occupatiunculæ noſtræ dabant, & munus quod ſuſtinemus: neque diutiùs abeſſe vtraque illa permittebant. Itaque frænum momordi, abij, in animo te geſtaui Reuerende & eximie Domine, nec temerè dimittam, donec illum ipſum emittam. Louanij, Non. Iul. ∞. IↃCI.
Collegij Regij Præfectum, virum, vno verbo, mihi carum, bonâ tuâ veniâ ſaluto. Libellum EPISTOLARVM mearum adiunxi, in quibus ſi non aliud, pietatis alibi aperta profeſſio te iuuabit.

EPIST. XCI. *Bruxellam.*

NICOLAO DE WEERDT, *I^{to} & cognato.*

MIRA hæc cæli obſtinatio, fatendum eſt: à quattuor amplius menſibus vix pluit, niſi ſiquid leuiter rotauit. Magni intereà æſtus, & ſiccitas inaudita. Hortulinoſtri quàm languent? quàm ego cum illis, cui hæc conſtitutio ſic aduerſa? Et tamen non nimis inſolens aut noua, etſi nobis ſic viſa. Lego in Liuio, anno Vrbis CCCXXII. *non cæleſtes modò defuiſſe aquas, ſed terram quoque ingenito humore egentem, vix ad perennes ſufficiſſe amnes. Defectus alibi aquarum circa torridos fontes riuoſque, ſtragem ſiti pecorum morientium dediſſe.* Iterùm anno DLXXII. *Siccitate & inopiâ frugum inſignis annus fuit. ſex menſes numquam pluiſſe memoriæ proditum eſt.* Sed hæc Lib. IV. Lib. XI.

hæc in alio cælo & ſolo: quid noſtro? Germanici Annales produnt, anno Chriſtiano ∞. CC. XXVIII. *tantum fuiſſe æſtum, vt meſſis terminata fuerit* (verbis eorum vtor) *ante feſtum S. Ioannis Baptiſtæ.* Iterùm biennio pòſt: *vt per Iulium & Auguſtum menſes oua in ſabulo coquerētur.* Et anno ∞. CC. LXVIII. *Non pluit duodecim ſeptimanis, fuitq́ue æſtus maximus.* Anno ∞. CCC. III. *Annus calidus fuit admodum, ſine pluuiâ. molis aquæ deficiebant. Botri maturi in vigiliâ S. Joannis in Alſatiâ videbantur.* Simile in anno ∞. CCC. LI. Itaque non hæc adeò noua: ſicut nec frigus quidem, quod immodicum nos iam biennio preſſit. In Liuio ſcriptum: *Inſignis annus hieme gelidâ ac niuosâ fuit: adeò vt viæ clauſæ, Tiberis innauigabilis fuerit.* Quod de Tiberi ſanè in illo cælo perraram eſt: ſed quid de ipſo mari ibidem adſtricto & clauſo? Annales produnt: *Anno ∞. CC. XXXIV. hiemem aſperrimam fuiſſe, adeò vt in* mediterraneo mari inſtitores Venetiani, cum oneratis ſummariis, per glaciem tranſirent: quæ videlicet hiems non paruam, per totam Jtaliam, in vineis, iumentis, & oliuetis intulit cladem.* Simile Zonaras, ſub Conſtantino Copronymo, in mari Pontico, & freto vicino: *Sæuiſſima hiems fuit, adeò vt non fluuij ſolùm prorſus congelaſcerent, ſed ipſum mare ad multa ſtadia, & anguſtias item freti, quo ex vrbe Chryſopolim traiicitur. Niue deinde in glaciem deciduâ, atque ipsâ etiam congelante, homines fretum pedibus tranſibant, atque ipſa etiam ſagmaria iumenta, & boues onuſta plauſtra trahentes. Hoc & in aliis maribus tunc accidiſſe fertur.* Addit ſubinde: *Hanc hiemem æſtus ſecutus eſt ingens, vt & fluuij perennes areſcerent, & fontes penitus deficerent.* Nec diu pòſt, altera, hiems ſecuta, quam Marianus Schottus in Caroli Magni imperium (id eſt, annis aliquot poſt Copronymum) refert: *Anno,* inquit, XXXII. *regni Caroli, fuit gelu magnum & amariſſimum, quo pelagus Ponti vſque ad centum milliaria, in Oriente, in glaciem verſum eſt, habens cubitos à ſuperficie in profundum quinquaginta.* In noſtris deinde partibus, Ludouico Caroli filio imperāte, *anno* DCCCXXI. *hiems in tantum prolixa* (verba Annalium) *& aſpera fuit, vt non ſolùm minores riui ac mediocres fluuij, verùm maximi amnes, Rhenus videlicet, Danubius, Albisq́ue, ac Sequana, ceteraq́ue per Galliam atque Germaniam flumina, adeò ſolidâ glacie ſtringerentur, vt triginta, vel eo ampliùs, diebus, plauſtra huc atque illuc, velut pontibus iuncta, ſuſtinerent.* At verò anno ∞. LXXVI. Schafnaburgenſis prodidit: *Vim hiemis tantam adeoq́ue ingem fuiſſe, vt* à feſtiuitate S. Martini, Rhenus fluuius; penè vſque ad Kal. Apriles pedeſtri itinere tranſmeabilis maneret.* Et interdum intempeſtiuum hoc frigus. ſicut anno ∞. LXIII. (in Hermanno Contracto) *tempore veris, medio menſe Aprili, per quattuor dies hiems ſæua, ventoſa & niuoſa, aues & pecora frigore exſtinxit, arborum & vinearum maximam partem perdidit.* Et anno ∞. CXXV. (Robertus de Monte) *Hiems tam valida, vt in* Brachbanto anguillæ innumerabiles, propter glaciem è paludibus, quod mirum dictu eſt, exeuntes, in fœnilibus fugientes latuerint, atque ibi præ nimietate frigoris computruerint. Vix tandem arbores floruerunt Maio menſe.* Voluit dictum, *fronduerunt.* Sed quorſum ego iſta? vt opinio illa nouitatis eximatur, quæ malè in omni dolore aut querelâ blanditur. Numquam tale, nemini tantùm. nugæ, & plebeij ſermones: quos Hiſtoriæ refutent, & feriò lectæ hunc quoque Conſtantiæ fructum in animo gignant. Faciamus mi Cognate, & corpore atque animo ſalueamus. Louanij, Poſtrid. Kal. Sextil. ∞. IϽCI.

Lib. v.

* Vult dicere, Adriatico.

* Nouembri menſe.

* Brabantiâ noſtrâ.

EPIST. XCII. *Valentiam.*

HENRICO D'OVLTREMANNO
Senatori S. D.

ERGO tandem à te litteræ, mi d'Oultremanne? Animus apud me dudum innotuit, fateor; & quia innotuit, ſe innexuit: cur autem ſcripto non coïuimus amicitiæ veræ pactum, quod callidiras, vis, ipſa mortaliras non abrumpat? Cupiens eius fui, & nunc te ſtipulante teſtipulor, & per quidquid ſacrum eſt firmo. Fui equidem haud longulè à vobis nuper, & animus eò ferebat vel tui cauſâ: pedes reſtiterunt, & vorſoriam domum ceperunt, quò res vocabant. Alioquin non ſum ille hominum, imò nec conuiuiorum, fugitans,

Nec frons triſte rigens, nimiuſque in moribus horror,
Sed ſimplex bilariſq; fides, & mixta pudori
Gratia.

vt me verbis alienis tibi, ſed liberè & verè deſcribam. Neruij hoc vobis dicent, apud quos benignè & comiter excepti fuimus atque egimus, nec magis apud Phæacas Vlyſſes. O Villerium illîc mihi amicum! & plures alios: atq; inter primos Coretum, illum à tirocinio ſtudiorum familiarem. Magis

nunc

nunc amo, quia & te video: & benè ille, qui de amico meo ſermone ſuper te (nam ita fuit) nunciauit. Vtinam Viuianus vobis ſuperſtes! alter funis erat, qui me traheret: ſed vel tu impetrandi validus, & ſi viuo, regionem veſtram aliquando, non ex negotio, ſed affectu petam, & quem nunc animo, corpore amplectar. Vos cælites damnate me huius voti. Louanij, IX. Kalend. Sextil. ∞. IↃCI.

EPIST. XCIII. *Valentianas.*

PETRO CARLERIO, *Preſb. Soc. Ieſu.*

OPIDVM veſtrum, Collegium, & te videre in iſto tempore mihi non fuit: etſi voluiſſe fateor, & pænè decreuiſſe. Sed Nerviorum beniuolentià intereeſſit, & dies veſtros ſuos fecit: adeò, vt nec Duacum niſi curſim viderim, & illinc properè domum properauerim, pænè dicam,

Ocior ceruis & agente nimbos
Ocior aurâ.

Ita familia, ſtudia, res meæ reuocabant: quibus parui, & tibi tamen in animo iſto gratias ſcripſi, pro amicâ illâ exſpectatione. Patri verò Manaræo quid iam olim debeam, ſcio: qui nunc quidem omnem ſinum, vt ſic dicam, beniuolentiæ ſuæ effudit, & per collegia illa veſtra ſparſit. Nam & conſimiles litteras Tornaeum & Duacum ſcripſerat. cui ego vota, non gratias (quî poſſim?) reddo: & Deum precor vt talem virum Eccleſiæ & Societati veſtræ ſeruet, qui reuerà

——Troïca dignus
Secula, & Euboïci tranſſcēdere pulueris annos.

Vale Reuerende Pater. Louanij, IX. Kalend. Sext. ∞. IↃCI.

EPIST. XCIV. *In caſtra ad Oſtendam.*

IOANNI RICHARDOTO, *Præſidi.*

REFVGEREM ad te ſcribere inter bellicos ſtrepitus & tonitrua, quæ hucuſque (mirum, ſed verum) audiuntur: niſi filij tui res eſſet, quam nuntiarem. Sicut autem Hector, apud Homerum, vel galeam ipſam poſuit, & filium patuum eſt oſculatus: ſic tu paullíſper te dabis, & audies de illo, quod delectabit. Reſpondit publicè de Iure ante triduum, vno verbo, OPTIME: nec vltrà iam teneo. vt vos ita rem illîc geratis, æternum Numen precor. Louanij, VI. Kalend. Sextil. ∞. IↃCI.

EPIST. XCV. *Brugas.*

IO. CLEMENTI XANDRINO, I^to^ *& Canonico* S. D.

DEBEO tibi, mi Xandrine, debeo, qui tam promptè & vltrò ſignificaſti quæ ibi geſta. In exſpectatione ſanè ſumus: & quis non bonus? quia famam & dignitatem Principum, ſalutem etiam Flandriæ, verti in obſidione eâ arbitramur. Benè, quòd adhuc proſperâ: & meliora, atque adeò ipſum finem magni incepti, te augurante breuî exſpectamus. Non negamus rem arduam eſſe, ſed tanto plus famæ, atque etiam fructus, in confectâ. Heri triſtiores nuncij (neſcio an certi) nos percuſſerunt de Berckâ deditâ. Aiunt cuniculis partem murorum dirutam: & compoſitione demum noſtros egreſſos, honeſtè & ſub ſignis, ſed egreſſos. Triſte eſt, diluite & temperate nuncio illinc lætiori. Sed heus, in tuâ priuatâ re quid ita ſiles? operâ mea ſi vſui eſſe poteſt, togo, vtere: & interſeriò tui amantes me cenſe. Louanij, prid. Non. Sextil. ∞. IↃCI.

EPISTOLA XCVI.

PETRO SCRIVERIO.

TVAS accepi, ſanè gratas, vbi? Antuerpiæ, cùm eò me animi, atque etiam negotioli cauſsâ, contuliſſem. Quid autem excuſas ſcriptionem? caram à talibus habeo, vti ipſos vos caros. Noſti me vel ex ſcriptis vel ex famâ, & in vtriſque indolem factam benignitati, imò comitati. Itaque communica & adi, numquam repellendus, niſi cum ipsâ Virtute & Doctrinâ: quod non fiet, neque me *ita circumtonet*, vt cum poëtâ dicam, *gaudens Bellona cruentis*. Senecæ locum, diu ambiguum, firmas hercules notâ tuâ & illuſtras. Fac in aliis, ſi quid habes: & ſcito nomini tuo inſcribendum. Pergere animus eſt in optimo ſcriptore, etſi valetudine an faſtidio ſepoſitum menſes plures habui: ſed recipiam & conſummabo, ſi Deus mihi viuere dat & valere. vtrumque intimo meo voto tibi, ô Scriueri. Antuerpiæ, in Plantinianâ domo, VI. Idus Septembr. ∞. IↃCI.

EPIST.

EPIST. XCVII. *Brugas.*

GVIL. RICHARDOTO, & PHILIPPO RVBENIO, *ſuis.*

ABITIS, imò abiſtis, & Vale illud, etſi mæſtis, dicendum tamen fuit. O quando iterùm Salue? Eritne vt videam, & viuam? Voueo,

Et non antè mihi claudantur lumina morte,

quàm ego vos brachiis iſtis claudam & aſtringam.

Quorum ego manantes oculos & ſaucia vidi
Pectora:

nec meis quidem illis ſiccis, aut hoc illæſo. Sed ite & redite felices, Italiam videte, ingenium polite, iudicium ſormate: aut potiùs (rem dicam) quod formaſtis ſeruate. Nam ego, cum Attio,

Probis probatos potiùs, quàm multis velim.

Noſtis æuum, vanitatem, luxum, delicias, ineptias:

——non ita Romuli
Præſcriptum, & intonſi Catonis:

neque hercules meum, vt tot annos audiſtis. Sed heus, tu Rubeni, nubem illam doloris circumfuſam Carmen tuum * λυπο-σβετήειον nonnihil diſpulit, ô dij boni, bonum. Palpo non te percutio, ſed cum Syracuſio,

* Indiſceſſu

Πλῆρές τοι μέλιτος τὸ καλὸν στόμα:

* Os plenū tu mellis habes.

ô os Gratiarum & Muſarum! Vulgari poteſt, ſiue à te ſiue à me, ſed vulgari. Viſne vt ego per Moretum? prompriùs ſecero, niſi ſint laudes meæ, & quidem ſuperfluentes. Sed vale mi amice,

—— τὴν ἐγὼ περὶ πάντων τῖον ἑταίρων
Ἶσον ἐμῇ κεφαλῇ:

& caput hoc ipſum tango. Teſtimonium hîc habes, fidei ſimul & amoris plenum. Louanij, XV. Kal. Octob. ∞. IↃCI.

TESTIMONIVM.

OMNIS ORDO, QVISQVIS HAEC LEGES,

Ex fide & vero ſcies ſcripta. PHILIPPVM RVBENIVM, *domo Antuerpiâ, annos P. M. quattuor in familiâ & contubernio meo egiſſe, menſæ participem, ſermonis, & diſciplinæ. Probitatem à naturâ & modeſtiam attuliſſe, item ſemina aliqua doctrinæ, quæ vnmane quantum in ſpatio illo breui auxit: Latinâ & Græcâ litteraturâ promptus, vtrauis oratione ſiue ſcriptione diſertus, ſolutâ & nexâ. Hiſtorias & antiquitatem addidit, & quidquid boni, bonitate & celeritate ingenij hauſit, iudicio direxit. Adeò ſupra rem nihil aſtruo, vt pro re non dicam. vis fidem? experire, & ſub modeſtiæ illo velo, ſed paullatim, retege quæ dixi & quæ non dixi. O vos, quibus Virtus & Honos cara, carum hunc habete, producite, applaudite: ita vtraque illa vos reſpiciant, & hunc Fortuna, quæ pro meritis nondum riſit. Scripſi & ſignaui*

IVSTVS LIPSIVS, Profeſſor & Hiſtoriographus Regius.

Louanij, XV. *Kal. Octob.* ∞. IↃC.

EPIST. XCVIII. *Leodicum.*

CAROLO BILLE'O, *V. N. & Ampl*^mo^.

SCRIPTIO mea, præter gratulationem, vix aliud habet. Sed ore cùm id non poſſim, affectus adigit ſtilo facere, & tecum & cum tuis gaudere, tuis te redditum, imò pænè dicam tibi te redditum ex longinquâ ſatis peregrinatione eſſe. Etſi enim eiuſmodi laborum gnarus & vetus es, tamen in hac ætate quies, ſcio, allubeſcit, & tacitum gaudium infunditur,

Cùm mens onus reponit, & peregrino
Labore feſſi venimus larem noſtrum.

Hoc igitur animò gratulor, illo intimo, & qui fucum & fraudem non habet. Significo & in occaſione, primores veſtros ſacri ordinis hîc fuiſſe, domum emiſſe, ſanequàm opportuno loco ſitam, quæ Collegio aptari poſſit in vſum & gloriam illius gentis. Fauere te talibus inceptis ſcio, qui poſteritatem etiam cogitas, & curas tuas non viui æuo impendis. Cum Deo hoc commune habent magnæ animæ: qui vt te Nobiliſſime & Ampliſſime Domine, ſuæ & Principum gloriæ, & publico vſui ſeruet, meum & bonorum eſt votum. Louanij, XIII. Kalend. Octob. ∞. IↃCI.

EPIST. XCIX. *Mechliniam.*

NICOLAO OVDARTO *ſuo.*

SEMPER mihi inſonas de Chronico, nunc iterùm magnâ voce. Sed bonâ fide, vires & otia mea noſti? illas valetudo & fregit & adſiduè frangit: hæc eripiunt mihi non ſollennes ſolùm occupationes, ſed nouæ, quæ vt fluctus in plenilunio, augeſcunt. Deum & cælites omnes teſtor, prouerbio olim ſed veriuerbio in me dici, *Vix otium ſæpè ad aures ſcalpendas eſſe.* Ita viri interturbat, ita adoleſcentes, ita fœminæ: ita indigenæ,

aut

aut exteri. & horum cottidianus ferè aduentus. Dic ſodes, quando lectioni aut ſtilo ſit locus? Veſpere, inquies. Vacuum ferè id tempus, fateor: ſed quid ſi illud quoque conuiuiola eripiunt ſæpè, & in ſollenni aliquo & honorario actu, cui ægrè me ſubduco? Eſto, non fiat: quid oculis meis faciam, qui iam feſſi obtenebrant ad adſcititium lumen? Rem tibi dico. ego ille olim Lynceus, aut vt fabulam omittam, viſu ſerpens, defeci, & pro ætheteis illis oculis ad vitreos confugi. Hi negant lucubrare. Et tamen animus eſt obſequi, & vſus etiam publicus, quod benè ingeris, eò vocat. Ergo poſt SENECAM videbo, & adnitar: vel ſepoſitis *Monitis & Exemplis Politicis*, ſi tamen ita vobis (nam & Hartium iungo) videtur. De SENECA autem, quòd ſuades etiam Philoſophum me agere, quid cenſes? Differere me & diffundi? abnuo, & non ſit ex more veterum interpretum, quos mihi certum ſequi, ſpreto nouitio hoc & ambitioſo, qui inoleuit. Philoſopher ego coram illo Philoſophorum apice, imò in illo? Indecorum mi Oudarte, imò inutile. ille vnus actor ſit & emineat, nos excipiamus & velut ſecundas agamus. Deus mihi numquam benè aut votiuè faciat, niſi cùm illa erecta, incitata, ætherea lego, cadit mihi ſtilus & manus, & nugas cenſeo totum hoc quod molimur. Ah, qui ſenſus illi, & quæ dictio etiam eſt? quantum animi habet, quantum inſerit? quantum etiam caloris? Me quidem incitatum ſemper dimittit, & plenum ingenris fiduciæ. Videor mihi ille eſſe, aut certè futurus, qui

Celſior exſurgit pluuiis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & cæca tonitrua calcat.

Itaque nullum opus libentiùs commentari aggreſſus ſum, nullum ægriùs aut maiore non dicam labore (falſum ſit) ſed faſtidio peregi. Langueo, & tædeo, cùm mea video, cùm illa video: & vnâ te excuſor atque excitor, ſi nihil tale conet. Interpretem agam, ſed purum & ſimplicem: & ne te vltrà teneam, qualem in Plinij Panegyrico egi. Pompam non habet hoc genus: mihi etede, habet vſum. & quid alios motor? longo æuo & exercitio eò veni, vt iudicia non accipere ſolùm poſſim, ſed dare. Cum fiduciâ dicam, Aut bonum illud genus eſt, aut nemo veterum quod bonum eſt vidit.

Non mihi ſi cunctos Helicon indulgeat amnes,
Et ſuperet Pimplea ſitim:

guttulam vnam in illa aliena aut longiuqua effundam. Pede preſſo illum ſequar, explicabo: cum fructu publico magis, quàm meâ gloriâ. & hoc ſi non præſens, alterum æuum dicet. Vale mi Oudarte, & de inſcriptione (oblitus eram) quod ſuggeris, cogitabo: & iamnunc illabitur, etſi nondum ſedet. Diſputabo mecum, & diſpungam. Louanij, v. Idus Octobris, ∞. IƆCI.

Hartio alteri noſtro ſalutem.

EPIST. C. *Mechlinium.*

IANO BERNARTIO *Cognato.*

CVM abiſſes à nolente ac dolente, neſcio an tu vtrumque, & ſatis ſi alterum; ſed cùm abiſſes, ruminatus ſum ſermonem noſtrum de *Coronis*: imò & ſcrinia ac ſcripta mea inſpexi. Non ſolet mihi (ſine faſtu aut faſcino dixerim) vſque adhuc mentiri memoria: & videbar certò de *Aureis* illis, non tantùm laureis, aut ex quercu aliâve fronde aut herbâ, legiſſe. Neque neſcio aut nego ſollennes & frequentes has fuiſſe: ſed illas addo, & Romæ in commiſſionibus aio vſurpatas. Audi Suetonium, in Veſpaſiani cap. XIX. *Apollinari Tragœdo quadringena; Terpio Diodoroque citharœdis, ducena; nonnullis centena; quibus minimum, quadragena ſeſtertia, ſuper plurimas Coronas aureas, dedit.* Explicandus ita Plutarchus in Catone Vticenſi. Τῷ, inquit, Φαωνίῳ κατασταθέντος ἀγορανόμου, τά τε ἄλλα τῆς ἀρχῆς ἐπεμελεῖτο καὶ τὰς θέας διεῖπεν ἐν τῷ θεάτρῳ, διδοὺς καὶ τοῖς θυμελικοῖς στεφάνους οὐ χρυσοῦς, ἀλλ' ὥσπερ ἐν Ὀλυμπίᾳ, κοτίνων: *Fauonio Ædile facto, cùm alia magiſtratus eius curauit, tum etiam ludos in theatro obiuit, dans Thymelicis ſiue ſcænicis non aureas coronas, ſed vt Olympiæ ſolet, ex oleaſtro.* Nam hoc notat ex parcimoniâ & modeſtiâ à Catone factum, quòd ſpreuerit morem receptum de coronis aureis, dederitque viliores Græcanico ritu. Plinius & ipſum morem, & originem eius ingerit, lib. XXI. capite III. *Craſſus Diues primus argento auroque folia imitatus, ludis ſuis coronas dedit.* Nota quòd etiam ex argento. atque hinc lucem pete Ælio Lampridio in Alexandro: *Scænicis numquam aurum, numquam argentum, vix pecuniam donauit.* Nónne pecunia ex auro vel argento? ita: ſed dictum intellectumque voluit, non dediſſe coronas ex auro vel argento. Nota ampliùs, quod Plinius ait, *folia imitatus.* Ergo coronæ erant, velut ex oleaſtro, lauru, aut quercu: formâ, inquam,

illâ foliorum, ſed tamen ex auro effictâ. Martialem ſic interpretor, ludentem in Phialam tenuem & minimi ponderis, quam ab amico acceperat, lib. VIII. Epigram. XXXVII.

De Prætoricia folium mihi Paulle coronâ
Mittis, & hoc phialæ nomen habere iubes.

Detraxiſti, inquit, folium de coronâ, quam Prætores dare ſoliti per ludos, & hoc appellas *Phialam*. Nec enim maximi ſanè pretij iſtæ coronæ. non, non. ſufficiebant leues & ludicræ ludionibus iſtis: imò fortaſſe & falſæ. Non verum, inquam, ſemper in iis aurum, ſed ſpecioſum. Iſidorus: *Coronarium æs, ex ductili ære tenuatur in laminas, taurorumque felle tinctum ſpeciem auri in coronis hiſtrionum præbet.* Tranſſcripta è Plinio, qui totidem ferè verbis libro XXXIV. cap. VIII. *Coronarium tenuatur in laminas, taurorumque felle tinctum, ſpeciem auri in coronis hiſtrionum præbet.* Etſi profectò aliter hoc, & veriùs, interpretêre. non de Coronis quæ datæ præmij vice, poſt actionem: ſed quæ inter agendum capiti impoſitæ. puta cùm regem aut perſonam ſuſtinerent, quæ coronata eſſet. Itaque magis eſt, ex vero auro plurimùm illas donaticas fuiſſe. Ad hoc genos referes Varonis iſtud, lib. IV. de L.L. *Corollarium, vocabulum factum à corollis, quòd hæ cùm placuerunt actores in ſcenâ dari ſolitæ.* Item Arnobij, libro IV. *Exoletis & irriſoribus numinum dona inſtituuntur, & munera, ab officiis otium publicis, immunitas & vacatio cum coronis.* & hoc è lapide priſco:

M. VLPIVS. AVG. LIB. APOLAVSTVS
MAXIMVS. PANTOMIMORVM
CORONATVS. ADVERSVS. HISTRIONES
ET. OMNES. SCAENICOS
ARTIFICES. XII.

Lego & in Vopiſci Numeriano: *Verſu autem talis fuiſſe prædicatur, vt omnes poëtas ſui temporis vicerit. Nam & cum Olympio Nemeſiano contēdit, qui omnibus colonis illuſtratus emicuit.* Ac velim ſcribi: *omnibus coronis.* Sed hæc poſtrema fateor & ad tuas vulgatasq; Coronas poſſe duci: priora tamen liquida & certa mihi viſa quæſo, vt tibi ſemper meus amor. Louanij, III. Idus Octob. ∞. IↃCI.

IVSTI LIPSI
EPISTOLARVM
SELECTARVM
CENTVRIA TERTIA
AD BELGAS.

AD CONSVLES ET SENATVM P. Q. ANTVERPIENSEM.

SIQVA vrbium in orbe terrarum (audacter ſic loquar) affectus meos poſſidet, eam ANTVERPIAM eſſe, Ampliſſimi SENATORES, ex animi mei ſententiâ poſſum profiteri. Multa me in eâ capiunt: Homines, Locus, Genius ipſe loci. Homines quidem, quos quis non honeſti boniq; appetens, tales amet? Sunt Mercuriales apud vos, fateor: ſed iidem virtutis, prudentiæ, quidam & ſapientiæ candidati aut myſtæ. Et vniuersè ſi inſpicimus, grauitas vbiq; & modeſtia, ſed & comitas quædam adiuncta & decens alacritas animorum. Parcimonia eſt, ſed cum elegantiâ; pecuniæ ſtudium, ſed ſine detrimento melioris ſtudij, id eſt artium & virtutis. Non blandiendo hoc dicam: multi apud vos magni boniq́ue, non ob opes, ſed merita, appellandi. Iam ipſe Locus quis? ad flumen pulcherrimum, pulcherrima planicies: & in hac iuxta illud pulcherrima vrbium, quas Europa, Africa, Aſia videt. Iactemus nos Belgæ. ſtructurâ, ordine, ſymmetriâ, mœnibus, ædificiis, viis, vniuersâ elegantiâ, non eſt quæ noſtrâ iſtam ſuperet, imò æquet. Scio ſingula ſi ſpectentur, quaſdam excedere: ſed omnia corporis, vt ſic dicam, membra iunctim qui exploret, ſuffragium iudicio meo dabit. At ipſe Genius loci, quàm potens, felix, & altioris quidam claſſis ordiniſq; eſt? Conſideremus, ab annis circiter centum, è quali quanta vrbs veſtra facta fuerit: mirabile erit, incredibile erit, niſi iis qui oculis ſenſibuſq́ue ſunt arbitrati. Deus bone, ſurgere in hanc frequentiam, ſplendorem, opes, cõmercia, vnum aliquem locum, & ſubitò verticem pænè cælo inferre? Factum eſt: & hoc quoque laudi veſtræ acceſſerit, in eam magnitudinem veniſſe, quæ etſi vera, fidem veritatis vix mereatur. Sed hîc mihi ſuſpirium. heu, hæc tanta & talia, quo malo fato collapſa ſunt? decor ille, & flos omnis quomodo exaruit? Agnoſcite, vt in mari, fluxum hunc Fortunæ & refluxum: & quàm verè poëta: Lucretius.

Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur.

Prouidentiæ occulta iſta lex eſt: attollit, deiicit, iterumq́ue attollit: & vobis (vera ominor) fiet. Intereà animos erigite vos inclytæ vrbis SENATORES, præite exemplo ad robur & CONSTANTIAM ciuibus; illam, quam ante annos ſeptemdecim velut præſagus vates ad vos miſi. Eguiſtis, & egetis: omnia etiamnunc preſſa, mare & portus clauſi, ædificia dominos, homines atque ipſa iumenta opus ſuſpirant. Et tamen vt formoſa corpora etiam in morbo veſtigia decoris ſui retinent: ſic vos priſtini ſplendoris. Confidite autem. deliquium aliquod velut Solis eſt, non interitus: exſurgetis. Ita me credere, firma veſtra in Deum pietas, in Principes obſequium cogit: ille & iſte aderunt, & Genius inprimis veſter, potens & perpetua TVTELA. Habetis cauſſas mei in vos affectus: accipite & ſignum, EPISTOLAS iſtas, quas nomini veſtro inſcriptas nunc emitto. Leue munus, ſed vobis debitum: quia & nomina pleraque veſtra, S[E]NATORES, aut & ciuium intercurrunt. Videbitis, ſi tanti eſt legere: nec vrgeo. illud valdè, vt me qualem oſtendi, erga vos vrbemq́ue veſtram eſſe, atque ætatem fore, ſeriò credatis. Louanii, v. Kal. Mart. ∞.IↃ[illegible].

INDEX
EPISTOLARVM SELECTARVM
CENTVRIÆ III. AD BELGAS.

ABRAHAMO *Ortelio* xij, xvj, xlj.
Ægidio Schondoncho Sacerd. Societ. Ieſu xlvij, lix, lxxix.
Aluaro Nonio, Doct. Med. iij.
Andreæ Schotto Soc. Ieſu xxxvij, l, liij, lx, lxx, lxxxv.
Antonio Vacquerio ſuo xcvij.
Arnoldo Cordeſio lxj.
Auberto Miræo, Canonico xlix, xciij.

B

Balduino Bucquio, Canonico c.
Balthaſari Moreto ſuo xxiiij, xxvj, lxviij, lxxij.
Balthaſari Robiano, Senatori xxv, lxxvj, xciiij.

C

Carolo Cluſio xlij.
Carolo Houio lxij, lxxxviij.
*Carolo Lafaillio I^to^* lxxxvj.
ad Contubernales lvj.
Cornelio Kiliano xxix.

D

Dionyſio Villerio lxxxvij.

E

Engelberto Maſio, Senatori lxxv.

F

Franciſco Aerſſenio vj, xxxviij.
Franciſco Buſſereto, Epiſcopo lv.
Franciſco Houio ſuo xxxvj, xcviij.
Franciſco Svveertio vij, xl, lxxiij.
F. Franciſco Villerio lvij, lxxvij.

G

*Gerardo Buytevvechio I^to^* lxv.
Gerardo Sandelino xxij, xxxiij.
Godefrido Vereyckio, Doct. Med. xliij.
Guilielmo Crispio Secundo xvij.

H

Henrico Halmalio V. N. xxxv.
Henrico Schottio I^to^ & Syndico xliiij.
*Henrico Vvveno I^to^* xiij, xxviij, xlviij, lviij, lxix, lxxxiiij.
Hieronymo de Francia, Præpoſito xxxix.
Hieronymo Rouelasko xx.
Hugonæo Grotio lxiiij.

I

Iac. Carondeleto V.N. & R. xxxj, lxxx, xcvj
Iacobo Colio Orteliano lxxj.
Iano Douſa filio ij.
Iano VVouerio ſuo xxvij.
Ignatio Baſſeliers, Sacerd. Soc. Ieſu xcij.
Ioanni Baptiſtæ Perezio Baronio ſuo lj, lxiij, lxvj, xcv.
*Ioanni Bernartio I^to^* ix.
Ioanni Bochio, Sen. à Secretis x.
Ioanni Brantio, Graphiario viij, xix, lxxxij.
Ioanni Chokiero liij.
Ioanni Liminæo, Canonico xj.
Ioanni Moreto, Typographo xlv, xcix.

L

Leuino Torrentio Epiſcopo xvij.
Lamberto Vander-burchio, Decano j.

M

Martino Delrio, Preſb. Soc. Ieſu xxiij.
Michaeli Vander-haghen xcj.

N

Nicolao Oudarto xiiij, xlvj, lxxiiij, lxxxix.
Nicolao Rokoxio, V. N. & Sen. liiij, lxvij.
N. N. v. N. N. xxxij.

O

*Othoni Hartio I^to^* xxx.
Othoni Venio lxxxij.

P

Petro Orano xv, xxj, xxxiij, lxxxj.
Philippo Rubenio ſuo xc

R

Remaclo Roberti lxxviij.

IVSTI LIPSI EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA III. AD BELGAS.

EPISTOLA I. *Vltraiectum.*

I. LIPSIVS LAMBERTO VANDERBVRCHIO, *Decano.*

IACTVRAM profectò magnam fecimus in morte cõmunis amici noſtri N., & propriè veſtra Reſp. quæ metuo vt in nouos fluctus turbaſque incidat, amoto quieto & perito illo gubernatore. Sed Deo & communi fato quis ſe opponat? Iuit quò imus omnes, nec meta ſed tempus nos ſecernit. Alij paullò longiùs, alij breuiùs, ſed omnes in eâdem viâ currimus, & ad eumdem finem. atque illìc pœna, aut palma. Quòd te in eius quaſi locum ſubſtituis, Vir Clariſſime, de amore non erras: iampridem te tuo merito amaui. quod etiam hoſpitium tam benigne offers, humanitatis eſt, cui fateor me deuinctum. Videbo quid bonâ gratiâ amicorum aliorum poſſim, etſi reuerà animus ad te inclinat. Sed hac æſtate, quæ iam in exitu, vix eſt vt fiat: ſpero proximâ, eaque ineunte. De Opere tuo probè memini quid in ſermone aliquando ſignificâris: atque ego tibi hunc laborem exhauſtum (quantæ enim lectionis ea res!) gratulor, & ad vulgandum ſeriò hortor. Famæ tuæ ea res faciet, & multò magis publico bono. Quòd inſtituiſti autem vitam cuiuſque viri Principis perſtringere, laudo: ſed, meo iudicio, perſtringere tantùm, & remittere Lectorem ad eos qui ex profeſſo ſcripſerunt. Scio quàm difficile ſit hîc modum ſeruare, qui gratus ſit omnibus: quoniam aliud fere vulgus, aliud docti amant. Sed, ſi te noui, tu facilè attemperabis, vt neque breuitas obſcura illis, nec diffuſio moleſta iſtis ſit. In re præſenti ſi eſſem, poſſim ſi non prudenter tamen liberè quid mihi videretur dicere. quoniam ita ſoleo apud eos qui petunt, & quorum amicitiam ſimul caram habeo, & fauſtam. Mihi decretiſſimum eſt proximo Vere (vita modo adſit) excurrere ad Leodienſes Fontes; idque valetudinis cauſsâ, quæ alibi ſue imbecilla. Antè te videbo, & conſilij mei faciam conſortem. Ama me, & ſi amas, vtere. Lugduni Bat.

EPISTOLA II.

I. DOVSAE *Filio* S. D.

CERTE peccares, niſi ſcriberes: & nonne velle debes ad ſic volentem? Potes autem ſemper in iſto otio, quo fruitur ferè hæc veſtra ætas. Publica aut priuata (nobis id nimis ſæpè) non vos auocant, aut turbant. Mitto Carmen, quod poſcebas, in Triumuiros illos noſtros, & tuas Notas. Quas edi a te gaudeo: tantùm illud moneo, vt nihil in his talibus, niſi quod indole iſtâ tuâ & ingenio dignum. Certè omnia magna mihi de te ſpondeo, ſupra eos qui nunc, & qui fuêre in Batauiâ (non inflandi tui cauſsâ dixerim: viue tantùm, & curſum hunc quem cœpiſti tene. Sed heus tu, vidiſtin' libellum in me à Septemtrione? rigidum, & dignum illo axe: an & me dignum? Liceat hoc dicere, honeſtiùs vapulare poteramus, & vite aliquâ Centurionis: idque vel in peccato. Etſi quo peccato? luſimus & riſimus: & vos quoque credo, cùm hæc videris. Valete, ſaluete, pater, tu, fratres. Leodici, poſtrid. Idus Ianuar. ∞. I Ↄ. XCII.

IN TRES POETAS A IANO DOVSA FILIO ILLVSTRATOS IVSTVS LIPSIVS ἐχεδίαζε.

PHOEBI delicium, Mineruæ amores,
Patris delicium, meique amores,
Qui te glorior imbuiſſe primo
Succo & nectare, DOVSA, *Litterarum:*
Quam gratum mihi, quam fuit ſuaue,
Quod ternos meditaris in Poëtas
(Doctos, Iupiter, & bonos Poëtas!)
NOTAS *ſcribere? quas, ſcio, probabunt*
Et quos Aoniæ probant puellæ,
Quique ipſi Ionias probant puellas.
Perge Douſa meus, tuumque nomen
Patris ſub ſtere nomini, [illegible] patris
Hoc pater mouet ipſe, vince nomen.

EPIST. III. *Antuerpiam.*

ALVARO NONIO, *Doctori medico* S.D.

LITTERAS tuas hodie accepi, & in iis duo vidi: magni Etruriæ Ducis honeſtum de me iudicium, & tuum in me amorem. Neutrum mihi nouum. Nam & de muncte ab eo propoſito, iamdiu inaudiueram; & tuus affectus olim mihi innotuit, cùm ante decem plus minus annos haberet me vrbs veſtra. Sed quod ad Ducem, ita me Deus amet, vt doleo nō poſſe obſequi. Cauſſa eſt non quæſita vlla aut affectata: ſed ipſa valetudo, ſine quâ numquam me admouerim iis, ad quæ deſtinamur. Iter longum eſt, regio olim quidem mihi viſa, ſed ad habitationem nunc noua: & cùm ibi ero, quid faciam? Languebo? vmbram pro Lipſio oſtentabo? Medicæa domus, & hic ipſe Princeps, mihi magnuſ eſt, & velim eius cauſſâ multa; ſed ſupra vires nihil poſſum. Ipſe Pontifex, caput noſtrum, recenter nunc me Romam inuitauit: ſed excuſamus veriſſimo illo valetudinis prætextu. Sumus quidem in eâ curandâ, ſed melancholici & chronici iſti morbi, tu ſcis quàm lanco pede veniant, & plumbeo, vt ſic dicam, recedant. Deus dedit mihi hanc ſortem, ferenda eſt. Scripſi in ſimilem ſententiam, ante menſes tres, ad Hier. Mercurialem, illuſtrem medicum, & tibi notum: qui primus mihi aperuerat mentem Sereniſſimi Ducis. Scio illum accepiſſe, & iam iudicium feciſſe, vbi debebat. Ego te non celo, animum mihi in patriâ eſſe, etſi afflictâ. Deus hanc & me releuabit, cùm ei viſum: & re ſtantem firmumque ſeruabit, Vir Cl. Leodici, VIII. Kal. Iul. ∞. IϽ. XCII.

EPIST. IV. *Antuerpiam.*

LAEVINO TORRENTIO, *Epiſcopo.*

QVOD Romani olim peregrè reduces, vt nuncium præmitterent ſui aduentus: idem ego, ſed cum altero nuncio bonæ valetudinis, quæ * ſera, tamen aliquando nos reſpexit. O quàm animus mihi floret? ij intellegant, quos habuit chronicus aliquis & teter eiuſmodi morbus. Vt ſerpentes poſitis exuuiis redire dicuntur in nouam iuuentutem: tale mihi, qui nunc demum auſpicati videor vitam Si ad ſalut in ea res perſeuerct: ſiu ad laſciuiam, abeat, & ſunus potiùs qui fuimus, aut etiam non ſimus. O quàm vtile multis, frenum & coërctio hæc morbi? Nam teueta, ſicut Athenienſes de Pace non niſi attati cogitabant, priſci oratoris dicto: ita plerique noſtrum, vix de Deo niſi adflicti. Ergo hoc cum rogo, vt non quod volo velit, ſed quod expedit: etſi hoc fateor, valetudinem non quidem velle me, ſed malle. Eam tibi magne Antiſtes, ex voto noſtro, & bono publico opto. Leodici, Kal. Iul. ∞. IϽ. XCII.

* Sed non ſerius venit alia.

EPISTOLA V.

I. LIPSIVS ... N.

CERTE cum dolore meo intellexi dolorem tuum: atque eum duplicem, qui vno pænè tempore matrem & filium tuum amiſiſti Quis negabit iuſtè dolere te? natura & mos ita iubent, aut permittunt: ſed iacere te & affligi, negamus & diſſuademus. Tolle ad alta oculos: erigêris. Vnde tibi hoc vulnus? â Deo, dubitare non potes; & æternum illud fatum temperat & diſponit fata cuiuſque noſtrûm. Quod ſi ab illo, id eſt, â ſolo & ſummo bono: quid niſi bonum eſt? Atqui inopinato mihi accidit. Tua hæc culpa eſt, qui præſcire non potuiſti tantùm, ſed debuiſti. Age, nónne, ab ipſo die natali, adhæret nobis mors? Nónne tot immatura & acerba ſunera, non dicam vidiſti, ſed ipſe deduxiſti? Atque in aliis mirum aut nouum tibi non fuit: cur nunc in tuo eſt? aut quis te excepit â communi illâ & æternâ lege? quam vates altâ & quaſi præconiâ voce expreſſit:

* ——— κῆρες ἐφεστᾶσιν θανάτοιο
Μυρίαι, ἃς οὐκ ἔστι φυγεῖν βροτὸν, οὐδ' ὑπαλύξαι.

Vt in pyro aut pomo arbore, cùm vndique fructu ſuo onuſta eſt, alia conſertim & impetu, alia ſeorſim & ſingula, ſed tamen aſſiduè cadunt: ſic in noſtro hoc genere, & denſi aut ſinguli morimur, proprio vel communi aliquo fato. O imperitum, aut ſtultum, qui miratur? Ecce ſolem oriri cottidie, & occidere, ſine motu videmus: vos Batauí, mare adire & abire: quare. quia aſſueuimus, & naturæ hunc ordinem ſcimus. Nónne idem in vitâ & morte eſt? Atque age, non ſit hæc lex data: vide quo deſcendam; ego audacter dixerim poſcendam â Deo eſſe. Inſpice miſerias huius vitæ, ſeriò inquam inſpice & examina: mala quæ corpori, quæ animo adhærent; quæ in nobis, in liberis, cognatis, aliis ſentimus, vel audimus: dic ſodes, iuuet inter iſta immortalem

* Parcæ mortalibus inſtant Mille, quas nemo hominum vitet fu- Homer.

talem eſſe? Ego verò ſentio, vt in turbido mari, optandum defungi; & felices, qui quàm celerrimè venerunt ad portum. Illum, inquam, mortis portum, vbi liceat tutò dicere:

——ſpem, vota, timorem
Compoſitus placido fine relinquo aliis.

Tuis igitur hoc factum, mi amice: gratulari ſi non potes, noli queri, aut (quod ipſi certè nolint) reuocare. Ecce ego haud longè à metâ (valetudo mihi dicit:) abſit, abſit reduci, & ad carceres iterùm reponi. Malus & præpoſterus athleta, qui ipſos non illam ſpectat. Hæc pauca tibi firmando, quem & naturâ ſatis fortem cognoui, & lectione ſoles excitari. Fac nunc, & quæſo abi ad noſtrum Senecam aut Epictetum: & illos profectò ſi oculo & mente legis, non luges. Leodici, prid. Idus April. ∞. IↃ. XCII.

EPISTOLA VI.

FRANC. AERSSENIO S. D.

A PATRE amor in te deriuatus eſt; quia illum vti ſingulariter amo, ita etiam te, qui pars es illius, & ex ſtirpe illâ ramus. Sed auxiſti tu quoque hunc affectum, cùm pronum & volentem te oſtendiſti ad virtutes, & bonas artes: hortor autem vti perſeueres, idque tuâ cauſsâ. Cui ſeritur hîc, aut metitur? tibi. & mihi crede, ſi ver hoc æui ſine ſemente abit, dolebis poſteà, & horrea aliorum plena aſpicies, vacantibus tuis per tuam culpam. Non ſunt hæc verba. res cotidie clamat, & audire ipſe potuiſti voces eorum, qui per deſidiam aut incuriam neglexerunt. Quàm illi nunc pænitent? quàm vellent reuocatos priores annos? Exempla vide, & tibi cape: & dum licet, velis, quod voluiſſe gaudebis in omne æuum. Secordiæ breue, & penè ſine ſenſu, gaudium eſt: diligentiæ fructus ſe exſerit, neque nunc ſolùm, ſed in futurum delectat. Caduca & fragilis res, homines ſumus: ſed vt ſimus etiam cùm non ſumus, & vt bona fama (ſæpè etiam pecunia) mortuis nobis ſuperſit, pendet ab induſtriâ iuuenili. Fateor eſſe, qui prioris ætatis culpas gnauiter, ſequenti ætate & diligentiâ, oblitterarunt: ſed raros: laudo eos, qui bonâ ambitione, non ſubſequi eligunt, ſed præire. Deus & ſuperi iſtis fautores: & cothurnatus ille philoſophus rectè,

* Τῷ γὰρ σπεύδοντι καὶ θεὸς συλλαμβάνει.

* *Namque allaborat & laboranti Deus.*

Mi Aerſſeni, in animum hæc conde, ac me vnà; qui tui amans ſum atque ero, quam diu priores illæ cauſſæ erunt & fomenta. Vt ignis ſine materie langueſcit, aut deficit: ſic noſter amor, ſine Honeſti alimento. Leodici, VI. Kal. Sextil. ∞. IↃ. XCII.

EPIST. VII. *Antuerpiam.*

FRANC. SWEERTIO S. D.

ACCEPERAM iamantè, mi Sweerti, icones quas ad me miſeras duplices; vnam non viſam mihi anteà, alteram illam de Venere Lucretianâ ante triennium, aut ampliùs, ex Italiâ acceptam. Gratias tibi hoc nomine habeo, & eſt vtraque imago ſcitè & venuſtè facta. Nos in docendo iam ſumus, faxit Deus vt cum fructu. Nam iuuentuti Belgicæ fauemus, & ducere eam vellemus in rectam viam ſtudiorum, quam pauci hîc videtunt. De Poloniâ, mira ſunt quæ memoras, ſed nec inexſpectata: iamdudum audio occultas ibi factiones & cœtus fuiſſe. Deus bone, quis Europæ tandem ſtatus? aut quis noſter? Nam res mihi neglegi videntur, ſic vt nauis quæ permiſſa ventis. Sed fortem & felicem, qui non angitur, qui cogitat in ſupero illo conſilio iamdiu decretum, quid terrenis his rebus regniſque fiat. Ipſa Belgica, quota pars magni mundi? ego & tu, quota Belgicæ? Vt folia cadunt & naſcuntur, ſic homines: nec fruſtrà cum iis comparauit maximus poëtarum. Illud fateor, ingeniis inſelix eſſe æuum, & quo ægrè ſe attollant aut exſerant rectiores mentes. Prurigo iſta de religione diſſerendi & litigandi, quæ peſſimum aut viliſſimû quemque tenet, cauſſam his malis dedit & dabit. Wingium in Italiâ obiiſſe, credo te audiſſe: nec doleo, abiit ad meliora loca. Fuit inſignis alioqui iuuenis, & longiore æuo, ſed in bono ſæculo, dignus. Ortelio noſtro ſcripſi, Michaëli vander Hagen quæſo vt amicam ſalutem à me dicas. Louanij, III. Kalend. Decembr. ∞. IↃ. XCII.

EPIST. VIII. *Antuerpiam.*

IOANNI BRANTIO, *Graphiario* S. D.

AMO plures in veſtrâ vrbe, & ab iis amor: tu mihi deinceps inter vtroſque es, & qui exhibent & quibus exhibeo hunc affectum. Litteræ tuæ primæ, teſſera & quaſi conſarreatio ſunt huius ſocietatis. De me, videbis quaſi ignem eſſe qui facilè comprehendo, vbi materia apta ad honeſtiorem flamam. Gratularis mihi & vrbi,

in

in quam veni. Atqui vt ſemel ſcias conſilium & ſcopum mei aduentus, Quies fuit. Iactati apud eos, qui in bello armiſque ſunt, diſplicuit: & pedem extuli locis, in quibus alia omnia copioſa & benigna. Sed longiùs proſpeximus, & temporis quoque eius rationem habuimus, quod poſt nos erit. Sit hîc omnis felicitas: quid ſi Fama & Salus lædantur, quàm illa infelix? Nec leuitatis crimen erubeſco: imò delector conuicio, quo meliorem me agnoſco. Hæc tibi, ſed non tuâ cauſsâ. Confido, de optimo tuo iudicio: quod niſi eſſet, non ſic me amares. Nemo fideliter diligit, niſi qui probat. Sum ergo Louanij, rebus meis bonis, etſi non laxis. Tranquillitate fruor, atque etiam ſecuritate vel inter circumfuſos hoſtes. Deus manifeſtò protector huic opido, & vix cadet niſi eum cauſsâ bonâ. Quòd addis audiſſe te ſcribere me aliquid de Cruce: verum eſt, aut potiùs iam ſcripſiſſe. Opus tamen quod nolim in exſpectatione apud vos eſſe, quia nihil in eo magnum præter argumentum. Pietas huc duxit. illa ipſa quæ vobis & Senatui veſtro in oculis, cùm ſalutare hoc ſignum in vrbe mediâ erexiſtis, trophæum in illius hoſtes. Si decorè alibi potero, meminero: poſſem, ſi ad vos irem, vti in CONSTANTIA feci. Nunc tamen vix arbitror, & alij ſunt qui primitias quaſi iure ſuo volunt. Videbo, & te qui me ſic amas meritò redamabo. Louanij, III. Kalend. Mart. ∞.IↃ.XCIII.

EPIST. IX. *Bruxellam.*

IOANNI BERNARTIO I^to^ S. D.

AEGRE tibi eſſe, mi Bernarti, quòd à me abes, id verò mihi non eſt ægrè. Delector hoc tuo angore, & ita ille creſcat; vt breuî ad nos redeas, nec niſi alloquio meo illum ponas. Parentes tibi illic, ſcio, fratres, cognati, & omnia quę naturæ ductu ames: ſed ecce hîc quoque parentes, quos iudicio elegiſti, & qui internum illum Bernartium foueant & forment. Me inter eos pone, imò primum, ſi res eſt affectus. Quod iniicis de inuidis quibuſdam homuncionibus, per Deum hanc curam pone. Quò virtus perueniet, ſi ſiſtitur ad has remoras? vt gloria illi comes, ſic inuidia: ſed hanc adeò non curat, vt vix cernat. Minuti qui non ſe attollunt, nolunt etiam alios: & factis cùm obſtare non poſſunt, conantur linguis, & ſpargunt verborum leuia iſta tela. Atque id eminus, vt Parthi fugientes. nam cominus non ſe componunt, ne rectis oculis ſplendorem noſtrum intueantur. Mi Bernarti, quis noſtro æuo (ad vetera non te mittam) paulùm modò altior, detractiunculas has non ſenſit? Cuiacium vide, me vide. ille ab improbâ, ego ruſticâ etiam manu vapulamus: quid vapulamus? ſic vt in ſomnio, non ſentimus, niſi imagine & opinione. Nemo nos tangit, niſi ipſi volumus, & fregit hæc omnia tela, qui contempſit. Indue hoc robur, & inprimis ab iis caue qui inſuſurrant, & ſpecie beneuolentiæ nocent. Memento non credere, niſi illud, quòd te amo ex quo noui, digniſſimum cui hoc fiat à bonis. Cetera coràm. nam te reuoco, & mihi quoque ingrata abſentia tua, ſi longa. Capita bina carduorum altilium accepi, gratias tibi & parenti ago. Oudarto, ſi illic, pro me complexum & ſalutem dato. Louanij, poſtrid. Nonas Iul. ∞.IↃ.XCIII.

EPIST. X. *Antuerpiam.*

IOANNI BOCHIO, *Senatui à Secretis* S. D.

QVOD iamdiu facere te aut me optaui, factum eſt, & fundamenta poſita amicitiæ noſtræ. Ego decreueram in affatu & ſermone id præſtare, cùm apud vos eſſem: opinione meâ & voto, extremo hoc Septembri. Sed benè quòd præcepiſti. & hoc plus tibi debeo, quòd affectus tuus calidior (maior non dicam) ad vinclum me duxit, cui iamdiu cupio illigari. Ex animo Bochi. pauci ſumus meliorum artium inter Belgas: quid optabilius, quàm noſſe inter nos, & cohærere? Etiam aliarum animantium quæque aggregant ſe ad ſuum genus: ergo inter homines meritò, quibus eſt ſimilitudo & paritas aliqua vel artium, vel ingeniorum. Credo hæc in nobis eſſe. & noui te iam ante annos aliquot è ſcriptis; quæ ſparſim edita, aut non edita etiam, apud amicos vidi. Non multa, inques. Eſto, ſed è lineâ, vt ſcis, artifex artificem dignouit. Sed quid opus iſta? blanditiæ abſint, iudicio me facere puto, ſi te amem. Hoc ſatis; & addo manſurum me in hoc fœdere, quod nunc pangimus, quamdiu in me, qui es eris. Vale mi Bochi, & hæc ſint pleni ſermonis, quem ſpe iam occupo, libamenta. Louanij, poſtrid. Kalend. Septemb. ∞.IↃ.XCIII.

EPIST.

EPIST. XI. *Antuerpiam.*

IOANNI LIVINEIO *Canonico.*

En tibi *Cuſpiniani Panegyricos*, quos volebas. Vtere, & ede mox in tuam famam, & noſtrum bonum. Pluſcula in eos adnotata mihi, & nunc ad Plinianum mitto. Non ſumus parci aut condi talium: libenter participamus, & præſertim iis qui iudicio electuri & vſuri, quod de te confido. Heſychiana emendatiuncula vera eſt, & tibi inſcriptam in ea lec Notarum videbis. Puto me etiam rectè iudicaſſe in Dionis loco, vbi ὄχον reſtitui, & *Thenſam* ſum interpretatus: miror te verbo non adprobaſſe. An diſſentis? ſignifica, & cauſſam. Ecce alium Dionis locum, de Triumpho Cæſaris:

Lib. XLIV. *Καὶ Ἀρσινόη γυνή τε οὖσα, καὶ βασιλίς ποτε νομισθεῖσα, ἔν τε δήμοις, ὃ μήποτε ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐγεγόνει, ὀφθεῖσα πάμπολυν οἶκτον ἐνέβαλε. Κἀκ τούτου ἐπὶ τῇ προφάσει ταύτῃ καὶ τὰ οἰκεῖα πάθη προσωδύροντο.* Quod eſſet: *Et Arſinoë, quæ mulier & aliquando regina fuiſſet, in populis conſpecta, multam ſui miſerationem mouit. & per hunc mox prætextum, Romani propria ſua mala palàm deflebant.*

Diſplicet illud ἐν δήμοις. nam quid noui aut mali in publico adſpici reginam? Puto ἐν δεσμοῖς fuiſſe: *in vinclis.* atque id miſerabile, nec antè ibi viſum. Bella autem concluſiuncula, & interiori Quiritium affectui explicando: quam certum mihi eſſe ab Homero. Quid enim ille vir occultum non vidit & protraxit? Nam ita de fœminis captiuis apud Achillem, quæ Patroclum lugebant:

Sic dixit lacrimans. alia mox collacrimarunt. In ſpecie Patroclum, in re & ſenſu ſua damna.

* Ὣς ἔφατο κλαίουσ'. ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες
Πάτροκλον πρόφασιν, σφῶν δ' αὐτῶν ἄλγε' ἑκάστη.

Simile & in Statio:

Proſpectant matres, ſæuoque infanda precantur
Oenidæ, tacitoque ſimul ſub pectore regi.

Sed hæc talia quando coràm? ſi viæ tutiores, iam eſſet: ſi vel intutæ, fiet, & cum præſidio aliquo ad vos ibo. Nimis lubet veteres ibi amicos recognoſcere, & oculis vſurpare.

—— ſpes anxia mentem
Extrahit, & longo conſumit gaudia voto.

Vale mi Liuinei, & interim litteris nos adfare. Louanij, III. Kalend. Nouembr. ∞. IƆ. XCIII.

EPIST. XII. *Antuerpiam.*

ABRAH. ORTELIO S. D.

Non multos tibi commendo aut ingero, nec meus mos eſt: ſed hunc ſingulariè, Ger. Buyteweehium, qui anno & ſex menſibus apud me egit: tantâ modeſtiâ & probitate, vt ſuprà nihil fatear vidiſſe. Is ad ſuos nunc redit, videre & ſalutare te voluit: rogo vt illi pateas, atque etiam bibliotheca tua. Pauca verba facio: ſi tu totidem cum illo, ſatis ſe ipſe commendarit. Louanij, III. Non. April. ∞. IƆ. XCIV.

EPIST. XIII. *Antuerpiam.*

HENRICO VWENO I^Ct^.

Prima eſt hæc tua ſcriptio, & pergrata. Affectu & cogitatione ſæpè inter nos loquimur (opinor de te, ex meo iudicio) ſed fiat ſtilo quoque interdum, ſcis quâ lege? cùm valdè vacabis, aut ſi id tibi rarum, cùm valdè voles. Hanc legem tibi dico: mihi duriorem, & nolo excuſari niſi valetudinis cauſſâ. Sed grata, inquam, tua ſcriptio: tum quia in eâ animus ille tuus niueus appâret, & in ipsâ niue (quod mireris) ardens. Amas me puriter, iamdiu vidi; atque etiam liberè, quod nunc probas. Subiicis iudicia quorumdam de libello noſtro (ſemper mihi tali, nec vmquam magno) cetera bona, in eo duriora, quòd videor quædam dicenda non dixiſſe. De vſu ſalutaris eius ſigni inſeri volebant: quod potuit opportunè, fateor, ſed mi Vwene ſemel hoc noſce, tractata aliis non libens retracto. Nónne pridem iſtud Theologi? nec vnus aut alter, ſed multi & è ſummis. Me hoc iterare, fortaſſe nec decorum ſit, nec iis gratum. Non illud, quia extra meam Spartam, quam colo: non iſtud, quia redidici, non amare eos, qui ſcandunt in illorum fines. Et meritò. nam profectò fit cum periculo erroris aut lapſus. ſicut iis euenit, qui non edocti, fabros aut tegularios imitantur, & per culmina domorum aut tecta incedunt. Habes cauſſam vnicam, & mihi etiam nunc firmam. Ne philoſophiam quidem attingo, ne offendam; vult me aliquis Theologiam? reſilio. At tu, mi amice, hæc & alia audacter nihilominùs ſuggere: amo, etſi non nunc poſſum, in aliis audire. Louanij, quo die in curiâ olim Cæſar. ∞. IƆ. XCIV.

EPIST.

EPIST. XIV. *Machliniam.*

NICOLAO OVDARTO S. D.

CARMEN accepi caſtigatum,& vnà tuas litteras. Reſpondiſſem citiùs, ſed reuera diſtrahor, præter alias occupatiuneulas, etiam ædificando. Nam domum emi, reparo, & dum leue opus cenſeo, creſcit cottidiè, & bulga mea decreſcit. Stultum me (fateri debeo) qui cœperim: & fortaſſe illud quod Craſſus olim Deiotaro, mihi aliquis dixerit, *Duodecimâ horâ diei ædificare cœpiſti.* Nam etſi per ætatem poſſim viuere, neſcio an per valetudinem: cuius ipſius curam cogor deponere per hæc tempora, nec ſalutaris Spada me videbit. Inuitor ſanè ab amicis Leodicenſibus: ſed multa impediunt. itinerum difficultas aut pericula, & nec in ipſo loco ſecuritas: tum etiam, nequid mentiar, ſumptus. Non tam laxè mecum agitur, vt his omnibus ſufficiam. Rex donum nuper dederat,ſed adhuc in titulo: re nihil etiam accepi. Hartium noſtrum rediiſſe audiui, ſed vt cenſeo, cum exiguâ ſpe pacis. Quæ quamdiu non eſt, fruſtrà in pretio eſſe velimus pacis noſtras artes. Senecam de *Tranquillitate* publicè hîc doceo, priuatim ad me apto. Si cura illa ædificandi reipsâ non mordeat, cetera pænè ſum tranquillus. Opto te mi Oudarte. ſaluta, ſicubi vides,noſtrum Hartium. Louanij, x. Kal. Iunij, ∞.IↃ.XCIV.

EPIST. XV. *Leodicum.*

PETRO ORANO I^{B}.

PER hunc æſtum langueo mi Orane, & planè valetudo mea eget fontani refrigerij veſtri. Sed quid faciam? multa impediunt: pericula in viâ, & in loco: iam & ædificatio, quam inſtitui, in domo recenter emptâ. Benè cedat, inquies. Deus faxit, ſed bulga mea exhauritur; non ab Alphonſo aliquo aut Leone implenda. Fui Antuerpiæ vt mea quædam ederem, quo tamen hodie fructu? Plaudunt, laudant, *vt pueri Iunonis auem*, ait ille: & hæc ſunt præmia noſtra: Hæc & talia in ſermone coràm; ſi venio, ſed ſerenâ fronte: nec id impediuerit tranquillitatem noſtram, imò nec iocos. Vale mi Orane, & ſaluta fratres à me tuos. Louanij, x. Kalend. Iulij; ∞.IↃ.XCIV.

EPISTOLA XVI.

ABRAHAMO ORTELIO S. D.

AH triſtes mihi litteras, ſuper Beneij mei fato! nimis me ille vir amauit, ego illum; & id vſque à primâ iuuentute noſtrâ. In ipſo flore ætatis amicitia Romæ coaluit, & paucis annis me præcedebat. Quid autem hoc eſt, quòd ego æger iſte animam tam diu traho, & tot validi præripiuntur? neſcio quid Deus etiam ſeruare me videtur,vtinam in publicum vſum! Sed adnitar, & adnitor. etſi nunc valdè ſanè diſtrahor ædificatiunculis noſtris. O inconſultum conſilium in emptione! Gallorum hoc vetus eſt, *Fœminam faciendam parare, domum factam:* ego in vtroque peccaui, & luo ac luam pœnas. Sed extra iocum, domus dat negotium, cœpta, & ideò perficienda. Vellem cum Moreto noſtro videre tibi ſemel animus ſit, atque vtinam cum Viuiano! cuius viri memoria & affectus in me vigent, & cogitatione ſæpè exſuſcitantur. Scriptione rarius, quia nec argumentum eſt, & deſidere in hoc genere ac remittere incipio: quod ſcire velim amicos, & ignoſcere. A Scaligero nobilis iuuenis Gurges apud nos fuit, multa dixit quæ volupe audire. Quod ad inſcriptionem illam Romanam, ne dubita quin EX VISV ſit ex ſomnio, & ſignificat ſe monitu diuino id feciſſe. Sæpè in lapidibus notaui. Vale mi Orteli, XI. Kal. Iul. ∞.IↃ.XCIV.

EPISTOLA XVII.

LAEVINO TORRENTIO, *Epiſcopo Antuerpienſi.*

NON aliam à te epiſtolam accepi (etſi ſæpè tales) magis benignam. Non aperis pectus & affectum, ſed effundis; quod gaudio & ſolatio mihi eſſe, in publicis priuatiſque moleſtiis, debeo fateri. Nam publicè quidem, quid non triſte? & ita, vt deteriora etiam ſint in metu. Hoſtis inualeſcit, nos languemus, & pænè veteri illo Demoſthenis dicto, quaſi mandragoram qui biberunt, iacemus. Ne magni quidem iſti ictus nos excitant? Niſi quid tamen occulti conſilij alibi vel auxilij, in quod non inquiro. Sed de priuatis, domus me etiam tenet,quam lentè, & vt operæ iſtæ ſunt, pergimus ire exſtructum. Cui ornandæ & verè illuſtrandæ, quod vltrò tam liberaliter polli-

polliceris, accipio, vti & à Prunio noſtro. De voluntate veſtrâ cùm conſtat, curatum hoc ego porrò reddam. Quod ad Ordines, totum tuum eſto, ſi agendũ, & quando agendum. Equidem cùm tempora intueor, venit in mentem ſubuereri interdum etiam de firmitate ſolutionis: quam N. iſte expedit, ſed hoc quoque, vt meæ operæ, lentè. Si in vrbe veſtrâ Antuerpienſi (in quâ neſcio quomodo plerique mei amantes) delegatio ea facta fuiſſet; magis id ex meo vſu fortaſſe, & certè voto. Sed vereor, vt ſerum ſit immutare. Ego tamen, ob hæc & talia, nihil etiam de migratione cogito, quantumuis exteri inuitent. Niſi vis aut iniuria me pellant, æternùm ſum veſter. Accepi nuper Poëmata tua, gratum mihi donum. ad Bernartium Statij codicem miſi. Illuſtriſſ. Borromæo reſpondi, & ad te mitto: vnà hunc animum, qui ſeriò ſemper eſt tuus. Louan. XIV. Kal. Septemb. ∞. Iↄ. XCIV.

EPIST. XVIII. *Ruremundam.*

GVIL. CRIPIO SECVNDO S. D.

SERIVS ego litteris tuis reſpondeo, quia redditæ mihi ſerò. Aliàs, profectò non tamdiu vices iſtas ſcribendi protuliſſem, vel tuâ vel parentis clariſſimi cauſâ, quem iam olim & colo & amo. Eum ais (me dolente) in morbum veniſſe meo ſimilem, id eſt peſſimum morborum. Vexat, trahit, lancinat, idque per interualla, & omnino eſt pro Tyranni illius voto, qui homines *ſic mori* volebat, *vt ſentirent ſe mori.* Decem ampliùs annos in eo ſum, veſpertilio (vt ſic dicam, & iocer) nec inter ſanos nec ægros, & mediæ cuiuſdam ſortis. Non inter ægros dico, palàm ægros. ambulo, fabulor, alia vt alij ago, & pluſquàm alij comedo ac bibo. Nàm habet hoc iſte languor, vt homines edones faciat, & in cibum ac menſam ſtatim ſuâ horâ, vel ante horam, imminentes. Quàm bilis mihi tunc prompta, ſi non cibi? & facit hoc calor atque æſtus, circa imum ſtomachum incluſus. Obſtructiunculæ illic in venulis meſaraïcis, quas medici vocant, heu, nimis mihi notis. Inde flatus, inde vapores, qui caput petunt & ſacrã hanc mentis ſedem. O quis Deus aliquando me liberet? quis annum det vnum vacuum ab hac noxâ, quem lucubratiunculis meis impendam? Nam nunc quidem, cùm parata multa habeam, vix digero aut effero: ita horæ & dies labuntur, in vinculis & nexu triſtoris illius morbi, nec temerè appello vincula. non enim corpus ſolùm ligat, pigrum tardumque reddit: ſed linguam, ſed mentem, & vno verbo, ex homine cadauer pænè reddit. Querelas habes, tu ſolatia, vel auxilia quærebas. Vnde habeam? nemo medicorum dedit, aut, credo, dabit. Quod tamen vſu me iuuit, aut didici, cape. Primas tenent acidulæ Spadanæ, aut aliæ tales; quę propriæ mihi videntur (ſi iudicio vtare) in hunc morbum. Imò recentem eum tollere poſſunt, non dubito: veterem, ſaltem alleuare. Sperabam repetere hoc remedium iſtâ ęſtate: ſed multa impediuerunt, & viæ inprimis non tutæ. Alterum quo vtor, Aqua mybi ſtillaticia, quam aceto aut vino leuiter tempero, & manè admixto pauxillo aniſo & ſaccaro bibo. Mitigat æſtus, aperit præcordia & ſubiacentia, denique ad tempus iuuat. Sed ad tempus. carnifex ille redit, & ſolita mox admouet tormenta. In cibis abſtineo ab omnibus calidis, non etiam in potu: & video vina Rhenana, aut ſi quæ talia διαφορητικὰ & penetrantia, auxiliari. Opus etiam iiſdem, & interdum largioribus, ad fumos aut triſtitias pellendas, quæ congenitæ huic morbo. Plura non habeo dicere. amo te, Patrem veneror & ſaluto. Louanij, III. Nonas Sextiles, ∞. Iↄ. XCIV.

EPIST. XIX. *Antuerpiam.*

IOANNI BRANTIO, *Graphiario* S. D.

ISTE IPSE mihi tuas tradidit, qui meas nũc tibi. Grata tua compellatio, animi memoris & affectus in me index: quæ vtraque de me tibi potes polliceri. Ego verò cogitationes & animum ſæpè mitto, quò non manum aut litteras: & is quoque cultus amicitiæ eſt, deſiderare & meminiſſe. Vos mihi Antuerpiæ amici aliquot, fateor, imò plures quàm in aliâ vnâ vrbe, ac prouinciâ pænè dicam. Vtinam, vtinam infelicia tempora permittant inuiſere interdum & alloqui, atque, vt ſolet, arbitrio noſtro ire, redire. Suauior vita eſſet, & valetudo ipſa melior, temperata ſic amicis alloquijs & conuictu. Non datur, non dabitur quod peius eſt, vt res quidem publicæ eunt aut potiùs fluunt. Ego, niſi arcana aliqua conſilia regum ſunt, de his quæ in aperto nihil boni auguror, domi militiæque diſciplinâ corruptâ. Æmulatio, contentio, rebellio paſſim, atque etiam confuſio, nec data conſilia aut imperia opportunè, nec capta. Larga querelæ materies,

ries, ſed non ſapienti, qui altiorem in his cauſſam inſpicit, & ſcit hæc ſequi Prouidētiæ currum. Triumphat in eo æternus ille rector, & nos ſequimur. liberi ac velut milites eius, ſi volentes; captiui ac ſerui, ſi nolentes. Illud ſimus, mi Branti, boni beatique etiam in malo æuo. Socerum tuum & vxorem ſaluto. Louanij, pridie diei qui Lucæ ſacer, cùm ingrediar ætatis quadrageſimum octauum annum. ∞.IƆ.XCIV.

Conſulem Malinæum & Secretarium Bochium amanter reſaluto. Addo Theſaurarium Robianum.

EPIST. XX. *Eódem.*

HIERONYMO ROVELASKO S. D.

ALLOQVI verbis me poteras & ſermone iſto litterario, mi Rouelaski, etiamſi res non adfuiſſet: id eſt, etiamſi munuſcula & ſemina non miſiſſes. Nam ego te commendatum mihi ab alijs, poſteà à te ipſo, amaui cùm Louaniū veniſti; & magis magiſque, quò magis noui. Vidi ſerium tuum ingenium, ad recta natum, cum iudicij bonâ normâ: quod caput ego cenſeo in homine & vitâ humanâ. Si ea norma obliquat aut ſe inflectit, prauum exſpecta quidquid ſequitur: & tela omnia aberrant, vbi collineatio fallit. Gratulor tibi hoc bonū, quod à Deo & à naturâ eſt: ſed magis hortor, vt idem iuues induſtriâ & lectione. Crede mihi, inſpectio rerum & peregrinatio, actio ipſa & inuerſatio, multùm iuuat fateor, & momentum ad prudentiam adfert: ſed plurimùm lectio, ſi bona, ſi bonorum. Hæc præter prudentiam, conſtantiam etiam adfert & robur quoddam animi, quo in hac vitâ turbidâ egemus: denique ſapientiam, quæ in vulgus hominum non cadit. Quòd adhuc Antuerpiæ es, non miror. nam quò eas? quis in Europâ locus aut tutus, aut quietus? Italia tua videtur: ſed vereor vt & illîc bella, quorum ſemina certę video: & faxit Deus, vt vaticinādo errem. Nam diligo gentem, & voueo illi perpetuâ hanc quietem. Vocarunt me Bononiā nuper, candidè & perhoneſtè: retineor, quid dicam à fato, an à meis? Splendidior ille locus, ſcio; fortaſſis etiam ego ibi vtilior: ſed vt dixi, arcanum illud in nobis dominans vincit, Prouidētia ſiue fatum. Te mi Rouelaski amo, & meum eſſe ſemper cupio. Gratiam pro ſeminibus habeo, & Patri tuo V. C. ſalutem dico. Louanij, v. Kal. Maij. ∞.IƆ.XCV.

EPIST. XXI. *Leodicum.*

PETRO ORANO I^c S. D.

QVID doleam, quid ſcribam, haud planè etiam ſcire me fateor: & tamen doleo, ac ſcribo. Eſtne ictus ille qui te & familiam perculit, an rumor vanus aures iſtas percuſſit? Vtinam iſtud ſit: ſed ecce iamnunc cùm ſcribo triſtior iterùm nuncius, & qui audita illa adfirmat, & diſtinctiùs denarrat. Heu triſtia, heu tragica! quæ nec nūc plenè lubet credere: & tamen vel ſic ambigentem amor impellit ſcribere, & vt in certâ calamitate amicum ſolari. O ſi verbis, & vultu, & lacrimis etiam liceat! nam & has ſparſiſſem, inferias optimæ patronæ, quam gens veſtra Eburonum vidit. Fateor me aduerſus hæc fatalia decreto animi iamdiu ſatis firmum: tamen hîc motus ſum in morte tam inopinatâ, & quam fraus aut inſolens nimis caſus dedit. In menſâ venenum? inter amicos, inter plures, in publicâ hilaritate, & quo turba hominum ſimul petita? Hæc deijciant mi Orane, niſi melior ratio & ſapientia fulciant: quam tu, per Deum, & illam ipſam quam luges, admitte. Functa eſt inopinatò. quid refert? functa eſt, & cottidie in magno hoc orbe tales inexſpectati caſus. In eo peccamus, quòd quiſque de ſe ſuiſque tantùm cogitat: & inſolentiam aut iniuriam interpretatur, quod in familiâ non vidit. Quòd ſi oculos per vniuerſum mittas, ſi facta olim & facienda cogites: nulla hîc nouitas, & videas omne hoc genus eſſe ſub eodem Fati iugo. Atqui in bono etiam æuo periit. Quàm multi præter illam? etiam ex ipsâ ſtirpe & prole tuâ quidam æuo meliore. Denique omitte hoc, periit: error aut mendaciū verbi eſt; abijt, tranſijt in loca altiora. Hoc ex nouâ & Chriſtianâ ſapientiâ ſi cogitas, ſi apud beatos beatam agere: dolori tuo quis hîc locus? Aut ſi dolori, non eſt amori: cuius hoc proprium, etiam cum ſuâ noxâ benè factum velle illi quā ames. O ſi pauca verba ingeminare tuę in aures tuas detur? Quid fles aut ſuſpiras mi Orane? Meū abſceſſum? vide vbi ſim. Tuam ſolitudinem? non diu erit. Præiui, ſequêris, & omnis illa caterua è nobis nata. Liberi & nepotes, quos Deus videre & frui ſuauiter dedit, hîc (ita ſpes eſt) me amplectentur: pergant modò in pietate & virtute, quam à ſtirpe & præceptis noſtris hauſerunt. Lugere, vix viri eſt; certè Chri-

Chriſtiani non eſt, cui mors eſt ipſa hæc vita. Hæc illa, & addam. Munus etiam & ſtationem tuam cogita, quâ hîc in terris Deus voluit ſungi. Conſilia aut iudicia publica tractas: ſuſtine perſonam, nec priuata calamitas in patriæ noxã vertat. Olim Q. Marcius eo robore animi fuit, vt ab ipſo rogo filij, & quidem vnici, in curiam veniret, & Senatũ quem more tunc habere oporteret, euocaret: non mirare tantùm, ſed imitare, & priuato luctui ereptũ publicis vſibus te redde. Vna & vera cogitatio obſeruetur adſiduè, commune hoc mori eſſe, æquè atque illud naſci: & vtrumque certo ſuo die & horâ à Fato deuinctum. Nec hominibus tantùm, ſed opidis, terris, elemẽtis: & quidquid hoc nos ſuſtinet, alit, cingit, imminet, magno illo die vertetur aut peribit.

—— Omnia functa
Aut peritura vides. obeunt noctesque dieſque,
Aſtraque, nec ſolidis prodeſt ſua machina terris.

Mihi crede, mens quæ ad iſta adſurgit, ad luctum non demittitur: & ſcit mortem generi humano non tam ſuppliciũ eſſe, quàm tributũ. Cogita, & te vel propter tuos etiam firma, quibus vnicum nunc pręſidium es & fulcrũ. Scripſi. & cùm aliquis tuorũ certiora ſuggeret, fortaſſe vberiùs: atq; ô vtinã hęc vana eſſe! Louan. poſtr. Id. Feb. ∞.IↃ.XCV.

EPISTOLA XXII.

GER. SANDELINO S. D.

QVOD ſaluus adueneris, quòd tuos, & in iis *Buytewechium* videris, gratũ eſt: ſed hoc gratiſſimum, quòd nos cùm non vides, cogitas, & viſere iterùm optas. Iſta certi affectus ſigna ſunt, in quo vt cõſtes perpetim, in animo iſto volo. Nam amo te Sandeline, & quod ſequitur, volo amari. Quòd non omnia illîc ex cogitato aut voto ſint, nolo te mirari aut moueri. Vbique gentium & locorum ſic erit, imò vt poëta ille ait,

—— medio de fonte lepôrum
Surget amari aliquid, quod in ipſis floribus angat.

Temperies hęc & mixtio eſt in humanâ vitâ: noli faſtidire, ſed quod in naui ſolet, contra nauſeam hanc te firma, quo? Pharmaco à Sapientiâ, & è Senecæ noſtri officinâ. Virum & libros eius noſti. *Robur & æs triplex* circa pectus induendum eſt, vt nunc ſunt homines, tempora, mores. Fac, & ita valeas. Louanij, III. Idus Iun. ∞.IↃ.XCV.

Carmen, quod honori tuo ſcripſeram, hîc habes.

AD
GERARDVM SANDELINVM
IC^TI TITVLO ET HONORE
DONATVM.

SANDELINE *eximie in meis amicis,*
Quem virtus mihi & elegantioris
Coniunxit ſtudium eruditionis:
Grator & faueo tibi hunc honorem,
Quem nunc Iuſtitiæ manus ſeueræ
Alumno tibi donat atque myſtæ.
O felix honor, ô beata cura!
Priuatis ſimul eſſe publicisque
Rebus præſidium: bonos tueri,
Malos opprimere. euge mi GERARDE
Surge atque exorere; eſto ſol, & iſtas
Quæ paſſim obtenebrant, fuga tenebras.
Sis tutor miſeris, probis aſylum;
At terror ſcopulusque ſis ſceleſtis.
Sic Deus tibi pluria vſque donet,
Sic gradus modò hic eſto, & ampliorem
Nanciſcaris honore ab hoc honorem.

EPIST. XXIII. *Louanium.*

MARTINO DELRIO, *Soc. Jeſu.*

SALVI ſumus, mi frater, ſalui: & id palàm beneficio diuino. Vide rei ſeriem. Kalendis ipſis Iuliis Nuncius Apoſtolicus INNOCENTIVS MALVASIVS litteras à Pręfecto Limburgenſi accipit, quibus nunciatur Batauos tranſmiſiſſe Moſam, equites ad trecentos: & occulto bonoque auctore ſe habere, Spadam rectà venire. Ille cùm legiſſet, ſtatim ad me hominem ſuum miſit, & ipſas litteras, vt viderem & arbitrarer. Dixi me ſubſecuturum, & coràm ſententiam dicturum. Dum paro me, ecce ab illo alius, cum alteris etiam litteris à Præfecto Geldrienſi, quæ eadem fortiùs adfirmarent, & caueri monerent. nos enim certò peti. Ergo propero, colloquimur: & aderat in hoc ſenatulo Marchio Malaſpinæ, vir militaris. Illi vterque propendere, imò vrgere ad abeundum, & iam ante aduentũ meum conuaſari iuſſerant: ego contrà (non abnuo imprudentiam) ad manendum & reſiſtendum. Aiebam ſubitum periculum non videri. ſi trecenti eſſent, magnam manum ad prædandum, nec poſſe fallere: vndique mox nuncios venturos. Quid autem, aiebam, ſi in Galliam eunt, regi illi ſuppetiatum, neque nos petunt? Maneamus, exploremus,

ruſticis emiſſis, qui per compendia viarum exquirere poſſunt & nunciare. Non ſum auditus, quod gaudeo: & illi ſub horam pomeridianam ſecundã Francimontem, in arcem ſe recepturi, diſceſſerunt. Ego ſubſiſtere adhuc delibetabundus, non an irem (vndiq; enim de periculo iam nuncij) ſed quò irem. Stabuletum peti tutius videbatur, atque ibi deliteſcere, quàm Francimontem: quò tota ferè aquantium turba conceſſerat, exemplum magis, vt ſolet, quàm rationem ſecuta. Tamen & ego mox Francimontem, quia P. Leonardus & Smithus veſtri eò inclinabant: quos vnà cum famulo meo, comites habui huius viæ. Veſpere peruenimus, omnia plena aduentorum, loci nihil in hoſpitijs: ipſa arx nec Nuncio adhuc patebat. Itaque, Deo bono inſpiranre, porrò iuimus in pagum proximum, cui *Teum* eſt nomen. Grandior ille, & vel opidulo ſimilis, creber ædificijs incoliſque. Placuit, & omnia ibi tuta viſa: cęnamus, dormimus, ad templum manè imus. atque ego peracto ſacrificio, ad P. Leonardum, Quàm mox ad Nuncium? audire lubet, ecquid magis certum aut lætum. Imò prandere mihi animus Spadæ eſt, & tibi ac collegæ condico. gallina caput conuiuij erit. Garrimus imus: ecce obuius ipſe Nuncius (quod ſaluti ei fuit) cum Marchione, & famulitio pauco. Occupat, Quò vos? ego ad te Lipſi. Et cur here in cænâ non adfuiſti, ſecurior futurus in arce? Ego ridere. & omnia hîc tutiſſima, inquam. vides frequentiam, & magnitudinem? non auſint huc vel alteri trecenti adſpirare. Videamus, inquir, ambulemus, ſacris mox operaturi. Facimus otioſè & ſecurè, & ad templum iam dirigebamus: cùm pallens à laterali viâ ruſticulus, Veſtri Francimonte capiuntur. Obuertimus. quid ais? inquit Marchio. nos iam illinc: homo ludis. Verba vix dicta, ecce

* Ἵππων ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει.

* *Quadrupedum velocipedum ſonitus quatit aures.*

ecce tuba inſonat, & ipſi conſpicui in tergo noſtro. Eram Nuncio ad latus, ſequebantur alij: diffugimus. plerique omnes cum Nuncio ad templum: ego ſubſequente P. Leonardo in tranſuerſam anguſtam ſemitã, quæ ducebat ad hortos. Nam turbam ſequi, non erat conſilium. At ecce ea ſemita peruia non erat: ſepes obiecta, quæ à viridario diſparabat. Hîc hæſimus:

* —— Αὐτὰρ ἐμὲ Ζεὺς
Εἰρύσατ', ὅς μοι ἔπειτα μένος λαιψηρά τε γοῦνα.

* *- ſed me Deus ipſe Eripuit, vires dedit & veloxia membrã.*

eripuit, inquam, me Deus, & ſepem illam aliamq; tranſcendimus, pallijs, & quidquid morabatur, abiectis. Impetum euaſeramus, nondum periculũ: verebamur enim cingi & inquiri. Itaque ad montana, ruſtico vno duce, cõfugimus, inde ad ſilueſtria, & denique Frepontem pagũ, vbi nauigatio & flumen. Nuncio, inquies, quid factum? euaſit hoc modo. Templum intus occluſerant, ęrę Campano ſonitum dabant ad ruſticos vndique excitandos. Hoſtis intereà terrere, inuadere, quidã ex equis deſcendere, & ariete portã velle diffringere. Sed Marchio & famuli viriliter agere, & quę primus hoſtium acceſſit, glande eum traijcere. Id repreſſit ceteros. & ſimul incolæ atque accolæ conuenire, & ſanctimoniam templi velle tueri. Francimontem igitur, & mox Spadam repetunt, captiuos abducunt ad viginti è Belgis: ipſos Eburones, Germanos, Gallos ſpoliant & prædantur. Nuncius & Marchio euadunt, iumentis impoſiti nos conſequuntur, & gratulamur mutuam ſalutem. Nauigio vectos Leodicum habet, etiamnunc trepidos à caſu, & à fatigatione adfectos. Deus firmabit, tu gaude & votis auxiliare mi Pater. Leodici, IV. Non. Iul. ∞.IↃ.XCV.

EPISTOLA XXIV.

BALTHASARI MORETO *ſuo* S. D.

MIGRAVI his diebus. ſed è cubiculo in cubiculum, & bibliothecam dumtaxat tranſtuli: tamen rem, ita me Deus amet, negotioſam. Omitto, diſponere iterùm: ſed caput moleſtiæ & culmen eſt, chartas excutere, ſecernere, & purgare. Dum facio, incidi in Valeriana quædam olim mihi concinnata, vt ad vos mitterem: ſi forrè auctorem illum recuditis. Notis ſcilicet meis addenda aut inſerenda. Tuæ curæ erit: ſi tanti tamen hæc erunt. nam meliora aut grauiora prior deflorauit electio. At tu vide, & habe. Lib. I. cap. V.

At Cæcilia Metelli, dum ſororis filiæ adultæ ætatis virgini, more priſco, nocte concubiá, nuptialia petit, omen ipſa fecit.

Putarem: *nuptiale petit omen, ipſa fecit.* Ipſa videlicet ſuâ voce omen fecit deditque, quod petebat. Sequentia dicunt. Lib. II. cap. I.

Nulli enim tunc alienorũ matrimoniorum ſubſeſſores oculi metuebãtur: ſed pariter & videre ſanctè & aſpici mutuo pudore cuſtodiebãtur.

Obſcurum, & in ſcriptis reperio *cuſtodiebatur*, ſingulari numero. Elicio, *cuſtode dabatur*: & alluſio ad Rom. morem, quo fęminis ſui

ſui cuſtodes. Eodem libro, cap. x. de prædonibus, qui admiratione ducti ad Africanum viſendum venerunt:

Quod vt prædones animaduerterunt, dimiſſis militibus, abiectiſq; armis, ianuæ appropinquaſſe. Itáne *milites* cum prædonibus? non ego opinor: & ſcribam, *dimiſſis militaribus abiectiſque armis.* Lib. III. cap. IV.

Vnde proceſſerit, aut quò peruenerit, ſtatuæ ipſius titulus abundè teſtatur, ſeruili cognomine & regiâ appellatione perplexus.

De Seruio Tullio ſermo: at nullũ ei cognomen, ſed nomen ipſum ſeruile. Scribe ergo, *ſeruili cum nomine.* Eodem libro, cap. II.

Cùm pro caſtello, cui præpoſitus erat, dimicaret, Cneiíque Pompeij præfectus, iuſſu eius, ſummo ſtudio & magno militum numero ad id capiendum mitteretur; omnes qui propiùs acceſſerant, interemit.

Fœdata hæc gloſſis aut inſertis, quod intendenti promptum. Nam quis iſte *Cn. Pompeij præfectus*? Legatum dixiſſet: & hiſtoria ac res abnuit, ſcimuſque Pompeium ipſum in re præſenti fuiſſe, & ſaregiſſe. Scribâ: *Cneiuſque Pompeius ſummo ſtudio & magno m. n. ad id capiendum niteretur.* Pluſcula deleo, etiam vocem *Præfecti*: pro quâ ſiquis *præſens* volet, *aut *profectus*, poteſt. Libro V. cap. I.

Liberalitati quas aptiores comites, quàm Humanitatem & Clementiam dederim? quarum prima inopiâ, proxima occupatione, tertia ancipiti fortunâ præſtatur.

Apertius & tamen acutius eſſet: *quarum prima inopi, proxima occupatiore.* Nam hoc dicit, Liberalitatem inopi fortunæ ſubuenire, Humanitatem occupatiori & inuolutæ, Clementiam ambiguæ & periclitanti. Eodem libro, cap. III.

Gaudio exſultans Caietam cucurrit, & virum, omitto quòd ampliſſimæ dignitatis, certè ſalutis eius auctorem, ſtudio etiam præſtantis officij priuatim ſibi venerandum, iugulum præbere iuſſit.

De Popillio iſta, & Cicerone. ſed libri ſcripti, quos conſului, pro his verbis *ſalutis eius auctorem*, vnicum hoc habent, *ſalubritatis.* Et verò damnanda illa ſunt. nam etſi verè dicat *ſalutis auctorem* ei Ciceronem; tamẽ non fecit, ſed poſteà addit, *ſtudio præſtantis officij venerandum*, hoc nempe defenſionis & tutelæ ſenſu. Itaque legam ex libris: *certè celebritatis, ſtudio etiam.* Cicero, inquit, fuit vir ampliſſimæ dignitatis, itemque celebritatis & famæ. Libro IX. cap. X.

M. Flauius Tribunus plebis ad populum de Tuſculanis retulit, quòd eorum conſilio Veliternos Priuernateſque rebellaturos diceret.

Imò non futuram culpam, ſed factam æquius punire erat, & res etiam fuit. Neque enim *rebellaturi* illi erant, ſed iam fecerant: quod ex Liuij VIII. libro diſcas. Itaque omnino hîc ſcribendum, *rebellatos.* Nouitas verbi ne offendat, ita *Palatos* pro *Palantes*, & plura priſci: hoc ipſum etiam in Tertulliani V. adu. Marcionem: *Quæ gratia à non offenſo? quæ pax à non rebellato?* Sunt alia, ſed minora fortaſſe, nec nunc exſcribenda. Tu valebis, mi Morete, & nos amabis. Louan. IV. Kal. Ianuar. ∞. IↃ. XCVI.

EPIST. XXV. *Antuerpiam.*

BALTHASARI ROBIANO, *Senatori* S. D.

AMICA epiſtola tua me affecit, vt ſermones & conuerſatio ſolent. Fateor enim candidè, exhilareſco & vegetor cùm apud vos ſum, viros beniuolos, prudẽtes, doctrinę & mei amantes. Affectum illum verum in vultu atque oculis video; quomodo non eumdem rependam, & deuinciar mutuo quodam nexu? Enimuerò facio: & ſi vllos mortalium, vos aliquot Antuerpięcalidè & fideliter amo. O probitas, ô candor, ſi tales apud plures ſint? aurea ſecula redeant, & viuamus in terris cæleſtem aliquam vitam. Sed non hæc felicitas huius ſæculi, quo maximè Biantis illud verũ eſt, * οἱ πλεῖστοι κακοί. * plures mali. Speramus emendationẽ, aut leuamentum aliquod, à nouo noſtro Prorege, quem laudari variè audio, etiã ab iis qui interiùs nouerunt. Faxit Deus, vt firmâ rectâque mente ſit, nec abripiant eum aut flectant praua noſtra & detorta. Eligat & diſcernat, quibus credat, & quos audiat: caput, niſi fallor, imò & pedes, in bonâ gubernatione. Diuturnum hoc bellum ciuile labes multas aut corruptelas inuexit, & pro virtutibus pænè quædam habentur: magnitudine animi opus eſt ad corrigendum, ſed & prudentiâ, vt ſenſim & ſine motu. Batauivicini noſtri ſi ſapiant, pax & boni mores ad nos redeant: bellum & vitia extra fines iſtos eant. Sed illi peruicaces; & de plenâ medelâ vix ſperandum, quamdiu pater iſte malorũ *Mars* erit. Duremus, peiora tulimus: & aliqua tamen ſerenitas per noſtrum hunc *Sereniſſimum*, ſpero: illucebit. Te valere cupio mi Robiane, mei amantem & memorem. Louanij, poſtr. Kal. Feb. ∞. IↃ. XCVI.

EPIST. XXVI. *Antuerpiam.*

BALTHASARI MORETO *ſuo* S. D.

MORTEM auiæ tuæ, etſi matura ea fuit, & iam ipſa in metâ æui, tamen triſtis audiui. Matrona fuit bonis probiſque moribus, ſine fuco aut pompâ, viri olim amãs, domus ſuæ & œconomiæ intelligens & curans. Et ſatis hæc in fœminâ: plures laudes qui quærit, vitia fortaſſe congetet, in ſpecie virtutũ. Mulier, quæ vltra mulierem ſapit, non ſapit. Carmen tuũ libens vidi, & lacrimas, quibus meritò ei parentaſti. Extremum officium eſt, ſed & decorum officium eſt: & laude ac memoriâ bonâ proſequi defunctos, ratio & ſapiẽtia probant. Mihi ab amicis haud aliter eueniat, nec leſſo aut plãctu, vt ille ait, funeta quiſquam mihi faxit. Miſcere te autem interdũ actuoſæ tuæ vitæ has meditatiunculas aut ſcriptiunculas, tibi quoque & animo tuo vtile: quem nũquam ita merge vndis iſtis rerum, vt non emergat interdum & reſpiret inter litterarum flores, aut poëſeos pigmenta. Sed & paſcat eum interdum fortior lectio, & Sapientiæ collem illum luſtret. Fac, & vale mi Morete. Louanij, VI. Kal Sept. ∞.IↃ.XCVI.

EPIST. XXVII. *Antuerpiam.*

IANO WOVERIO *ſuo* S. D.

EN, habes ſodalem tuum veterem, citiùs quàm opinio tua aut noſtra ferebat. Sed ita fert mare, violenta pars mundi, & cui nemo imperat, præter illum qui eunctis. Fruere igitur eo paulliſper (nam nec diu aderit) & tædium hoc pelle, quod in animo tuo ſcribis inſalei. Remedium petis à mène? cur non potiùs à libris, ad quos te miſi? Nam mihi erede Woueri, in eâ officinâ herbæ, ſucci, medicamenta, quibus honeſta omnis voluptas in animo excitetur; quibus & virtus, ac robur, in omnes res aduerſas. Atqui hoc ipſum ſubinde dolet & cruciat, auulſum ſie eſſe. Gaudeo hunc dolorem tuũ; & maneat: ſed tamen ſic, vt quemadmodum amantes abiuncti paullulùm aut excluſi, acriùs amant, aut redeunt: ſic tu quoque vel furtim fruare, & viſas identidem ad uoſtras illas Nymphas. Vnum Senecam tamen, ad firmandum animum, vel maximè tibi ingero: ceteros, ad docendum aut delectandum. Eum nunc legebamus publicè, neſcio an cum iuuentutis magno fructu (quæ tamen frequens ſatis & alacris audit:) at cum noſtro certè, qui honeſtis illis fortibuſque monitis erigimur, & ſubleuamur. quod neceſſum eſt in multis aduerſis aut triſtibus, quæ publicè & priuatim ſuppeditat hoc æuum. Vale mi Woueri, & amandus ama. Louanij, prid. Non. Mart. ∞.IↃ.XCVII.

EPIST. XXVIII. *Eodem.*

HENRICO VWENO I.[Ctº] D. S.

PRO amico feciſti, quòd libellos qui me tangebant, miſeris. quos legi ſtatim: & quid dicam? parùm aut nihil me reppetiſſe, præter voluntatem lędendi. Deſignant magis reum, quàm peragunt; & communiter contenti Antiquitatis inuidiam nobis obieciſſe, deſiſtunt. Mira hæc accuſandi ratio, pedem non conferre propiùs, non loca ipſa aut phraſes notare & excerpere, quas damnes. Interea eùm benè abiecerunt & contempſerunt totum hoc noſtrum ſcribere; metuunt ne iuuentus imitetur, & precibus monitiſque eam auocant & abducunt. Quid timent, ſi Veneres aut lepôres in eo nulli ſint? ſi barbara, vt aiunt, & ſpurca? Sed conſcientia ipſos quoque conuincit (reſtore eam & appello) ſtilum noſtrum aliquid viuum, alacre, ſed & eruditũ habere: quod ipſi ore magis, quàm corde ſpernant. Nouimus hoc genus. miſelli, manẽt in ſuis præceptiunculis: *Hoc Exordium, hæc Narratio eſt: Hic Allegoria, hic Metaphora:* & præclarè cenſent Ciceronem ſe interpretatos, tum & Ciceronianos eſſe. Quo argumento? quòd elumbia quædam, & exſanguia ſcribant: quòd indecentia verbis, ſenſibus, numeris: quòd denique ſic algentia, vt refrigerare poſſint Germanicas ſuas niues. Ero ridiculum! nec ad Ciceronem quidem ſeriò nos vocant: ſed ad Melanchthonem ſuum, virum mihi, niſi à religione, haud aſpernabilem; ſed nec inter duces aut anteſignanos ad eloquentiam ponendum. Hunc admirantur, hunc tollunt, numen cum altero ſuo numine habẽt: de quo veriſſimè Bonamicus in Italiâ interrogatus dixerat: *Videri eum Latinè loqui incipere, & tentare.* Reuerà ita eſt. iſti vel ut in margine & finibus Latij hærent: ad ſpiciunt elegantiam, & mirantur; intra pectus, aut linguam, non admittunt. Atqui nos obſcura & intricata ſcribimus. Neſcio, dicam libere, mihi de me non videri: imò hoc in laudibus meis vel maximè cenſeo, quòd

quòd in breuitate nubes vito. Dicant & iudicent, qui Latinè modicè intelligunt: dicant, qui vel leuem guſtum habent politioris litteraturæ. Quòd ſi ad illos occupatos aut ignauos vocamur, qui ſupini & oſcitantes nos inſpiciunt, cum ſupercilio, ſed & faſtidio, imò cum præiudicio iam legunt: quid ſperemus? Et faciant tamen dicantque, miſceant Orationes & Carmina: en me vatem (quæſo, liberum hoc potiùs, quàm ſuperbum ſit) viuent ſcripta quædam Lipſij, & ad poſteros venient: imò ipſa Germania, in quâ flammulas has inuidiæ excitant, ipſa Pannonia, & Polonia approbabunt. Nam de Gallicanis & Italis iudicijs, eâ parte ſecuri ſatis ſumus. Nec tamen nego eſſe aliquid alibi in meis ſcriptis vel vetuſtius fortaſſe, vel conciſius dictum: quod ſic ſolum prolatum, in culpam poſſit cadere: ſed idem excuſari & erigi, ſi quo loco, argumento, vel ad quem ſcriptum ſit, videatur. Nempe ecce in *Criticis*, vbi ex profeſſo litteraria & antiqua tracto: quid mali ſit, vocem aut phraſim eſſe interdum antiquiorem? Vt in epiſtolâ ad virum ſubtilem, & doctum? cur non breuiùs aut eruditiùs ſcribam? Fecit Cicero ille, & variauit, cùm ad *Lentulum*, *Pompeium*, *Cælium*, aut *Atticum* ſcriptitaret. Nec affectatio ea in nobis eſt. ah quàm errant! eodem calami tenore & impetu, illa mollia aut vulgata, & hæc ſtrictiora aut meliora ſcribimus: quod ſciunt, qui à manu mihi fuerunt. Sed caput tamen criminationis viuit, inquies, nec inciditur, *Tullianum te non eſſe*. De iſto aliàs, & fortaſſe publicè: atque vtinam, Tullio ipſo iudice, certare hanc litem poſſim! Sed hoc tibi modò dicam, quod ipſe attigiſti. iſtæ iaculationes, iſti lapides, in nos pluunt ab vnâ hac cauſſâ, quòd fortiter & feliciter deſeruimus illam cauſſam. In quâ tamen corpore potiùs, quàm animo fuimus: quod nouit ille, qui hunc & receſſus eius intuetur. Non expedit Lipſium in admiratione eſſe, qui tacitus & exemplo partes eas damnat: tacitus? imò iamnuper apertâ profeſſione & ſcriptis. Hoc mordet, hoc pungit, hoc voces excitat languentes & fractas; & quæ in medio ſpatio deficiant, priuſquàm me tangant. Habes de libellis breuiter: quibus an aliter etiam reſpondeam, meæ deliberationi relinquo. etſi nunc non videbantur tanti. Vale, & ſaluta optimos viros amicos noſtros, *Prunum*, *Robianum*, *Scotum*, *Ortelium*, *Bochium*. nam *Malinæum* ſcimus, & gaudemus, Bruxellæ à publicis iam conſilijs eſſe. Louanij, III. Idus Februarias. ∞. Iↄ.XCVI.

EPIST. XXIX. *Eodem.*

CORNELIO KILIANO S. D.

ETYMOLOGICON tuum nuper vidimus affectum, & ſperamus nunc confectum. Induſtriæ teſtimonium dare poſſumus, vtinam & præmium labori! Vtili labori, fatendum eſt: & qui in publicum plus conferet, quàm multorum ſpecioſi, addam & famoſi libri. Sed æuum nempe noſti, certè debes in eo iam vetus, & inclinare aut ruinam ſpectare quidquid hoc eſt litterarum. Eas tantum? probitas & virtus abeunt, ac bella iſta & mixti exteri Belgicam, vt ſic dicam, è Belgicâ tollunt.

Hoc fonte deriuata clades
In patriam populoſque fluxit.

Sed quid iſta? hoc volebam, teſtimonium tibi reddere, & gratiam ſpondere, ſi non iſto, meliore & poſt-futuro æuo. Teſtimonium quidem ſubſcripſi: ſi non ipſum, animus placebit tui volens. Vale mi Kiliane. Louanij, Kal. Mart. ∞. Iↄ.XCVII.

IN CORNELII KILIANI ERVDITI VIRI Etymologicon.

QVISQVIS *Belgica amare, Belga, verba*
Audes, hunc quoque amare KILIANVM
Aude. qui egregio ſuo labore
Sermonem tibi patrium propinat,
Iam purum nitidumque. qui fuiſſet
Aut aui, aut proaui tui, meique.
Non hic Galle tuas, tuas Ibere,
Tuas Itale nunc repoſce voces:
Noſtra hæc fabula, ſcena tota noſtra eſt.
Ite exotica verba: KILIANVS
Dat pura & puta Belgica. & quid vltrà?
Et pura & puta dat ſimul Latina.
Duplex gloria. gratia eſto duplex:
Et Belga hunc amet, atque amet Latinus.

I. LIPSIVS *ἐσχεδίασε.*

EPIST. XXX. *Bruxellam.*

OTHONI HARTIO Ito S. D.

LITTERARVM exemplar, quas Rex meâ gratiâ ad Proregem ſcripſit, ad te mitto, vti videas breue & ſeriu de[illegible] teſtimonium:

ſed præter iudicium, vt opinor, nihil ad me accedet. Quod factum eſt, pro rato erit: & reuerà vltrà nihil ſpecto, nec vota mea longiùs mitto. *Quiſquis de accipiendo cogitat*, ait Seneca, *oblitus eſt accepti*. Non ſic ego. & ſcio alioqui quantum naturæ ſatis ſit, & hoc me rura mea Iſcana ante biduum docuerunt, quæ inſpexi. O ſi viuere illîc in ſecuritate & tranquillo otio liceat! apud te non nego, adſpiro. Et profectò, vt res publicæ grandibus paſſibus nunc eunt, breuî mutatio aliqua inſignis ſperanda in Regis & noſtrum bonum. In Caletibus res magna geſta eſt. quid in progreſſu ab eo ſperes, qui ſic incipit? quæ opera erunt, cùm hæc rudimenta? Equidem quin Rex de mari & claſſe cogitet, non dubito: atque vnica ea via eſt mittendi in compendium belli. Sed ad me. De Machinis libri quinque finem mox ſpectant: cui dedicabimus? Alberto opportunè in nouâ hac victoriâ, & expugnatione per Machinas: ſed ſiſtit hoc vnū, quòd Principi Electori Colonienſi ante annum hoc ferè addixi, aut certè ſpem feci. Ipſe liber ita compoſitus, quaſi ad illum velit ire: & Leodicenſes amicos, interlocutores feci. Itaque non muto, & noſtro aliud aliàs erit. Louanij, VII. Kal. Maijas. ∞.Iↄ.XCVI.

EPIST. XXXI. *Leodicum.*

Iacobo Carondeleto V. R. & N.

Signvm mihi non fallax affectus tui eſt iterata hæc ſcriptio, imputanda mihi, non excuſanda. Nihil gratius. Libros meos Mechanicos breuî habebitis, ſed nolim res maximas exſpectari, nec id argumentum tulit. Profectò alliduntur ingenia ad arenas quaſdam aut vada ſcriptionū, vt ſic dicam, & in alio argumento faciliùs & feliciùs plenis velis ferremur. Sed id factum eſt ſicut & de inſcriptione, cui Præfationem & alloquium haud ieiunum aut indecorū fortaſſe ſubiunximus. Ipſos libros per te tradi, mihi in voto ſit: ſed videndum, an non per Billéum præſtet, Principi, vt ſcis, intimum; & mihi, vt ſenſi, amicum. Eius quoque ratio habita in ipſis libris, & facio interuenientem & loquentem. Quod tu ſuadebis, id fiet. De N.N. libro nouello, nondum hîc vidimus: & notet ibi me an alium, neſcio; ſed hoc ſcio, quod ſi me, non curantem aut attendentem. Iamdiu morbum hunc aut teneritudinem animi depoſuimus, ad ſingula iudicia conueti aut moueri. Scriptionum genus quod hactenus ferè inſtitimus,* φιλολόγον καὶ φιλάρχαιον. tale eſt, vt vniuersè probari poſſit; in partibus, ſemper aliquid deſiderari aut notari. Noſti illud Homericum:

litterarium & antiquarium

* ——— Οὐδ᾽ ἄρα πῶς ἦν
Ἐν πάντεσσ᾽ ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι.

* *Non datur vni Omnibus in rebus quenquam doctumq; clarere.*

Certè in iſtis, quæ ab antiquitate petuntur, quæ cōiecturis, opinationibus, variâ lectione & teſtimonijs conſtant, ſiquid minùs alibi certum eſt, & aliâ aliquâ lectiunculâ infirmatur; non mouemur, non miramur: fecimus ipſi alijs, ab alijs nobis fiet. Quod ad publica, iam quies eſt & tacitæ cum Gallo velut induciæ. De apertis ſermo etiā erat; ſed vix puto Regem noſtrum id facturum ſine rei pretio, eùm preſſum premi, ei maximè conducat. Habet ſanè hoc noſter Philippus & Craſſorùm omnium Craſſus, vt ducere bella poſſit, perēnibus ærarij fontibus, quos alij requirunt. De Maſſiliâ obſeſsâ aut obſidendâ, hîc ſermo fuit & litteræ, nec abnuam ego, quia valdè firmandis rebus in Italiâ & toto illo mari ſit vrbis eius poſſeſſio: ſed an ex facili paranda? Porrò audiemus. Turcica læta ſatis, excipio de Cliſsâ. Sed quid aliud exſpectandum, in Vſcochorum, id eſt prædonum incerto imperio? Si rex aliquis aut Princeps inſediſſet, firmiùs, credo, muniuiſſet & tenuiſſet. Ego & alij, qui res paullò priores Turcarum legerint, mirari debent hanc illorum nunc vel ignauiam vel impotentiam. Sed ignauiā potiùs, & à fato veternum: quia magna imperia limites ſuos habent, quò cùm venerunt, ſiſtunt, retroeunt, ruunt. Vir Reu^de^ & Nobil^me^ ſalue. Louanij, IV. Idus Iulias. ∞.Iↄ.XCVI.

EPISTOLA XXXII.

N. N. S. D.

Dolvi feriò, quòd non licuerit mihi nuper reſpondere, cùm id parantem facete, ſubitò exteri interpellarent ac diſtinerent; atque ij, quibus honeſtè me negare aut ſubtrahere non poſſem. Noſti hac in re ſortem meam, & talibus ſalutatoribus tempus & me ſæpè dandum eſſe. Sed magis dolui quia res tua ſeria erat, in quâ conſulebar. Audi nunc igitur, ex animo & affectu. Proponis duas vias vitæ, à parente tui amantiſſimo oſtenſas: quarum altera, ad quietum & ſalutare genus ducit, Ordinem Eccleſiaſticum; altera, ad commune & ciuile, & ad ſæculi dignitatem. Equidem difficulter aliquis tibi dixerit, vtra ineunda ſit, præter ip-

ſum te. Si enim ad matrimonium adſpiras, & videris ſine conſorte non poſſe viuere: prius illud omittendum eſt, & cum bono Deo alterum hoc amplectendū. Sed tamen quia neſcio decretum hoc tibi eſſe (imò puto non decretum) ſi omnis deliberatio in integro eſt; debeo liberè & ingenuè priorem illam vitam, id eſt ſacram, anteferre. Omnis ratio calculos huc confert. Naturam tuam ſi inſpicis, quieta & non ambitioſa eſt; ſi ſtudia hactenus vſurpata, eò ducunt; ſi vota parentum, eò; ſed quod caput eſt, in mundo iſto tranquillitas, in futuro ſalus, eò vocant. Non, quin etiam ſecunda illa via illuc ducere poſſit (non nego, nec ſic inſanio:) ſed quia plures in eâ remoræ, ſalebræ, turbæ, pericula; & nobis, qui experti ſumus, atque experimur, hoc crede. Omnis modò difficultas initio eſt, & lucta aliqua cum calore iſto iuuenili: qui eùm deferbuit; Deus bone, quàm non facilia ſolùm omnia, ſed iucunda? Si externa etiam conſideras, hæc vita opes habet, dignitates habet, imò ſupra illā in ſæculo: ſi quis tamen ea quærat, & me auctore non quæres. Si adijciantur, eſto: finis ille non ſit, ſed Deo placere, & te in tranquillo ac tuto collocare, inter iſtos mundi fluctus. Habes breuiter ſententiam meam: quæ tamen alterum ita laudat, vt alterum nec damnet. & vt initio dixi, tecum ſeriò diſputa & te examina, non ſolùm quid velis, ſed quid poſſis. Si diſtinctiùs ad me ſcribes, reſpondebo etiam diſtinctiùs, & te amātem mei (hoc enim ſcio) & amabo & curabo. Louanij, XVI. Kal. April. ∞.IↃ.XCVII.

EPIST. XXXIII. *Leodicum.*

P. ORANO *ſuo* S. D.

EN tibi libros POLIORCETICΩN, in quibus fabellas noſtras videbis, nec miraberis, gnarus ſcilicet & moris & licentiæ, quam Dialogi habent. Mentiri illîc non ſolùm licet, ſed oportet, ſi ſerium aliquid & extra vulgus ſumus dicturi. Imitationem veritatis Dialogi habent, non tamen ipſam. Certus porrò amoris tui, laudes non quæro: mallem iudicia, ſiue tua, ſiue aliena. Nos enim qui docemus, diſcere etiam poſſumus: atque ego eo ingenio ſum, vt ſeriò velim. Sed & tota hæc res intricata eſt: monitore alibi egere poſſumus, aut doctore, præſertim in fabrilibus, quæ non ſunt propriè meæ artis. Hæc ad te, & per te ad alios. illud etiam, vt de Præfatione mihi ſignifices, ſitne ad guſtum? Blandicella inanis verba dare, non eſt meum: ſerias laudes malumus, & quas cui damus, & qui audiunt, pariter agnoſcant. Ipſum volumen Principi deſtinandum ad Billéum mittimus, virum amicum nobis, & apud Principem in auctoritate & fide. Iuuet nos vel iudicium eius, vel amor: qui meus in illū quoque hoc ſcripto apparebit. Vale mi Orane. Louanij, XII. Kal. Septembris. ∞.IↃ.XCVI.

EPISTOLA XXXIV.

GERARDO SANDELINO Ito S. D.

SALVVM te gaudeo, ſaluum ex illâ tempeſtate an naufragio, &

Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

Mihi quidem improuiſum hoc periculum fuit, & in tranquillo ac ſummâ malaciâ vehi te iam cenſebam. Sed nimirum

Quid quiſque vitet.

Diſce, diſce cauere & timere nec timenda; & magis diſce, ferre & excipere, cùm eueniunt. Para te etiam ad alia: quia catenata hæc inter ſe, & caſum excipit caſus. Miſeria noſtra! niſi tamen animo ſtamus, & confidimus, ſolo hoc de cetero beati, neminem ab his externis miſerum eſſe. Facilè hæc dogmata tibi nunc canam, quia cottidie hoc ago in Scholis, & Senecam noſtrum DE CONSTANTIA SAPIENTIS (*ſecundus de Tranquillitate* inſcribitur) explicamus iuuentuti, vtinam talium capaci! Sed & à me facilè. qui plures annos iſta iam meditor, & ſtilus ab ijs, ſpero & animus, colorem aliquem ducit. Quid tu? veni, veni in eaſdem curas: aut ſi es, mane. & eſſe te intellego, in vrbe inquietâ quietè agentem, in ſtudijs, in libris,

Curantem, quidquid dignū ſapiente bonoq; eſt.

Perſeuera, & ætas atque vſus magis dicent, me vera dicere: nec pretium vllum homini in humanis, niſi à ſe eſſe. Attu puras, etiam riſu & naſo ſuſpendiſſe nos pericula veſtra. nôſne? ſecuri ſcilicet, qui nunc triumphum & iocum dedimus vobis; & ecquid aliquid de Louanio, aut longiùs, garritis & ſperatis? Sed

O nauis referent in mare te noui
Fluctus. ô quid agis? fortiter occupa
Portum.

Quem portum? quietis & pacis, ſi me auditis. Sed ridetis. tu quoque fortaſſe, qui fieri

non

non poteſt, quin fiduciæ aliquid trahas, inter tam fidentes. Quid tamen claſſicula illa in Iberiâ? nihil vos commouet?

—— cras folijs nemus.

Sed deſino iocari : & reuerâ hæc publica, vix, niſi vt ludi, me tangũt. De priuatis, benè eſt; ſi corpuſculo & valetudini meliùs paullò eſſet. Sed ſi quoque benè, quia ferre iam non ratione ſolùm, ſed aſſuetudine poſſum. Te ex animo valere opto mi Sandeline, & interdum per litterulas nos affari. Scripſi poſtridie eius diei

Quo fracta virtus, & minaces
Turpe ſolum tetigere mento.

Louanij. ∞.Iↄ.xcvii.

EPIST. XXXV. *Antuerpiam.*

HENRICO HALMALIO V. N. S. D.

OCCASIONEM ſcriptioni tuæ *Scarebergerum* dediſſe, id gaudeo; & hoc magis iuuenem amo, quòd amicitiam inter nos palàm, & quaſi fœdere inito, conciliauit. Enimuerò liberè hoc dicam, ſunt in vrbe veſtrâ plures quos æſtimo & amo: ad eos te aggregari, quem etſi non conſuetudine, tamen famâ meliore notum habui, fuit mihi votum. Atque in eo te mecum conſenſiſſe, & ex lucubratiunculis noſtris affectum aliquem in me hauſiſſe, & credo, & lætor: atq; vt perſeueremus in mutuo hoc iam amore, te rogo. Quod ad *Scarebergerum* ſanè tuum attinet (quidni tuum, cui auunculus & tutor, & velut patris iam loco es?) quod ad illum, inquam, is hactenus ſe mihi probat modeſtiâ, & diſcendi cupidine: & ſpero aut confido potiùs, parem eum opinioni veſtræ futurum. In quo opera mea, aut directio, non deerit: quę eò prolixiùs adhibebo, quia te quoque hac ratione deuinctum iri ſcribis. quod ex animo cupio, & ſtudia atque officia mea (ſi qua facultas aut occaſio erit) fideliter tibi probare. Vale Vir N. & Cl. vi. Kal. Iunias. ∞.Iↄ. xcvii.

EPIST. XXXVI. *Eòdem.*

FRANCISCO HOVIO *ſuo* S. D.

DE horto noſtro cogitare te, reipsâ oſtendis; & id gratum animo meo accidit, quem ſcis in vnicâ illâ delectatiunculâ reſici & laxari. Nam publicè alioqui, aut priuatim, quid ſolatij eſt? turbæ è turbis, vexatiunculæ, lites, & quæ ſolent in rebus humanis. Nuper & hoſtis vicinus nos terruit, & armari ſcilicet in mœnibus ſtetimus: quid cenſes? ſi Demetrius Poliorcetes ille veniſſet, Rhodios ſuos inueniſſet. O bone Deus, quàm tuas vires & tutelam video, cùm noſtram inopiam aut imbelliam conſidero! quæ nuſquam clariùs apparet, quàm cùm in vnum cogimur, pauci, debiles, inermes. Tamen ſpiramus altùm, & loquimur : & hæc fiducia quoque an non à Deo eſt? Sed audi tamen, cautelam etiam adhibere incipimus, & de oppido muniendo ſeriò deliberatur. Deliberatur? imò diſceptatur. nam controuerſia eſt, & Senatus vrbanus exteriorem murum firmari vult; noſter Academicus interiorem, & portas ac repagula ei addi. Hæc nunc agitantur, quæ ſcribo ne nihil ſcribam: tu mihi, pro hiſce nouis rebus noſtratibus, ſedulò Italicas ſubmitte, quas iuuat legere, etſi ſæpè vanas. Vale. Louanij, vi. Kal. Iun. ∞.Iↄ.xcvii.

EPIST. XXXVII. *Eòdem.*

ANDREAE SCHOTTO *Soc. Ieſu* S. D.

AN ſileam in tuo reditu? ipſum quidem te exſpecto, & cum poëtâ, breui

Iucundum os oculoſque ſuauiabor:

ſed tamen & epiſtolam hanc præmittere ad te debui, animi gaudijque mei indicem, & reditum tibi ab interuallo in patriâ gratulantem. Benè & feliciter veneris mi Schotte, feliciter agas, diu agas. Ecquando ad nos? Longi dies & horæ huic voto, quod feſtinat, & amplecti amat pænè veterrimũ amicorum. Non plura, ſi redamas veni. Louanij, iv. Kal. Iulias. ∞.Iↄ.xcvii.

EPISTOLA XXXVIII.

FRANCISCO AERSSENIO S. D.

NON tu libentior aut frequentior ad me ſcriberes mi Aerſſeni, quã ego reſponderem, ſi aſſiduæ meæ aut occupatiunculæ, aut interpellationes, paterentur me quod vellem poſſe. O hominem amicum quieti, & ab eâ ſemper alienum! Malo ſidere natum me dicerem (eâ quidem parte) ſi aut pietas aut ſapientia paterentur diuinis refragari. Illâ ſic me voluerunt eſſe, viuere, & lucere alijs: fiat, & ipſa inquieta ſidera mihi erunt in exemplum. Breuiter & ſemel hoc excuſo, vt ſi interdum ſileam, cauſſam prænoueris, & fugias aliud ſuſpicari. In libris optimis te verſari, & occultè ac paullatim illo rore imbui, gratum mihi eſt,

tibi

tibi vtile in omne æuum & iucundum. Non ſunt alia gymnaſia ad virtutem & prudentiam, præ iſtis: exercere, & in omnem fortunam te firma, ad omnem conditionem & ſtatū te forma. Hiſtoria, Philoſophia, Geographia, omne hoc genus te habeat: ſed vt fructuosè, ſemper cum pugillaribus & ſtilo. Excerpenda inquā ſunt, & in locos quoque dirigenda, Plinij illius exemplo: de quo alter Plinius, *Nihil vmquam legit, quod non excerperet.* Initio tędium hoc aliquod habet, poſteà voluptatem, cùm creſcunt opes, & miraris ipſe tuas meſſes. De SENECA quod ais, obſcura & dubia tibi quædam eſſe: non ambigo. ſed & hæc ab illis Excerptis paullatim perua des; & ego aut alius (quod optas) publicè fortaſſe iuuabimus. certè ego, ſi ex voto meo viuo aut ſcribo. Sed aliena ambitio aut imperium aliò nos trahit ſæpè: ferendum eſt, & hoc quoque ſciendum à Deo eſſe. Dat metas ingenijs, quò & quatenus currant: & idem in famâ. Vale mi Aerſſeni, cum parente mihi peramico. Louanij, III. Id. xbres. ∞. IƆ. XCVII.

EPIST. XXXIX. *Atriam.*

HIERONYMO DE FRANCIA, *Præpoſito Arienſi* S. D.

PERGRATVM mihi fuit epiſtolam à te videre, & in eâ affectum ac memoriam mei: quæ vtraque à nobis tibi reddi, certò te velim ſcire. Ita vixiſti apud nos, eo ſtudio pietatis, cultu modeſtiæ & induſtriæ, vt Schola noſtra in te habuerit & ornamentum & exemplum. Votum meum ſit, tales è iuuentute & optimatibus ad nos venire, tales abire. Eſſe te nūc in quiete tuâ & firmo domicilio, quò Deus & dignitas tua vocarunt, equidem gaudeo: & ſpero ſtabilem ac firmam eam ſedem tibi futuram, niſi tamen idem Deus & virtus tua ad alia & maiora te vocant. Intereà in ſacro illo otio, non ambigo quin ſtudijs & optimorum librorum tractatione ſæpè te delectes. quod hortor vt facias, & monita ex ijs haurias ad prudentiam & virtutem. Enimuerò & in meis libris eſſe te ſignificas: qui vtinā eòdem conducant ac iuuent! Conati ſumus certè, & hunc finem ſcriptionis mihi fuiſſe, atque etiam eſſe, Deum teſtor. Abite litteræ, & tot labores, ſi nomen aut fama tantùm, id eſt nugæ & vanitas, ex ijs quęrantur. Conamur idem in docendo, vt ſcis: & vocem ac præcepta dirigimus ad animos formandos & firmandos. Hæc de nobis: de republicâ, miror in litteris tuis nihil eſſe. ſed hoc fortaſſe ideò, quòd nihil nunciare haberes, quod delectaret. Sumus tamen in magnâ ſpe, ob magnanimum hoc decretum Regis, & donationem neſcio an ſæculis vllis auditam. O magne Deus, dirige hæc conſilia ad Belgicæ, vel ad Europæ potiùs, tranquillitatem & ſalutem. Cum Galliâ ſi pax aliqua aut induciæ ſint, nauigemus in portu: nec diffido, ob ſtatum Galliæ afflictum, turbidum, & quietis egentem. Vale Reu^de^ & Nobilis Domine, & nos tuos ama. Louanij, x. Kal. Ianuar. ∞. IƆ. XCVII.

EPIST. XL. *Antuerpiam.*

FRANCISCO SWEERTIO S. D.

GRATVM mihi de nuptijs tuis intellegere, atque inter hæc omnia triſtia pænè lætum. Ætas tua iam eò vocabat mi Sweerti, nec longè ab Heſiodi triennali illâ annorum lineâ es, quam ipſe ad coniugij curſum aperit & demittit. Sed & pater eò, & res etiam tuæ ducebant: quas faciliùs felicius ſque tractabis, adiunctâ vitę & curarum illâ conſorte. Quid naturam dicam? ipſa vel in primis incitabat: & nec vocata illa (vnde et nomen) Venus ad nos venit,

Omnibus incutiēs blandū per pectora amorem.

Itaque Deus ſtatim facto homini conſortium hoc addidit: ſuaue, honeſtum, vtile, ſi quis decorè & ſapienter habet. Vt poſſis mi Sweerti, non cunctabor diffundere me in pauca præcepta, & quaſi viam hanc tibi præire, ipſe in eâ iam vetus. Primùm, imò meo iudicio & ſenſu, vnum eſt, vt Concordia ſit in matrimonio: nec corporum ſolùm illa iunctio, ſed magis animorū. Sicut in fidibus concentu nihil ſuauius, offendimut diſſenſu: tale iſtic. & temperies illa atque harmonia, vt ſic dicam, matrimonij delectat, neque ipſos tantùm, ſed amicos, imò & alienos. Vt autem ea ſit, Amore in primis opus eſt: & vt ab ipsâ habeas, tuum affer. Vetus illud eſt, venenum & philtrum efficaciſſimum amori eſſe, amate. Ariſtippus olim, cùm aliquis de Laide obieciſſet, *Ab eâ non diligi. Parum eſt*, inquit. *nam nec vinum me aut piſces, quibus tamen fruor.* Inepte voluptatē ille ſolam, & corporis illum fructum quærebat, de animi inclinatione ſecurus. Aliter verò in coniugio & affectu, vt dixi, quærendus emerendu ſque ille affectus eſt: atque etiam comitate quâdam

morum

morum & ſermonum. Antiqui Mercurium cum Venere in eodem templo ſoliti dedicare: quid niſi ſignificantes, ſermonem & blanditiam conciliatricem amoris eſſe? & debere igitur adiungi. Fac pro tuâ parte, ſed cum mixtâ quâdam & virili grauitate: à quâ laſciui & iuueniles illi ioci vel ſabellæ abſint. Faciat & illa. ac ſcitè Solon olim nouæ nuptæ præceperat, guſtato Cydonio malo, ſponſo accumbere: non tam leuem breuemque illam oris fragrantiam ſpectans, quàm hanc adſiduam blandi aut ſuauiloquentiam, quâ maritum caperet ac teneret. Sed alterum etiam huic Concordiæ præceptum, pati quædam, & conniuere, aut nec videre. Fallitur enim, qui in primo iſto contubernio omnia ad votú animumque facta exſpectat, aut exigit: fallitur, & aſpera quædam aut certè acerba interuenient, vt ſunt animi & turbidi iſti affectus humani. Sed ferenda, vt dixi: & vt vuam acerbam non ſtatim abſcindas aut reijcias, ſed patienter exſpectes,

—— dum tibi liuidos
Diſtinguat Autumnus racemos
Purpureo varius colore:

ita hîc faxis, & dictum factúmve aliquod immitius, iuuenilius, ſuperbius, diſſimula, nec auge interpretatione vel attolle. Imò contrà potiùs, mitiga & hoc & ipſam. Sicut equorum domitores, ferocientes eos non flagellis exaſperant, ſed poppyſmis blandè tractant & demulcent: ſic in fœminis. & præſertim ſub initia, crudo adhuc, vt ſic dicam, illo connubiali iugo. Blandire igitur, ſubmitte: mox ipſa vtrumque, & imperio tuo firmo in volentem & ſubmittentem vtêre. Diomedes ab Homero ſcribitur nec Veneri pepeciſſe, in bello: tales mariti quidam læui, imò leues & ignei, qui & vxores ſuas. ah turpe dictu eſt, & ſilebo. Tu cauebis: & ſcies non mancipium tibi illam, ſed coniugem, id eſt alterum teeſſe. Et ſanè imperium mariti in iſtam: ſed quale? vt patris in filiam: aut vt meliùs dicam, vt animi in corpus hoc noſtrum eſſe debet. Ecce hæret vtraque iſta pars; ille regit, ſed & curat; ad honeſta ducit & vocat, ſed nec lædit aut deſerit renuentem. Suadet magis, quàm cogit. Sicut Dictator cùm Romæ creatus, ceteri magiſtratus abdicabant, ſolo illius imperio: ſic maritum vxor cùm accepit, illi vni patet & aſpicit, non vltrà iam in parentum manu vel amicorum. Sed nempe ciuibus imperabat, & ipſe ciuis; nec niſi ſolo illo titulo ſuper ipſos. Ergo & aſperitas & ſuperbia à coniugio abſint. & ſicut priſci illi cùm Iunoni Iugæ faciebant, fel ex hoſtiâ reuulſum abijciebant: ſic bilis, iracundia, iurgia ſpernantur à ſacro hoc coniugali. Sed tertium etiam ad Concordiam, eſt Caſtitas. Non placet illud, etſi ab Imperatore dictum: *Patere me per alias exercere cupiditates meas. nam vxor nomen eſt dignitatis, non voluptatis.* Improbè, quamquam argutè. & contrà ego obduxerim: *Vxor vtriuſque nomen eſt, & dignitatis & voluptatis.* Quomodo amor viuet aut aletur, vbi ſemen eius, vt ita dicam, in alieno ſolo ſic abijcis & ſpargis? Caue, abſtine, & in hac vnâ, quam Deus & lex dedit, deditus tu eſto. Romani Aquam & Ignem coniugijs ſollenniter præferebant: quod præter alia, huc quoque ego traxerim. quaſi Ignis ille maritus eſſe debeat, & honeſto calore atq; amore fouere & tepefacere ſuam Aquam. Tepefacere, inquam. nam vt nimis illa caleat, non ex mariti, aut eius vſu. Vetus hoc Comicum legi, ſed egregium:

—— quæ mulier ſuum virum
Volet ſibi obſequentem eſſe atque diutinum,
Modicè atque parcè eius ſeruiat cupidines.

O, inquam, egregium & occulti vſus! quod tua atque aliæ vtinam ſciant! Sciant, & faciant; & Lacænam illam imitentur: quæ cùm nupta iam interrogaretur, *Ecquid maritum complexa eſſet? Bona verba*, inquit: *non ego illum, ſed ipſe me.* Sic oportet. & tu quoque cùm facis, cum blandâ quâdam ſeueritate, ſed & cautione fiat. Numquam in publico nugari, aut iocari, minùs tangere aut oſculari. M. Cato Cenſor quemdam Senatu mouit, & cauſſam ſubſcripſit, *Quòd vxorem coram filiâ nubili oſculatus eſſet*: benè, & pro ſapienti illo Catone. Neque enim pudor ſolùm in te atque illâ per hæc talia, ſed paullatim & caſtitas perit: quæ ſedem & baſim in pudore habet. Martialis illa conuerſatio non ſanè aloën aut abſynthium, ſed tamen vinum refert: quod gratâ quâdam auſteritate nos capit. Dixi de Concordiâ, id eſt omnia. nam mihi crede, vbi ea eſt, felicitas illa coniugij adeſt: quam tibi tuæque voueo mi Sweerti: & in hoc initio temperatum & firmum quemdam, vt in materie, non vt in ſtramine, ignem. Iſte perit, ille viuit: vt autem mox ex vobis alij, in ætate etiam coniuges, Deum precor. Louanij, VI. Idus Mart. ∞.IƆ.XCVIII.

EPIST.

EPIST. XLI. *Antuerpiam.*

ABRAH. ORTELIO S. D.

ARGONAVTICA tua, ſcitè facta, accepi donum à te mi Orteli, & video nec in languore te languere aut ceſſare. Nam triſtis ſanè hoc audiui, valetudinem tibi ab aliquot ſeptimanis parùm ex noſtro & publico voto eſſe. Sed recuperabis illam vetetem ſpero, tum tuâ induſtriâ & continentiâ, tum & benigni Veris auxilio, quod genitali ſuâ aurâ iam adſpirat. Alioqui homines ſumus, id eſt non diu ſumus: & cùm vel ad extimum vitæ terminum venimus, quàm breue id eſt? Vbi meæ vitæ anni, quos decurri? vt flumen tranſierunt. Quid præter memoriâ ex ijs habeo, & ſi quod opus animo aut ingenio peregi? Sola hæc reſtaut, & tu, mi Orteli, ab eâ parte eſto immortalis. O quàm me delectet, hæc & talia vel cũ amico aliquo ſapiẽte & bono, vel in Iſcanâ meâ villulâ ſolum meditari? ſi tamen Deus & tempus hoc daret, quod videtur ire (vt opinio multorum eſt) ad aliquam quietem. Sed equidem de plenâ eâ diffido, etſi cum Gallo fortaſſe tranſigemus. Vale, aut reualeſce mi Orteli: ex animo precor. Louanij, IV. Non. Mart. ∞.IↃ.XCVIII.

EPISTOLA XLII.

CAROLO CLVSIO S. D.

PERGRATA mihi epiſtola, quæ de meliore valetudine tuâ nunciabat mi Cluſi. O longùm ita ſit, & in hac ætate vel ſerpentis inſtar (ſi vera eſt fides) iuueneſce. Me hæc hiems, & mea bilis ſemper tunc acrior, adfatim exercuerunt: tamen adſurgo, & vires ac ſpiritus recipio pauxillatim. Magis vtrũque, ſi beata illa Pax adueniat, quæ è nubibus caput paullùm exſerit & ſe oſtentat. Si monſtra non impediunt, fruemur: & ego te fortaſſe ac veteribus amicis, quos loca ea habent. O Deus, da pondus huic voto. Quod quæris de Giſelini mei natali aut mortuali die, ſcio certum me non ſcire. neque hîc copia eſt quærendi. Noui ab annis triginta virum, & credo fuiſſe quinquennio aut ſexennio me maiorem: obijt autem, vt mea memoria eſt, ante annos circiter ſeptem: id eſt circa quinquageſimum ætatis. Hactenus poſſum dicere, & te mi Cluſi opto validè valere. Louanij, VIII. Kalend. Mart. ∞.IↃ.XCVIII.

EPIST. XLIII. *Antuerpiam.*

GODEFRIDO VEREYCKIO *Doct. Medico* S. D.

GRATIAM tibi debeo, V. Cl^{mo} atq; etiam habeo (ore quidem & animo) pro iſtâ beniuolẽtiâ mei, imò & curâ. Vltrò de morbo meo ſcribis, & remedia ſuggeris: non amanter hæc ſolùm, ſed prudenter. Atque animus ſanè eſt experiri & vti. etſi neſcio quid longiùs iniſſe morbus meus videtur, & ne apud te diſſimulẽ, ad tabem vel marcorem inclinare. Cuius cauſſa tamen non à Pulmonibus, fortaſſe nec Hepate, ſed ab inferiorum viſcerũ & Meſenterij caloribus, quos ingentes & crebros ſenſi. Itaque frigerantibus aſſiduè vti mihi opus: & ſcis cum quâ ſtomachi noxâ. Quid faciam? quod Deus volet, & fatum meũ libens excipiam: & te Vir Cl^{me} deinceps amabo, mei ſic amantem. Vale. Louanij, inter varias nunc appellationes: & ſcis Encænia noſtra eſſe, VII. Idus Septemb. ∞.IↃ.XCVIII.

EPIST. XLIV. *Antuerpiam.*

HENRICO SCHOTTIO *I^{to} & Syndico vrbis Antuerpienſis.*

CREBRI nobis ſermones, atque etiã ioci, de linguâ noſtrâ & Becano: qui, vt ſcis, non antiquam & elegantem ſolùm ſed primogeniam facit, & ceteras ex eâ velut matrice educit. Noſtri atque exteri erecti,

—— ſtupuere omnes tentamina tanta
Conatuſque nouos:

multi & riſere. Quid ego? virum amaui, & ingenium acre & facile, felix etiam miratus ſum: felix, ſi in aliam rem & materiem vertiſſet. Nam iſta quem fructum, imò quam fidem habet? Noſtram eſſe antiquiſſimam, fœtam myſterijs & arcanis Sapientiæ: cui perſuademus? De antiquitate, vereor vt ſacræ ipſæ litteræ & priſci patres annuant, qui Hebræam præponunt: & ratio certè aut argumenta non eò ducent. Nóſne hîc in frigido axe primi hominum? nos ſoli (ô cæli beneficium!) intemeratam linguam & ſine mixtione ſeruauimus? nos ad alios, colonijs credo miſſis, propagauimus? Riſum, vix oppoſitionem, merentur: & mentem qui per volumina temporum, per vaſta hæc terrarum mittet: inueniet à primâ illâ confuſione linguarum, Sacris libris expreſſâ, infinitùm eaſdem mutaſſe, variaſſe, multiplicaſſe: vt gentes hominum confuſæ

mixtæque inter ſe fuerunt, & iterùm propagatæ. Noſtrum orbem luſtra. vbi vetus Latij lingua, quæ ſub Latino rege aut Carmentâ fuit? vbi quæ ſub regibus Romanis, quæ ſub Decemuiris? vbi ipſa, quę ſub Principibus, niſi in libris? Idem in Galliâ, in Hiſpaniâ, in Britanniâ: pereunt illæ, alię ſuccedunt, & vt nos mortales, ſic iſta è nobis. Vna illa noua Gallica, id eſt è Romanâ traducta, quàm à trecentis annis, aut circà, mutauit? & poſt trecentos magis faciem, nec poſteri fortaſſe agnoſcent. Leuiſſimis cauſſis hæc eueniunt. gentium nouo aduentu aut coloniâ, imperio nouo, pulſione, immigratione: & quas alias ex hiſtorijs & obſeruatione eſt haurire. Quòd ſi in Nouum etiam orbem imus: eadem. Peruanum ibi regnum vaſtum, cùm Ingis (ita Reges ſuos dicebant) paruit, linguam communem ab ijs per ſeptingenta & plura milliarium ſpatia accepit: & ſingulæ tamen valles (centenæ ſunt) ſuam quæque habuit propriam, & diuerſam à viciná. Non credis nunc Hiſpanos & exteros qui immigrant, multa è ſuâ inferre? certum eſt: & fit tam multiplex diuiſio, vt Homerus, ille fons arcanæ ſapientiæ, non alio epitheto aptiùs cenſuerit nos appellandos, quàm * μέροπας ἀνθρώπους. Hæc cùm ita vſus & obſeruatio vbique doceat: quâ prærogatiuâ noſtra lingua ab ipſo Adamo vſque perennarit?

* homines diuerſilingues.

—— *credat Iudæus apella,* *Non ego:*

ait ille. Et quî credam, cùm exempla aut teſtimonia habeam inſigniter mutatæ eius ab annis ſexcentis, aut circà? Cenſebo mille ac mille annis ſuprà conſtitiſſe, cùm in breui notoque ſpatio variè videam vacillaſſe? Appello ad libros maiorum æuo ſcriptos: multa vocabula deſita, multa obſcura, nec niſi coniecturis indaganda. Et vis in pauculis videre diſcrimen? Nithardi, nepotis Karoli Magni, Hiſtoria beneficio Pythœi exſtat, de diſſenſionibus filiorum Ludouici Pij. Ibi iuramentum eſt, quo concordiam inter ſe ſanciunt Ludouicus & Carolus: Ludouicus quidem *Romanâ linguâ* (id eſt corruptâ hac Gallicâ) *ſic perorauit:*

> *Pro dō amur, & pro Xpian poblo, & nro cōmun ſaluament, diſt di en auant in quant ds ſauir & prodir me dunat ſi ſaluarai eo ciſt meon fradre Karlo & in adiudha & in cadhuna coſa ſi cum om p dreit ſon frada ſaluar diſt ino quid il mi altre ſi fazet & abludher nul plaid nunquam prindrai qui meon vol ciſt meon fradre Karlo in damno ſit.*

Quis hæc ceperit, niſi commodùm interpretatio adiuncta in veteri Germanicâ linguâ? Sic enim idem Nithardus: *Quod cùm Ludouicus expleſſet, Karolus Teudiſcâ linguâ ſic hæc eadem verba teſtatus eſt:*

> *In godes minna indutes Xpanes folches ind vnſer bedhere gealtniſſi von teſemo dage frammordeſſo Fram ſo mir got gewiz ei indi madh furgibit ſo hald thtis ich minam bruher ſcal inthi utha zermig ſoſo madno indunit lu herem in nothe in mit hing nege gango theminam willon imo ce ſcadhen werhen.*

Sed nec ea ipſa intellegenda, niſi compoſita inter ſe dent lucem, & interpretatione item noſtrâ addamus. Vidi Pſalteriũ vetus apud inſignem & optimarum artium virum, Arnoldum Wachrendonckium, circa eadem illa tempora ſcriptum: Latinum quidem, ſed inter lineas, ad ſingula verba, Germanicâ interpretatione ſuperſcripta. Delectauit, lêgi, & ſtudioſè elêgi, quę abire ab hodiernâ linguâ videbantur. Pauca velut in guſtum dabo, rariora magis aut ſubducta: & primò

NOMINA.

Abalgi, Ira. vide *Balgon.*
Abirthou, Poſteà.
Arufin, Curis. vt Galli *Ruſes.*
Adro, Diluculo.
After, Secundùm.
Afterallo, Vſquequaqne.
Ahtinga, Numerum.
Aleudi, Inſulæ.
Aleiuon, Reliquiæ.
Ambachtman, Miniſtri: quod Cæſar & Feſtus, *Clientem* Gallis ſignificare notant.
Anagen, Principium: &
Anagenni, Initio.
Aubardon, Aſcia.
Anfreſon, Interitus.
Ando, Zelus. vide *Andoda* verbum.
Anliton, Vultus.
Anlucce, Facie. vide *Anluccon* verbum.
Antomi, Frænum: nunc *Toom.*
Anſt, Gratia: alibi, *Enſt.*
Anguſt, Anguſtia.
Anuarnunſt, Intellectu.
At, Eſcas. vide *Atoda* verbum.
Aſca, Cinis.
Andarn, vel *Andran*, In vanum: nónne Italorum eſt *Indarno?*
Aſgetali, Obliuioni.
Ana, Extra vel Præter.
Arug, Peruerſa: nos *Arg.*
Amunendeliken, Intolerabilem.

VER-

VERBA.

Aſterthunſun, Detrahebant.
Aſtrithunſundi, Detrahentes.
Abtidon, Perſecuti ſunt.
Albuti, Illumina.
Anaſtandunt, Inſurgunt,
Anaſtandandan, Inſurgentibus.
Anariepon, Irruerunt.
Andredit, Timet.
Andredandi, Timentes.
Andradandero, Timentium.
Andradondi, Timentibus.
Anlucon, Aperuerunt: ſicut *Belucon*, Concluſerunt. *Antloc*, Reuela.
Antheban, Prohibebo.
Anthatta, Prohibui.

B

Balon, Cicatrices.
Baldo, & alibi, *Bolatico*, Fiducialiter.
Begihte, Confeſſione: nos *Biehte*. vide *Begigan* verbum, & *Giet*.
Behatuo, Retrorſum.
Beſuicheide, Scandalum.
Bethiu, aliàs *Bithiu*, Propterea.
Bilithires, Figuli: & *Gebilithe*, Imagine.
Biwie, Quare?
Biſmer, Opprobrium.
Biſa, Turbo: vt Gallis, *Vent de Bize*.
Biſpilla, & alibi *Spella*, Parabola.
Blaſma, Flamma.
Buokeſtaf, Litteratura, vel potiùs ipſa Littera.
Burgiſli, Sepulchrum: quaſi tegmen hominum & operculum.
Burthon, Oneribus.
Buteric, Vter: & *Butrice*, Vtrem.

VERBA.

Barida, Germinans.
Beſillidi, Proſterneret.
Beko, Proba: alibi, *Bekunno*, Tenta.
Begegunſta, Cœpi.
Begian, & *Beian*, Confiteri.
Behoſcodon, Subſannauerunt. vide *Hoſce*.
Belgon, Iraſci.
Belgonſal, Iraſcetur.
Bilgiſtuthi, Iraſcere.
Beſcediwit, Obſcurabitur: quaſi à *Schaduwe*, Vmbrâ.
Beſcurgi, Præcipita: &
Beſcorgingú, Præcipitationes. vide *Geſcurgidi*.
Beſueuit, Soporatus.
Beſuick, Supplanta. Suprà, *Beſuitheide*, Scandalum.
Beſuikit, Decipit.
Bethadon, Abſconderũt: alibi, *Bethaton*, idem.
Bethunnendero, Deprimentium.

Biuuollop, Infecta.
Biuuollona, Inquinatæ.
Biuuellan, Prophanabo.
Beuuildi, Poſſediſti.
Bizzedon, Fremuerunt: à *Biza*, ſuprà.

C, vel K.

Kellera, Promptuaria.
Keuera, Bruchus.
Kimo, Germen: &
Kuni, Semini. vide *Thiudekunni*.
Kippon, Compedibus: à Latino *Cippo*.
Cocare, Pharetra.
Krepiuda, Reptilia: quaſi *Cruypende*.
Kunnea, & *Kunne*, Generatio.
Kuoſmeer, Butyrum.

VERBA.

Keſtegoda, Anxit: an à caſtigando?
Corodos, Probaſti.
Criedon, Cognouerunt.

D

Dfiant, Diabolus: quaſi *De vyande*.
Drohtin, & *Druhtin*, & *Druſtin*, Dominus.
Druſtene, Domino.
Drugina, Dolus: vnde *Bedriegen*.
Drumbon, Tubis: nunc *Trompen*.
Duiri, Ianuas.
Dumba, Stultus.
Dumpheide, Inſipientia.
Duom, Iudicium: & *Duoma*, Iudicia: & *Duomot*, Iudicatis.
Duomis, Templum.

VERBA.

Duelont, Errant. nunc *Dolen*.

E

Egiſſo, Pauor.
Egiſin, Horroris.
Egiſlikis, Terribilis: &
Egiſliko, Terribiliter: nos *Eiſſelik*.
Edwit, Opprobrium.
Eht, Verò.
Efi, Autem.
Eino, Solus.
Einodis, Solitudinis: &
Einodi, Solitudine.
Eintiſce, Antiquos: à Latino, vt videtur, vt nos *Antikſche*. & *Eintiſcen*, Antiquis.
Ettir, Venenũ: an *Etter* noſtrũ, id eſt Pus?
Elelendig, Extraneus: &
Ellendiga, Aduenam: &
Elelendis, Peregrinationis.
Eldi, Senecta: & *Vreldi*, Senium: Nam *Vr* auget.
Emmezo, Semper.
Ercetere, Medici.
Era, Corona. vide *Geberedes*.

Erurt, Pauimento.quaſi *Ertvrij*, quòd terram tueatur.
Ereude, Fines.
Ereue, Hereditas.
Euua,Lex:& *Euun*,Lege.vide *Vuitut*.
Euuenlari,Legiſlatorem.
Euuethon,Æternum.

V E R B A.

Ehton, Perſequi.
Ehton ſal, Perſequar.
Ethindon, Perſequentibus.

F

Fakinga,Dormitatio:nos *Vaeck*,vide *Facon*.
Farbrokanuſſi, Præuaricationes.
Fardruncon, Crapulatus.
Farkutha, Abominabilis.
Faruuathana,Maledicti.
Faruuathanuſſi, Abominatione.
Faruuet, Abominatus.
Farſeggen, Excuſandas.
Faſtira, Munita.
Farthroza, Tædio.
Felis, Rupem.
Ferreno, Longè: nos *Verre*.
Ferte, Exceſſu.
Fetheracco,Alarum: nos *Vederen*.
Fio,Pecora: nos *Vee*.
Fiu,Pecuniam.nota ſic à *Pecude*,vt Latinis.
Filoberth, Præclara.
Filuberthon, Præclaris.
Filoſcire, Præclarus. in his talibus *Filo*, eſt *Veel*, ſiue Multum.
Filohardo, Vehementer.
Fillunga, Flagellum. an quia cutem radit, quaſi *Villen?*
Finiſtre,Tenebræ:Germani hodie.
Forthora, Dextra: &
Forthoron, Dextris.
Freiſon, Interitu, & Interitionibus. alibi, *Froiſon*.
Frithof, Atrium: &
Frithouo, Atria.
Fremitborona,Alienigenæ: quaſi *Vreemtgeborne*.
Fruo, Manè:nos *Vroech*.
Fuetkippon,Compedibus:ſuprà in *Cippon*.
Fulitha, Putredo: quaſi *Vuylicheyt*. & *Fulithon*, Sordibus.
Fullethon, Abundantia.
Fuotſcamel, Scabellum.
Futhon, Auſtro.
Fulluſt,Adiutorium.vide *Folleiſten*.
Furiſt,Princeps:& *Furiſtingo*,Præpoſitione: nos *Vorſt*.
Furitekin,Prodigium:nos *Voorteecken*.

V E R B A.

Facon ſal, Dormitabit.
Facodon, Dormitauerunt.
Farlithon,Tranſierunt:& *Farliet*,Tranſeat.
Farbelgeda,Exacerbauit.vide *Belgan*, & *Irbelgiden*.
Farſiht, Expugna.
Fardiligo,Dele:nos *Verdilgen*.
Faruuellunt,Prophanauerut. vide *Biuuellan*.
Farſcniton,Concidet,mediâ longâ.
Farnozgarvvurthan ſal,Conſumetur.
Fellon ſal,Deſtruet:nos *Vellen*,Deiiciet.
Ferterron ſal,Perdes: nos *Verderuen*.
Fertherithu,Perdas.
Fervverthan ſal, Peribit.
Fervverthet, Pereatis.
Folleiſten, Opitulentur.
Forhfuor, Prodijt.
Framforithu, Receſſiſti.
Framgeneian, Declinare.
Framgeleidon, Abduxerunt.

G

Gaienvverde,Conſpectu:& alibi *Gaienvveiende*: & *Genvvert*.
Garo,Paratus: & *Garu*,idem.
Galenderi,Incantantis.
Galico, Subitò.
Garuuon, Manipulos: nos *Geruen*.
Gedruſt, Turbata.
Geberge, Cubilibus: ab occultando.
Gegrauannuſſi, Sculptilia.
Vn-gefremit,Imperfectum.
Gehuorda,Fornicati.alludit, ad *Hoere*, meretricem.
Geluui,Conſenſu. *an Geliui?*
Geliuore, Libera.
Gelibedelic,Deprecabilis.
Gelende,Accola. vide *Elelendig*.
Gemerke, Terminos.
Giueri, Libera.vide *Geuere*.
Genuhte,Abundantia. ab eo quod nos, *Genoech*, Satis.vide *Genuhtegod*.
Genuht ſamori,Vberi.
Gequalbit,Coagulatus:vide *Genuallit*.
Gerihtnuſſis, Refectionis.
Geſcendidi, Confuſi.
Geſigenero, Inclinato. *Geſiſte*,Viſione.
Geſcathot,Condemnatus: an propriè Mulctatus?
Getelt,Tentoria. *Getugel*,Linguoſus.
Getuvving, Diſciplina.
Getunſt, Pactum.
Geuerthe,Iter. vide *Verthe*.
Geuuede, Veſtimenta.
Geuueſannuſſi, Subſtantia: &

Genuin,

Geuuin, Poſſeſſio.
Geuunſt, idem.
Geuuitti, Scientia.
Geuuitſcopi, Teſtimonia.
Geuuiſſo, Etenim,Enim.
Giuerſunthedion,Opportunitatibus.
Gipondi,Patens:nos *Gapende* fortè.
Gibeita,Vota:alibi *Gibeta*. vide *Heitinga*
Glauuon,Prudentem.
Githuue,Diſciplina:ſuprà *Getuwing*.
Giuuepene. Arma:quaſi *Gewaepene*.
Giuuilitte,Abundantia:ſuprà *Fullethon*.
Giuuittenon, Afflictus.
Glidir, Lubricum: &
Glideri, Lapſu.
Gothehten,Cogitationibus:nos *Gedachten*.
Gruoue,Lacus:quaſi *Groeue* nobis ,Foſſa.
Guolike,& *Guilike*, Gloria: & *alibi*,*Guolicheide*.vide *Guolican*.

VERBA.

Gebalthon,Irritauerunt.vide *Balgon*.
Gebreduuerthiſt, Fundatur.
Geberides,Coronaſti: & alibi,
Geruuit, Coronar. itemque,
Geredoſtu, Coronaſti.
Gebirmon, Quieſcere.
Gebirmeda, Quieuit.
Gebirme,Quieſcam.
Vngebirmelick, Inceſſabilis.
Gelicoda,Complacui.vide *Licont*.
Geſuogan, Adiicies.
Getouuourthun, Obriguerunt.
Gemutos, Mutabis.
Gemeini, Communicabo.
Giueri, Libera, Imperandi.
Geuereda, Liberaui.
Geueran ſal, Liberabo.
Genuhtegod, Abundauit.
Geocodon, Abdiderunt.
Gequicco, Viuifica.
Gequicceda, Viuificet.
Geruuon, Parare:*thu Geruuidos*, Paraſti:*Geruuon ſal*,Parabit: *Geruuidon*,Parauerũt: *Geruuindi*, Præparans: *Geruuida*, Parauit: *Gegeruuot*, Præparabitur.
Geſpuredos, Inueſtigaſti.
Getimbrit, Ædificatur.
Getrimbedos, Fabricatus.
Getocon, Adiiciam:ſuprà, *Geſuogan*.
Geuueigit, Vexatus.
Geuuijt, Benedictus: &
Geuuijunga, Benedictio.
Geuuiſos, Viſitas.
Gidolot, aliàs *Gittolot*, Superbit.
Gemacoda, Concinnabat.
Ginroda, Genuit.
Giminſoda, Diminuit.
Gigeroda, Parauit.
Gimarſada,Mirificauit.vide *Gomarda*.
Giſuiundon, Accelerauerunt.
Gimikiloda,Magnificabimur.vide *Mikil*.
Gibreſti, Deſit.
Gieruun ſal,Hereditabit.
Giſtatodun, Locauerunt.
Giet, Confitetur. vide *Begihte*.
Giſcurgidi, Expuliſti. vide *Beſcurgi*.
Gomarda, Mirificauit,à *Mar*, Fama.
Goumauuurkint, Epulentur.
Guolican ſal, Glorificabo: &
Guolican ſulun, Glorificabunt.

H

Haſta,Captiuitas.In Vbijs hodie,ita Carcer.
Hardo, Valdè,Nimis.
Harman, Calumnijs.
Hategon, Æmulatioue.
Hatongon, Iracundiam.
Heigero, Pellicano.
Heimodi, & *Heitmodi*, Furor.
Heitinga, Vota. Hodie Galli, *Souh-haiter*, compoſitè. Vide *Geheita*.
Hera,Cilicio: quaſi *Haera*,à pilis : & *Heren*, Cilicium.
Hereberga,Caſtra. Nos latiùs, pro omni diuerſorio:ſed illud propriè & primò.
Herberego,Caſtrorum.
Heuode, Poſſeſſio. ſuprà *Gewin*.
Hero, Lutum. vide *Horo*.
Hiera, Hîc.
Hiret, Ceruus.
Hiuuiſce,Familiæ:quaſi *Huyſche*, à domo. & *Hiuuiſcis*,Familias.
Hlothu,Præda. an *Lot* noſtrũ,quia ſæpè ſorte?
Hohtuodi,Captiuitas. ſuprà,*Haſta*.
Horo, Stercus: &
Horouue, Stercore: &
Horwe, Lutum.
Hoſce, Subſannatio: & *Hoſc*.
Hoſcoui, Illuſiones. vide *Bohoſcodon*.
Horſcomo, Vehementi.
Hue,Quis.nos *VVie*? &
Huo,Quanta.
Hundefliga, Cynomyia.
Hulpilos,Inops.quaſi *Hulpeloos*.

I

Iagere, Fenerator.
Ibenuanda, Suſpicatus.
Iemer, Æternum.
Ieuueſcon, Æternus. vide *Euuiſcon*.
Io, Semper.
Io bin, Sum.

Iob, Nónne, Nunquid?
Innethron, Viſceribus.
Inneronthungon, Inferioribus.

VERBA.

Intlouc, Aperuit. vide *Ànlucon*.
Irbelgedon, Exacerbarunt. vide *Farbelgeda*.
Irſangon ſal, Increpabit: &
Irſienge, Increpaſti.
Irſerron ſal, Obſtupefacies.
Irquicke, Excita.
Irquickon ſal tu, Viuificabis.
Irſcal, Increpuit.
Irruort werthe, Commoueat.

L

Lap, Oram veſtis.
Legerſtede, Cubilibus. vide *Geberge*.
Lepera, Labia. hodie, *Lippen*.
Letiſton, Nouiſſima. nunc *Leſten*.
Liua, Vita: & *Liues*, Vitæ: & *Lif*, Vitam. Nos *Leue*. tamen & vulgò, *Bij lijue*, illo ſenſu.
Lifuara, Cibaria: quaſi, *Lijfwere*.
Lockis, Capilli: & *Locks*, Capillis.
Loſen, Doloſum: &
Loſin, Doloſo: &
Loſonga, Dolos.
Los, Sortem.
Lucucumin, Paullominus: nos *Luttelkemin*.
Luttika, Puſilla.
Luzzilon, Paruulis: & *Luticon*, idem.
Luogirda, Rugiẽs: & *Luonde*, Rugiẽtes, alibi.

VERBA.

Licont, Placent. vide *Geliconda*: & *Licon ſal*, Placebit.
Ludon ſal, Tonabit. nos de ære Campano.
Luwethu, Præſtitiſti.

M

Mancreſte, Maieſtas. ipſa vox tamen Viri robur magis ſignificat, *Mans-cracht*. Sed alibi, *Megincraft*, Maieſtas: & *Megincreſti*, Maieſtatis.
Mangon, Maxillas. ſi recta ſcriptura: nos *VVangen*.
Melm, Puluis. nos *Mulm*, & *Gemul*.
Meiſtero, Maximo: nos *Meeſte*.
Mendiſle, Lætitia. vide *Mendian*.
Miedon, Mercis.
Mikil, Magnus, Multa, Copioſa: & *Mikilon*, Magnis: & *Mikilo*, Magnificè: & *Oumikilit*, Magnificate. vide *Gumkiloda*: & *Mikile*, Magnificentia.
Muodis, Mentis. Nos, *Moet*.
Muos, Eſca, cibi. Nos pro Olere.
Muſca, Paſſer.

VERBA.

Mendian ſal, Exſultabo.
Mendida, Exſultabit.
Mendit, Exſultate.
Mendodun, Exſultauerunt.
Mendon ſulun, Exſultabunt.

N

Nauo, Sed: & *Naio*, Pænè. *Neok*, Nec.
Neriando, Salutare: & *Neriando*, Liberator.
Newiht, Nequam: quaſi dicas, Nullius pretij aut ponderis.
Niewiht, Prauum.
Nimmeht, Non. & *Nuuieht*, idem.
Nieuuergin, & *Niergin*, Vſquequaque.
Northaluon, Aquilonis.
Nouan, Sed. ſuprà *Nauo*.
Nouanthog, Veruntamen.

VERBA.

Nerukiat, & *Neruokit*, Nolite: & *Neruoki*, Noli.
Niet, Poſſide: & *Nieton ſal*, Poſſidebit: & *Nutun*, Poſſidete.
Noſada, Impediuit.

O

Ouiranungiſcoht, Superuacuè.
Ouirboriga, Præuaricantes: vel potiùs, Mandatum ſpernentes.
Ouita, Pomorum. Nos, *Ooſt*.

VERBA.

Oigi, Oſtende. ab oculis ductum.
Ogmon, Oſtendit: & *Ougoda*, idem: & *Ougon ſal*, Oſtendam.
Ordon, Habitabat. Horda Tatarorum.

P

Priſna, Vſura.

Q

Quena, Vxor. Anglis hodie Regis vxor *Κὁχν*, ſiue Regina.
Quiccafe, Animalia: quaſi, *Quicvee*, Viuæ pecudes.

VERBA.

Quat, Dixit: & *Quethe*, Dicat: & *Quit*, Dic. Nobis mãſit geminatione vitioſũ *Quetterẽ*.
Quezzodos, Alliſiſti. Nos *Quetſen*.

R

Ratanuſſi, Irritatione. vide *Ratodon*.
Radiuuagon, Currus. quaſi *Raedt-wagen*, à iunctis rotis: an & *Ried-waegen*, ab vſu? Iſtine *Reda*.
Ref, Venter: & *Reuis*, Vẽtris: & *Reue*, Ventre.
Ripoton, Maturitate. nobis *Rijp* manſit.
Rutha, Torrens.

VERBA.

Ratodon, Irritauerunt: & *Ratuot*, Irritat: & *Geratot iſt*, Concitatus eſt: & *Ratunuſſi*, Irritatione.
Ribaridos, Denudaſti. ſic nobis compoſitum, *Openbaeren*.

Rebar-

Rebarnuſſi, Reuelatione.
Refangā, Arguā: & *Refagnuſſi*, Redatgutiones.
Reſpias, Arguas. Nos componimus, *Beriſpen*.
Ruecont, Fumigabant: quia *Root*, Fumus: ſed & alio ſenſu, *Rieehon ſulun*, Fumigabunt, ab odore.
Roduuarthan, Mouebitur.
Rundon, Suſurrabunt.

S

Saca, Rem.
Salda, Salutare: & *Saldo*.
Salethu, Tabernacula: & *Selithon*, Tabernacula: & *Selitha*, Tabernaculum. Nos *Saletta*, paullò alio ſenſu.
Sammung, Synagoga. Vnde *Verſaemen*, & *Summungun*, Cleros, cauſsâ collectionis.
Seale, Seruus. Vnde *Maris-ſealcus*, qui Equis curatot.
Seaebon, Pudore.
Scaphon, Ouili.
Seama, Reuerentia.
Searſahs, Nouacula. Nam *Sahs*, Cultrum notat: vnde Saxones Withikindo.
Seefti, vel *Scepfti*, Sagittæ.
Seepeno, Iudex. hodie *Seepenen*, Scabini.
Seeihtlon, Verticem, & *Scetlon*.
Seerni, Subſannatio, & *Seern*, Illuſio.
Sceri, Lucidum.
Scimo, Splendor: nos *Sehijne*.
Sciumo, Citò.
Sclot, Sera.
Senſte, Mitis. Germani: & *Senſti*, Manſueti: & *Senihte*, Manſuetudinis.
Serin, Tribulato. vt *Zeer doen*, Belgæ.
Setti, Sedes.
Sethelgangi, Occaſum.
Serauada, Cremium.
Scrimbre, Protector. an à *Schirmē*? an *Scrijmē*?
Sidin, Moris. nos *Seede*.
Siwoluatdun, Septuplum: quaſi *Seuenwoudt*.
Sien ogun, Pupilla oculi.
Sigmari, Victor. in Tacito, *Seigmerus*.
Siu, Vt quid?
Slapigraui, Sepulcrū: quaſi dicas Dormitoriū.
Slahta, Generatio: & *Slahten*, Semini. Nos compoſitè, *Geſlacht*.
Spietis, Haſtæ. Nos, *Spieße*. Nomen primogenium à mucrone, *Spiets*.
Sprineo, Locuſta.
Spel, Fabulario: & *Spelle*, Parabola. v. *Bijſpille*.
Sniumo, Velociter, Cōfeſtim: & alibi *Sliumo*.
Solre, Solium. an Solarium?
Sowilcan, & *Sowelix*: Quicumque.
Stowingon, Increpatione. Nos pro Stimulatione.

Staf-ſwert, Framea.
Stedinuſſi, Stabilitatem.
Stros, Sttati. vide *Store*.
Suiga, Armentum: & *Suegon*, Armento.
Suliton, Salſuginem.
Suitho, Nimis.
Suero, Dolorem.
Sufte, Peſtilenria.
Suenot, Coagulatus. vide *Gequallit*.
Sule, Columna; & *Suli*, Columnas.
Smerenne, Adipe.
Sneue, Niuis.

VERBA.

Scathan ſal, Damnabit. vide *Geſeathot*.
Scedeuuon ſal, Obumbrabit.
Sculdun, Increpuerunt. Nos *Schelden*, & compoſitè, *Beſchulden*.
Seurgi, Auerte. vide *Beſcurgi*.
Scutta, Excuſſit.
To-Store, Deſtrues.
Stihtan, Ædificabis.
Stincan, Odorabant.
Stukida, Irritauit. vt nos metaphoricè *Stokē*.

T

Theſeuuon, Dexteram. & *Theſeuun*, Dextera. vide *Forthora*.
Thegenliche, Viriliter. Nos *Degenelijck*, paullò alio ſenſu.
Thiat, Gens: & *Thiade*, Gente: & *Theado*, Gentiū: & *Thiadon*, Nationes: & *Thiede*, Gentes.
Thiadekunni, Generationes. Vide *Kuni*. nam compoſitum eſt.
Thierno, Iuuencularum. Nos *Dierne*. de vegetâ fæminâ.
Thinnongun, Tempora capitis.
Thio, Femur. Nos *Dië*.
Thurthic, Egenus: & *Thurtegin*, Egeno.
Thuwe, Ancillę: & *Thuwon*, & *Thuwō*, idem.
Tothiti, & *Totithi*, Apud.
Touferes, Venefici. Nos *Toouerers*.
Trego, Dolor: & *Tregon*, Dolore: & *Trege*, Dolores: & *Treghaft*, Dolens.
Trilon, Fimbrijs.
Triſeuuorin, Theſauris.
Triumbon, Tubæ. Nos *Trompen*.
Twiſolda, Anceps. qui in duo diſtrahitur. vnde & Latinis, *Dubito*, quaſi *Duito*: & Græcis διςάζω.

VERBA.

Teſuor, Defecit, Perijt.
Teſarando, Deficientes.
Thenit, Intendit: & *Theneda*, Tetendit: & *Thennon*, Extendes: *Thenin*, Extendant: *Thenedos*, Extendiſti: *Thenedon*, Extenderunt.

Thinoda, Seruiuit: & *Thianinwi*, Seruiamus nos. Inde *Dienen* hodie.

Thion ſullun, Abundabunt.

Tholon, Patientur: & *Tholindon*, Patiētibus: & *Tholodit*, Suſtinuiſſem: *Tholoda*, Tribulater.

Thunſi, Extraxiſti.

Thurofremidos, Perfeciſti: &

Thurofremig, Perfecta: & *Thurefremigero*, Perfecto: & *Thuroframngon*, Conſummati.

Thuroliton ſal, Pertranſibit. Nos *Doorlijden*.

Tuan, Enutries. Nos *Tijen*, & *Optijen*.

Tilo, Accelera: & *Tilont*, Feſtinant.

Tilogon, Exercitationem: & *Tilon ſal*, Exercebor: & *Getilot*, Exercitatus.

V

Verthe, Itineribus. ſuprà, *Geuerthe*.

Vla, Olla. Siburgi hodie, *Vlengaſſe*, Platea figulorum.

Vnera, Reuerentia: & *Vneron*, Pudore.

Vndirthudig, Subiecta: & *Vndirthudiga*, Subditi. Nos *Vnderdaedich*.

Vngeſceid, Vacuè.

Vnſuoti, Moleſti.

Vn, Vſque: & *Vntes*, Donec: & *Vnt*, idem.

Vmbewollan, Immaculatus.

Vmb-wath, Quare? quaſi *Omwat?*

Vorton, Timore.

Vrkundun, Teſtes: & *Vrkuntſcap*, Teſtimonium. Eſt valdè noſcere: nobis manſit in Formulis, *Oirkondt*.

Vrſagō. Excuſationes. Valde & multa dicere.

Vtriſton, Extremis. Nos *Vuyterſten*.

VVala, Abyſſus. *VVal*, idem.

VValalicondi, Beneplacito.

VVambon, Vtero. *VVan*, Spes.

VVanda, Veſtimentum: &

VVat, Veſtem, Veſtimenta.

VVashemo, Fructus. à Creſcendo: & *VVaſmo*, idem.

VVelimo, Singulos.

VVerolt, Sæculum: & *VVerold*: &, *VVerildi VVerildu*, Sæculum ſæculi.

VVether, Nunquid?

VVige, Prœlium, Bellum: & *VVigis*, Belli: & *VViga*, Prœlia. Reperio & *VVie*, Bellum.

VVirte, Holera: & *VVurti*, Herba. Inde *VVirteſpurgum*, Herbipolis.

VVirſcapandis, Epulantis.

VVitherſacco, Aduerſarius. quaſi, *VVederſaeck* aut *VVederſagger*.

VVitti, Prudentia.

VVitut, Lex: & *VVitute*, Lege: & *VVitutdraghere*, Legiſlator. A promulgando, & longè lateque ſpargendo.

VViolango, Vſquequo?

VVoligis, Vtinam.

VVop, Fletus: & *VVophis*, Genitiuo: & *VVopindi*, Lugens.

Vuriſit, Gigas.

Vrrehton, Iniquitatibus. quaſi *Onrecht*.

Vtferdi, Exitus.

Vutſtandilico, Deſolatorijs.

VERBA.

Vardilgodos, Delesti.

Vorrewet, Compungimini: quaſi *Berouwet*.

Vpſlagoda, Diſtulit: & *Vpſlagodos*, Diſtuliſti.

Vtuualle, Scateat. de Fontibus.

VValdan ſal, Dominabitur.

VVandos, Exiſtimaſti.

VVelida, Elegit.

VViepon, Fleuimus: & *VVopindi*, Lugētes: & *VVopan wir*, Ploremus. Vide *VVop*, ſuprà.

VVild, Poſſedit: & *VVielde*, Poſſediſti.

VVitonodon, Tribulauerunt: & *VVitinunt*, Tribulant: alibi, *VVizcinunt*: & *VVitinunda*, Tribulantes.

VVeigoden, Vexauerunt.

VVedan ſal, Induam. ſuprà *VVat*.

Habes, quod ſufficiat in ſpecimen: & dic ſodes: pleraque omnia quàm à ſermone hodierno diuertunt? Verba plura ignota & deſita, ipſæ terminationes, *Caſus* & *Coniugationes* (vt Grammatici appellant) differētes. Et poſſim pleraque horum interpretari, aut ad origines ſuas ducere: ſed non hoc agimus: illud vide, quāta ab annis circiter ſeptingentis mutatio: quid igitur ab alteris alteriſque illis fuit? Errat enim, qui in re inſtabili maximè, id eſt linguâ, quærit firmitatē. Quam tamen aliquam à litteris dari fateor, *vnâ fideli cuſtodiâ rerum*: ſed vbi ex maioribus noſtris fuerunt? Gręca & Latina quòd perſeuerant, ſiue Hebræa: eſt à litteris & libris. Tolle, veſtigium non exſtet: ac ſimile iudicium de Germanicâ, de Gallicâ veteri linguâ, cur non fiat? Fateor quidē latè patuiſſe noſtram illam: atq; hanc cauſſam fuiſſe, cur diutiùs perſeuerarit. quoniam finitimæ ipſæ gentes, quæ miſcebantur aut immigrabant, in eâ conueniebāt. Rodericus Toletanus ſcripſit: *Teutonia, Dacia, Noruegia, Suetia, Flandria, & Anglia, vnicam habent linguam, licet idiomatibus dignoſcātur*. Hoc ille ante annos nondū quadringētos: paullò ſuprà, potuiſſet & Galliam addidiſſe. Non enim nos Belgę tantùm, ſed vlteriores atq; interiores Celtæ, & quidquid Franci occuparunt, linguâ etiam eorum, id eſt Germanicâ, vſi. Exſtat Canon Concilij Turonenſis, ſub Carolo Magno: *Vt Epiſcopus Homilias apertè trāſferre ſtudeat in ruſticam* Liui

Roma-

Romanam linguam, aut Theotiſcam, quò facilius poßint cunctis intelligere. Itaque apparet Theotiſcam tunc honeſtiorum & nobiliũ fuiſſe, ruſticos & viliores Romanâ illâ corruptâ, id eſt hodiernâ Gallicâ, vſos. Quæ tamen mox inualuit, illâ pulsâ. Atque vt Franci ſuam eò, ſic Longobardi in Italiam intulerunt. Paullus Diaconus, *De geſtis eorum* ſcribit: *Rectorem prouinciæ, Schuldabẽ ab ijs linguâ propriâ dici:* qui eſt *Schultetz* Germanorum. Item *Argam, inutilem & inertem* : ſiue prauum & peruerſum, vt hodie. quod noſtrum eſt, etſi aſſidet Græcorũ ἀργῷ. Item, *Lamam, piſcinam : vnde quidam Lamißio dictus, quia infans de piſcinâ extractus.* Nos *Lanam* dicimus hodie: etſi Feſtus quoque *Lamam* pro *Lacunâ* agnoſcit : & in Gloſſis ſunt *Lamæ*, πηλώδεις τόποι. Idem Diaconus, *Campos patentes ſermone Barbarico Felden appellari* : quod nos agnoſcimus. Et Alboinum, occiſo Cunimundo, *caput abſtulisse, & ex eo poculum feciſse, quod Scala dicitur.* Item, *Stratorem* dici *Marpais* : quod eſt, *Marpaige.* nam *Mar*, equus. Item, *Scilpor, Armigerum* : & talia, quæ linguam noſtram ſatis adfirmant. Simile in Britanniâ, quam *Angli* è Saxoniâ immigrarunt, & veteri pulsâ, ſuam, id eſt noſtram linguã intulerunt. Planè noſtram, vt olim quidem fuit: nam poſteà Normannorum è Galliâ ſuperuentu mutauit. Beda notat: *vocari locum Anglorũ linguâ Heſenfelth, quod dici poteſt Latinè Cæleſtis campus.* Nam *Heſen*, ſiue *Heuen* (vnde noſtrum *Verheffen*) *Sublime* notat ſiue cælum. Item *Midil engli*, inquit, *Mediterranei Angli* : *Deniſes Burna, Dionyſij riuus* : *Heruteu, Inſula cerui*, quaſi *Hert-au.* nam *Au* regio vel inſula. Sic *Elge* (malim *Elgeu*) *à copiâ anguillarum dicta*, quaſi *El-geu*: *g.* inſito euphoniæ cauſsâ, vt in *Rijngow.* Idem Beda, *Aid barne, Ad nemus*, interpretatur : & incertus de rebus Britannicis ſcriptor, *Per miniſtrum nomine Thunre, quod Tonitru ſignificat.* Idem, *Edgaro regi* (anno DCCC.LXXIV.) *in ſiluâ vocem inſonuiſſe, incertum vnde miſſam, Vuoliſti, id eſt, Benè eſt tibi.* Diuidè, *Vuel iſt eu.* Matthæus Paris, in narrandâ morte *Vualtheri Epiſcopi Dunelmenſis* : vnus ex Anglis patriâ linguâ dixit, *Short red, good red, ſlea ye the Byshoppe* : quod eſt nobis, *Kort raedt, goet raedt, ſlaet ghy den Biſſchop.* Sunt plura: quid recenſitu opus, cùm conſtet ſic fuiſſe, & integra etiam ſcripta ab eo æuo exſtent? Latè igitur noſtra patuit: ſed vt ad Becanum redeam, ne credamus tamen in orbem terræ ſparſam eſſe. Atqui voces multæ ſunt in Hebræis, Græcis, Latinis, quæ adſonant vel conſonant. Quid tum? non magis hoc argumentũ ſit, à nobis illos, quàm nos ab ijs ſumpſiſſe. Tu ſic pertendes, ego aliter : quis decîdet? *Nil agit exemplum, litem quod lite reſoluit.* Fatendum ſanè eſt, & ego obſeruo, vt ratio communis hominum, ſic & verba alibi eſſe: ſiue traductione & gentiũ mixtione, ſiue caſu potiùs, an genio adminiſtrante. Sed in quibuſdam maior conuenientia aut crebrior. vt in Perſicâ, quod miremur. Nam ij & voces plures noſtras habent, & flexus coniugationum haud nimis diuerſos. Illorum eſt,

Auar, Ouer, Super.
Aual, Aenual, Initium.
Achterratz, Achterraedt, Cautio.
Band, Bandt, Vinculum.
Beradar, Broeder, Frater.
Batſa, à Latratu, Catulus.
Begrijſt, Fleuit.
Beuaſt, Clauſit.
Beuaſtand, Clauſerunt.
Cab, Caf, Palea.
Cãl, Cael, Caluus.
Caſti, Caſſe, Ciſta.
Cebar, Gebaer, Rumor.
Coda, Godt, Deus,
Dandan, Tand, Dens.
Däre, Duere, Ianua.
Dochtar, Dochter, Filia.
Drog, Bedroch, Mendacium.
Fadar, Vaeder, Pater.
Grift, Begrijpt, Tenuit.
Garm, Gram, Ira.
Garph, Graph, Profundum, tranſpoſitione litteræ, vt ſæpè.
Iock, Iock, Iugum.
Madar, Moeder, Mater.
Madach, Maechde, Femilla.
Mach, Maen, Luna.
Na, Nee, Non.
Nam, Naem, Nomen.
Nambar, Naembaer, Nominatus.
Nau, Neu, Nouus.
Neber, Neue, Nepos.
Nazdic, Naſtich, Propinquus.
Nuh, Nun Germ. Nouem.
Phriſtar, Vrijſter, Ancilla.
Stãr, Sterre, Stella.

Quid dicis? nónne germanitùs hęc Germana? niſi quis litem moueat, in *Madar, Cãl, Caſti, Iock*: quæ & Latini poſſint vindicare. At ijdem magis certò ex eâdem Perſicâ,

Chue, Sus.

Du,

Du, Duo.
Deleri, Deletio.
Lab, Labium.
Maſt, Muſtum.
Mucz, Mus.
Nectar, Optima pars.
Parah, Pars.
Sag, Canis quaſi *Sagax*.
Tu, Tu, & Tuus.
Biua poſſit addi, Vidua.

Sed & Italicas ibi voces veſtigo. vt *Meſquine*, quod ijs *Pauperem* notat: nónne eſt Italorum *Meſquinus*? Item *Maſchargi*, Perſicum, quod *ludum & iocum*: nónne *Maſcari* adſider, ludionibus & perſonatis? Mixturam vides: ſed & in aliâ gente. Apud Ægyptios ϛό-λας τιὰς πιλωτὰς (verba Agatharcidæ) προσαγο-ρεύουσι κάσας: *veſtes quaſdã coactiles vocant Caſas.* Acue in vltimâ, habes noſtrum *Caſack*, difficili aliàs originatione. *Balari* Corſorum linguâ, *Exſules* dicuntur Pauſaniæ: noſtrâ *Balling*, & *Ballarts*. Apud ipſos noui orbis Indos ſimilia. Illi *Pa-godi*, Idola dicunt: & Dei nomen agnoſcis. *Guäiras*, *Flabella*, quibus in argentarijs excitant ignem: ſunt noſtri *VVayers*. *Topos*, *Tegmen capitis*: à *Top*, quod verticem nobis ſonat. Iam *Lama*, *Ouis*: palàm eſt *Lam*. Sicut & Latinis adſidet *Auro*, Dies: etſi à ſignificatione leuiter abit. & *Chonos*, Canis, vocalibus immutatis. Si longiùs eam, vbi non aliqua pariatio? vtique in Hebræis & Græcis multiplex: quod viri docti iamnuper oſtenderunt. Idem in Latinis. neque negamus ſexcenta eſſe, quæ prorſus Germanica ſunt: ſed ancipiti, vt dixi, argumento ab ijs eſſe. Imò contrà ego certiùs dixerim, quædam à Latinis ſumpta: cùm ij imperium in noſtras has oras promouerent, & ſimul ad limites Germaniæ vtriuſque. Quis abnuet, *Vinum*, *Oleum*, *Ficus*, & talia ab ijs ducta, cùm nec rem antè haberemus? Sed & aliæ voces manſerunt, leuiter immutatæ, truncatæ, aut & totæ. vt

Abies, *Abeel*.
Ager, *Acker*.
Altare, *Autar*.
Anguſtiæ, *Angſt*.
Armus, *Arm*.
Auena, *Euen*.
Auris, *Oir*.
Bacia (poculi genus) *Back*.
Becario (idem) *Beker*.
Beſtia, *Beeſt*.
Boccola (item poculum) *Boccuel*, vt & Itali.
Boiæ, *Boien*.
Bos, *Os*.
Calix, *Kelck*.
Capſa, *Caſſe*.
Caules, *Koolen*.
Cellarium, *Keller*.
Ceres, *Coren*: mutatione *E*. in *O*. crebrâ, & *C*. priſco pronunciatu.
Cocus, *Cock*.
Colei (aurium tuarum veniâ) *Col*, & *Cul*.
Corona, *Croon*.
Crabatus, *Crebbe*.
Cruſtum, tranſpoſitione *Curſt*.
Culcita, *Culct*.
Cutis (iterùm veniâ) *Cut*: id eſt pellicula illa turpis, nec ſeriò nominanda.
Dirus, *Dier*, ipſa Fera.
Ebur, *Euoir*.
Edo, *Ete*.
Dama, *Dain*.
Facula, *Fackel*.
Ferus, *Fier*.
Flamma, *Vlam*.
Floccus, *Vlock*.
Fomes, *Vonck*.
Fullo, *Voller*.
Granum, *Graen*.
Gramen, *Gras*.
Gruſum (purgamentum in Gloſſis) *Gruys*.
Herus, *Heer*. nam iſtud nouellum eſt, & olim *Druchtin*.
Hora, *Vre*, ſine adſpiratione.
Longus, *Lang*.
Linum, *Lijn*.
Liſta (γεῖμμα Gloſſis) *Liſte*.
Magiſter, *Meiſter*: etſi Græco etiam adſonat, μήςωρ.
Mamma, *Memme*.
Mantellum, *Mantel*.
Mare, *Mer*.
Mola, *Meule*.
Moneta, *Munte*.
Mus, *Muys*.
Muſtum, *Moſt*.
Nebula, *Neuel*.
Pellis, *Vell*.
Piſcis, *Viſch*.
Pix, *Pock*.
Plancæ (lati aſſeres) *Plancken*.
Puteus, *Put*.
Raudus (rude & aſperum) *Rau*.
Remus, *Riem*.
Rota, *Rat*.
Sal, *Saltz* Germ. nobis *Saut*.
Scribo (*I* longo) *Schrijue*.
Sculpo, *Scelpe*.

Scylla,

Scylla, *Scol.*
Semen, Germ. *Saemen*, nobis *Saet.*
Sicula (*I* longo) *Sijckel.*
Sparus, *Speer.*
Stramen, *Straw*, & *Stroo.*
Speculum, *Spiegel.*
Spuma, *Scuym.*
Squama, *Squame*, vel *Squabbe.*
Strundus, (in Gloſſis) *Strondt.*
Succus, *Soch.*
Tabella, *Tafel.*
Tego, *Decken*: & Tectum, *Dack.*
Tener, *Teer.*
Vacillo, *VVachele.*
Vallus, *VVall.*
Vannus, *VVandt.*
Vellus, *Vellen.*
Velum, *VViel.*
Ventus, *VVindt.*
Verres, *Beer.*
Verum, *VVaer.*
Vermis, *VVorm.*
Ver, *VVeer*, paullò communius.
Vidua, *VVidue.*
Victum, *VVeck.*
Vimen, *VVijmen.*
Vinco, *VVinne*: In his pleriſque *V.* Conſonante, tranſeunte in noſtrum Digamma.
Virago, *Birague*, ſiue *Biregue*: de fęminâ maſculi animi corporiſque.
Volo, Germ. *VVolle*, nos *VVille.*
Vulgus, *Volck.*

Plura etiam ſunt, ſed timidiùs adfirmanda. etſi cur timidè *Caput* originem faciâ noſtri *Cap*, deinde *Cop*? Nam truncare, peculiare nobis eſt: itemque Vocales illas alternare. Sic à *Canthare*, *Kan* ſcindimus: à *Nomine*, *Naem*: ab *Oculo*, *Oc*, & *Oog*: à *Labio*, *Lep*, & *Lip*: à *Iunore*, *Iong*: à *Blenno*, *Blendt*: & quæ plura liceat, ſi libeat, adferre. Video & mutationes quaſdam auribus noſtris inſolentes, ſed, ita me Deus, vſurpatas. *Sol*, nobis *Son* eſt: *Mas*, *Man*: *Stella*, *Ster*: *Nox*, *Nacht*: *Lux*, *Lucht* Germanis, & tenuiùs *Liecht*: *Frux*, *Vrucht.* in quibus *X.* Latinum in *cht* mutatur, vt audis. Quid ſi *Cornu*, *Horn* eſſe dicam? *Porcum*, *Percken*, & deinde *Vercken*? *Anatem*, *Ent*? *Nepotem*, *Neue*? *Glebam*, *Kley*? & alia, in quibus alius ſe iactet. Sunt item occultè ducta, vt *Noen*, à *Nonâ.* Nam ita nos horam cibi vocamus, cur, niſi quia olim *Nona* legitima erat? Credam & à *Circo Kirck*, noſtrum eſſe: quia veterum templa, inſtar Circi, rotunda. quod tamen alijs à Græco κυριακὸ eſſe placet. *Boeck* etiã vnde *Librum* dicimus, niſi quia è ligno, & fago, acere, buxo olim Pugillares? Prudentius: *Buxa crepant cerata.* In alijs linguis eadem. imò & verba rariora quædam aut antiqua apparent ibi rediuiua. Sicut *Petilum*, Gallis *Petit*: *Viſium*, *Veſſie*: *Momar* pro ſtulto Siculis, quid abit à Gallorum & noſtro verbo, in perſonaris? *Combinones*, ſunt *Compaignons* Gallis: *Ebriacus*, eſt *Ebriaco* Italorum: *Cloppus* pro clando, eorumdem *Cioppo.* Quid *Charoigne*, nónne *Charonium* alludit? Sunt & noua aut ficta, vt *Canaille*: quod in Annalibus alibi redditum legi, *Canile lignagium.* Sed conuicij hæc vox nata videtur à priſco more, de quo Otho Friſingenſis De geſtis Frider. libro II. cap. XXVIII. *Vetus conſuetudo pro lege apud Francos & Sueuos inoleuit, vt ſiquis nobilis, miniſterialis, vel colonus pro huiuſmodi exceſſibus* (prędæ aut incendij) *reus inuentus fuerit, antequam morte puniatur, ad confuſionis ſuæ ignominiam, nobilis canem, miniſterialis ſellam, ruſticus aratri rotam de Comitatu in proximum Comitatum geſtare cogatur.* Et addit: *Hermannum Palatinum Comitem, cum decem complicibus ſuis, Canes per Teutonicum milliare portaſſe.* Eadem Guntherus in Ligurino, libro V.

Quippe vetus mos eſt, vti ſiquis rege remoto,
Sanguine, vel flammâ, vel ſeditionis apertæ
Turbine, ſeu crebris regnum vexare rapinis
Audeat, antè graue quàm fuſo ſanguine pœnam
Excipiat, ſi liber erit, de more vetuſto
Impoſitum ſcapulis ad contigui Comitatus
Cogatur per rura canem confinia ferre.

Sed & in aliâ cauſsâ & culpâ, ignominiæ gratiâ ſic tulerunt: quod in Dodechino & alibi leges. Iam verò & Gallorum *Garçons*, manifeſtò ſunt *Garriones* Latinis, à garritu: ſed *J.* mediâ in conſonantem fortiùs tranſlatâ. In Cedreno legas: *Conſtantinopoli conflagraſſe incendio* τὸ μεσίαυλον τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, τὸ λεγόμενον Γαρσονοστάσιον: *mediam Aulam templi magni, quæ Garſonaſtaſium dicitur.* In margine ſcripti libri notatum: Γαρσωνοστάσιον, ἐμοὶ δοκεῖ παιδοστάσιον. Γαρσώνιον γὰρ παρὰ Λατίνοις τὸ παιδίον: *Garſonaſtaſiũ, mihi videtur eſſe Puerorum ſtatio. Garſounium enim Latinis, eſt Puer.* Optimè ille. & neſcio an huc faciat Luitprandi Ticinenſis ſcriptio: *Obtuli mancipia quattuor Carſamatia, Imperatori nominatis omnibus gratioſiora. Carſamatium autem Græci vocant, amputatis virilibus & virgâ puerum Eunuchum.* Imò huc facit, & Græci illi inferiores leuiter corruperunt. Atqui & voces ſunt, in certis finibus aut limite natæ, quæ mox diffunduntur. Sic nobis *Coker* pro thecâ ſagit-

ſagittariâ aut aliâ, ad nouellos Græcos abijt, quibus eſt κύκλων. Sic *Ruter*, Eques, non hercules à Græco, ῥύω, quaſi ῥύτωρ, *Protector*, vt ingenioſè excogitant: ſed à *Rottâ* ſiue Turmâ militari. Guilielmus Neubrigenſis: *Rex*, inquit, *per ſtipendiariam militiam, quam Rutas vocant, expugnato Iſonduno.* Nos *Rottas* etiamnunc appellamus; & fuerunt propriè ſanè Brabantis. Idem ſcriptor: *Rex ſtipendiariae Brabantionum copias, quas Rutas vocant, accerſiuit.* Vides nos *Brabantos* intellegi: nec ſine gloriâ: quòd etiam à regibus euocaremur, ad ſtabiliendam eorum fortunam. Robertus de Monte eoſdem intellegit, in anno Dominico ∞.C.LXXIV. *Quod audiens rex* (Henricus Angliæ) *miſit Brebenſones ſuos, & quoſdam de militibus ſuis ad eorum auxilium.* Itaque robur & militia noſtra à tot ſeculis celebris: non etiam innocentia & abſtinentia: & dânati in Concilio Lateranenſi, Alexandro Pontifice, anno ∞.C.LXXVII. ſæuitiæ nomine ſumus. Canon Concilij: *De Brebantionibus, & Arragonenſibus, & Nauarris, Baſculis & Coterellis, qui tantam in Chriſtianos immanitatem exercent, vt nec monaſterijs deferant, nec viduis aut pupillis, non pueris aut ſenibus, non cuilibet parcant ætati aut ſexui, ſed more paganorum omnia perdant & vaſtent, ſimiliter conſtituimus, vt ipſi qui eos conduxerint, vel tenuerint, vel fouerint, excommunicati publicè denuncientur.* Nos, inquam, illi ſumus, etſi variè, & pronunciatu ferè Gallico, ſcripti. propiùs ad hodiernum ſonum poëta, qui bellū Philippi Regis Francorum contra Othonem Imper. ſcripſit:

Territat imprimis noſtros comes iſte Louani
Henricus, ſocer & miles nunc factus Othonis,
Innumeris cum Brachbantis, quo ſenior alter
Vix vſquā eſt populus bello, aut aſſuetior armis.

At *Bragātes* diuerſi ſūt. qui alibi, & in M. Alberto Argentinenſi ſic nominātur: *Turicenſes cum quattuor millibus peditū armatorū, duobus millibus Bragantum, & ducentis equitibus armatis egreſſi.* Videntur pedites fuiſſe, ſed leues aut inermes: & inde *Brigantes* etiā hodie in conuicio aut contemptu. Alioqui vox à veteri nomenclaturâ noſtrâ non diſſidet: quia regio hæc *Brachanto* dicta, vel *Brachmento*. In veteri ſcripto, de partibus Caroli regis, quas contra Ludouicū fratrem (vterq; Ludouici pij filius erat) accepit: *In Brachanto Comitatus quattuor, Cameracenſium, Hanioum, Lomenſem. In Hasbanio Comitatus* IV. Agnoſcis *Brachantum*, nobis *Brabantum*: ſed aliter eodem etiam æuo ſcriptum, in Diuiſione ipsâ Ludouici Imp. ante mortem factâ: *Ad Bauuariam, totam Toringiam, Ribuarias, Aloarias; Saxoniæ, Friſiæ, Ardenna, Asbania, Bragmento, Franderes, Menpiſton,* & quæ ſequuntur. Vbi & *Frandere*, ſiue nunc *Flandriæ* noſtræ, vetuſtiſſimam puto eſſe mentionem. Sed exclamabis meritò mi Schotti,

Quò tantū mihi dexter abis? huc dirige greſſū.

In viā & lineā redeo, à quâ patriæ amor (ſit venia) me abduxit. Satis igitur docui, & ante me alij, miſcellas inter ſe linguas eſſe: nec firmū id relum, quo de Primatu pugnent. Etſi pariationes, aut originationes, quas Becanus adfert, quis ſæpè ſine indignatiunculâ aut riſu legat? vix hoc Heracletus, ſi viuat, aut Lucilianus ille Craſſus. At argumentū eius alterū, Antiquiſſima, quę ſimpliciſſima: talis eſt lingua noſtra: ergo & priùs. Quòd ſimpliciſſima, ex eo patet, quia tota ferè monoſillaba: & verū eſt examinanti. Quid tum autē? antiquiſſima? negatur. Si in rerū naturâ & geniturâ manes, fateor, ſimplicia præire: non idem in ſermone, ſi eum altero comparetur. Neq; enim iſte talis & talis à naturâ eſt; ſed ab inſtituto, arte, caſu. Et tamen poſitioni ſi adnuam, nec ſic obtinebit. Nam Sinenſes ecce pleraq; voces hodie vniſillabas habent; eaſque variæ ſignificationis (ita ex ijs locis ſcribunt) neo niſi accentu aut tono, in pronunciando diſcernendas. Itaq; ij de palmâ certent. Sed deſino luſum: verè talem, nec alio fine aut fructu ſcripſi. Delectāt, fateor, & inuentæ originationes ſpecie acuminis capiunt & detinent: ſed non me nimis. Ad meliora & grauiora eamus: tu ad rempublicam tuam mi Schotti, cui valentem & diuturnum te, eius bono, tuæ gloriæ, opto. Louanij, XIV. Kal. Ianuar. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. XLV. *Antuerpiam.*

IOANNI MORETO, *Typographo* S. D.

VARIE in litteris tuis, vir amiciſſime, ſum gauiſus. Primùm de filiâ, quā nuptui tradis Theodoro Gallæo Philippi F. quod precor Deum felix fauſtumque ipſis eſſe, tibi & tuis lętū. Et verò fallor, aut nunc & poſteà etiam erit. Ingenium & mores ſponſi valdè placent, cuius modeſtiā (ſemper mihi originem & matrem virtutum) & induſtriam partim coràm vidi, partim aliorum teſtimonijs cognoui. Et tu noſtin' Dionyſium Villerium, Tornaci Canonicum? inſignem virum, & idoneum vel teſtem, vel iudicem: is futurum hunc tuum mirificè prædicare ſolitus, à conſuetudine

imò

imò contubernio notũ. Itaque cœpta inijci vincla porrò nectite, & adſtringite inabrupto illo nodo. Iterùm voueo, felix lętumque eſto. Sanè vides Deum inter curas gaudia etiam diuidere, & melle temperare vitæ hoc Falernũ. Nam & de filio Melchiore, qui ad ſacrũ genus vitæ ſe dedit: ſcio volupe tibi & amicis fuiſſe: & confide, ex alijs hæc te manent. Quòd ſiquid etiam interdũ quod vellicet aut pungat: nempe ſcito vitam hanc vt roſarium eſſe. flores ſpinis ſuis intermixtos; ſed illos carpendos; has vitandas aut ſeponendas eſſe, quantũ homini datur. Quidni autem detur? ratio & ſapiẽtia eſt, quâ in hæc armemur: cuius caput, ſcire conditionem & legem quæ venientibus in hanc vitam eſt dicta. Quæ? ſimilis ipſi aëri, quẽ ducimus, & in quo verſamur: vt modò ſudum, modò vdum ſit, tempeſtas, ſerenitas, & gaudijs præuię aut ſequaces curæ. Tu & ego cogitemus mi Morete: magno talium magiſtro docti, Plantino noſtro. cuius viri inter alias virtutes, ſingularis fuit illa conſtantia,

——— tranquillaque magni
Vis animi, nulloque leuis terrore moueri.

Præceptis hęc alij iactent, ille exemplis. Sed quò eo? à nuptijs ad curas, à gaudijs ad patientiã: nęc ineptè. nam & illis hæc interuenient (mone tuos) & genus id vitæ largiter admittit. Quò etiã eo? ad nos, inquis, & inuitas. Vellem hercules aut ego aut vxor poſſemus, & præſentiâ teſtari affectũ. Non datur. ſcis domi octo conuictores mihi eſſe, id eſt cuſtodes ſiue milites? Nam illi profectò tenent, nec commodo meo aut ſuo patiuntur abeſſe. Ergo animum accipe: ego illa hortenſia munuſcula, quæ tibi & Spiringio adfini tuo ſimul inſcribam. Creſcunt mihi hortenſes iſtæ opes, non valdè illæ ab Indiâ: quid tum, ſi acquieſco?

Cui non conueniet ſua res, vt calceus olim,
Si pede maior erit, ſubuertet; ſi minor, vret.

An non ego te multiloquio? neſcio quomodo nunc iuuit, abrumpo, & vale. Louanij, XI. Kal. Sextil. ∞.IↃ.XCVIII.

EPIST. XLVI. *Mechliniam.*

NICOLAO OVDARTO *ſuo* S. D.

CARMEN tuũ ſuper diſceſſu meo & placuit, & verè dicam etiã mouit. Durum eſt auelli à talibus amicis vel in breue tempus; durius, & morti eſſet, ſi in longum. Etſi iſtud tu times, & multi vaticinantur, imò magnates etiam noſtri in Aulâ: ſed ego tibi aſſero & Fidem ipſam teſtor, aut redibo ad vos, aut mors aut vincula me ligabunt. Blanditię, promiſſa, præmia, Lipſium ſemel noueris, nihil in hoc animo poſſunt. Animo, deſtinato in patriâ viuere, in patriâ mori; vtinam tranquillâ aut ſecurâ ſaltem, & quæ Iſcanum meum mihi interdum non inuideret. O quàm ſuaue, te aut Hartium in libero illo aëre & loco habere! agellos, prata, ſiluulas, fontes noſtros viſere! cœnulam ſermonibus, deinde & iocis diſtinguere! Langueo, cùm cogito hoc eripi, & vix ſpem eſſe nobis reddi: niſi Deus & Reges aliquid fecerint aut facient ex occulto. Sed heus, de itinere audi hoc etiam. rumor obſcurus ſpargi incipit de morbo in vrbe Româ: qui ſi verus, aut tollimus iter, aut certè protollimus in tempus Veris. Sed tu intereà quando ad nos? credo Breugelium Conſiliarium hîc futurum intra ſeptimanas paucas, vellem te cum Hartio noſtro vnà. & in tempore aduocabo, ac ſcribam. Vale mi optime, mi fidiſſime Oudarte. Louanij, IV. Nonas Iul. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. XLVII. *Lutetiam.*

ÆGIDIO SCHONDONCHO
Sacerd. è Soc. Ieſu S. D.

ACCEPI primum tuum, ſed herculè triſtem & verè * *θυμαλγέα μῦθον*. Itàne ſubitò nobis Liuineius noſter? ille, vt mihi videbatur, fortis, & nec annis grauis? Neſcio quod meum fatum eſt, qui in triluſtri penè morbo ſuperſum tamen omnibus veteribus amicis. Bonâ fide, pauculi ex ijs ſupertant, & vides me Priamum aliquem eſſe. His exemplis an non inciter ego, alijque ad veram Philoſophiam, id eſt, * *μελέτην θανάτου*? Ita enim, & rectè, definierunt: qui non facit,

* *Ἄφρων δὴ κεῖνός γε, καὶ οὐτιδανὸς πέλει ἀνήρ.*

At, ô mi Schondonche, quàm me inter ipſa illa triſtia lętificauit tamen, & ſuauiter titillauit tuus amor? Rem dico. notus ille quidem mihi anteà; ſed nunc deniq; ſcripto, & chirographo conſignatus. Quæſo te, deinceps mihi facito affectu non minore; ſed reſtrictiore iudicio: cui fręnũ à ratione da, nec ſic admitte in meas laudes. Ego, ego me noui, ipſum interiorem Lipſium, quantus eſt: &, iuro tibi non eſſe ad modulum, quem formas. Sed tamen habe, ſi voles:

* *——— Τίς ἂν φιλέοντι μέμφοιτο;*

neque enim ipſum illud iudicium aliud, quàm

** animi mordacem ſermonem.*
** meditationem mortis.*
** Is demùm, & nec ſanæ mentis homuncio eſſet.*
** nam quis ſi erga ſe amantem*

quàm aut Amor, aut proles eius eſt. Ego hunc in te habeo, habeo: quid ni tanto beneficio affectus? Neque enim ſileo, & cordi huic carum fuit, Vota tua in COTTIDIANO AVGVSTO SACRIFICIO pro meâ ſalute interponi. O ſic perſeuera. & de corpore parùm eſt, quod mihi videbatur paullatim *τήκεσθαι: ſed pro animo iſto interpone, id eſt, æterno, apud Æternum. Vale, mi R^de^ Pater, quem animi brachijs amplector, & vnà P. Scribanium Rectorem. Louanij, x. Kal. ∞.IↃ.XCIX.

*tabeſcere:

EPIST. XLVIII. *Antuerpiam.*

HENRICO VWENO *I^to^* S. D.

PECCAREM, & ipſe me non accuſarem ſed damnarem, ſi te conſilij expertem haberem, quod res meas & ipſum adeò me tangit. Noui animum & curam mei: ideóque iure ad te hoc defero, non vt conſilium tamen, ſed vt aſſenſum petam. Vides ex hoc ipſo, quàm decreuerim. & ita eſt: res eò venit, vt bonis votis proſequi iter meum amici debeant, non monitis aut cautionibus morari. Vt verbo dicam, addixi Principibus viris me in Italiam venturum: nec ea fides aut promiſſio, non dicam eleuari, ſed tardari debet. Cur feciſti? inquies. Multa inuitabant, ipſi illi primores viri, & nimis in me amici; ſed religio maximè, quæ à Bonifacio VIII. recepta, culpas omnes in illo anno ſacro & Luſtrali expiandi, qui nunc inſtat. Ad hunc vocabat: cur recuſarem, quod vltrò appetere debebam? Non ad lectiones aut munera publica imus, ſed ad pietatis munia. nemo me reuocet, qui illam amat. Valetudo etiam mea ſi cui curæ eſt, eódem vocat: & ſpero planè per hanc locorum, hominum, conſuetudinis mutationem, aliquid mitigatum iri perpetem illum languorem noſtrum, ſi non ſublatum. Quod ſuſpicetur aliquis de emanſione: teſtor Deum nihil eſſe, nec illos petere, aut me agitare. & cur facerem obliquâ hâc & improbâ viâ, qui potui rectâ & apertâ? Scis vocationes meas plures in eum tractum: ſemper ſpreui, & animum ac pedem in patriâ meâ fixi. Eadem nunc mihi mens. ſed peregrinari lubet, & ignauiam aut veternum motu aliquó diſcutere, quod corpus & ingenium hoc habet. Dic tu ſodes, triginta iam annos ampliùs aut docui aſſiduè, aut ſcripſi: & pauci menſes non dabuntur ad requiem aliquám, & leuamentũ? Ipſe Syſiphus in fabulis, qui perpetui laboris damnatus, ſuſpendit tamen Orpheo cantante ſuum ſaxum: liceat mihi paulliſper calamum & linguam, ad præconium & carmen hoc ſacrorũ. Pontifex nos vocat, ad ſacra *non viſa, non viſenda*: ego eo, qui liber & ſine familiari onere ſum, ſolâ vxore non volente fortaſſe, ſed nec renitẽte. Habes conſilij mei ſummam: ſed quando in rem dandi? Iam ſub Autumnum inſtantem, & September initium viæ mihi erit. Lubet enim paullò citiùs, vt hieme & frigore potiùs, quàm vt in æſtu veniam: denique vt Vere proximo etiam reuertar. Emanſio enim mea tota quinque aut ſex menſiũ erit: ſi Deus tamen volet, id eſt ſi Italia aut Roma ſepulchrum mihi non erit. Parce malè ominari, inquies. Nihil mali eſt, mors hîc & ibi imminet: nec mihi triſte, apud amatam meam Romam vel cadere, vel condi. Sed ſpero patria iterùm me videbit, vtinam lætum ipſa læto vultu, & triſtitia ac ſqualor hic bellorũ abierint, quæ nunc eam fœdant! Tu ſalue mi Vwene, ante abitum etiam vidende: & hæc, ſi commodum eſt, cum Robiano noſtro participa, cui volo ſcripta. Eidem ex animo ſalutem. Louanij, XIV. Kal. Maijas. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. XLIX. *Antuerpiam.*

AVBERTO MIRAEO, *Canonico.*

QVOD dicis, ita erat. diſtinebar ſanè Bruxellæ, aut potiùs diſtrahebar, & amicorũ beniuolentia me nec mihi permittebat. Ferendum fuit, & vides quàm optata etiam bona ſæpè nocent. Quid amicitiâ melius? ſi in plures nimis diffuſa, turbat, & quod vtiliſſimum in vitâ eſt Tempus, eripit aut partitur. Simile in famâ. quam bonam omnes boni volumus: ſi creuit, & latè ſe ſparſit, pondus vt tueare adfert, & illi non tibi tantùm viuis. O quàm omnia modica optima! & mihi ſemper id votũ & ſtudium etiam fuit, litus legere, vela in altum non dare: & tamen aura aliqua blandiens aut inſidians ſæpè prouexit. Vereor vt in Italico itinere ſimile. ad quod amici & magnates illi viri benignè & acriter ſæpè prouocant: ſed mihi quis fructus, niſi diſtractio fortaſſe, erit? Ego tamen conſtitui, & ſpopondi: etſi valetudo mea indies tenuior tardat, & ancipitem interdũ animi facit. Deum inuoco, vt immittat quod è re & ſalute noſtrâ erit. Quod ad te mi Miræe, gaudeo Antuerpiæ iam eſſe, honeſto loco, inter honeſtiſſimos

opri-

optimoſque viros, & florem (ita res eſt) in eo opido Belgarum. Nec enim ipſum ſolum eminet elegantiâ aut ſplendore, ſed & ciues atque incolæ, neſcio quo genio, ad bona & honeſta eximiè inclinati. Me quidem verſati eum ijs & iuuit ſemper, & iuuat: nec locus eſt vbi animus hic magis ſe explicet, & lætiùs libentiuſque diffundat. Itaque benè & ex meo voto, te illîc eſſe: quod addis de ſtudijs & exercitatione tuâ quam paras, valdè approbo, & toto animo illuc hortor. Ad conciones inquam. quò & pietas ac tua profeſſio vocat, imò & me iudice ipſa Natura: quæ ſuauiter & grauiter dedit eloqui, nec ſine motu auditorum. Delectabis, excitabis, inflammabis: vt ſpecimen ego in te hîc vidi. Quid autem alijs gratius, tibi honeſtius potes facere? ipſa ianua eſt ad famam & gratiam: etſi ea finem non habes, ſcio, ſed ad ſalutem aliorum hæc quoque accedent. Rogas, quos legere ad hanc rem ſuadeam. Egóne? extra meum campũ, & velut oleas, me ducis: tamen liberè, & quia inſpexi etiam ſacrorum illos auctores, dicam. Mihi inter omnes Græcos placeat Chryſoſtomus lectus: qui copiam, varietatem, figuras & flexus ſermonis dabit; denique & ornamentum grande, & quod plauſus mouet, ſimilitudines atque imagines, quibus ſcatet. Inter Latinos, Bernardus me capit. & vſum habet excitandi, ob acrimoniam vbique & calorem; tum etiam docendi atque imprimendi, ob ſententiarum acumen, quas crebrò & ſalubriter miſcet. Sed hæc alij tibi meliùs, aut certiùs: vnum tamen perpetuum iudicium meum te non celo, quod eſt, vt mores in concionibus ſpectes & formes, potiùs quàm diſſertatiunculas aut altiorem doctrinã. Mihi crede, hoc expedit, imò verò neceſſariũ eſt, ſi vmquam, in confuſo & vitioſo hoc æuo. De religione ſatis multi loquuntur, pauci vitâ exprimunt, & mores à profeſſione diſcordant. Ille vir eſt, ille Deo plenus, qui formabit & corriget: nec Eccleſiæ ſolùm, ſed Reip. optabilem operã nauabit. Deus tibi det velle, & poſſe, & me amare. Louan. prid. Nonas Iulias. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. L. *Antuerpiam.*

ANDREAE SCHOTTO, *Presb. Soc. Ieſu* S.D.

De fratris tui filio quod repetis mi Schotte, id verò mihi curæ cordíque eſt, & erit. Quòd ad nos approperet, nihil adhuc opus eſt: quia non ante medium Septembrem aut circiter, ituri ſumus, ſi tamen ituri. Dubitas? inquies. Dubium me facit tum morbus, qui in Italiæ finibus acriter incipit graſſari; tum & mea valetudo triſtior tenuiorque facta, vt à vobis diſceſſi. Calidè aut temerè aliquid facere, ratio me vetet, etſi animus valdè impellit. Itaque videbimus, & pro re ac tempore conſilium capiemus. *Itinerarium* tuum ad finem ſpectare gaudeo: de SENECA patre autem quid amplius, præter dicta, dicam? Edi aut tua, aut ipſum cum tuis approbo: ſed vt ego aliquid nunc conferam, vix eſt in meâ manu. Languor me habet, & harum rerum tædium; nec ad ſtudia aut cogitationes iſtas adſurgo: ac ne debeo quidem. Libellos tuos remitto. Saluto amanter P. Rectorem, & P. Schondonchum, ſemper meos. Certè viros amo & colo. Louanij, poſtrid. Idus Iul. ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. LI. *Antuerpiam.*

IO. BAPTISTAE PEREZIO BARONIO *ſuo* S. D.

Te quoque, vt video, in parte perculit hæc itineris noſtri dilatio, an omiſſio dicam? Sed cauſſas tamen iuſtas vides: ſiue illas publicas, ſiue hanc priuatam Valetudinem, & quæ me tangit. Fateri debeo, animo me validiorem quàm corpore eſſe, atque illum agitare & concipere, quæ ſuſcipere atque exſequi negat iſtud. Meâ quidem cauſsâ nihil moueri in totâ re decet: quid enim non viſum (homines aliquot excipio) videndum mihi? ſed veſtrâ voluiſſem, quibus dux & quaſi myſtagogus eſſe potuiſſem ad penetralia Italorum. Nunc cùm Deo aliter viſum, & velle, non poſſe, mihi detur: quid niſi tam ſuauiter acquieſcam, quàm ſi numquam ea cogitatio animum occupaſſet? Mi Baroni, hæc ſumma vel vna potiùs ſapientia, Deo & fatis obſequi; & infixum habere animo, ab illis dirigi, atque etiam perfici, molimina omnia noſtra. Adſpirat ille ab alto ventus? vela pando & nauigo: ponit aut ſe vertit? contraho eadem, & ſiſto aut flecto. Vitæ longum iter (ita eſto) tibi reſtat: ſed ſemper incertum, turbidum, niſi ſemel decreta tua ad æternum illud decretum ligas & aptas. Quod vult, velimus; quò ducit, eamus: & niſi facimus, trahendi nihilominùs aut impellendi. Sed ſatis philoſophiæ: de ipsâ re, vereor vt multæ mihi etiam à Romanis machinæ & concuſſiones.

nes. iam recenter vna, à peritâ & forti Baronij Cardinalis manu directa. Inuitat valdè benignè, & hoc vrget vt veniam ad ſacra loca & annum, vel in alienum exemplum. Si ætas eſſet aut vires pro animo; res facta erat, neque deliberandi aut cunctandi locus. Cùm me intueor, collabaſco: & maximè, quia experimentum iam mei aliquoties feci. Sicut Iunonia auis, vbi colorem & plumas circumſpexit, ſibi placet & fidit; deijcitur, cùm ad pedes ſe deiecit: tale eſt mihi, animo valeo & præfido, langueſco cùm ad exteriorem hominem me conuerti. De fratre quæ ſcribis, grata ſunt; & vt ſolet in præteritis malis, ſuaue eſt paſſum eſſe. At Hiſpaniæ etiam illam partem, ſanè florentiſſimam, lue tentari, hactenus nobis inauditum erat. Quid parat ille mundi rector? Europam bellis, morbis, & omni aliâ medicinâ purgare & curare? De curatione, ô ita eſto: purgationum iamdiu affatim, vt noſtra quidem iudicia ſunt & vota. Sed ille, quod volet, faciet: te, mi Baroni, tuoſque ſeruabit. Ad patrem ſcripſi: auo tuo, & adfini Marco Ant. Perezio, item Rokoxio ſalutem multam per te dico. Louan. III. Kal. Sextil. ∞.Iↄ.XCIX.

EPIST. LII. *Leodicum.*

Io. CHOKIERO I^to S. D.

EGO & reditum è Galliâ tibi gratulor, & de conſtantiâ affectus tui in me non nego etiam gaudere. Gratum & volupe eſt, eos qui in curâ aut diſciplinâ noſtrâ fuerũt, habere beneficij memoriam: quod nimis facilè hæc iuuentus aut elabi patitur, aut ipſa abijcit & faſtidit. At qui meliore mente & indole ad virtutem ſunt, ij verò aliter: & gratiam præceptoribus ſuis animo debent, atque hoc ipſo habent reſeruntque. Quid enim præter eam volumus? & hoc quoque, vt ſcalarum hos gradus ad Sapientiæ collem magis magiſque ſcandatis, donec ad verticem illum veniatis, in quo lux & tranquillitas eſt, & diſpectus ſimul & deſpectus rerum terrenarum. Te iam promouiſſe, & pænè perueniſſe, ſpero mi Chokieri. quem Gallia illa, bona ingeniorum altrix, aliquamdiu habuit, & in maturiore ætate tuâ ad iuris & ciuiliũ rerum prudentiam formauit. Vidiſti inſignes viros, ſcio: ſed & deſideraſti inſignes, quos vltima hæc tempeſtas belli abſtulit, & eminentibus aliquot titulis Galliam priuauit. Niſi quòd viuunt etiamnunc tamen in animis & in ſcriptis: & detractâ inuidiâ, ſolâ laude noſcuntur. Ad eorum exempla te voco, ad mei amorem hortor: quem ſcito me tibi teponere, & paria facere ac facturum in affectu. Louanij, pridie Idus Septemb. ipsâ horâ quâ tuas accepi. ∞.Iↄ.XCIX.

EPIST. LIII. *Antuerpiam.*

ANDR. SCHOTTO S. D.

ECCE, mi Pater, quod Velſero non ipſe, ſed pro me ego reſpondi. Etſi quid opus cauſſas quærere? vtinam ne vna, vna nimis obuia, nimis certa, nimis ſontica eſſet, valetudo. Quâ ſi quis in leui habet aut ſpernit; eum cur mihi audiendũ putem, non video. Cur igitur ſuſcepiſti? quia ſpes impellebat, quia pietas inuitabat: & iſta manet, illa defecit. dum leuibus peregrinatiunculis periculũ mei feci, & video non eſſe ad quadrantem, aut ſi minus dicam, longæ illius viæ. Hæc ſeriò ita habent. Quid cauſſa altera, & emanendi metus? Sepone, inquis: nemo inuitum. Hoc ſcio: ſed parùm reniti me, & ſequacem naturâ eſſe, hoc quoque ſcio. Ad ſummam, mutare melius, quàm periclitari: ſi quis de inconſtantiâ obijcit, in tali re non moueor. haud magis quàm ſi Bruxellam ire conſtituiſſem, & omiſiſſem. Cuique ſua iudicia, mihi in me mea: & Homerus communiter hoc prætendat,

—— * στρεπταὶ γάρ τε φρένες ἐσθλῶν.

Satis de itinere. De SENECAE Notis, bene eſt: & ſcis iamdiu meum ſenſum. Ego in Philoſophum paro *Commentariũ perpetuum*, & iam in parte affeci. Sed ratio diuerſa erit à priore meo genere, in quo plus aliquid ambitus, aut pompæ; hîc rei non minus, plus breuitatis, & ſimplicitatis. Videbis & cenſebis. *Bargeum De obeliſcis* ſi non miſi, vbi ſepoſuerim, neſcio. Periiſſe non poteſt, & excutiam ſcrinia omnia in otio primo. Quæſo, ſuſtenta. Pantinus redijt, libellos aliquot, & litteras à Couarruuiâ ad me tulit: ſed libellos tamen nondum miſit. Bruxellam autem ego non vidi, & quamquam Principum meorum reuerens & cupiens, tamen ſine officij fraude cenſui vnum caput in tot millenis poſſe abeſſe. Domus, quies, SENECA me habuerunt. Vale mi Pater, & RR. PP. Rectori & Schondonecho S. multam dicito. Louanij, Idibus Septemb. ∞.Iↄ.XCIX.

* bonorum mentes mutatu apta.

EPIST

EPIST. LIV. *Antuerpiam.*

NICOLAO ROKOXIO, V. N. *& Senatori.*

BARONIVS noſter tuo nomine munus libri mihi obtulit, in quo collectæ Romanæ aliquot Antiquitates. Negem mihi gratum fuiſſe? mentiar. delector & re ipſâ, quæ iamdiu animum hunc cepit: & tuâ beniuolentiâ, quam hoc quoque indicio oſtendis. Enimuerò ſperabam, & iam decreueram, oculis iſtis viſa illa olim monumenta reuiſere: vtiliùs haud dubiè atque etiam iucundiùs, quò maior mihi nûc aliquis eorum intellectus: ſed Deû & Fata noluiſſe palàm video, quæ ſub idipſum tempus imbecilliorem ſolito me fecerunt, & nec nunc ad vires priſtinas reſurrexi. Itaq; ſepono vel nolens hanc cogitationē: in patriâ meâ acquieſcam, & beniuolentiâ veſtri ſimilium: addam & ſtudiorū illud oblectamentum, numquā omiſſum mihi, & nunc cùm metę appropinquare me video, acriùs in ſeuerioribus libris amplectendū. In ijs SENECAM elegi, breuî à me dandum, ſi Deus adiuuet, clariorem & meliorem. Vale Vir Nobilis & Clme, & in affectu erga me, qui mutuum facio, perſeuera. Louanij, VII. Kal. Nouem. ∞.IↃ.XCIX. D. Perezium ſaluto.

EPIST. LV. *Montes.*

FRANCISCO BVSSERETO, *Epiſcopo Namurcenſi deſignato.*

ET priuata & publica mihi ratio eſt, gratulandi hunc honorem, quem non tam Principes, quàm Deus, meo ſenſu, videtur tibi contuliſſe. Priuatim quidem gaudere me in honore eius, quem amicum mihi ſenſi, par eſt: & publicâ patriæ cauſsâ magis, cui ſubſidia iſta opus talium virorum, & in concuſſo hoc rerum ſtatu velut noua munimenta. Vt cælo ſereno, & mari quieto, minor cura aut inquiſitio de gubernatore eſt: quiuis pænè ſufficit: at turbido hoc & illo, vitum nauis quærit, veterem claui & peritum: ſic nunc dixerim, in procellis nimbiſque quibus religio pariter & reſpublica iactantur, magni intereſſe quem in curam tutelamque eius arceſſi videamus. Videmuſte, & boni omnes gaudemus: qui præter ſcientiam, vſum rerum tractandarum adfers. & quod caput eſt, puram illam & cum candore virtutem. Hoc qui te norunt, de te loquuntur & ſentiunt; hoc vulgi voces, & illa

— *ſollers deprendere ſemper Fama duces.*

Cui parem, imò ſuperiorem te fore, & auguror, & opto, & intimis animi vocibus Deum precor. qui te Reume Domine, tui ſimilem ſeruet: in quo voto alia, & epiſtolam ipſam claudo. Louanij, III. Kal. Xbres. ∞.IↃ.XCIX.

Guilielmus Wargnerius, olim meus, nunc Sacerdos & Canonicus in æde D. Petri, gaudium ſuum per me profert, & obſequium offert.

EPISTOLA LVI.

AD CONTVBERNALES SVOS,

Franciſcum Oranum.
Io. Baptiſtam Perezium Baronium.
Guilielmum Richardotum.
Antonium Richardotum.
Guilielmum Scarbergerum.
Cornelium Anchemantum.
Ioannem VVouerium.
Balduinum Iunium.
Philippum Rubenium.
Hubertum Audeiantium.

VOs verò mihi de Equis etiam moleſti eſtis; quid? vt alam equum, voluptati & valetudini: quid? vt exemplo canum, etiam laudem. Iráne grati? & hoc ſcriptione meâ nuper merui, vt à negotio ad negotium vocer? Tamen durum negare vobis ita cupidis: ſaltem hoc alterum. nam illud prius, arcæ non chartæ res eſt: & hanc potiùs impleam, quàm vacuefaciam illam. Ergo iterùm ad ludos, & verè Circum: in quo Græco Romanoq; ritu equi noſtri currāt. Quid de ijs dicimus? ſemper in vſu & pretio fuiſſe: nec aliud animal, ex quo homini plus vſionis aut commodorum. Canis venatur, amat, propugnat: hæc ipſa omnia Equus. & quid præterea? terram arat, plauſtra trahit, hominem vehit, nuncios & litteras defert, curſus & ludos exhibet; atque iſta & plura in pace. At cùm Mars tubam inſonuit, caput & aures erigit, terram pedibus pulſat, & in militiam vltrò nomen ſuum donat. Illîc armatum virum ipſe armatus in aciem defert: eam impetu perrumpit; aduerſos pectore, capite, pedibus ſternit; ore lancinat & mordet. Enimuerò Mamalucorum nuper in Ægypto equos ſic doctos tradunt, & velut fida quædam auxilia commilitaſſe.

litaſſe. Sed & Plinio ſcriptum, armigeri aut ſatellitis munus aliquando ſubiſſe, & tela ore porrexiſſe ac ſuffeciſſe. Iam ſumma vtilitas, in ipsâ fugâ. Illi perſequuntur, & aſſequuntur, imò præueniunt: ſiſtunt, cingunt: & abſque ijs, quis ſummam manû & optatum finem bello imponat? Iure igitur hoc animal Marti ſacrum, & ei Romæ & in Oriente paſſim, grata victima, immolatum. Iſta vniuersè: magis partitè etiam de Ingenio, & Fide videamus, & Pietate. Ingenium eorum, pænè ad hominis. audeo hoc dicere? mecum vetuſtas, quæ adeò adſidere noſtræ naturæ voluit, vt etiam iungi poſſe & miſceri. Centauros nónne illi formarunt ex equo infero, & ſupero homine? Itaque docilitas eorum mira, & *ingenia*, vt Plinius loquitur, *inenarrabilia*. Frænum ore, equitem dorſo ſuſcipere; ſtare, vertere, minuere, augere gradus, ad leue fræni ſignum. Quid fræni? imò vocis, aut virgæ. De Numidis, certum eſt, etiam in militiâ equis inſediſſe & pugnaſſe ſine fræno. Atqui bonus & terribilis, atque adeò pæne exitioſus Romanis, iſte equitatus. Claudianus de ijs:

—— *ſonipes ignarus habenæ:*
Virga regit. Silius:
—— *Numidæ, gens inſcia fræni,*
Queis inter geminas, per ludũ mobilis, aures
Quadrupedem flectit, nõ cedẽs virga lupatis.

Idem Herodianus, idem Strabo, tradiderũt: ne poëtarum hæc cenſeatis. Iam verò & inclinare ſe adſcenſuro docentur: imò ſubmittere & velut adorare. Dio Caſſius auctor, Traiano, cùm in fines Parthorum veniſſet, oblatum à Satrapis equum, doctum venerari hominem, & ritu adorantis, flectere anteriora genua, capite ad pedes anteſtãtis ſubmiſſo. Quid, quòd geſticulari, ſaltare, conuiuari, & decumbere, Pyrrhicas edere, & quæ ipſi homines ægrè exprimant, in theatris olim ſunt viſi? Plutarcho moroſè hoc accredat aliquis: ſed quis non Iulio Cæſari Scaligero, nouello & oculato teſti? *Equum puſillum*, inquit, *deformem circumducebat agyrta quidam, cuius iuſſu, atque etiam ſolo interdum nutu, mira ille faceret. Ambulare, ſuccuſſim properare, currere, ſaltare vel quadrupes, vel bipes. Vinum bibere*, inquit, *vidimus, in clunibus ſedentem anteriores pedes ad pateram ferre. Peluim ſine malluuium cruribus ſuſtinere, quaſi à tonſore lauaretur. Humo ſe ſternere, proiectum atque etiam porrectum iacere: ciliorum compreßione annuere, caput ad heri nutum tollere, in terga vertere: ſupinus oſtendere, quo ſitu mulier virum admittat.* Ridere vos video: audite & hiſtoriolam cum riſu pariter, ſed & triſtitiâ mixtam. Sybaritæ olim delicijs & luxu perditi, vel prouerbio locum fecere. Inter alia, iſti equos adſuefaciebant in conuiuium venire, ſaltare ad tibiam, pedes anteriores tollere, ijſque vice manuum geſtus certos edere, velut peritos quoſdam cheironomantas. Fors fuit, vt tibicen quiſpiam, contumeliâ adfectus, ab eâ vrbe profugeret ad Crotoniatas, eorum tunc hoſtes. Defert ingenium & operam, effecturum ſe vt potiantur Sybaritarum, ſi audire & ſequi ſe velint. Factum eſt, copias colligunt, in hoſtem eunt, tibicine illo duce, qui plures eiuſdem artificij apud ſe habebat. Contrà Sybaritæ exeunt, fiduciâ & faſtu pleni, quòd equitatu ſatis præpollerent. Vicinæ iam acies, & ducis illius iuſſu vniuerſi tibicines certis modulis conſpirant: equi Sybaritarum ijs agnitis ſeſe erigere, ſeſſores excutere, & ſollenne domi tripudium etiam in acie exhibere. Hoſtes vi ingruunt, capiunt equites iacentes, & iuxtà equos ſaltantes. Hoc olim: ſed & ingenia ſua in Circo probarunt, populo Romano ſpectante. Claudij Cæſaris ludis ſæcularibus, excuſſo carceribus aurigâ, ipſi ſponte viſi currere, oppoſitos vitare aut offendere, circa metam peritè flectere: denique ſeptem ſpatijs legitimè confectis ad metam ipſam ſtare, quaſi palmam poſcentes. Et omnium iudicio meruerant: aduerſarijs tantùm dolentibus, & cum pudore indignantibus, *artes hominum* (ait Plinius) *ab equis victas*. At de Fide etiam videre: quâ dominos ſuos noſcunt, adhærent, amant; viuos tuentur & ſeruant, mortuos etiam propugnant aut vlciſcuntur. Exempla, id eſt teſtimonia, hæc occurrunt. Primum de Bucephalo Alexandri, ob nobilem illum regem ipſũm nobile & notum. Agellij puriſſimis verbis id referendum eſt: *Equus Alexandri regis & capite & nomine Bucephalus fuit. Emptum Cares ſcripſit talentis* XIII. *& regi Philippo donatum: æris noſtri ſumma eſt ſeſtertia** CCCXII. *Super hoc equo dignum memoriâ viſum, quòd vbi ornatus erat, armatuſque ad prælium, haud vnquam inſcendi ſeſe ab alio niſi à rege paßus ſit. Id etiam de iſto equo memoratum eſt, quòd cùm in eo inſidens Alexander bello Indico, & facinora faciens fortia, in hoſtium cuneum, non ſatis ſibi prouidens, immiſiſſet, coniectiſque vndique in Alexandrum telis, vulneribus altis in ceruice atque latere equus perfoßus eſſet: moribundus tamen,*

* 7300. Philippeî circiter.

ac

ac propè iam exſanguis, è medijs hoſtibus regem viuaciſſimo curſu retulit: atque vbi eum extra tela extulerat, ilicò concidit: & domini iam ſuperſtitis ſecurus, quaſi cum ſenſus humani ſolatio, animam exſpirauit. Tum rex Alexander, partâ eius belli victoriâ, opidum in iiſdem locis condidit: atque ob equi honores Bucephalon appellauit. Hæc ille: ſunt alia. Seuerus Imp. cùm Prætorianos aſtu circumuentos exarmaſſet, quòd Pertinacem deſeruiſſent & occidiſſent: & qui inter eos equites, iuberentur deſerere equos: fuit vnus, cuius equus retineri aut ſiſti non potuit, & quamuis ille repelleret, identidem tamen ſequens & adhinniens, dominum ita mouit, vt gladio educto illum ſeque interficeret: & (addit Dio) *equus ille ſpectantibus viſus eſt libens lætusque cum domino mori.* In bello Punico ſecundo, graui & grandi illâ Cannenſi clade, eques Romanorum Clœlius fuit, atque is in ceterâ turbâ, vulneribus confectus, pro mortuo relictus. Manè facto Annibal pugnæ locum petit, ſiue vt ſpolia reliqua ſui legerent, ſiue vt ipſe oculos atque animum immanem ſpectaculo triſti paſceret. Iacebant lacera corpora, trunci artus, truces cæſorum formæ, mortui ſemimortuis mixti: atque inter iſtos Clœlius, qui ad ſtrepitum caput ac linguam mouens, extremam vocem cum gemitu effudit. Agnouit equus, quem captum Numida iuxta Annibalem inſidebat. Aures arrigit, & acri hinnitu edito proſiliens, ſeſſorem humo ſternit. Currit per cadauera, per arma, & in ore domini iam mortui conſiſtit. & cùm mouere non videret, ipſe collo inclinato, armiſque ſubmiſſis, vt ſolet, inuitat ad ſcandendum: diro illo Annibale etiam miſerante, & fidem animantis demirante. Recentius exemplum Germania ſuppeditat, illa equorum virorumque bona nutrix. Inter diſſidia ciuilia anno ∞. LXXVI. cùm Saxoniæ Principes pacem victi iniſſent cum rege Henrico, atque obſides etiam dediſſent: fuere inter eos duo pueli, Vthonis & Dedi Marchionum filij, longè adhuc à pubertate. Ij cuſtodiebantur in arce quâdam, ſub Eberhardi cuſtodiâ regij miniſtri. Apud quem patentes munuſculis euicerant, & ipſa teneræ ætatis miſeratio, vt pateretur eos ne tædio aut deſidiâ tabeſcerent, interdum circa arcem vagari, ludere, equitare, etſi vix firmiter etiam poſſent. Accidit vt venatum ipſe iret, iſtis comitibus. Feram excitant, perſequuntur cum calore & clamore, vt fit, puellorum obliti aut neglegentes (quis enim in eâ ætate fraudem hanc ſperet?) illi cùm ſolos ſe vident, mutuò alloqui, & adhortari ad fugam. Faciunt, equos admittunt, locorum hominumque ignari, tandem ad Mœnum fluuium, Deo duce, deferuntur. Ibi nauiculas piſcatorum conſpicati, rogant admitti, & Moguntiam tranſuehi: pretium chlamydulas ſuas offerunt, quibus amicti Piſcator trepidationem eorum miſeratus, & de nobiliore ſtirpe ex habitu coniectans, equis delapſos ſuſcipit, in cymbam imponit, abnauigat. Quid equi? dominos non deſerunt, impetu flumen tranant, & in vlteriore iam ripâ, greſſum admoderantes cymbam ſequuntur: ita vt cum eunte irent, cum ſiſtente alibi ſiſterent; atque id per plura milliaria Moguntiam vſque. vbi domini eos, dominos cognatus Epiſcopus hilariter excepit. Dicite, an non humanas animas inſediſſe hæc pectora credetis? Atque iſta fides in mortuos etiam perſeuerat. Plinius: *Amiſſos lugent dominos, lacrimasque interdum deſiderio fundunt.* Virgilius de Pallantis occiſi equo.

—— poſitis inſignibus Æthon
It lacrimans, guttiſque humectat grandibus ora.

Fons iſtorum Homerus, qui Patroclo occiſo canit:

* Ἵπποι δ' Αἰακίδαο, μάχης ἀπάνευθεν ἐόντες
Κλαῖον, ἐπειδὴ πρῶτα πυθέσθην ἡνιόχοιο
Ἐν κονίῃσι πεσόντος ὑφ' Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο.

** Æacidæ ſed equi, paullum à pugnâ inde remoti, Flebant, vt primùm aurigam nouere peremptum [illegible] manibus, deiectum in puluere fœdo.*

O affectum mollem, & minimè brutorum! At in Plinio vindictæ cupidinem etiam legi. qui ſcribit, Antiochum regem, cùm prœlio Gallos fudiſſet; Centareti ducis, qui ceciderat, equum inſigni ſpecie conſcendiſſe: atque hunc indignatione accenſum, ſpretis lupatis, in abrupta iſſe, ſeque & equite vnà afflicto. Item: occiſo Scytharum quodam regulo, ſingulari pugnâ & ex prouocatione: cùm victor ad ſpoliandum hoſtem accederet, ab equo eius morſibus calcibuſque confectum. Habetis & ſtupetis in Fide: accipite Pietatem. Propriè ſic appello. nam in parentes & cognationem mirificâ ſunt reuerentiâ, vel affectu. Gallus, bos, ouis, ipſe canis matrem init: iſte abhorret, & iura naturæ ſancta habet. Ariſtoteles prodidit, Scytharum regi nobilem equum fuiſſe, & pulcherrimæ ſobolis ſemper matrem. eâ cauſsâ motum regem, vt filium generoſum matri admiſceret, atque ita ſtirpem augeret: ſed illum, etſi incitatũ à prorigâ, recuſaſſe.

Cùm autem placuiſſet tegi matrem, vt imprudens ſuperueniret: factum quidem, ſed mox detectâ & agnitâ, flagitij impatientiâ ſugam propetaſſe, & per abrupta ſe præcipitaſſe. Simile in Hiſpaniâ Bæticâ noſtro ſæculo. Equus inter optimos, vnguentis & lenocinijs inductus ad matrem inceſtandã, cognito crimine, morſu ſibiipſe naturam, cum magnâ adſtantium admiratione, abrupit. Alibi, ipſum protigam, iuſtiore omnino vindictâ, legimus ab ijs interfectum. Sed & erga ſorores notitia & amor, libentiuſque in eo comitatu iugum ducunt. Hæc pietas fortaſſe, tum & mira promptaque obedientia effecit, vt in ipſis Sactis libris *Equi & Equitatus*, piorum animas ſignificent: quæ dominum videlicet ſeſſorem rectoremque accipiunt, neque ex ſuâ libidine, ſed eius arbitrio, flectuntur. Imò & eadem fortaſſe potentes diuinandi fecit: cuius rei
Iliad. τ. vetera & noua exempla. Homerus, ſuper omnes myſtas naturę arcana perdoctus, facit Xanthum Achillis equum inſtantem ei mortem præfari. Cęſaris equos, quos ad Rubiconem fluuium liberos dimiſerat, & ſacrauerat, inſidijs in eum paratis & mox patratis, per aliquot antè & pòſt dies pertinaciſſimè pabulo abſtinuiſſe, & vbertim fleſſe,
Ammian. xxx. compertum eſt. Valentinianum Principem pridie quàm periret, conſuetus non admiſit equus, præter morem ferociens, & pedibus erectis repellens. Quod ille indignatus, ſtratoré militem, quaſi eius culpâ factum, volebat occiſum. Illuſtrius hoc prodigium in Alexio Imperatore Byzantino, qui cùm fratre Iſaacio deiecto, & exoculato, imperium inuaſiſſet: numine parùm piè ſalutaro, è templo veniens, equum Arabicum, inter auſpiciorum pompas, Principali ornatu, parabat inſcendere. At ille ſubduxit, & ore, auribuſque fremens, oculis ſanguineum micantibus, terram pedibus pulſans, eoſdemque anteriores attollens, tergo recipere dedignatur ſceleſtum & paricidam. Vt verò multis adſtantium poppyſmis, & ceruicis palpationibus viſus ferociam remiſiſſe, Imperator ſubitò in eum ſe iecit, & frænum prehendit. At ille, quaſi deceptus, & ſeſſore quem nollet recepto, cum claro hinnitu in pedes aſſurgit, nec deſtirit bacchari & concutere, donec coronam gemmatam capite eius (quæ & fracta eſt in parte) atque ipſum dorſo excuſſit. Nec fides prodigio defuit; Alexij imperio turbido, & mox ipſo depulſo. Sed & ego diuinationis aut prudentiæ ſignum in equo, meâ ſalute, cepi. Anno ∞.IↃ.LXX. iter in Sequanos inſtitui, adulto iàm Autumno. Solus cum famulo eram, viæ ignarus: atque ille caſu carrucam repertam conſcenderat, laboris leuandi cauſsâ. nam pedibus ibat. Venio veſpere iuxta Clareuallem opidulum, in limite Sequanico: flumen Dubim à parte dexterâ video, inflatum, & ripas ac viam ſupergreſſum. Parte ſiniſtrâ rupes altior & abrupta erat, quam perpetuum iugum pænè opido continuabat. Quid facerem? via deſerebat, (aquis vt dixi tecta) & tamen iuxta rupem ferri prior orbita oſtendebat. Setum redire & quærere, nox imminebat. Animum obfirmo, equum immitto, & rupi quantum poterat admoueo, vt dextrum flumen vitarem. Ille recuſat, & obluctantem etiã dextrouerſum paulò ducit. Emergo denique trepidus & madidus. ſed incolæ, qui ab ipsâ portâ viderant permeantem, conſenſu dixerunt, ſi propiùs rupem acceſſiſſem, actum de me & equo fuiſſe: quia foſſæ illîc & voragines, non peruadendę. Satis, an receptui canimus? an etiam aliquid de exteriore facie habituque Equi adiungimus? opportunum videtur: & ſpecies quorumdam ſatis eſt noua. Iulio Cæſari equus Suet. c. LX. & Plin.
fuit *pedibus propè humanis, & in modum digitorum vngulis fiſſis. quem natum apud ſe, magna curâ aluit, nec patientem ſeſſoris alterius, primus adſcendit.* Rudolfi I. Auſtriaci imperio, equus Baſileam venalis adductus, qui bimus tantùm eſſet, altitudine autem viros pleroſque ſupergrederetur. Indicatus fuit CC. marcis, venditus C. qui ſunt *Philippici* quingenti, grande pretium in illo æuo. Sed magnitudine & formâ ſtupendum equum fama (neſcio an ex vero) ſed fama prodidit, & veſtigia etiamnunc manent. In Arteſiâ haud procul Lillerio Malanoium arx eſt, aut potiùs fuit. nam ipſa per bella diruta, villa tamen & veſtigia manent. In eâ Toparcha erat, qui ſtudioſè equitium alebat, & ioco dicere ſolitus, Si equi ſibi cornuti naſcerentur, tunc denique ad bellũ Sacrum (ea tunc militia vigebat) ſe iturum. Euênit, & equus grandi formâ, cornibus eminentibus naſcitur: cui ſupra vulgus etiam celeritas & vires. Saltus adhuc eius oſtenditur pedum circiter LX. & columellæ defixæ ſunt: quas Illuſtriſſ. Princeps CAROLVS *Dux Croius & Arſchotanus*, loci nunc eius dominus, memorię & poſteritatis cauſsâ, iuſſit renouari. In Principis eius nomine finiam, quem

quem vos mecum veneramini, alti animi, acris ingenij, & honeſtarum artium ſtudiorumque amantis. Louanij, in communi domo noſtrâ, III. Kal. April. ∞.IↃC.

EPIST. LVII. *Antuerpiam.*

F. FRANCISCO VILLERIO, *Ordinis eius Diui.*

FATEOR me libentem & epiſtolam tuam vidiſſe, & carmen. Vtrumq; me docuit, te inter eos eſſe qui longè ſe penetrarunt in litterarum adyta; & poſſe hac quoque acceſſione ornare ſtudia tua diuinæ ſapientiæ & pietatis. Hoc magis amaui in te, quia in ordine illo & ſacro cœtu es, quem veneramo. At quòd de Carmine ſic ſeriò ſententiam meam quæris, habe. Ipſa inuentio arguta, elegans, ingenioſè aptata; nec phraſis diſſidet; niſi quòd genus ipſum carminis maluiſſem aliud, & ex vſurpatis eſſe. Quòd obſcuritatem accuſent; illis fortaſſe, qui vetus nihil legerunt: nobis non eſt, qui ſcimus quò aſpicias, & ſenſus aut verba flectas. En meum iudicium: ſed affectum magis ad te mitto; & parem tuo repono. Vale, & precibus apud Numen me iuua. Louanij, V. Idus Ianuar. ∞.IↃC.

EPIST. LVIII. *Antuerpiam.*

HENRICO VWENO I^{to} S. D.

ANIMVS iubet ſcribere, & tua compellatio poſcit: ſed aura & glacians hoc frigus negat. Viden' liquorem etiam negare, & ſub manu concreſcere? pauca igitur. Laurētius tuus pro voto tuo eſt, imò vereor vt excedat, monendusque ſit temperare ſibi in ſtudijs, quæ calidè nimis & aſſiduè tractat. De ſcriptiunculâ nunc meâ, cupio te ex Moreto noſtro diſcere, ad quem miſi & *Diſſertatiunculam* (ſic iure appello) & *Panegyricum Commentario* obiter illuſtratum: quem vtinam, bis vtinam, noſtri Principes & capiant & legant! Quid de æuo iſto dicam, neſcio: nouitia in pretio ſunt, ſed per ea quid boni, quid magni geratur, gerendúmve ſit, nondum video. O ſæcula illa & viros diuerſa ab iſtis! Sed mitto. puer ille Genialis tuus ſpem facit mutationis in melius: & libens equidem iſta legi. De me ſi quæris, non eſt intactus animus ſuperſtitione (ſi ita appellanda ſit) hæc credendi, aut certè obſeruandi: & exitus docebit, à bono veracique Genio iſta ſint, an à prauo & illudenti. A Genio tamen eſſe, conuenit: & Theologi hîc noſtri (nominatim Delrius) ad exitum vſque iudicium protollunt. Illud ei non placebat de Nube: & ait obſeruitaſſe, deteriores ferè Genios ſic apparere. Deſino, ab aurâ iubeor, etiam à Legatis, qui me exſpectant. Cæſarcos dico, quos rediſſe ad nos ſcito, reditum parantes, quo fructu? eodem quo venerunt. O mi Vwene, quàm quædam mihi non ire videntur, quò Genius ille & nos vellemus! Sed Deum reſpicio, & ab eo auxilium poſco, & tibi mi amice tutelam. Louanij, VII. Idus Febr. ∞.IↃC.

EPIST. LIX. *Antuerpiam.*

P. ÆGIDIO SCHONDONCHO, *Presb. Soc. Ieſu* S. D.

EN, ad noſtrum *cæleſtem* iuuenem, & ex vtriuſque veſtrûm voto. Ita inquam, vt in Italiam viam illi ſuadeam, faciam, atque etiam habitationem. Certè ſiquis Lipſio fauet aut vult factum, huic volet, ita calidè commendabo. Vnum illud de Præſidis filio excuſo. nec enim poteſt, & familiam inſtruxit, & in viam iam ſe aut dedit, aut ſtatim dabit. Hærebit etiam in Sequanis, rei ſuæ cauſsâ, aliquot menſes. De me, quod ſubaccuſas non veniſſe: quid facerem? víſne vacuum? At ego SENECAM mecum volebam: & hactenus noluit valetudo, quæ tres iam hos menſes à ſcribendo, & pænè etiam legendo, arcet.

* Ζεὺς με μέγα κρονίδης ἄτῃ ἐνέδησε βαρείῃ.

Si internæ ſaluti expedit, hanc quoque externam precibus tuis mihi adiuta mi Pater. Louanij, III. Idus Iun. ∞.IↃC.

*Me Deus ille grauem in-ſtrinxit ligamine ad Aten.

EPIST. LX. *Antuerpiam.*

R. P. ANDREAE SCHOTTO S. D.

CERTE mi Pater, res noſtræ ancipites ſunt, & quę vel conſtantes etiā turbent. Me quidem non dolore ſolùm, ſed pænè indignatione adficiunt. Omnia ſic regi aut non regi? Etſi Principum hîc nulla culpa, opinor, ſed vel miniſtrorum, vel militum, vel temporum & fati, vt rem dicam, quod acerbum incumbit Belgis. Patiamur, vt ais, & Philoſophiâ nos muniamus. Facio equidem pro virili: ſed de SENECA quod ais, & vt pergam; ita me Deus, vt mens & manus torpent, cùm hæc video, audio. & quis ſcriptiouibus inter talia locus aut vſus? Valetudo

do etiã me coercet, & non lubet frigore decorare ſi quid meliore igne ſcripſi. De Velſero autem quid narras? ego verò & librum miſi iamdiu, & inter primorum primos, atque etiam tabellam ſcitulam adiunxi in quâ meus vultus. Nam ita petierat. tu quæſo à Moreto inquire cui tradiderit; vt puto, eius actori: atque illum igitur, ſi opus, mone. me autem tui amantem, mi Pater, ama. Louanij, ſubitò & cùm auocaret, XVI. Kal. Iul. ∞.IↃC.

EPIST. LXI. *Antuerpiam.*

ARNOLDO CORDESIO.

ECCE vir Clariſſ. inſcriptionẽ ſepulchralem, quam Prunio tuo, & olim noſtro, libens merito compoſui. In laudes vbertim non me diffudi, quia nec decere illîc arbitror, ſed nec expedire. Sicut pluuia leuis, & modica facibùs in terram penetrat, & humectat: ſic laudes in animos, & adhærent. Eius, & tuâ cauſsâ, ſiquid etiam poſſim, ſignifica, id eſt, impera. Tuâ, inquam. qui heres vt opum eius es, ita & beniuolentiæ in me, quam largiter nuperrimè oſtendiſti. Itaque Plauti dicto,

Ego tibi omnia facta cupio, cupiáq;, quæ voles.

Louanij, X. Kal. Sept. ∞.IↃC.

EPIST. LXII. *Antuerpiam.*

CAROLO HOVIO S. D.

ITALICAS litteras iterũ tuâ operâ accepi: & gratas eas eſſe cur negem? Hoc tamen nolim, oneris aliquid ſuſcipi à vobis meâ tantùm cauſsâ. Iuuat verò nunc audire, quæ in Sabaudiâ & illo Italiæ limite geruntur: atque vtinam audiamus tantùm! Vtinã non ſpargant ſe ſcintillæ illius incẽdij, & Belgicam etiam noſtram comprehendant! Spero non fiet: aut aſpero & duro bello conflictemur, atque etiam ambiguo, præſertim ambiguis animis popularium, qui ad Galliæ fines colunt. Scis eos abhorrere à bello, ſcis genti olim dominæ, nunc ſociæ, parùm etiam amicos. Sed Deus ille, tutor adhuc noſter, hæc auertet, aut in melius, & præter ſpem vertet. De fratre tuo Franciſco ecquid audis? manet Romæ, an ad nos ſuos redit? Ego iſtud mauelim, & ſuadeam herelè: niſi fructuoſa aliqua cõditio aut certa eius ſpes, eum ibi tenet. Satis inſpectioni, ſatis & religioni datum. Sed hęc Mag^cus^ parens tuus videbit, quem ex animo ſaluto. Vale mi Houi. Louanij, VI. Kal. Octobr. ∞.IↃC.

EPISTOLA LXIII.

IVSTVS LIPSIVS IO. BAPTISTÆ PEREZIO BARONIO, V. N. I. C^to^ HODIE RENVNCIATO ANIMO ET STILO GRATVLOR.

NÓNNE iure hunc honorem? ad quem tibi gradus è meâ domo & diſciplinâ factus. Nam anni iam quattuor ſunt, cùm pedem huc tuliſti: quid niſi ad bonarum artium mercatum, & vt pectus ijs impleres? Feceras hoc quidem à puero:

—— neque enim, ceu neſcia falcis
Silua comam tollit, fructumque exſpirat in auras:

ſic tu in laſciuiâ & licentiâ ſuccreuiſti. Sed patre auoque curantibus, præceptoribus ducentibus,

Iam tibi Pieriæ tenero ſub pectore curæ,
Diſcendique vices, & amor.

QVÒD ſi à veſtibulo domũ, ab aurorâ diem augurari licet: nos ex ijs ipſiſſimis initijs magnam quamdam à te lucem. quâ illam etiam maiorum illuſtrares. maiorum, inquam:

—— neque te ſeries inhonora parentum
Obſcurum proauis & priſca lucis egentem,
Plebeiâ de ſtirpe tulit:

ſed clarum teſtatumque tibi genus ab annis quingentis, è Cantabriâ: id eſt, robuſtâ & purâ illâ Hiſpaniæ parte. de robore, Poëta dixerit:

Cantaber ante omnes hyemiſque, æſtuſque, famiſque
Inuictus, palmamque ex omni ferre labore.

DE puritate, quis neſcit, cùm Barbari Hiſpaniam inundarent, eum tractũ ab impietate ſimul & peregrinitate expertem manſiſſe? Illinc ergo maternum tuum genus, & pater: vir æquabilis vitæ & modeſtiæ:

—— virtutibus ille
Fortunam domuit, nunquamq; leuãtibus altè
Intumuit rebus.

QVID auus tuus maternus, LVDOVICVS PEREZIVS, ex Hiſpanicâ item nobili ſtirpe? quem vetus & mutuus inter nos amor laudare me cogit, & vetat. Sed vel ſine amore, iudicio & veritate hoc dicam: virum eſſe cum paucis hodie,

—— in quo veteris veſtigia recti
Et mores video ductos meliore metallo.

AB his radicibus tu ramus, an frutex, ſuc-

cum

cum etiá virtutis & melioris animi traxiſti:

Cœtuſque vulgares & vdam
Spernis humum, fugiente pennâ.

ITAQVE ad omnia honeſta, cum induſtriâ & ſucceſſu, te dediſti. & Iuriſprudentiam præcipuè, ſed & alias cum eâ artes coluiſti: neque id nego, me monitore & magiſtro. Sicut enim vomere ſolo terra ſcinditur, neruis in citharâ ſonus editur: ſed adiungi tamen alia membra parteſque opus, decori, commodi, imò & perfectionis cauſſa: ſic in arduâ iſtâ artium cenſemus, eſſe quæ iuuent aut ornent. Feciſti igitur. quo præmio? primùm ipſo illo ſcientiæ, deinde hoc honoris & publici elogij, quod acceſſit. Macte! Iuſtitiæ illius nunc myſtes & ſacerdos es; quæ, Homeri veriloquio,

Τὰς ἀνδρῶν ἀγορὰς ἠμὲν λύει, ἠδὲ καθίζει:
Hos cœtus hominum ſoluit, iungitq́; viciſſim:

quæ ſola efficit,

—— ne armorum ferrique poteſtas
Confundat ius omne manu, ſceleriq́; nefando
Nomen ſit virtus.

Quæ denique IVS SVVM CVIQVE TRIBVIT: Deo cultum, regibus obedientiá, maioribus reuerentiá, minoribus comitatem, oppreſſis tutelam, dubijs conſilium, omnibus innocentiam. Ah, ſacrifica huic aſſiduè & lita: ſed in publico. id eſt, patriæ & ciuibus tuis auxiliator, tutor, rector.

Vile latēs virtus: quid enim ſubmerſa tenebris
Proderit?

Haud magis,

Quā lyra, quæ reticet, vel qui non tēditur arcus.

PRODVCENDA eſt. & vt Homerus Themidem (id eſt, Iuſtitiam) facit Iunoni in concilium Deorum venienti poculum offerre: ſic eius conſulti debent regibus & dynaſtis propinare ſalubrem hunc conſilij liquorem. Tu facito, &

—— eſto animus tibi
Rerumque prudens, & ſecundis
Temporibus, dubijſque rectus.

ESTO & modeſtus. ſicut enim ad coruſcationem aut maiorem lucem oculos claudimus: ſic tu animum debes, ad honoris hunc ſplendorem.

—— non ſe meruiſſe fatetur,
Qui creuiſſe putat.

ET vt claudam, in omni vitâ tuâ

Sis nec pigra quies, nec iniqua potētia, nec ſpes
Improba, ſed medius PER HONESTA ET DVLCIA *limes.*

Louanij, XVII. Kal. Nouemb. prid. LIV. mei natalis. ∞.IↃC.

EPISTOLA LXIV.

HVGONAEO GROTIO.

ARATAEA tua accepi, gratū huic animo munus. An non ſic eſſet, cùm patrem tuum, cùm te cogito: quorū ille vetus mihi & diſcipulus (nō abnuet) & amicus: tu in iſtâ ætatulâ (ſic loquendum eſt) induſtriâ & ingenio effeciſti, quod pauci in perfectiore illo æuo? Gratulor mi adoleſcens, gratulor: & animo ac ſtilo te excito, vt recto pede laudis hanc viam curras. Atque vtinam, intimum meum deſiderium; tranquillatis rebus fas te, patrem, patruū, & veteres ibi amicos reuiſere! ſuaue eſſet, & hæc quaſi Lethe ſopiat præteritos omnes dolores. Sed voti hoc, vix ſpei eſt: vtique cùm præſentem rerum faciem video: niſi quod, vt ille ait, * *τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.* Is te, mi Groti, tibi modeſtiam, virtutem, famam ſeruet augeatque. Louanij, XVI. Kal. xbris. ∞.IↃC.

* *rerum inopinatarū viam Deus inuenit.*

EPISTOLA LXV.

GERARDO BVYTEWECHIO Ito.

SCRIBO, etſi tardè, non meâ ſed bonæ huius fœminæ culpâ, quæ motas ſic nexuit & tardauit. Pone tamen in lucro, quòd ſcribam. adeò ſpei eius pænè omnis expers ſui ante tres ſeptimanas, cùm acri morbo conflictarer, & à fati limine paucos pedes abeſſem. Noſti adſiduum noſtrum languorem: cui cùm alia cōcuſſio accedit, deijcior, nec ſum ferendo. Tamen, quæ Dei benignitas eſt, etiam reſurrexi, & ambulo, etſi animo ac corpore valdè fracto. Ad te cogitationes ſæpè mittimus: & quo loco capitalis tua res, id eſt, coniugium? Tuos populares imitatis, & immunis vis agere ab omni iugo? *Fac ſi quid facis*, ait vetus verbum: & ætas te admonet, parentum & noſtra vota. Tamen nequid temerè, & vt oculos habeat tuus Cupido. A nobis quod ſignificem, nihil eſt: ne in publicis quidem, quæ ſi velim tangere, nec poſſim. Omnia quaſi in vado quodam adhæreſcunt, & frigus & quies eſt, an prodromi beatæ Pacis? * *ψυχρὰ μὲν ἐλπίς,* vt aiunt Græci: & oculi mei claudentur, credo, priuſquàm Iani noſtri templum. In veſtris ſiquid rebus eſt, tuis dico & amicorum, ſignifica & nos ama. Ego te fideliter, & tuos patrem matremque ſaluto. Louanij, IIX. Kal. xbris. ∞.IↃC.

* *frigida ſpes.*

EPIST.

EPIST. LXVI. *Antuerpiam.*

IOANNI BAPTISTAE BARONIO.

PLACET conſilium parentum de mittendo te in Galliam, ſine dilatione aut morâ. Quid enim in tuâ nunc vrbe facias, niſi otiari & vagari? In ſtuctum hoc tempus cedat, & Gallicis rebus regionibuſque detur. Scripſi ad Pręſidem Thuanum, vt adire eum tibi fas & innoteſcere, qui eſt inter primores ibi viros. Ad Rolliardū nuper item: & eæ litteræ ſatis te commendarint. Aliàs ad alios, vt occaſio ſcribendi erit. Quod ſupereſt, mi Baroni, re ne deſere, id eſt, ab animi curâ & cultu ne ad vana & externa diuerte. Hæc interdum, & leuiter; illa plurimùm & fideliter te habeant. quod gaudio, quod fructui tibi ſit in æuū. Mores gentis, ad quam tendis, iam ſermonibus & iudicijs noſtris notos habes. ſunt bona, mala, mixta: inſpice, elige, proba: ſed viros reperies ab ingenio, humanitate, etiā probitate laudādos, atque his adhære tantùm. Plura vbi animus promptior, qui nunc etiā affectus à morbo. At tu vale, & cum bono Deo abi, mane, redi. Louanij, VII. Idus Nouemb. ∞.Iↄc.

EPIST. LXVII. *Antuerpiam.*

NICOLAO ROKOXIO, *Senatori.*

ACCEPI nummos, quos liberaliter mihi obtuliſti, fideliter miſiſti. Fateor opportunum mihi munus fuiſſe, ab hoc genere elegantiarum inopi adhuc & deſtituto: & ſi quid adſtruam & accumulabo, tibi debebitur, qui huius, vt ſic dicā, ædificij ieciſti fundamenta. Atqui eò ſe produxit etiam benignitas tua, vt non contentus à te dare, alium induxeris ad imitandum, vel voce tuâ vel exemplo. Nam Franciſcus Billiodus, honeſti animi ſtudijq́ue vir, vt audio, vltrò tuis nummis auctarium adiunxit, & inferioris æui Principes ordine ſuppeditauit. Et hoc, & illo nomine, tibi debeo. quid enim aliud dicam? ſoluere nec in manu meâ eſt, nec in animo quidem, ne mentiar: & libens deuinctus adſtrictuſque talibus maneo, qui ſic libentes beneficia conferūt, vt capere videantur conferendo. Gratum facere, hoc vultis tantùm: feciſtis, & ego memoriam beneficij æternæ huic parti inſcripſi. Vale Vir Nobilis & Clariſſime. Louanij, poſtr. Idus Nouembr. paullò melior ab inualetudine, quæ pluſculos dies adflixit. ∞.Iↄc.

EPIST. LXVIII. *Eódem.*

BALTHASARI MORETO *ſuo* S. D.

OMNINO mi Morete melior eſt valetudo, gaude: & vt perſeuerer eſſe (ſi ita expedit) Deum vnà mecū roga. Concuſſiuncula hæc ſatis vehemens fuit, & pæne mei euertendi. Reſtiti & euaſi, ac iam iterùm ad munia mea, id eſt, amata ſtudia, mentem & manum verto. EPISTOLARVM partem hîc habebis. nam ceteras nondum fuit recenſere: atque iſtas ipſas neſcio an intentè ſatis & curioſè. Ideò pro bono cenſeam, ſpecimina prima ad me mitti à prælo veſtro, vt in quibuſdam ſoletis: & ſupremâ iſtâ inſpectione & velut limâ poliri. In Præfatione eius CENTVRIAE omnino faciendum eſt, vt Lectorem moneam de ſpurio & ſpurco illo fœtu, quem ſuppoſitum mihi iuerunt: nec alibi magis decorè poteſt. Vidi Curtiana ad Tacitum, & bona inſunt: ſed plura hercules à tam vetuſto exemplari exſpectabam. Illud mihi delectationi, & pænè dicā gloriæ, vel centenis locis comprobari ab eo coniecturas noſtras, quas ſolo ingenio duce, & timidè ſæpè, ponebamus. Vltimam editionem noſtram non vidit: atque in eâ multa ſeria & noua repperiſſet. Diſſentit à me ſæpiculè. cuique ſua iudicia: ſed non ideò ego mea ſemper muto. Pertinaciam ſperno vel odi potiùs: ſed ignauia aut mollities animi ſit, ad omnem alienæ ſententiæ auram deijci aut vacillare. Nos in pleriſque ſtamus, & ſtabimus etiam iudicio ſequentis æui. Ceterùm ipſe Curtius mihi olim per litteras innotuit: & virum melioris animi ſtudijq́ue eſſe, iam tunc vidi. Ex animo mihi gratum eſt, tales apud Principes viros eſſe: prudentiæ illum fontem noſtrū amare, atque etiam ſcriptionibus ſuis iuuare aut purgare. Æmulatio in meam hanc mentem (Deum teſtor) non cadit. Patrem tuum rediiſſe nunc arbitror, & ſalutem ei dices. Louanij, poſtrid. Idus Nouemb. ∞.Iↄc.

EPIST. LXIX. *Antuerpiam.*

HENRICO VWENO *I^{to}* S. D.

CERTE ita eſt mi Vwene, grauis me morbus habuit, atque etiam nunc quaſi in laxâ & ſenatoriâ cuſtodiâ tenet. Nam vim eius & impetum euaſiſſe videor: plagæ & damna manent, & corpore atq; animo ſum etiam afflictus. Tamen creſcere mihi & adſurgere

adſurgere in dies videor: Deus det vt ad iuſtum & vetus robur, ſi ita eſt meo aliorumque vſu. Nam quòd tu deplores, præclaros conatus meos incidi vel abrumpi: non nego nihil eſſe: magnum eſſe non fateor: & ingeniorum ille auctor atque altor alia in tempore excitabit, quæ impleant vel augeant à nobis omiſſa. Hæc eſt lex vniuerſi, naſci, ſurgere, languere, mori: & velut lampadem hanc vitæ alij alijs tradimus, ſucceſſione iſtâ æterni. Quod de filio me rogas, nolim. illud ipſi impera, vt cùm licet (ſunt enim ibi ſub imperio) ad me veniat, quem vel hoc nomine, quòd tuus eſt, meũ duco. Curabo, iuuabo, dirigam: & præſertim in eâ parte ſtudiorum, quam nos ex profeſſo tractamus, litterarum & artium veterum. quibus vtinam pro dignitate pretiũ hodie eſſet! Sed mundi ille rector viderit: ego tibi & pro curâ mei, & pro gratulatione, gratias ago, & vt perennis ſit mutuus hic inter nos amor, ab eodem illo Numine rogo & venerans poſco. Vale V.C. Louanij, III. Kal. xbris. ∞.IↃC. D. Robiano ſalutem dico.

EPIST. LXX. *Eódem.*

Andreae Schotto V. R. S. D.

Qvod gratularis mihi de reſtitutâ valetudine, gratiam habeo: etſi in ſpe ea magis talis, quàm in re etiam apparet. Atque vtinam plenè nobis liceat & iuſtè * ζωάγρια τῖσαι: & ſemel liberari ab illâ Iouis filiâ Ate, quę tot iam annos * ἀᾷ! Per eam fit, vt omnia noſtra, etiam illa ab ingenio, languida ſint aut tarda: & in Seneca noſtro vides. De quo quòd me rogas, ecquando cenſeam, & tuis illis quid optimè fiat? reſpondeo, pendêre hoc prius totum à valetudine, quæ ſi læta me reſpiciat, non diu teneat is labor. Sed hoc non in meâ manu aut aſſertione. ideoque de altero cenſeam, fortaſſe tutius meliuſq; ſeorſim te à meis dare. Magis, quia Philoſophum dumtaxat ego meditor: & tuum vnius illud debere eſſe opus. In quo non ambigo quin præclara notaueris: quid opus te premere, & paratam tibi gloriam, alijs fructum differre? * Δρᾶ γ᾽ ὅτι δρᾷς. De Cornelianis illis Notis, mecum, & Ioue æquo, iudicas: bona inſunt, & plura à codice tam veteri videbamur iure exſpectare. Quod à me alibi diſſentit, nihil eſt. licuit; & licebit: abſint morſus aut conuicia, quæ canini ingenij homines libenter & frequenter nimis vſurpant. Athletæ in hoc ſtadio currimus: palma poſita eſt, quiuis petat; vnus altérve habeat, cui virtus & Deus dabant. Ille tibi ſalutem, Pater, & mihi per tuas & Patris Schondonchi (adiungo, & ſaluto) preces. Louanij, III. Kal. Decemb. ∞.IↃC.

* Salutis ſacrificare, vota reddere:
* laedit
* Fac ſi quid facies.

EPIST. LXXI. *Eódem.*

Iacobo Colio Orteliano.

Anglicanvm Tacitum tuâ operâ & dono accepi, & Sauilij vnà Notas, quas vtinam iuxtà tecum intelligam! Sed ſcrutor & conijcio, & ex verbi vnius alteriúſve veſtigiis cetera conjector. Velim ad latus mihi ſis, vt voues: & grata conſuetudo tua ſit, vel propter magni auunculi memoriam ſemper mihi facram. Etſi à te etiam affatim habes, quæ commendent: vtere, & auge, & in oculis illud exemplum habe. Mi Coli, alia nobiſcũ labuntur & pereunt: virtus, eruditio, & ex ijs fama perſeuerant, & ſi non æterna tamen diuturna ſunt. Ingenuus animus ad hæc eat, per hæc ad ſumma & ſola illa bona, quorum compotem te meque faciat is, qui nos hoc fine fecit. Louanij, III. Kal. xbris. ∞.IↃC.

EPIST. LXXI. *Eódem.*

Balthasari Moreto *ſuo* S. D.

En iterùm Epistolas aliquot, nec deero ſubmittere in tempore, vſque ad legitimam illam, quam nunc facimus, Hecatombem. Poſſem ſimul omnes, fateor: ſed relegendæ & corrigendę ſunt, vt ab aliâ manu ſcriptæ, ſed & aliter alibi diſponendæ. In morulâ iſtâ nihil vobis moræ, nedum noxæ. At ô de nauibus veſtris, quàm dolendum & pudendum! Quid iam niſi ludus & iocus, & vt ille ait, * χάρμα γενώμεθα δυσμενέεσσι? O Belgica,

* Αἲ αἲ τῶ σχετλίου μάλα δαίμονος, ὅς σ᾽ ἐλ-λόγχε.

Atque vtinam ſpem, id eſt, conſilia meliora videam! quæ damnare tamen noſtrum non eſt, ab vno aut altero euentu. Ego Principes cenſeo Prometheos quoſdam eſſe, qui longè prouideant: & vt cæleſte illud Fatum, occultâ cauſſarum ſerie, læta è triſtibus ſæpè nectant. Ratum ſit. ſi aliter, neque nos alij: id eſt, ſileamus, patiamur. quoniam vt ille monet,

* —— Θυμὸς ἐν κακαῖς οὐ ξύμφορος.

En tibi litteras ad Wouerium noſtrũ, quem

* gaudium ſimus hostibus.
* Heu heu, quàm malà ſors, quæ te fataliter vrget!
* ira in triſtibus, non eſt bona.

& te mecum velim amare. Scribe, & foue amicitiam adoleſcentis planè eâ digni. Ad patrem ego nunc nihil: quid inanibus obſtrepam? & ſatis vel grauibus adſiduè obruitur colloquijs, ſcriptis, curis. Salueat ille, mater, fratres, & tu mi Morete. Louanij, III. Nonas Decembris. ∞.IↃC.

EPIST. LXXIII. *Eôdem.*

FRANCISCO SWEERTIO F. S. D.

OBLECTARVNT nos tuæ litteræ, valdè nunc rerũ vberes, quas nouas aut inopinatas multas, vtinam lætas & optabiles, hęc ætas donat. De Galli regis progreſſibus paſſim iam litteræ: etiam de pace, quam conciliatore Pontifice alij magis, quàm ego, ſperant. Nam vt ingenium regis & gentis video, in tam proſpero curſu vix quieſcent: nec deſunt ibi quoque Lamachi aut Trebellij, qui ad turbas trahant. Cyneæ pauci hodie apud reges, nec audiendi. An non de Hiſpaniarum quoque narrant, ipſum expedire ad bellum, & in Cantabros venire aut veniſſe? narrant: nec credam temerè: & ſi ita eſt, animo huic peraceſcit. Nam certè, vt res noſtras video, bello etiam Gallico inuolui haud conuenit: atqui inuoluemur, ſi ille. Inter hæc ab Aſiâ hoſtis nónne vires ſumit? & ſi temperat eas clementiâ, vt ſcribis, & comirate, faciet incredibiles progreſſus. Nam hactenus nimis omnia ſæuiter, & pro barbaris: & extremorum ille metus ad extrema audenda multos adegit. Tolle, ſubmittent, & fidem exuent, & dominu mmutabunt. In comitijs Germanicis haud magna mihi ſpes eſt. toties vidimus conuentus iſtos, & decreta auxilia: ſed omnia deinde glacie tenui fragiliora, & quibus prudens non inſiſtat. Aiunt & Pontificem parare aut promittere copias: ſed quàm eæ quoque inopiâ, faſtidio, morbo facilè ſoluantur, nec bono aut firmo vſui ſint, exempla docuerunt. Duces in ijs rem ſuam faciunt, publicæ parùm accedit. Quid igitur auxilij aut ſolatij? inquies. à virtute: quæ ſecura

—— immotaque cunctis
Caſibus, ex altâ mortalia deſpicit arce.

In eam arcem te da mi Sweerti: non vis, non hoſtis eijciet, non capiet aut quatiet eam omnibus machinis Fortuna. Satis: tu ad nos plura talia, cùm habebis. Nam etſi vſui vix ſint, niſi vt ſciamus: tamen ſicut platanos, aut id genus arbores in hortos recipimus, vmbræ & oblectamenti cauſsâ: ſic liceat in aures iſtos ſermones, etſi tantùm delectantes. Quando te aliqua proles? hoc voueo iſto nouo anno, & te patrem, non ſolùm maritum. Salutat te Hub. Audciantius tuus, & litteras exſpectat quas ei promittis. Louan. poſtrid. Non. Ianuar. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXIV. *Mechliniam.*

NICOLAO OVDARTO S. D.

ACCVSO me nunc etiam, quòd Maſium Conſiliarium non viderim. Facio apud ipſum in epiſtolio, quod tradi per te velim, & tuo etiam patrocinio iuuari. Cauſſa difficilis, imò mala eſt: ideò vobis talibus fulcienda, aut ruit. Vnum ſolatur, quòd animo non peccaui: & fortis, non conſilij eſt hæc culpa. Sed, ſi Deus vitâ dat, emendanda illius & tuo arbitrio: quod pro me ſponde. Audíſne? Sed & vetus illud, inquies: *Sponde, noxa adeſt.* Non aderit, ego ſi viuo exſoluam. Vale & ſalue cum illo noſtro Hartio: qui an non iſtuc? optem. Bruxellæ, prid. Kal. Iun. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXV. *Mechliniam.*

ENGELBERTO MASIO
Senatori in ſupremâ curiâ.

MECHLINIAE me fuiſſe, nec te vidiſſe, ita mihi diſplicuit, vt nec nunc acquieſcam, etſi per amicos iuſſi excuſari. Sed quæ excuſatio vel mihi ſatisfaciat? Diſtractus ſui, fateor, illo die quem tibi deſtinaueram: ſed priore debui, aut & alium addidiſſe. Ecce, quæ contra me ſcribo: & ex eo pœnitentiam vide, & veniam promptiùs indulge. Quâ tamen lege? quam ipſe mihi dicam: vt cùm veſtra me vrbs iterùm habebit, totus in poteſtate tuâ ſim, vt vel res mancupi ſolent. Nam ego Cl^me^ Domine, iampridem te interiore hoc animo amo ac colo, veræ illius ac priſcæ virtutis cauſsâ: quam Deus tibi, te reip. & nobis ſeruet. Bruxellæ, Kal. Iun. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXVI. *Antuerpiam.*

BALTHASARI ROBIANO, Senatori.

ANTVERPIAE etiamnunc eſſe videor, & vobiſcum, ô optimi amicorum, garrire, ambulare, conuiuari. Suaues mehercule ſermones noſtri, & ab illâ animorum coniunctione, & quod ſequitur libertate otti, faciles, comes, iocis dictiſque mixti, & planè con-

& planè condiendæ ac temperandæ vitæ. Tolle hæc talia: quid omnes epulæ?

—— non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem
Non auium citharæque cantus.

Atqui litterata aut philologa interdum miſcebantur: & memini de *Caminis* iniectum & quæſitum, de quibus certiùs vberiuſque nunc ſcribam. Nam dicere omnia, ſic inopinatò * καὶ ἐκ τοῦ παραχρῆμα, difficile: & vix vlla tam felix obſeruatio aut memoria poſſit. Nunc pro captu meo fiat, & quamquam in æui priſci caligine, perambulabo ædium veterum membra, & curioſo ingenij oculo luſtrabo. Dicebam Romanos, ſed & Græcos, non habuiſſe iſta emiſſaria fumi, ſiue ab imo patulas & in arctius aſſurgentes gulas, quibus Europa hodie vtitur: ſed inuento haud nimis priſco, etſi bono commodoque. Nam ſi anteà Romæ, imò in prouincijs: cedò, vbi in tot ædificiorum ruinis aut parietinis eorum veſtigium? vbi in Vitruuij aut veterum ſcriptis memoria? Vox ipſa, non nego, exſtat alibi, ſed ſenſu alio: nec niſi fornacem, aut talem camerationem, vt & Græcis, notat. Nam à Græcis ſcilicet Romani hoc verbum mutuati. In Gloſſis priſcis: Κάμινος, *Caminus, Furnus, Furnax*. & ſcitè Græci magiſtri deriuant, παρὰ τὸ ὑπομένειν καιομένην: *quòd ſuffert & ſuſtinet calefactionem*. Non aliter Ciceronem accipies, cùm Trebatio ſcribit: *Camino luculento vtendum cenſeo*. quia in frigidâ ſcilicet noſtrâ Galliâ erat. Sed quomodo igitur vtebantur? fornaculâ aut foculo in cubiculum aut triclinium illatâ, in quâ carbones igniti eſſent. Ea ex ære, ferro, teſtâ erant, pro copiâ aut arbitrio cuiuſque. Suetonius in Tiberio: *Cinis è fauillâ & carbonibus, ad calfaciendum triclinium illatis, exſtinctus exarſit repentè*. Alexandri Magni dictum, pro hoc more: Ἐν χειμῶνι, inquit Plutarchus, ἐν ψύχει δὲ φίλων τινὸς ἑστιῶντος αὐτὸν, ἐσχάραν δὲ μικρὰν καὶ πῦρ ὀλίγον εἰσενέγκαντος, ἢ ξύλα ἢ λιβανωτὸν εἰσενέγκειν ἐκέλευσεν: *Hieme & frigore cùm quidam amicorum epulo eum exciperet, atque is paruum foculum & modicũ ignem intuliſſet, Aut ligna aut thus iuſſit inferre.* Significans & ludens, talem ignem cum ſuâ acerrâ magis ſupplicationi, quàm calfactioni conuenire. Etiam Anacharſidis, apud eumdem Plutarchum: Ὁ σοφὸς Ἀνάχαρσις, ἄλλ' ἄττα τῶν Ἑλλήνων μεμφόμενος, ἐπῄνει τὴν ἀνθρακιὰν, ὅτι τὸν καπνὸν ἔξω καταλιπόντες, οἴκαδε τὸ πῦρ κομίζουσι: *Sapiens Anacharſis, cùm multa Græcorum carperet, laudabat carbonarium ignem, quòd fumum foris relinquentes, ipſum purum in domum inferrent.* Itaque accendebant foris, accenſum importabant. At poſteà, ab exemplo balneorum fortaſſe, repertus modus alius. atque is fuit, vt fornace ſiue camino ſub ipſo cubiculo aut cænatione ſtructo, per tubos & canales, qui parietibus in orbem inhęrebant, calorem ab igne mitterent in dicta membra. Videmus paſſim hos tubos ex imbrice aut tegulâ ſtructos, non in Italiâ tantùm, ſed prouincijs: & ipſo Armamentario ad Rheni oſtium in Batauis, ſcio me notaſſe. De his Seneca, De Prouidentiâ: *Quem ſpecularia ſemper à flatu vindicarunt, cuius cænationes ſubditus, & parietibus circumfuſus calor temperauit*. Ait, *Subditum*: ergo in loco inferiore, vt dixi, & ſub ipſo pauimento. Ait *circumfuſum parietibus*: nempe per impreſſos illos tubos. Rem non veterem planè, ipſe oſtendit in Epiſtolâ quapiam: *Quædam noſtrâ demum memoriâ prodiſſe ſcimus, vt ſpeculariorum vſum, & impreſſos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima ſimul & ſumma foueret æqualiter.* Dicit, ſuâ memoriâ prodiſſe, id eſt, ſub æuum Auguſti aut citeà. Et verò antè Specularia reperta, nec iſti commodè induci potuerunt: quia feneſtris apertis, calor exſpiraſſet. Oſtendit & vſum, quòd *æqualiter ima & ſumma* calefierent. Verum eſt. & ideò illa ratio mihi percommoda videatur, ac ſupra Germanorum Stubas: imò, ſi copioſior ſim, imiter eo fouendo corpuſculo & vſurpem. Studijs ſtudioſiſque ſit aptum. Didici autem à Nicolao Florentio olim Romæ, hos tubos foramina habuiſſe: quæ claudi & recludi pro arbitrio poſſent. Illud, in primo igne adhuc fumido; iſtud, vbi carbones iam & fauilla eſſent, & calor tutò ac ſine fumi noxâ poſſet admitti. Quamquam & contra fumum ligna arida ac cocta haberent, de quibus mox addam. Sed de camino, ad hunc talem Suetonij verba in Vitellio referam: *Nec antè in Prætorium redijt, quàm flagrante triclinio ex conceptu camini.* Etiam Arnobij: *Lateranus vobis deus focorum: quòd ex laterculis crudis caminorum iſtud ædificetur genus.* Meritò, *crudis*: adfatim enim ignis mox coquit. An & Sidonius huc aduocandus? *A crypto porticu in hiemale triclinium venitur, quod arcuatili camino ſæpè ignis animatus pullâ fuligine inficit.* Nam quod *Arcuatilem* dicit, ad fornicationem videtur referendum. De fuligine autem quod ait;

[Margin notes: * ex tempore. — Lib. VII. Epiſt. — C. LXXIV. — In Apophth. — Quæſt. Conuiu. Lib. I. c. VII. — Cap. XV. — Epiſt. XC. — Cap. 2. — Lib. IV. adu. Gent. — Epiſt. II. lib. II.]

in longo & crebro vſu, præſertim buccis apertis, id quoque euênit. Idem graphicè, in Burgo Leontij:

Quæ dominis hiberna domus ſtrepit, hic bona flamma
Appoſitas depaſta trabes, ſinuata camino
Ardentis perit vnda globi, fractóque flagello,
Spargit lentatum per culmina tota vaporem.

In hiemalibus membris, inquit, ignis luculẽtus ligna appoſita ſiue iniecta depaſcitur: quid tum? ſed idem ne altum petat, camino ſinuato frangitur, & flagellum illud flammæ ſurgentis repulſum, lentè per tubos & latera ædibus inſeritur & inerrat. Iuliani in Miſopogone item narratiuncula eſt, quæ neſcio ad iſtos, an noſtros hodie caminos, faciat. Ait *Lutetiæ Pariſiorum ſe fuiſſe, in acri hieme*, & tamen, inquit, ἐθάλπετο οὐδαμῶς τὸ δωμάτιον ὅπερ ἐκάθευδον, ὅνπερ εἰώθει ζέσθαι ὑπὸ ταῖς καμίνοις τὰ πολλὰ τῶν οἰκημάτων ἐκεῖ θερμαινόμενα: *non calefiebat cubiculum, in quo eram, eo modo quo ſolent illic ſub caminis loca pleraque calefieri*. Oſtendit ſanè ipſis alium aliquem morem, & diuerſum à Romano, illîc vſurpatum. & dicit etiam, *ſub caminis*: quod mihi videatur ad noſtros magis referendum, quia verè ſub illis ignis ſtruitur, non autem in illis. Potuit autem eſſe in medio tale emiſſarium fumi, ſiue caminus, vt & hodie in villaticis quibuſdam ædibus eſſe ſcimus: vſu eodem cum noſtris vrbanis, etſi non formâ. Addit deinde Iulianus, *ſe extimuiſſe calfactionem à camino, ne humor qui in parietibus erat commoueretur: quod noxium in cubiculo recenti aut recentato: ideóque*, more priſco Romano, *candentes aliquot carbones tantùm iuſſiſſe inferri*. Nec plura expreſſa Caminorum veſtigia notaui, aut nunc quidẽ habeo in mente: de Lignis ſubiungo, quæ in eorum vſum. Dixi ſicca fuiſſe, aut potiùs cocta. Iuriſconſultus, De

L. c. LXVI. verborum ſignificat. *Titiones & alia ligna cocta, ne fumum faciant*. Sunt id genus, quale hodie in ſiluis præurimus, & carbonum deinde vice vſurpamus. *Coctilia* etiam appellarunt. Trebellius in Claudio: *Ligni cottidiani* (id eſt, viridis ac vulgati) *pondo mille, coctilium batilla quattuor*. Poſſis & legere, *cottidiana*. In Pertinace Capitolinus: *Pater eius cõactiliariam tabernam in Liguriâ exercuerat*. Error eſt, & nihil ad rem aut verum, *coactilia*; quę *Feltra* quędam & lanea coacta fuiſſe ſcimus. Scribe, *coctiliariam*: quia coctilia iſta ligna vendebat. Capitolinus ipſe initio libri: *Pertinaci pater Aelius Succeſſus fuit, qui filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quòd pertinaciter eam rem gereret, impoſuiſſe fatetur*. Vides in lignis negotiatum fuiſſe? Talia igitur illa cocta, & Græcis ἄκαπνα, *fumi expertia* appellata. de quibus omnino Vlpianus capiendus, cùm ſcripſit: *Quidquid* l. ligni. De Legat. III.

comburendi cauſsâ, ſiue ad balnei calefactionem, ſiue ad diætarum hypocauſta paratum foret, ligni appellatione contineri. Nam dubitari poterat, an hæc Coctilia, non carbones potiùs eſſent. De ijſdem Plutarchus: *Iocosè Lacon* Conuiu. Quæſt. l. II cap. I.

gymnaſiarcham, qui acapna præbuerat, accuſare ſe dixit, Quòd per eum nec lacrimare liceret. Habes Caminos priſcos, atque iterùm præ noſtris mihi probandos. Iſti oculos fulgore & fumo præſtringunt aut morſicant; iſti deſidiam etiam pariunt, & ignauos ad opera apud ſe tenent. Quod de Germanis Tacitus, *totos dies iuxta focum atque ignem egiſſe*: de pleriſque noſtrûm in hieme licet dicas, atque id foci illicio & culpâ. Si verò illa hypocauſta & camini ſubterranei; calor aut tepor ſit, & noxæ non ſint, quas dixi. Hypocauſta appellaui, vt ſuprà Vlpianus: & verè talia erant. nec diuerſa D. Ambroſius intellexit, vbi diuites ijs vſos oſtendit, pauperemq́ue ſolatur: *De hieme forſitanque-* Lib. VI.

reris, quia nulla tibi hypocauſta anhelantibus Hexaëm. cap. VIII.

ignibus vaporentur: ſed habes ſolis calorem, qui tibi orbem terrarum temperet, & hiberno te defendat à frigore. Fuêre & in balneis ſua Hypocauſta, ſimilia iſtis: atque ea nota. Deſino, ſi hoc monuero, veteres duplicia cubicula vel triclinia habuiſſe: *Hiberna, & Æſtiua*. Hiberna, inſtructa, vt dixi: Æſtiua, contrà aquis & Euripis ſubter aut circum labentibus refrigerata. De ijs aliàs: ſaluere te ex animo opto. Sed quid abrumpo? etiam memoriæ ſe ſiſtit, quod video huc trahi. Nam in Athenæo eſt, de Sybaritarum deliciis: παρὰ Συβαρίταις εὑρέθησαν καὶ πύελοι, ἐν αἷς Lib. XII.

κατακείμενοι ἐπυριῶντο. Interpres vir doctus reddidit: *Apud Sybaritas reperta ſunt caua & anguſta cœnacula, in quibus tantiſper dum menſis accumberent, calore fouerentur*. Et notat ad oram, Πύελον *hodie nobis ſeruatam vocem eſſe, quia Galli* Poelles *appellant, locum in ædibus hypocauſto tepentem*. Argutè. an pro mente verbiſque Athenęi, ignoto. Scriptio eius verbatim ſonat: *Apud Sybaritas reperti Aluei, in quibus recumbentes calefierent*. Qui autem iſti Aluei? credam thecas lectulorum inſtar fuiſſe, quibus ſupponerent in teſtis carbones ad modicè & paullatim calfaciendũ, qui incubaret. Sanè de mẽſis ſermo eſt: eoq́; minùs libenter ad alueos, aut Solia balnearũ retulero,

ro, etſi à Suidâ didici πύελον quoque dici ἐμβατὴν, ἔνθα ἀπολούονται): *Solium, in quo lauarent.* Sed illuc ego inclino, quia & mulieres diſco tale iam olim vſurpaſſe, pedibus & quæ ſupra pedes calfaciendis. Suidas: Ἄνθραξ, τὸ γυναικεῖον ὑποπόδιον, ἐν ᾧ εἰς δι' ὀπῆς αὐτοῦ θερμαίνονται ἀνθρακίοις: *Anthranus, dictum muliebre ſcabellum pedibus ſuppoſitũ, in quo per foramen calefiebant carbonibus.* Agnoſcis hodiernum fœmineum morem: atque iterùm iterumque reipublicæ & nobis ſalue. Louanij.

EPIST. LXXVII. *Traiectum.*

F. FRANCISCO VILLERIO.

VNAS à te litteras accepi, neque alteras illas equidem vidi. Gaudeo te incolumem eò veniſſe, & noſtri memorem (vtinam in precibus!) etiam eſſe. CRITICA noſtra parata ſunt, & volunt ipſa mitti: ſed an etiam ij, in quorum tu es manu? Neque enim diſſimulo, aliter me ex litteris tuis odorari: quod ſi eſt, cur ad ea ſtudia te des, à quibus illi arcent? Non meo ſuffragio, aut arbitrio: & profectò vel ſumma vel vna virtus inſtituti veſtri, & ſacti illius cœtus eſt, obedire. Ex hac aliæ, velut catenâ nexæ, dependent & inſequuntur. Fruſtrà te hoc moneam, ſcientem: tamen, vt inter amicos, quidni liberè pectus hoc meum reuelem? Et profectò ad altiora vos fine & deſtinatione itis: ad ſacra, & ea quæ pietati magis, quàm ſcientiæ conducunt. Ornat hæc illam, non nego: ſed ornat. & interdum, imò plurimùm, ſimplex & inculta illa placet, vel ideò quia placere non ſtudet. Habes quid in animo ſentiam: & ideò differam etiam mittere, donec à te non tam de tuo voto, quàm de illorum iudicio, audiã: quod togo candidè apud candidũ promi. Sum tibi, ſum toti cœtui amicus: quem ego diuinitùs inſtitutum ſcio, magno rei Chriſtianæ bono. Vale. Louanij, IX. Kal. Ianuar. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXVIII. *Bruxellam.*

REMACLO ROBERTI S. D.

DVM nuper appropero, fugit me de libro remittendo, quem legi. Vis iudicium? non fuit pro meâ opinione, & alia præceperam ex aliorum ſermone. Fortaſſe & illi plus in eo vident, aut hauriunt: ego affectus, iras, odia, pauca ciuilis prudentiæ, & praui animi mihi eſt totum hoc ſcriptum. De EPISTOLIS noſtris quod præiudicas, vnà tecum ego: & puto certè vapulaturas eorum linguis, aut calamis etiam, quos noras. Poteſtne aliter? quid enim ſcribere eſt ad amicũ, vt non meum aliquid aut & publicũ obiter miſceatur, quod quibuſdam ingenijs non ſaciat, & damnent? Age, diſceſſi vnde ſcis: & ob cauſſam, quam ſcis. Ad quem notum ego ſcribam, te illâ recenti, cui hoc non ſcribam? Atqui nolunt, & indignantur: & volũt me eſſe, qui non ſum, non fui. Item de bello aliquid aut publicis? ad pacem ecce inclino, & deteſtor ſeditiones vel odi: aliqui me, ſi dicam. Sed mi amice, EPISTOLAE premendæ in vniuerſum fuerunt, ſi hæc reſecanda: aut ſi lux ijs facienda, etiam affectibus iſtis ſiue iudicijs noſtris. quæ boni tamen, vt ſpero, non culpabunt. Tu de publicis nuper nihil: an quia nihil eſt, & temporis hoc frigus animos etiam habet? Tamen de apparatibus aduerſariorum hîc audimus, atque ijs nauium, & velut ad maritimam aliquam expeditionem. Deus conſilia actioneſque Principum dirigat, nos tueatur ac ſibi ſeruet. Vale Louanij, v. Kal. Febr. ∞.IↃCI.

Mitto exemplar ad D. Malinæum Conſiliarium maritimum. quia epiſtola non eſt adiuncta, togo per miniſtrum tuum mittas. In te tuâ quid fit? ſpes etiam eſt, an aliò (vt ſcribebas) te conuertes?

EPIST. LXXIX. *Antuerpiam.*

ÆGIDIO SCHONDONCHO, *Presb. Soc. Ieſu.*

TANDEM curæ liber ſum, pro Hemelario noſtro ſusceptæ. Nam cum Homero, * Διχθὰ δέ μοι κραδίη μέμονε φρεσὶ, —— an in vitâ eum eſſe dicerem, an in mente illîc manendi: & certè video vacillaſſe, nec Romam primâ fronte blanditam, aut placitã ei fuiſſe. Decreuit tamen, & litteras noſtras reddidit, & ſedem patronumque accepit. Ait Cæſium Cardinalem eſſe, genere atque animo nobilem & altum, vt audio, & qui vetus illud Romanum ſpirat. Deum quæſo, ſit ex vſu & ſalute noſtri iuuenis: quem ego quòd vobis deſtinaretim, non eſt ſanè Bacidis oraculum, tamen coniectura mea cauſſas ſuas habet, & ex ingenio eius natas & ſermone. Idem Deus faciat, quod ſalutare. At mihi vires recuperatas tu gratularis: quod hactenus accipio, vt omen aut votum potiùs. nam in te nondum ille prior Lipſius ſum, & naturâ infirmitatis huma-

* *Dupliciter mihi cor diuiſum.*

humanæ, citiùs deijci eſt quàm attolli. Attolli tamen incipio, & SENECAM meum oculis tangere, vix etiam manibus: &, mi Pater, non valetudo ſolùm, ſed occupatiunculæ, ſupra fidem tuam, arcent. Cottidianæ lectiones ſunt, ſcriptiones; adde qui interuiſunt & appellant, & omnibus hæc comitas mea patet. Itaque de Chronologiâ, quod cum Vweno cenſes & depoſcis, aduocationem peto: SENECA præeat, & tum videbo. Illud ego à te, vt conſtes in beniuolentiâ mei, & memoriâ in myſterijs ſactis. Vale Rde Pater. Louanij, IV. Febr. ∞. IↃCI.

RR. PP. Rectori, & A. Schotto S.

EPIST. LXXX. *Leodicum.*

IACOBO CARONDELETO V. R. & N.

LIBELLVS à me prodijt, ergo de more & pro affectu habe à me munus. Ecquando, inquies, noſtræ CENTVRIAE? Diſpeream, niſi inprimis ego velim, & hoc monumentum relinquere amicitiæ cum multis purè & fideliter cultæ: ſed tempora quis non videt, auerſa cùm ab alijs ſtudijs, tum his ſimplicibus ſcriptis aduerſa? Da mihi vel * πολυμήχανον illum Vlyxem,

* versutum

* Εἰδὼς παντοίους τε δόλους καὶ μήδεα πυκνά:

* Fraudis multiugæ mortalem conſiliq;

non euoluet ſe, quin apud Cyclopas iſtos teneatur & luat. Ergo adhuc premimus, carceres aperturi, quamprimùm ille ab alto Rector aliquam ſęculi lucem. O ſæculi miſeri & iniqui, non Belgicæ ſolùm, ſed Europæ! Nam hoſtis ab Aſiâ quos progreſſus faciat, mœſti quotidie audimus: magis, quia noſtri nec ſic excitantur, & pergunt, vt in theatro aliquo, ſine miſſione ſe lancinare. Quid faciemus? illud Homericum,

* Ἡμεῖς δὲ μεγάλοιο Διὸς πειθώμεθα βουλῇ.

* Simus decreto magni Iouis obſequioſi.

Is tibi tutor eſto, Reude & Nobme Domine, pro tuis meritis, pro noſtris votis. Louanij, prid. Idus Mart. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXXI. *Eódem.*

PETRO ORANO Ito.

ET tu epiſtolam pro te ſiſtis? Benè excuſas: & quis non, ſi fas rerum culpam verbis ſedimere? Sed bonâ fide, non ego ſic facilis, & Æacidem aliquem pertinace irâ vides. Quam auxit, quòd ego te vltrò quæſiui, & cùm tardares, ipſe Mechliniam ad amores meos, vt cenſebam, veni. At tua verba venti, & te iam equi rapuerant. Quid cenſes? ita obſtupui, vt illa Minoiſa Theſeo deſerta,

In ſolâ ſeſe miſeram cùm vidit arenâ.

Extra omnem iocum, ſeriò peccaſti, qui tam vicinus nec me vidiſti, quod deſiderij mei ſi non officij tui erat; nec paſſus te à me videri, celeri abitione an fugâ. Et quando emendabis? aut ecquæ occaſio ſimilis erit? Tempora hęc vix ſpem faciunt: vix ætas noſtra aut valetudo, & paulatim eò imus,

Quò pius Æneas, quò diues Tullus & Ancus.

ne mihi quidem relictum ad vos aut fontes veſtros viſere, ob loca à prædonibus illîc parū tuta. Non oblitus ſum vltimi mei periculi, & perendinus dies annuus erit Cannenſis illius fugæ. Intereà dum te frui non licuit, ad Neruios noſtros iui, & in amiciſſimorum ibi ſermonibus & côuiuijs acquieui. Inuideas, ſi ſcias quàm bellè & comiter nobis fuerit. Sed heus, de filio omnia rectè & ſaluè? Spero, etſi iam pluſculum temporis eſt, cùm litteras non vidi. Significa, ſalue, & me qui etiam læſus amo (ô fidem!) ama. Louanij, x. Kal. Iul. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXXII. *Antuerpiam.*

IOANNI BRANTIO, *Graphiario.*

NON probo ſolùm excuſationem ſilentij tui, ſed quod miteris, amo. Valdè enim ex affectu eſt, & illum magnum firmumque in me oſtendit. nec mirot etiam ſiluiſſe, vt rem dicam. Quid enim te aut me valdè excitet nunc ad ſcribendum? mœſtitia publica temporum eſt, &

Fortuna ſæuo læta negotio

ludum ſuum triſtem pertinaciter apud nos ludit. Theatrum miſeriarum Belgæ ſumus, & exponimur orbi ad ſermones, ludibria, miſerationes, vt cuiuſque eſt adfectus. Non mentiar, ſi dicam in extremâ ſalutis lineâ nos ſtare: præſertim cùm optimi & optatiſſimi iſti Principes nondum ſecerint medicinam. Veſtrum quidem opidum (ô dolorem noſtrum!) palàm labitur & ruit, & Mercurius cum bonâ Fortunâ à vobis abit. Quid tamen eſt, mi [illegible]nti? ferenda ſunt, vt par eſt bonis ſapientibuſque viris, Deo & Prouidentiæ ſic viſa. Vexemur, ploremus, alij alios inquietemus: curſus & lex illa rerum manebit, fixa & ſancta ab æterno. Quid ſi Deus per hanc viam nos expurgat ſimul, & explorat? Sicut ventus triticum non rapit, ſed paleas ſecum in auras

tas tollit: ſic aduerſa iſta leues tantùm animos auferunt, bonos & in virtute firmos non euertunt. Inter hos ſimus, Sapientiam, & inter nos amemus. Louanij, v. Nonas April. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXXIII. *Eódem.*

OTHONI VENIO S. D.

PARTEM epiſtolæ tuæ Doctor Siluius mihi legit, quæ picturam noſtram tangebat, iamolim animo deformatam, ſed nondum tuâ artifice & Appellæâ manu, quàm requirebam. Scis quid coràm tecum egerim, & quod argumentum voluerim eius tabellæ. Triſte, ſcribis, & ſpectanti & pingenti. Credo equidem: etſi mihi in triſtitiâ illâ lętum aliquid & erectum appâret: exemplo ſcilicet Fidei & Amoris, cui neſcio an vlla ætas, aut vlla gens, par ſuppeditabit. Vna Arria nata in hanc immortalem laudem, & cui faſces omnes illi Græci Romanique viri & heroës ſubmittant. Itaque placet mihi, nec muto argumentum: velim etiam tibi. & vt liqueat de totâ hiſtoriolâ, ecce diſtinctè à me habe. Furius Camillus Scribonianus, Legatus Dalmatiæ, in Claudium Imperatorem res nouas & arma molitus, legiones traxit in partes: viros etiam aliquot illuſtres, quos pertęſum ignaui illius ſimul & ſæui imperij: atque inter hos Cæcina Pætus eminebat, vir Conſularis. Motus tamen magis, quàm bellum fuit. quia legiones ſtatim pœnitentiâ ductę, deſerto Camillo, ad vetus ſacramentum redierunt: atque ipſe, deſperatione in Iſſam Inſulam ex aduerſo Illyrici confugiens, ibidem ſe interfecit. Conſcij & conſortes paſſim capti, inter eos Pætus. Romam in triremi, & præſidio militum, ad Claudium ducitur: vxor Arria ſequi auida, & non diuelli à marito, orat milites in nauim ſimul imponi. Negant. *Quid?* inquit. *nempe viro Senatorio & Conſulari ſeruulos aliquot daturi ad cibandum, ad veſtiendum, ad calceandum eſtis? ego ſola hæc omnia obiucro.* Non impetrauit. magno igitur animo piſcatoriam cymbam conducit, & triremem eâ ſequitur, per medios fluctus Adriatici maris. Deus ſeruauit in maius exemplum: ad terram, vrbem, Claudium veniunt. Ibi vxor Camilli ſupplex indicium profitebatur, & conſcios edere: vt vel ſic veniam vitamque impetraret. Aſperè ad eam Arria: *Ego te audiam, in cuius gremio maritus occiſus eſt: & viuis?* Abductus deinde maritus in cuſtodiam, ipſa domum & ad ſuos: ſed certa cum marito mori, nec id celans. Itaque cuſtodiebatur à ſuis intentiùs. Illa autem, *Nihil agitis,* inquit, *& vt malè moriar, efficere; ne moriar, non poteſtis.* Cum dicto exſiluit, & caput parieti illiſit vehementi ictu. Collapſa, & erecta eſt; & mox focillata: *Dixeram,* inquit, *vobis, inuenturam me quamlibet duram ad mortem viam, ſi vos facilem negaſſetis.* Hæc illa, cui viuere promptum & tutum erat, Meſſalinæ maximâ gratiâ coniunctæ. Sed cùm maritus iam damnatus, & turpiter carnificis, aut (vt tunc mores) ſuâ manu honeſtè pereundum ei eſſet; homo trepidus, nec ad illam fœminam, differre, lamentari: donec illa & verbis confirmauit, & facto præiuit, ſine motu animi non narrando, non audiẽdo. Strinxit quippe in oculis mariti ferrum, pectus ſuum fortiter percuſſit, extraxit, & marito porrexit, cum *immortali ac penè diuinâ voce* (verba Plinij audis) PAETE NON DOLET. Itáne ad mortem aliquem vltrò & animosè ire, & in eâ, imò penè poſt eam, conſtare ſibi & loqui? Amor ille honeſtus, & addo amor honeſti peruicit, & vltra Naturæ communis fines duxit. Ecce factum, quod admiratione me ſui ſemper tetigit: ne approbatione dicam, religio, vt ſcis, vetat. Depingi hoc à te, & in atrio deinde meo Admiſſionum poni, votum ſit: præcipuè quidem ipſum opus ſiue ἔργον illud, ſed & ſi πάρεργα voles circumponere, adſunt. Dixi de Cymbâ, quâ ſecuta maritum: exprimi in latere poteſt. eſt & aliud factum memorabile, in morbo filij & morte, tale. Ægrotabat fortè maritus & vnà filius, vterque diuerſo cubiculo, & vterque mortiferè, vt opinio & metus erat. Filius obijt, eximiâ ſpecie, & indole virtutum. *Huic illa ita funus* (nam Plinij verbis cetera dicam) *parauit, ita duxit exequias, vt ignoraret maritus. quinimò quoties cubiculum intraret, viuere filium, atque etiam commodiorem eſſe ſimulabat. Ac perſæpe interroganti, Quid ageret puer? reſpondebat, Benè quieuit, Libenter cibum ſumpſit. Deinde cùm diu cohibitæ lacrimæ vincerent, prorumperentque: egrediebatur, tum ſe dolori dabat. Satiata, ſiccis oculis, compoſito vultu redibat, tamquam orbitatem foris reliquiſſet.* Satis. ſcio te quoque iam volentem ad hanc florenti penicillo tuo exornandam: & mihi crede, illi ipſi ab eâ aliquid laudis, apud tot claros aut illuſtres, qui nos & ſimul opus tuum videbunt.

Martialis verſus in pede Tabulæ ſcribes:

Caſta ſuo gladium cùm traderet Arria Pæto,
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides, vulnus quod feci, NON DOLET, *inquit,*
Sed quod tu facies, hoc mihi, PÆTE, *dolet.*

De pretio corám. quod tu nec à me maximum (noſti cenſum meum) capies: nec cupies quidem, vt animum tuum ego noui, honeſti propter honeſtum amantem. Louanij, XI. Kalend. Iun. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXXIV. *Eódem.*

HENRICO VWENO S. D.

IN Neruijs me nuper fuiſſe, audiſſe te credo: ſed nunc per me ſcite volui, & commodè & iucundè fuiſſe. Viri ſunt decori & honeſti amantes, ſuauitate ſimul & grauitate conditi, &, vt verbo dicam, ad Genium meum facti. Alteram Antuerpiam, & vos illos caros meos, videbar repperiſſe. Redij ante dies quindecim, & ſub idem ferè tempus C.V. Doctor Zuerius: quem cùm ſalutaſſem, & auidè de ſtatu rei ſiue litis ſuæ vobiſcum interrogaſſem, reſponſum non ex voto retuli, nihil factum eſſe. Dolui viri boni & amici cauſsâ: quem propriâ lite, & quidem cum veſtro oppido, vexari, graue mihi erat: vt fateor ingenium meum pacis cupidum, & non ex vſu forenſium tabularum eſſe. Neque ſatis tamen intellegere potuî cauſſam dilatæ (non enim abſciſſæ, opinor) concordiæ: cùm ille ſe ſemper & promptum & æquum obtulerit, ad quaſuis haud planè iniquas conditiones. Conſilium tuum hîc aliquid, vel plurimum poſſe, non neſcio: quæſo da hoc mihi, vt de pace adnitare, & ſperem te vtrique parti, gratum imò vtile facturum. Hæc à me ſcribo, & tantùm duorum cauſsâ, quos amo, opidi veſtri, & ipſius: quos nolim equidem collidi & committi. Sed hoc de Zuerio. de me, aut te potiùs, ſcito me filium tuum vidiſſe, imò & in publico audiſſe Tornaci, dum mihi carmen gratulatorium recitaret. Libens audiui, & faui quoque, tuâ nonnihil cauſsâ, à quo in eum amor deriuatur; ſed & ipſius, qui ingenio & indole viſus mereri. Deus ſinat vel faciat potiùs creſcere, corpore, animo, doctrinâ, in tuum gaudium, priuatum eius & publicum vſum. Vale Vir Clariſſ. & Prudentiſſ. Louanij, VII. Id. Iul. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXXV. *Eódem*

ANDREAE SCHOTTO V. R.

MIRAEVS mihi adfuit, & tuas dedit, & de te quæ volui dixit: id eſt valere, in libris & ſcriptis, vt mos tuus eſt, ſtrenuè & ° ἀκαμάτως eſſe. Macte, ° παγκρατὲς ἦτορ ἔχων: non idem de me,

° —— οὐδέ μοι αὐτῷ
Θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι σιδήρεος.

quod fateri debeo, & laboribus aut languoribus iam victum, manus date. Itaque SENECA noſter octo ampliùs menſes iacet ſepoſitus, & abhorreo à repetendo. De tuo, da lucem cum bono Deo: quid exſpectas aut differs? Miræus mihi ait & *Elogia Belgarum* eſſe confecta: libenter videbimus, & gloriabimur in gloriâ gentis noſtræ. Quòd putas apud me ° ἀνέκδοτον aliquod Corn. Nepotis eſſe, fruſtrà es: nec eſt, nec fuit. Si haberem, tibi certè haberem. Fratris tui filium ſic citò Româ redijſſe mirabar: nec dubito tamen quin de conſilio & conſenſu veſtro. Schondonchus ignaro mihi elapſus eſt, nec dedit vale nec accepit: in cuius locum veniſſe Heribertum gaudeo, iam olim illum noſtrum. Saluta, & inprimis R.P. Rectorem. Louan. XII. Kalend. Sextil. ∞.IↃCI.

° *indefeſsè*
° *Omnipotens cor habens.*
° *nec mihi ipſi Eſt in pectoribus mens ferrea.*
° *ineditum*

EPIST. LXXXVI. *Bruxellam.*

CAROLO LAFAILLIO I^c^.

DVPLEX mihi à ſcriptione tuâ gaudium, & quòd incolumem redijſſe intellegam, & quòd mei memorem & volentem. Debes mi Lafailli, ſi meum viciſſim animum intueare, ſemper, ex quo te noui, in te proclinatum & affectum. Itaque maneat hic conſenſus, & quoniam propior iam nobis es, non ſolùm litteris eum foue, ſed adſpectu & ſermone excita acconfirma. Spero patriæ res paullatim lætiores eò vocabunt, & iuuabit poſt iſtas temporum nubes Hilaria agitare inter gratantes amicos. O dies veniat! & certè Flandria, in quâ fortunarum veſtrarum bona pars eſt, Ooſtendâ receptâ, tuta ſecuraque aget, non ſine liuore Brabantiæ noſtræ, quæ miſeriarum fatalis ſedes videtur. Sed & hanc Deus benigno oculo adſpiciet: quod eum corde rogo, & vt te mi Lafailli tuis ſeruet, quos reditu iſto lætificaſti. parentem inprimis, quem ſaluto. Louanij, VIII. Kal. Sept. ∞.IↃCI.

EPIST.

EPIST. LXXXVII. *Tornacum.*
DIONYSIO VILLERIO.

LAETAM tuam epiſtolam & de aduentu polliceris, ô repræſenta, & non votis animi, ſed corporis iſtis brachijs amplectar. Quando erit? dies menſes mihi ſunt (non mentior:) veni, & vt legem tibi dicam, ante Encænia noſtra, quæ futura ſunt poſtridie Kal. Septembres. niſi facis, decimam Muſam habeas in omne æuum iratam. Ego te inuito, ſed non ſolus. nam & vxor (fideliter natto) idem facit, & vices me ſuas voluit fungi. Quid tergiuerſeris? vetus illud, quod monumenta habent, cogita,

AMICI, DVM VIVIMVS, VIVAMVS: nimirum,

Dum res, & ætas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra.

Sed in vnâ re peccaſti, qui vinũ præmiſeris, an & non peccaſti? Nomen tuum ſi video, DIONYSIVS es, vini dator. ſed extra iocum, nõ ſic decebat, me & illic deplere tua dolia, & plena iterùm huc tranſmitti. Sed amori tuo fruſtrà pugnem, & ne vincar, vltrò do manus. Wingium noſtrum taciti promiſſi admoneo: ſit comes, ſi te, ſi me amat. Scripſi nuper, & condixi: ſiluit, ergo addixit. Idem de Micaultio, quem ego cohorte noſtrâ primâ eijcio, niſi ſe iungit. Adeſte Triumuiri lætitiæ & honeſtæ voluptatis inſtaurandæ. Pocula tunc aut numquam bibemus, OSTENDAE CAPTAE. Serium nihil addo, in aduentum omnia differo: qui ſi fallit, caue, & seriò edico, AMICITIA TVA VLTRA NON VTOR. Vides Manlianum imperium? ita homo ſum, calidus quãrumuis, ſed idem candidus, & *Fide* & *Amore* & *More* maiorũ. Mi Villeri ſalue, & ſaluus, aut potiùs vos Triumuiri ſalui, ad nos venite. Oyenbruggius ſi ſe iungat, cumulus lætitiæ erit: die, & ſalue iterùm iterumque. Louanij, pridie Idus Sextil. ∞.IƆCI.

Te domo meâ vti rogo ſiue iubeo. laxa eſt, & pauci nunc contubernales. Itaque ſi me vmquã domi ruæ eſſe vis, hoc non mutabis. Indicem librorũ, quos vtiles cenſemus, Amanuenſis mittit: pluſcula apud me videbis, & loquemur coràm. Veni, iterùm veni.

EPIST. LXXXVIII. *Antuerpiam.*
CAROLO HOVIO S. D.

CVM è Neruijs redij, quò animi & valetudinis cauſsâ iueram, intellexi triſtem caſum, qui familiam veſtram adflixit. Et te inter primos, vt fuit & eſt pietas tua in optimum parentem: quem Deus ab his terris turbiſque ſeiunctum, vocauit in ſuperas ſedes & immotam illam quietem. Quod triſte eſſe ſcimus, ſi primâ fronte inſpicias & cogites illud auelli: ſed ſi vnde, & quò, quod addidi, profectò miteſcet dolor, & benè illi factum debebis interpretari. Habebat ſanè vos optimos liberos & obſequentiſſimos, in quibus acquieſceret: habebat & vxorem domi, modeſtam, morigeram, & ſolatium ſimul & auxilium: ſed tamen, vt tempora nunc fluunt, extra domum pedem cùm poneret, quàm multa præter votum aut opinionem videbat vel audiebat? Itaque is qui alia tempora & faciem rerum viderat, & præſertim veſtram vrbem florentem & vigentem non poterat non tacito animi morſu ſtringi, cùm omnia in deterius labi cerneret, atque id pænè ſine ſpe inſtaurationis. Non dicam tædium vitæ, ſed tamen ſatietas oboriebatur in cottidiano hoc mæſto ſpectaculo: & animus Chriſtianâ pietate imbutus (cuius ille feruidus & conſtans cultor fuit) anhelabat ad aliam illam vitam, cui nati & facti ſumus. Hæc ſi cogitabis mi Houi, lenies dolorem Ratione duce, quem Naturâ duce ſuſcepiſti: & vinci hanc ab illâ non patieris tantùm, ſed voles, imò gaudebis. Obſecro te, facito: & pergiſſe illum laudabilis vitæ curſum ſcito, & nos in eodem ſtadio conſequi & paullatim accedere eamdem illam metam. De fratre tuo, & amico meo Franciſco, ecquid audiueris ſcite velim: & putéſne illum in viâ eſſe aut fore, caſu hoc euocatum. Item, ſi vacas, & niſi aliæ curæ te diſtinent, memoriam non deponas litterarum, quæ ex Italiâ: quarum lectione recreamur vel inſtruimur, te ſuppeditante. Vale mi Houi, & amantem ama. Louanij, VII. Idus Iul. ∞.IƆCI.

EPIST. LXXXIX. *Mechliniam.*
NICOLAO OVDARTO.

ARMA, arma. quid hoc eſt? ſic me petitis? non litteras, ſed libellum pugnatorium mittis: & parte alterâ Bernartius accuſat, & Hartium ait minari. Quid autem feci? quod quiuis veſtrûm in te ſimili, nec alios iudices mihi fero. Curſim tranſitui: & ſic res poſcebat: lege, per Deum, quæ ad Bernartium ſcripſi. an ille eclauit? ô egregium patronum, ſi in alijs cauſſis ſic præuari-

uaricatur! At tu Epigramma etiam in Conſtantiam meam ſcribis. Compos animi es? ego illam in te mutem? Scis quomodo, & quando? ruant elementa omnia, & vaſta hæc mundi machina redeat in ſuum chaos: ego amore & fide conſtabo in Hartium meum & Oudartum. Atqui puerum miſiſſem, qui indicaſſet & euocaſſet. Licebat, fateor, fortaſſe & decebat. ſed bonâ fide, quid hoc aliud erat quàm lictores arceſſere, qui me ſiſterent? Noui vos & vehemens veſtrum velle. Ego è manibus veſtris non magis me eripuiſſem, quàm Antæus ille ex Herculis nexibus qui oppreſſit. Atqui domi eſſe me conueniebat, & decorum atque adeò vſus meus poſcebant. Noſcite igitur cauſſam, & ſtatim ignoſcite, ſi eſtis, qui auditis, iuris & æqui conſulti & adminiſtri. Sic valete. Louanij, VIII. Kal. Octob. ∞.IↃCI.

EPIST. XC. *Antuerpiam.*

PHIL. RVBENIO *ſuo* S. D.

TRISTIS hæc ſcribo, & iuxta lacrimas: non rideo. Saphyrus meus obijt, & id violentâ morte. E carmine ſubiecto rem diſces, quod irâ & dolore recens effudi. Irâ, nam & culpa meorum acceſſit. O tuam *ἀφέλειαν!* inquies. Non nego, ſic ſum, & cum Homero,

** ſimplicitatem & fatuitatē.*

—— * Οὐδέ μοι αὐτῷ
Θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι σιδήρεος, ἀλλ' ἐλεήμων.

** nec mihi in iſto pectore mens incluſa eſt ferrea, ſed miſerator.*

Sed hoc mirum, & verum. vix momento ante triſtem caſum apud me fuerat, in Muſæum præter morem conſcenderat: blanditus quoque inſolenter, & quaſi extremum vale illud dicturus. Ingemiſco & omitto: ad publica venio, nec ipſa, niſi in ſpe, læta. Quam tamen ſpem alij qui è caſtris ſcribunt, imminuunt, adaugent alij: vtri veriùs aut ſagaciùs, res dicet. A vicino illo metum plures faciunt: & ego certè credo eum, cum Demoſthene dicam, *τοῖς καιροῖς ἰσοδρομεῖν. Oſtenda quidem ſi omittitur, quid niſi

** temporum occaſiones captare & imitare.*

* —— Χέρμια γλυφώμεθα δυσμενέεσσιν?

** prabemus lapidumq; locumq; inimicis*

Tu quando ad nos? vix ante feſtos publicè iſtos dies, opinor. Si non, ſcribe ſiquid ibi rerum vel noſtrarum, vel exoticarum. Nam & de Turcicis, & de claſſe illâ magnâ Hiſpanienſi, animi pendemus. In te autem eo propendemus mi Rubeni, ingenij & virtutis tuæ amantes. Louanij, IV. Kal. Sept. ∞.IↃCI.

IN SAPHYRVM MEVM
βιοθάνατον.

O LVCTVM & lacrimas! meus Saphyrus,
Ille gemmula vera, non catellus,
Morte eſt præcipiti malaque functus,
In vaſum miſer incidens aënum
Efferuentis aquæ. miſer catelle,
Hæc te poſt tria luſtra mors manebat?
Quis nunc blanditias hiante rictu,
Quis nunc blanditias mouente caudâ,
Hero vltrà faciet? quis obſidebit
OſtI limen, & ingredi parantem
In ſe geſtibus atque voce vertet?
Quis luſu recreabit? ô miſelle
Non vltrà facies: abiſti ad Orci
Nigri limina. ſit tibi benignus
Frater Cerberus, ipſa Ditis vxor
Sit fautrix: & aberro? ſit patrona,
Illi delicium nouum parâris.

Sed heus, vis & Tumuli inſcriptionem? nam ſepeliimus, & quidem inter flores.

HECATAE SACR.
SAPHYRVS DOMO BATAVVS
DELICIVM LIPSI, DECVS CANVM
INGENIO, LEPORE, FORMA,
H. S. E.
TRISTI FATO EREPTVS,
ET FERVENTIBVS AQVIS MERSVS,
CVM VIXISSET LVSTRA PLVS TRIA.
O HERI DOLOR!
TVVM, LECTOR, ADDE
QVISQVIS LIPSIVM AMAS, IMO
QVISQVIS ELEGANTIAM AVT LEPOREM AMAS.
QVORVM ISTE THESAVRVS ERAT,
ABI, FLORES SPARGE,
SI NON LACRIMAS.

PLANGEBAT ET PANGEBAT
I. LIPSIVS OLIM, HEV, DOMINVS,
V. KAL. SEPTEMBR. ∞. IↃCI.

EPIST. XCI. *Antuerpiam.*

MICHAELI VANDER-HAGEN S. D.

BINO me carmine compellaſti, vtroque erudito, ſuaui, grato: ſi ipſum, ſed non ſi rem intueare. In ipſo nihil, niſi quod ingenium & poëticam planè indolem referret: ſed materies triſtior, & quæ me ſuſtinuit à reſpondendo. Litium enim res erat: quas ego ſic odi, vt nemo homo Orci portas. At tu me iudicem etiam addicebas. Méne, mi Vander-hagi? experientem potiùs ali-

aliquem & recoctum patronum: nam ego in his rudem & tironem me eſſe, non fateor ſolùm, ſed gaudeo, imò iacto. Illud vnum poſſum, dolere tuâ cauſsâ, & συμπάσχειν, qui incideris in hanc verè malorum lernam. In quâ hydra illa habitat, quam vel Hercules ægrè domuit, & reſecto capite alia renaſcuntur. Vtinam ne experiare, & rebus doctus, fidem meis verbis ſubſignes! Sed tamen animo aduerſus talia (quod vnum ſupereſt) obdurandū eſt, & mores aut malitia noſtri æui, ſic vt peſtilens aliquod ſidus, ferenda ſunt. Lucilliani illi verſus, ſi vmquam, nunc obtinent:

Vni ſe atq; eidem ſtudio omnes dedere & arti,
Verba dare vt cautè poſſint, pugnare dolosè,
Inſidias ſtruere, vt ſi hoſtes ſint omnibus omnes.

Hæc notis, nota perfer, nec ad noua obſtupeſce. Alia non ego, non ille ipſe de ſapiētiâ Socrates poſſit: Deus animo inſerat, & te firmet. Louanij, III. Kal. Sept. ∞.Iↄci.

EPIST. XCII. *Brugas.*

IGNATIO BASSELIERS, *Sacerd. Soc. Ieſu.*

CLARA beniuolentiæ tuæ ſigna, imò pignora, vidi, cepi, in munere florū, quos ad me miſiſti. Atque eos aliunde, & precibus à te quæſitos, ac pænè emendicatos. O amorem, cui obligor! Eſt hęc vetus oblectatiuncula mea, fateor: & poſt ſeria libenter ad hortos diuerto, oculis atque animo voluptatem. Et mihi iam cauſſa, vt nec in iis ſim ſine tui memoriâ: quæſo vt & mei ſerues. Quod genus, quo pretio aut raritate flores ſint, nondum ſcio: ver dicet: ſed ego à tali animo bonos caroſque habeo, & vel aurum cōtra pendo. Vt tu me obſecro, & ſacris tuis precibus humi ſerpentem attollas. Louanij, III. Idus Oct. ∞.Iↄci. Rdo Patri Rectori Guilielmo Verannemano ſalutem & gratias pro munere item florum dico.

EPIST. XCIII. *Antuerpiam.*

AVBERTO MIRAEO, *Canonico & Theologo.*

ELITTERIS tuis duo didici. & ſtudium pacis, quod in te illâ, quam commendaueram, oſtendis: & progreſſum in opere, quod honori & memoriæ Belgarum illuſtrium moliris. Vtrumque gratum eſt. illud certè prius te dignum, imò tui muneris, quia ſacerdotum eſt cùm alia vitia minuere vel tollere, tum diſſidia exſtinguere, quæ ab exiguo fomite in priuata & publica mala ſæpè ſurgunt. Adnitere porrò, te rogo, & effectum da quod laudabiliter cœpiſti. At de opere tuo, libens equidem ordinem & nomina vidi, quæ Centuria prima tenebit. Prima, nec enim ſola, opinor. alioqui ſunt mihi in mente, quos non omittas. Hadrianus Iunius, inter Belgarum doctiſſimos. Adolphus Mekerchus, Petrus Colius, Iacobus Cruquius, Marcus Laurinus, Iodocus Lommius, & quid noſter Goropius? Sunt alij. ſiam viuos video te non tangere, & id conſilium probo. Sed hac de re totâ corâm magis eſt, vt loquamur. quod breuî fiet, ſiue me illuc, ſiue te (ita audio) ad nos venturo, titulo qui tibi debetur capiendo. Fac, & vale vir amice. Louanij, IX. Kal. Septemb. ∞.Iↄci.

Carmen in ELOGIA tua ſcripſi, an effudi? ita ſoleo: ſed tu hanc non ingenij, ſed animi notam habe.

IN AVBERTI MIRÆI R.V. ELOGIA BELGICA

Scazon I. LIPSI.

MIRAEE *docte, qui facis meos Belgas*
Ætate, ſiue incuriâ tenebroſos
Noſtrâ, nitere rurſus atque ſplendere:
Qui ſingulorum patriam atque natales,
Animique dotes, ſcripta & ingenI fructus
Signas peritè, & acrimoniâ mentis:
Quid tibi reponent pro laboribus Belgæ?
Tituli hunc honorem, SOL MIRAEE BELGARVM.

EPIST. XCIV. *Eódem.*

BALTHASARI ROBIANO, *Senatori.*

EGO verò benignitati tuę obſtrictum me fateor, qui tam promptè effectum reddidiſti quod optabamus. Cum bono Deo veniatur ad colloquium, & Maſio (viro bono & prudente) arbitro peſſima lis finiatur. Sed illud peruelim etiam petitum, vt de tempore ſignifices quando conuentus ille futurus ſit, vt præmoneri Doctor Zuetius poſſit. De Schottij noſtri inclinatione in pacem non ambigo, & ego per litteras propellam. Quod autem vberiùs nuper, fortaſſe & calidiùs in lites & ſimul leges aliquid ſcripſerim, ab impetu fuit, non nego: etſi toto animo & iudicio illas deteſtor & damno, nō item iſtas. Temperari aut recidi eas, meum ſit votum: nec malè, ſiquis Rex cone-

conetur. Vale mi Robiane, & ſalueant in occaſione Schottius & Vwenus: quos iudicés mei illius iudicij non recuſo. Louanij, VI. Idus Octob. ∞.IↃCI.

EPIST. XCV. *Eódem.*

IOANNI BAPTISTAE BARONIO *ſemper ſuo.*

SEMPER, inquam, meo. nec leuicula iſta omiſſio, non enim commiſſio aut culpa, te alienet. Quid tu autem Oceanum aut luſtrales alias vndas aduocas? nihil opus. puta te Athenis, non in illo Martis pago, ſed ad ipſam Miſericordiæ aram cauſſam dicere: & veniam meruiſſe, cùm petijſti. Hoc tantùm volo, & pro ſententiâ fero, emendari. Sępè ad me ſcribe, etiamſi hoc tantùm, Valere te & tuos. Publica quòd nunc tangis & ſubminiſtras, gratum eſt, etſi ipſa parùm grata. Vbi enim Fortuna adhuc nobis riſit? non in Africanâ expeditione, non in hac noſtrâ: quæ nobis propior, animum magis tangit. Vtinam ſic illum magni Regis! Sed vt Iuno Homerica, immiſſo ſomno, Iouem auertit à Troianis: ſic quidam alijs conſilijs aliò ducunt, fulcro & fundamento potentiæ (ita ego cenſeo) relicto. Quid ad nos? Prouidentiæ diuinæ alligemur,

Per hanc, neque iratos timentes
Regum apices, neque militum arma.

Quò ducet & traducet, ſequemur compoſiti, placidi; læti quoque, ſi ſciemus ab optimo illo optimè omnia regi & temperari. Hæc & talia meditare tecum mi Baroni in illo otio, imò meditata etiam alijs lege: pręſertim in Epicteto & Senecâ, quos duos habe certiſſimos ad ſapientiam magiſtros. Vide in vrbe illâ tuâ fluctus & curas: quid ſi in toto orbe? Ne abripiare cum abreptis, te muni: quod duplici anchorâ fiet, Sapientiæ & Conſtantiæ. illâ, quâ æſtimes & noſcas res humanas; hac, quâ feras & patiare æquo animo, & Fatis ſponte, vt dixi, ſubiecto. Si faci; mare attollatur, venti ſæuiant, rudentes & nautæ gemant,

At tibi compoſitam fundauerit anchora puppim,
Telluris tu certus eris.

Ita ſit & voueo, mi Baroni, & toto animo valere. Auum & parentem ex animo ſaluto, iam olim ijs mancipatus. Louanij, poſtr. Idus Octobr. ∞.IↃCI.

EPIST. XCVI. *Leodicum.*

IACOBO CARONDELETO V. R. & N.

HVT, piget, & ſuppudet tarditatis. Tamdiu ſiluiſſe me ad tuas litteras? nec mea culpa eſt, verbo dicam, ſed eorum qui auocant adſiduè & interpellant, & mentem ſibi, aut ijs quos habeo in mente, non patiuntur vacare. O triſtem ſortem, & quæ cum annis creſcit! Patior, & fatorum curſum ſequor: & vel inuitus captiuus ducar ſub currum magni illius Imperatoris.

* —— Ἀλλ' ἀνήμοισι
Δυώρφθη ἀμπλακίην, ὡς καὶ πάρος ἠμβλάκοντες.

Feci certè, & faciam: & ſol ille citiùs ſplendorem, quàm ego amorem & cultum tui linquam. Adoleſcens quem commendas, iam antè innotuerat, & carior te vel innuente erit. De Arteſiâ, non equidem antè inquiſiui: & breuî ad Hiſtorica me dabo, tunc magis iſtarum rerum. Hactenus antiquæ illæ, vt ſcis, me habuerunt. Nobis de Oſtendâ ſpes nunc affulſit, vtinam ſatis certa! Aiunt portum alterũ pro clauſo nunc eſſe; quod ſi eſt, certò illa breuî noſtra. At Pannonica planè ex voto, aut ſupra, labuntur; & Budam obſideri audimus. quid etiam? quid? ipſum Sultanum Turcicum fato, & quidem inglorio, functum (peſte, aiunt:) ipſum certè gloriæ non natum. Quàm degener à Solymanno auo fuit? Sed Prouidentia illa ſic res ordinat. & cùm nos à viris aut ducibus parùm inſtructi, illîc quoque inopiam eſſe voluit, ne Europa regina ſeruiret. Deus iſtam, & in eâ Belgicam reſpiciat, ſuper omnes terras diu preſſam. Vale Reu[de] & Nobil[me] Domine. Louanij, poſtrid. Kal. Nouembr. ∞.IↃCI.

* – verùm age veſtra Trado. meæ, ſi quid peccatum vt ſemper amica.

EPIST.° XCVII. *Louanij.*

ANTONIO VACQVERIO *ſuo* S. D.

VIX abieras, Carmen tuum legi, non libenter ſolùm ſed auidè: & dum legerem placuit, & magis lectum, atque etiam bis lectum. Omitto elegantiam, iudicia placent. quæ tu ſuper hoc genus Commentarijs recta edis, & certè pro iudicio iamdiu meo. Longa illa, multiplex, erudita etiam (eſto) ad vnum aliquem auctorem ſcriptio: an quod agere videtur, hoc agit? ſatin', inquam, illum illuſtrat, corrigit, & in eo pedem firmat? An euagatur plurimùm extra

ſuas

ſuas oleas, & in alieno non ſolùm ſcriptore, ſed choro, ſe oſtentat? Non dicam ambitioſum videri, ptętet tem & opus, certè nouum eſt: nec quiſquam vnus veterum huc præiuit Ego in SENECA meo vitaui, ſimplicem & antiquum morem tenui: placeat, non placeat, mihi deinceps etiam infixum ἀμουσίας hæc vitandi. Alius à me

— cõcluſas hircinis follibus auras Exſpiret:

ſi alibi, non hîc ſit locus, in ſancto & ſeuero hoc ſapientiæ argumento. Amplius tibi dicam,

* Non ego deuinandi aut auſpicij benè doctus.

* Οὔτε τι μάντις ἐών, οὔτ' οἰωνῶν σάφα εἰδώς,

ſed tamen dicam: præuidere me fore lectotes, qui in Senecâ aliud à Senecâ quætant, & curioſè in mea non illius ſcrutentur. O turturillas! vt eius voce vtat. Abeant. qui ſic affecti, Tullium, Plautum, alium quemuis, non Senecam tangant: qui haud magis iuuabit, quàm

Auriculas citharæ collectâ ſorde dolentes.

Sed quò eo? duo volui dicta, & placuiſſe Carmen tuum, & iudicium: quod eum meo præiudicio * Δωριστὶ ἁρμόζει. Quídni ſic loquar? Dorum etiam, id eſt virorum iſti ſenſus. Vale mi Vacqueri, & bona non ama ſolùm, ſed prætende & tuere. In Muſæo N. poſt met. Nonis Nouembr.

* Doricè concinit.

EPIST. XCVIII. *Antuerpiam.*

FRANCISCO HOVIO S. D.

GRATVLOR ex añimo tibi reditum ineo. lumem in patriam & ad tuos, & longo ſatis interuallo. Atque vtinam pattem tepetire potuiſſes, cum vtriuſq; veſtiûm gaudio & delectaıione. Sed Deo decretum aliter, qui auocauit, & è turbis euriſque eductum collocauit in quietâ & beatâ (ita ſperamus) ſede. Ego libens te videbo & amplectar, etſi per hanc auram vt commoueas te, prorſus recuſo: & fortaſſe intta duos tréſve menſes Antuerpia veſtra me videbit. atque ego te ibi: nec opinor iterùm ab amicis aut pattiâ diuellendum. In ſermone autem, Deo volente, de rebus conſilijſque tuis audiam, & libẽs iudicio aut operâ iuuabo, vt in meâ quidem manu aut copiâ erit. Vale. Louanij, III. Nonas Decembres. ∞.IↃCI.

EPIST. XCIX. *Eódem.*

IOANNI MORETO S. D.

HEV triſtia vndique & priuata & publica, in paucis his diebus! Hæc omitto: ſed in illis, ecce duo amici quos corde valdè amabam, vno ferè tempore obierunt: Petezius noſter in vrbe veſtrâ, & Bernartius Mechliniæ. Ille præter ætatem nihil paſſus videtur, ad quam vltimam iam pænè venerat: ſed tamen vitæ & morum perpetuâ bonitate, & nunc quoque ſenſuum illâ integritate meruerat, votis noſtris diutiùs ſupereſſe: & lugemus (ego quidem) quaſi iuuenem ereptũ. Teſtor numen, poſt Plantinum illum noſtrum, in vrbe eâ non fuiſſe carius aut venerabilius mihi nomen. At Bernartius in ipſo ætatis mediæ flore, paullùm vltra trigeſimum annum progreſſus, deſijt viuere: magno luctu vxori, & duobus liberis paruis relictis. Quid de me dicam, cùm hæc audio? ſeruari pænè miraculo: & ille inualidus tot annos, languens, & velut in tegulâ extremâ conſiſtens, defendor Dei benignitate à lapſu. Si in meum aut publicum bonum (confido:) facô mi Seruator. ſin aliter, nihil deprecor, & alia meorum funera funus ego antecedam. Tu valé mi amiciſſime. Louanij, XVI. Kal. Ianuar. anni noui ∞.IↃCI.

* EPIST. C. *Traiectum ad Moſam.*

BALDVINO BVCQVIO, *Canonico*, S. D.

COMITER me aggrederis, fateor, & aditum per humanitatis, vt ſic dicam, cuniculos ad me ſtruis. Scita & elegantia, ſed & arguta quædam, præmittis: quid autem opus, mi Bucqui, erat? Si me noſſes, nihil: qui facilis, apertus, omnibus pateo: & vos tales, ex aſſiduorum iſtâ claſſe, vltrò etiam allicíam & inuitem. Scipionem & Liuium præfers, magna nomina: quæ adeò mecum non iungo aut pario, vt animo ſentiam vix me eſſe eorum vmbram. Atque illi multos ad ſe viſendos excitarunt: & ij cum veneratione aut trepidatione acceſſerunt. Quid ſimile eſt? fulgor aut dignitas illa nos non illuſtrat: & ſicut lucet, vereor vt leuis breuiſque ſit, & velut è ſtramine, flamma. Nihil impono, aut diſſimulo. aliquid fortaſſe melioris altioriſque ſtudij in nobis, ſed ſtudij: rei modicæ ſucceſſuſque mihi conſcius,

—— iure perhorreo

Latè conſpicuum tollere verticem.

Imò hoc quoque, Deo atque animo iſto teſte dicam, dolet produci aliquando à quibuſdam, & cetatas iſtas pennas propiori Soli admoueri. Icarus fieri poſſum, ſed caſu, non animo: nec is vmquam altùm ſubuolabit.

uolabit. Virtutem & ſapientiam amo, hoc fateor : ſed & eos omnes, qui iſtas amant. Te,te inter hos mi Bucqui : quem video recto ad eas & firmo pede irè. votis proſequor, vt adipiſcare & teneas, non ſolùm tangas. Iſtos vanos, ac multis beatos, ſed à vanis cauſſis,

Diſſidens plebi numero beatorum
Eximit virtus:

& calculum ego meum huic addo. Quando timere aut ſperare deſinunt? cui Fortunæ pares ſunt aut ſubſiſtunt? meliore attolluntur, iacent in triſtiore : nec vmquam æqualitatis, & quod ſequitur tranquilliratis, illa trutina animum eorum librat. Quid cenſes, cùm publici iſti nimbi ſunt & procellæ? cùm nec peritis quidem nautis ſidera ſatis certa fulgent ? Niſi vnum illud immotum, à Conſtantiæ rigido polo: cui obuerſum & inhærentem,

Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolidâ, neque Auſter.

Fiat à te, à me, ô Bucqui: opus eſt: & publicas iſtas labes aut ruinas cùm videmus, vbi aliter firmemur ? Heu Buſeum-ducis, vetus, inclytum, potens, ſed & pium opidum: pericula tua audimus, & tenui à filo pendêre ſalutem. Si cadis (ſed Deus auertat!) quæ firma ſpes ſuper nobis eſt ? Sagunto capto, nec Alpes & flumina Annibalem repreſſerũt: quomodo noſtra iſta iacentia & plana? Sed ad Conſtantiam redeo, publica Deus eorum auctor & curator dirigat: tu me porrò ama Bucqui, & de me idem, animo magis quàm verbis teſtipulante, crede. Louanij, Idib. Nouembr. ∞.IↃCI.

APPROBATIO.

Tres iſtæ I. LIPSI *Profeſſoris ac Hiſtoriographi Regij ad Belgas Epiſtolarum Centuriæ, ob genus dictionis purum aſtrictumq́, magno cum fructu ſtudioſæ Iuuentutis excudentur.* 17. *Decemb.* 1601.

Gulielmus Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus ac Archiducalis librorum Cenſor.

IVSTI

IVSTI LIPSI
EPISTOLICA INSTITVTIO,

EXCEPTA E DICTANTIS EIVS ORE,

ANNO M.D. LXXXVII. MENSE IVNIO.

ADIVNCTVM EST

DEMETRII PHALEREI

EIVSDEM ARGVMENTI SCRIPTVM.

I. LIPSIVS
FRANCISCO RAPHELENGIO SVO
S. D.

QVANDO *ita vis, fiat. Ede libellum, potiùs quàm vt alius alibi eum edat : quod ais te comperiſſe. Ego tamen non in hanc ſpem genui : & ſcis extemporali curâ ferè ante annos quattuor dictata hæc nobis, idq́; in vſum captumq́; ſaltem iuuentutis. Iis ipſis multa vtiliter tunc interſati ſumus aut miſcuimus, quæ hîc non habes, illuſtrandæ ſcilicet rei aut firmandæ. Nam hæc breuia. quæ tamen ipſa, quoniam vſui etiam aliis eſſe poſſe, tu aliiq́; cenſent : age, non inuideo, communica. ſed hac lege vt omnes ſciant, diſcentibus, non doctis; iuuenibus, non adultis, hæc à nobis ſcripta: nec vmquam edendi iſto fine. Nam hæc talia ſeruabamus Dialogis* De inſtituendâ iuuentute. *Sed, vt initio dixi, quoniam vis, fiat : & tu in aliis magè ſeriis Plantinianum nomen famámque propaga. Val.* v. *Kal. Nouemb.* ∞.Iↄ.xc.

IVSTI

IVSTI LIPSI EPISTOLICA INSTITVTIO.

CAPVT PRIMVM.

De nominibus varijs Epiſtolæ : & de formâ apud veteres.

EPISTOLA quî rectè & laudabiliter ſcribatur, præire mihi propoſitū iuuentuti. ſed compendio: ad vſum, non ad ſpeciem : nec vt omnia quæ ad rem , ſed quæ in rem maximè, dicam.

EPISTOLAE Græcanicum nomen eſt, ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλειν, quaſi *Miſſoriam* dicas:(Iſidorus interpretatur *Miſſam*)ſed in veteri tamen Latinorum vſu: & Plautus aliquoties vſurpat, & Afranius comœdiam etiam quampiam, *Epiſtolam* inſcripſit. *V* mediâ Politianus & nonnemo hodie ſcribūt, freti auctoritate librorum & lapidum, in quibus crebrò ſic reperias: ſed, niſi fallor, numquam ante Veſpaſiani æuum. Et per *O* ſanè rectiùs ſcripſeris magiſque ἀναλόγως. Alijs etiā nominibus priſci appellauêre, *Litteras, Tabulas, Tabellas, Codicillos.* Litteras (poëtę etiā *Litteram,*) ob eminentiā, & quia hoc genus creberrimi inter litteras omnes vſus: Tabulas, Tabellas, Codicillos à materie ; quia *ante chartæ & membranarū vſum* (* Iſidori verba cito) *in dolatis ex ligno codicellis epiſtolarum colloquia ſcribebantur. Vnde & portatores earum Tabellarios vocauerunt.* Quę tranſcripta moneo ex Hieronymi epiſt. XLII. Feſtus eidem rei : *Tabellis,* inquit, *pro chartis vtebātur antiqui; quibus vltrò citróque certiores abſentes faciebant: vnde adhuc Tabellarij dicuntur ; & Tabellæ miſſæ ab Imperatoribus.* Inde Plautus Epiſtolam circumſcribens Pſeudolo:

Lib. VII. Orig. — * Lib. VII. Orig.

> *Per ceram & lignum,* inquit, *litteraſque interpretes.*

Et paullò pòſt:

> *Pro ligneâ ſalute vis argenteam remittere illi?*

Eiuſmodi Tabulæ Homero etiam notæ: apud quem Prœtus litteras Bellerophonti tradit ſcriptas ἐν πίνακι πτυκτῷ, *in tabellâ * plicatâ.* Fieri ſolitæ inductâ cerâ, è fago, abiete, buxo, tiliâ ſiue phylirâ, acere, citro, ebore. quę omnia exemplis firmare non hîc locus. Vſi tamen & chartâ ad hanc rem: idque ex Martialis lemmate facilè colligas , *Charta epiſtolares.* quod nomen hodieque Epiſtolæ tribuunt Hiſpani. Sed ſiue Tabella , ſiue Charta, paullò alia tamen eius quàm hodie forma. Pagellæ enim erant, & ſpecies minuti libelli. Hinc Ciceronis illa capies: * *Extrema pagella pupugit me tuo chirographo.* * Et, *Altera iam pagella procedit.* Excipio , quòd publicas litteras ad S.P.Q grādiore formâ, & tranſuersâ chartâ ſcribebant, ſcilicet quaſi Hiſtorias. Suetonij hæc mens in * Iulio: *Primus epiſtolas ad Senatū, ad paginas & formam memorialis libelli conuertiſſe fertur, cùm anteà Coss. ac Duces non niſi tranſuersâ chartâ mitterent.* Cui Iſidorus dat lucem: *Quædam nomina librorum apud gentiles certis modulis conficiebantur: breuiore formâ , Carmina atque epiſtolæ; at verò Hiſtoriæ maiore modulo ſcribebantur.* Ethinc * Senecam explico: *Epiſtola non debet ſiniſtram manum legentis implere:* quod ſcilicet referendum ad anguſtias & minutam libelli formam.

Iliad. ζ. ver. CLXIX. — * Siue, duplice. — Lib. XIV. — * Lib. II. ad Cœlium epiſt. XIII. — * Lib. II. ad Brutum epiſt. XXV. — * Cap. LVI. — * Ep. XLV.

CAPVT II.

Quid ſit Epiſtola, & quæ eius partes.

DEFINIO autem Epiſtolam : SCRIPTVM ANIMI NVNTIVM AD ABSENTES , AVT QVASI ABSENTES. Animi nuntium dixi : quia finis Epiſtolæ duplex ; aut affectui teſtando , aut rei ſignificandæ. illum, ingerit Ambroſius ad Sabinum: *Epiſtolarum vſus eſt* (inquit) *vt diſiuncti locorum interuallis , adfectu adhæreamus:* Hunc alterum , Cicero ad * Curionem: *Hac cauſſâ inuenta res ipſa eſt, vt certiores faceremus abſentes , ſi quid eſſet quod eos ſcire , aut noſtrâ aut ipſorū intereſſet.* Et ante eum * Turpilius: *Sola res eſt † quæ homines abſentes, præſentes facit.* Rectè igitur dixi, *abſentes.* ſed addidi etiam *quaſi abſentes :* quòd interdum ea vſurpata ad præſentes. Ita Auguſtus * *ſermones grauiores cum Liuiâ ſuâ non niſi in ſcriptis & è libello habebat.* Et idem Iuliam ſuam in Amphitheatro * *admonuit ſcripto.* quin mos ille ſub Tiberio principe * *etiam præſentem ſcripto adire.* quem originem ſumpſiſſe à Iulio Cæſare ex Plutarcho colligas: qui *primus* (inquit) *rationem repperit amicos per litteras conueniendi , cùm coràm agendi*

* Lib. II. — * Apud Hier. epiſt. XLII. — † Velim tranſponi, vt fiat Trochaïcus: *homines abſentes quæ præſ.* — * Sueton. c. XXCIV. — * Macrob. II. Satur. — * Tac. IV. Annal.

di nec occupationes nec magnitudo vrbis ſemper occaſionem daret. Atque id genus propriè Codicellos appellabant. Senecæ ea mens ep. LVI. *Video te mi Lucili cùm maxumè, audio. adeò tecum ſum, vt dubitem an incipiam non epiſtolas, ſed codicillos tibi ſcribere.* Hæc definitio Epiſtolæ. ex quâ partes præcipuas eius duas facio: Materiam & Sermonem.

CAPVT III.

Materies definita, diuiſa, & de præmiſsis Epiſtolæ.

MATERIEM dico REM QVAE SVBIECTA SCRIPTIONI. Ea duplex, Sollennis & Varians. Sollennis, QVAE IN OMNI EPISTOLA, EADEM AVT PAENE EADEM, ET QVASI EX FORMVLA RECVRRIT. Qualia ſunt, Prçloquium, & Clauſula. Præloquium intellego, QVOD EX RITV PRAEMITTITVR: vt Nomina & Salus. In nominibus olim receptum, vt in ipsâ fronte epiſtolæ bina ſemper ponerent, Suum & Alienum: illo præpoſito, etiam ad digniorem. Cum cauſsâ. quoniã prima legentis cogitatio & deſideriũ, eſt ſcire à quo miſſa. Etiam hoc ſeruatum, vt nomina nuda, nec blandientia aut laudantia verba, ſibi alterive tribuerent. excipio, ſiquis in imperio aut magiſtratu. Tum enim verbo additum *P. Seruilius Rullus Trib. pl. X. vir Cneo Pompeio proconſuli.* At Epitheta nulla: niſi ad vnicè caros aut domeſticos. quos interdum *Humaniſſimos, Optimos, Suauiſſimos, Suas animas* appellabant, & receptiſſimo verbo *Suos.* Quod poſtremum interdũ etiam ad leuiter notos vſurpabant. vt apud Liuium: *Prætores Syracuſani Marcello Suo.* (Lib. XXIV.) Priſci interdũ: ſed labens ætas paſſim & omnibus dedit. adeò vt Imperatorem ipſum ſancquàm familiariter *Suum* ſalutet Plinius in magni operis præfatione. (Lib. XIV.) Ab hac mente Martialis:

Seu leuiter noto, ſeu caro miſſa ſodali,
Omnes iſta ſolet charta vocare SVOS.

Et in Plinij Iunioris epiſtolis vix aliter legas: ſicut & Pandectarum aliquot locis. Olim iſta: Ego hodie temperem ad vſum noſtri æui; & alieno ingenio interdum ſeruiã potiùs, quàm meo. Ad doctos, probos, ſimplices ſimplicia hæc ſeruem: ad magnates aliter; nec temerè nomen meum præpoſuerim, & appellãdi formulâ potiùs ſcripſerim, *Maxime Rex, Illuſtriſsime Princeps, Ampliſsime Domine,* &c. Miſera oſtentatio ſcientiæ, quæ riſum aut offenſam debet; vtique in epiſtolâ, quç tum demùm rectè ſcripta, cùm videtur illi cui ſcripta. At de Salute, clarum eſt olim eam poſt ipſa Nomina adiectam: haud dubiè ex colloquiorum more, quo in occurſu ſtatim ſalutamus. Græcis ſimile: (Vide Diogen. Laert. in Plat.) quibus χαίρειν precari in vſu fuit, aut εὖ διάγειν: quæ Epicuri ſalutatio: aut εὖ πράττειν: quod diſputatiunculâ quâdam præfert Plato ad Dionyſium. Horatius, non præter ſolitum Græcus, expreſſit iſta: (Epiſt. III.)

Celſo gaudere, & benè rem gerere Albinouano
Muſa rogata refer. ——

Omittebãt hæc interdum, & præſertim Reges, quaſi per maieſtatẽ. Plutarchus notat: (In Phocione.) *Alexandrum, victo Dario, abſtuliſſe ab epiſtolis, τὸ χαίρειν (illud Saluere,) exceptis quas Phocioni ſcribebat. quem vnũ, ſicut Antipatrũ, compellabat, poſt Salutem dictã.* Pertinere etiã ad Præloquium videatur vetus ordiendi formula, S.V.B.E.E.V. quç in priuatis litteris frequẽs; in publicis perpetua, etiam poſteriore æuo. Cõcipi ſolet & his notis S.V.G.E.V. id eſt, *Si vales, gaudeo, ego valeo.* Quæ apud Oppiũ de bello Hiſpanienſi lectæ, fruſtrà turbant & ad mutandum impellunt eruditos.

CAPVT IV.

De ijs quæ ad finem Epiſtolæ, itemque de Signo.

AD Clauſulam venio: quam appello TERMINVM EPISTOLAE ET FINEM. In eâ hæc quinque ſollennia ferè inſunt: I. *Valedictio.* quæ inſerta pariter ex ſermonis ritu, quo abeuntes alter alteri benè precamur. Expreſſa antiquis ſimplici verbo Vale. Ouidius: (v. Triſt.)

Accipe, quo ſemper finitur epiſtola verbo,
Atque meis diſtent vt tua fata, Vale.

Interdum *Haue, Salue*: nec indecorè cum adiectiunculâ *mi anime, mi ſuauiſsime.* Aut alio verbo ad argumentum apto: *Vale & veni, Vince & vale.* Interdum & voto concepta: *Deum precor vt te ſeruet, conſilia tua fortunet,* &c. Quæ omnia cum iudicio imitanda aut immutanda pro re & perſonâ. II. *Loci adiectio.* quæ neceſſaria inter abſentes: niſi ſi de eo planè conſtet. Itaque Ciceroni crebrò omiſsâ: & in pari cauſsâ omittenda nobis. III. *Temporis.* in quo dies ſemper, annos plurimùm; horas interdum notatas inuenies. IV. *Subſcriptio.* quç priſcis ignota: niſi fortè in litteris ad Imperatores; quibus ſubſcriptum per ſpeciem honoris & obſequij, * *Deuotos ſe eſſe.* Nos tamen vſurpamus. nec damno apud grandes aut ignotos: apud familiares vacuum

(* Ex Dione LVII. Suet. Tib. XXXII. Et priſcis lapid. D. N. M. Q. E. id eſt, Deuotus Numini Maieſtati eius.)

vacuum videatur, imò vile. v. eſt *Superſcriptio.* quæ nobis inter legitima, veteribus rarò fortaſſe vſurpata. Dabant enim plerumque & mittebant per Pueros ſuos aut Tabellarios notos; nec aliud in exteriore epiſtolâ quàm Signum & Linum. Illud plerumque
* Sine aliâ aliquâ. vt Auguſtus Sphynge ſignare ſolebat. poſteà imagine Alexandri, poſtremùm ſuâ.
erat * Imago propria, aut alicuius è maioribus, impreſſa ceræ ſiue cretæ. De cerâ notum eſt: de cretâ, veniſſe in hunc vſum Cicero oſtendit IV. in Verrem: *Signum iſte animaduertitin cretulâ.* Et pro Flacco, *Aſiaticâ cretam* in hac re appellat. Linum fuit, vinclum quo epiſtola obligata, & cui ſignum ipſum impoſitum impreſſumque. Plautus:

Cedo tu ceram ac linũ: age, obliga, obſigna citò.

Nec aperire epiſtolam fuit, niſi illo ſoluto.
Lib. VII. Inde apud Curtium: *At Parmenio vinculum epiſtolæ ſoluit.* Apud Ciceronem: *Incidere linũ.* & paſſiuâ vulgataque phraſi, *Soluere epiſtolã.* Ferè autem ſignum cum eo fractum: ideoque iubebant ſemper ante apertionem Signa agnoſci, fidei cauſsâ. in Plautinis:

Accipe, hem cognoſce ſignum.

Iterùm:

Cape, ſignum noſce.

Cicero in Catil. *Oſtendi tabellas Lentulo, & quæſiui cognoſcerétne ſignum? Annuit. Eſt verò inquam imago aui tui clariſſimi viri.* Salluſtius: *Pellectis litteris, cùm priùs omnes ſigna ſua cognouiſſẽt.* Hoc curioſe ideò: quia ſigno corrupto facile & tutum negare à ſe ſcriptam. vtique cùm dictaſſent (vt ſępè) & alienâ manu eſſet. Ita olim. nec tamen rigidè abnuo, quin aliquando ſuperſcriptum. Plutarchus in Dione, inter plures epiſtolas quæ adlatæ, μία δ᾽ ἦν, inquit, ἔξωθεν ἐπιγεγραμμένη, τῷ πατρὶ παρ᾽ Ἱππαρίνου: *Vna erat exteriùs inſcripta, Patri ab Hipparino.* Quod pro eorum opinione ſit, qui volunt ea quæ in capite ac fronte epiſtolarum veterum ſemper legimus, fuiſſe Tabellarij cauſsâ, in earum dorſo. Sed quidquid huius ſit, nobis ſuperſcriptio vſurpanda: ſiue ob ignotos ignoranteſque tabellarios, ſiue magis ob receptiſſimum morem, cum quo fruſtrà pugnemus. Quin & Titulis, eodem auctore, vti ſuadeã: ſine ambitione tamen aut profeſsâ nimis adulatione. Hæc Sollẽnis Materies epiſtolę. in quam licet aduocem Epiſtolas totas, quas *Formales*
* In Domit. XIII. * Suetonius appellat. Eæ de vnâ aliquâ re, vnâ ac ſimili formâ, ad plures ſcribuntur: in negotijs publicis, inque aulis Principum etiam hodie vſitatæ, quas ipſas *Canonicas* (niſi
* Lib. 11. Var. Epiſt. XXXII. fallor) * Caſſiodorus appellat.

CAPVT V.

De Materie variâ, eiuſque ſectione.

AT variantem Materiem appello, QVAE DIVERSA IN QVAQVE EPISTOLA EST: IPSA OCCASIO SCRIBENDI ET CAVSSA. Ea multiplex: nec minùs latè patet quàm hęc vita. Quid enim rei diuinæ aut humanæ eſt, quod non ſermone communicamus? ergo & Litteris, quæ alter ſermo. Sed tamen diffuſam coërcere his terminis poſſe videor: vt omnis ea ſit triplex: *Seria, Docta, Familiaris.* SERIAM dico, *quæ ad publica aut priuata pertinet, ſed vberiùs ea tractat, & cum curâ.* Id genus inter publica ſunt: *Narrationes, Diſſertiones, Deliberationes, de ſtatu rerum, de militiâ, de pace,* & his talibus. Inter priuata; *Cõſolationes, Admonitiones, Petitiones, Obiurgationes, Excuſationes, Suaſiones, Laudationes,* & vno verbo, quidquid paullò magis ſeriò ſcribimus, & vnâ in re velut figentes pedem. Quod genus ſæpè incurrit, & plerumque neceſſariò, interdum animi cauſsâ, vſurpatur. DOCTAM dico, *quæ ea quæ ad ſcientiam aut ſapientiam, continet; & res non epiſtolæ, epiſtolæ veſte velat.* Talis triplex: aut enim *Philologa* eſt, & in amœnioribus ſtudijs occupatur, vt olim Varronis Quæſtiones Epiſtolicæ, Valgij Ruffi Quęſita per Epiſtolam. Aut *Philoſopha,* & de Naturâ vel Moribus agit: vt Senecæ noſtri epiſtolæ; ſed & Platonis. Aut denique *Theologa,* quæ in ſacris rebus dedita: vt ſunt Auguſtini, Hieronymi, Cypriani, Baſilij, Gregorij vtriuſque. Denique FAMILIAREM dico, *quæ res tangit noſtras aut circa nos, quæque in aſſiduâ vitâ.* Ea propria & creberrima Epiſtolæ materies: &, ſi verum fateri volumus, germanæ illius vna. Cui priora illa duo, *Seria,* inquam, & *Docta,* ſæpè admixta: ſed admixta; variumque ei ſemper nec ſimplex argumentum.

CAPVT VI.

De Inuentione pauca & Ordine.

SATIS de vniuersâ Materie dictum: de Inuentione & Ordine addendũ aliquid eſt: ſed breuiter. Nam ad Inuentionem vberibus pręceptis quid opus? Cùm ſemper ea prompta; nec ad Epiſtolam ſcribendam veniatur niſi argumento concepto, & mente (vt ita dicam) tumente. Quod in

Familiaribus veriſque Epiſtolis perpetuum eſt: in *Serijs* aut *Doctis* paullò alitet. quibus quomodo aggerenda aut amplificanda Materies ſit, nihil hîe ego: ſed Rhetorũ te libri docebunt. Nec in *Ordine* quidem admodum laboro: qui optimus in Epiſtolâ, neglèctus aut nullus. Vt in colloquijs incurioſum quiddam & incompoſitum amamus: ita hîc. Adeò vt nee in reſponſionibus otdine & diſtinctè ad capita ſemper reſpondeamus: ſed vt viſum, atque vt hoe illúdve in menrem aut calamũ venit. Omnino decôra eſt hæc incuria: & magnus* Magiſter rectè monuit, *Epiſtolas debere interdum hallucinari.* Iraque ille ipſe hæſirat, reuocat, turbat, miſcet: nec quidquam magis cutaſſe videtur, quàm ne quid curæ præferret. Tamen in *Serijs*, non nego de Ordine paullò magis ſatagendum: ſed ita, vt ſemper infra Oraroriam illam diligentiam conſiſtas, & imitere eam, non æques. Ptæeeptis cur te alliges? Vt Imperatori in aeie certus aliquis ordo eſt, nee tamen vnus: ſie tibi in omni materie; quam pro re, pto iudicio diſpone.

*Cicero ad Attic.

CAPVT VII.

De Sermone. quæ de eo dicenda; & primùm de Breuitate.

VENIO ad Setmonem: cuius cauſsâ, fareot, Inſtitutio hæc ſuſcepta. Nam de Materie, totum mediocris cuiuſdam prudentiæ eſt: & vix peceatur. at in Sermone, Labor & Errot eſt; nec corpus illud hodie erebrò cultum vidimus (liberè effeto) deeenri hac veſte. Sermonem appello, ELOCVTIONEM ET STILI MODVM EPISTOLAE APTVM. Is vt talis fiat, dupliciter eum conſiderabo: *Vniuersè* & *Distinctè*. Vniuerſè; in roto Habitu & conſormatione epiſtolæ: Diſtinctè; in partibus, id eſt *Phraſi* & *Verbis*. De Habitu igitur ſermonis epiſtolici, præcipio vt quinque iſta ſetues: *Breuitatem*, *Perſpicuitatem*, *Simplicitatem*, *Venuſtatem*, *Decentiam*. Prima illa, prima mihi ſetmonis virtus eſt: adeoque epiſtolæ propria; vt, ſi longior, (cum Demetrio ſentio) Libri iam nomen aſſumat, Epiſtolę amittat. Cùm tam multa ea nuntiet, quî debet multis? Addo, quod vt in ſermone aut fabulis, ſic in epiſtolis odioſa garrulitas. Quam tamen, quod obſetues, imperitiſſimus quiſque affectat; & loquentes ferè plurimum, qui minimùm eloquenres. Vt cotpore tenues, veſte ſe dilatant; ſic qui ingenij aut ſapientiæ inopes, diffundũt ſe verbis. At Breuitas mihi amata, & ijs qui ſapiunr: ſi tamen cum Iudicio ea vſurpata & Modo. Peccari enim & hîe poſſe ſcio: & vt in ſagittâ mittendâ, non minùs aberrat qui citra ſcopum, quàm qui vltra iaculatur; ſic in ſcribendo, quiſquis pauciota quàm pro re, aut pluta dicit. Modum autem à matetie ſpecto. ſi *Seria* Epiſtola aut *Sapiens*; diffundi paullò magis velim, & rei per ſe graui addi verborum aliquod pondus. Si *Familiaris*, contrahi: nec tes tenues ac multas onerari laciniâ ſermonis. Scilicet vt vela pro magnitudine nauium: ſic verba debent eſſe, pro rerum. Iudicium porrò ſumo à perſonis; idque dupliciter: A *Qualitate*, à *Captu*. Ab illâ: vt ſi ad Ignotos aut Magnates ſcribitur; vberior & floridiot paullò epiſtola ſit. quia ſtricta illa breuitas apud hoſtales, non abeſt à contemptu. Aliter, ſi ad amicos aut æquales. A captu: vt ſi ad leuiter doctum aut aeutum; ſi ad iuuenem. extendam tunc profectò, nee tenebras ingenijs offundam per ſe parùm elatis. Atque id mihi in omni perſonâ valdè notâ: vt illi, inquam, te ſtilumque tuum attemperes. quoniam capur artis, ſeribere aeeommodatè. Quî fiet igitut Setmo breuis? obſeruatione triplici: *Rerum*, *Compoſitionis*, *Verborum*. *Rerum*; vt ſuperuacuum nihil admiſceas, nil tepetas; inprimis non capita ad quæ reſpondes. *Compoſitionis*; vt ſtructutam & periodum longiorem omnem fugias: membris vtare, & aſyndetis ſæpè. *Verborum*; vt lętiot omnis phtaſis, allegoria, imago abdicetut: patca & puta otatio ſit, neceſſariâ ſupellectile verborum contenta.

Habes de Breuitate; quæ viris mihi dicta, non iuuenruti, ſunto. adeò enim hanc ad eam non voco, vt etiam abſterreã: ſiue quia tutò adſumere vix poteſt, & Breuitatis imitatio ſacillimè ætatem hanc decipit: ſiue quia nec vtiliter poteſt, & iuuenili illo breuitatis ſtudio (ſæpè vidimus) atidus plerumque & exſuceus ſtilus euadit. nec facilè ad laudatam illam temperiem venitur, niſi initio vbertas quædam & luxuries ſit, quam ætas paullatim depaſcat.

CAPVT VIII.

De Perſpicuitate; quî peccetur in eâm, quî paretur.

VIRTVS altera, *Perſpicuitas*; de induſtriâ à me Breuitati ſubtexta, quia periculum magnum huic ab illâ. Quàm ardua,

quàm

quàm rara illa Breuitas, quæ non præteruolet aures aut defraudet? in quâ legentis ſenſus non opus ſit intendi? Arqui ſemel hoc imbibe: ſummum in ſermone vitium eſſe, non ſolùm non capi, ſed etiam ægrè capi. In quo peccant quidã Naturâ, qui ipſi obſcuri & reconditi talia efferunt: plures, Studio; qui nihil doctum aut laudabile putant, niſi reconditum, & quod fugiat vulgares mentes. Stulti quia malè ingenioſus ille, ad quem capiendum opus eſt ingenio: præſerrim in Epiſtolâ, quæ arbitrum aut interpretem non quærit. Clarè ergo ſcribito, ſi potes, & breuiter. ſed ita, vt hoc laudis eſſe ſcias, illud neceſſiratis. Clarus autem ſermo erit, præcepto triplici: Si verba in eo propria; ſi vſitata; ſi collocata.

CAPVT IX.

De Simplicitate duplici; & ad hanc monita.

TERTIAM virtutem poſui *Simplicitatem:* intellectu duplici. quia & in Stilo eam exigo, & in Mente. De Stilo: certum, & veterum exemplo teſtarum eſt, ſimplicem eum eſſe debere, ſine curâ, ſine cultu; ſimillimum cottidiano ſermoni. Itaque Demetrius, vt Dialogum, Epiſtolam ſcribi vult: & ipſe Cicero, *texi eam quotidianis verbis.* Seneca appoſitè: *Qualis ſermo meus eſſet, ſi vnà ſederemus aut ambularemus, illaboratus & facilis: tales volo eſſe epiſtolas meas.* Quod feminas ornate dicitur, non ornari: hoc epiſtolam. quam ſequi decor debet, non ab eâ aut in eâ affectari. At de Mente: ita intellego; vt ſimplex quiddam & ingenuum in totâ ſcriptione eluceat, & aperiat candorem quemdam liberæ mentis. Nullâ enim ex re magis natura cuiuſque & certa indoles elucet (Demetrio verè ſcriptũ) quàm ex epiſtolâ. Itaque optima ea tibi repræſentanda, & inprimis illi ad quem ſcribis amica. vt inquam lenium affectuum & beneuolentiæ illud, vt ſic dicam, ſaccharum, inſpergatur; fiatque delectabilis, & ad legentis guſtum. Quo in genere Cicero vnicus, & vnicè imitandus. Præceptis enim alijs res non continetur. Cautionem addo ſiue exceptionem: pro re interdum epiſtolam aſſurgere, & paullò ſtudioſiùs ſcribi (vt in Serijs:) ſed tamen ita, vt ſimplicitatem totam non exuat; & ornamenta interdum habear, lenocinia nuumquã. Nam illæ quæ ad pompam & oſtentationem ingenij ſcriptæ (quales Philoſtrati & Phalaridis, item Syneſij & Plinij nonnullę) neſcio an tueri nomen veræ epiſtolæ poſſint apud iudices veros.

CAPVT X.

Iunctim de Venuſtate & Decentiâ.

RELIQVAE mihi duæ virtutes, *Venuſtas* & *Decentia:* etſi vix reliquæ. Vtraque enim eiuſmodi, vt admonere de eâ breuiter poſſim, non docere. Illa ab Ingenio tota eſt; hæc à Iudicio: quorum vtrumque ſpernit ligari præceptorum his vinclis. *Venuſtatem* appello; *cùm ſermo totus alacer, viuus, erectus eſt, & allicientem quamdam gratiam Veneremque præfert.* Quod natura ferè dat: nonnihil tamen & duplex hæc monitio. Primùm, vt Adagia Alluſioneſque ad dicta aut facta vetera, verſiculos aut argutas ſententias vtriuſque linguæ interdum immiſceas. Secundùm, vt iocis ſalibuſque opportunè condias; quos animam & vitam epiſtolæ eſſe non fugiam dicere.

At *Decentiam* intellego, id quod Græci *τὸ πρέπον*: quæ tum in epiſtolâ, cùm omnia aptè & conuenienter ſcripta. Quod fiet aſpectu duplici: *Perſonæ* & *Rei. Perſonæ* dupliciter; ſi tuam reſpicis, & eius ad quem ſcribis: *Rei* autem, ſimpliciter; vt omnia pro arguméto; & ſententiarum phraſiumque veſtis apta ſit corpori rerum. Magna hæc, ſed occulta virtus: nec immeritò* Cicero monuit, *vt in vitâ ſic in oratione, nihil difficilius eſſe, quàm quid deceat, videre.* Nec verba hîc perdam: quia ſcio Iudicij totam hanc rem eſſe: quod à Deo & à naturâ pete, non ab Arte. * In Orat. ad Brutũ.

CAPVT XI.

Ad Sermonem diſtinctè tranſitum. eum parari Imitatione: ad hanc tria præcepta. & primùm de ijs qui, & quando, legendi.

DIXI vniuerſè de Sermone: magis diſtinctè ad partes eius tranſeo, *Phraſim* & *Verba.* Illam appello, VOCES DVAS AVT PLVRES IN SENTENTIA IVNCTAS: Hæc, VOCES IPSAS SINGVLAS. In illis *Elegantia* & *Nitor* requiritur: in his *Latinitas* & *Proprietas.* Ea omnia hodie, vel ex *Auditu* haurienda ſunt; vel ex *Lectione.* Ex illo leuiter; quia nec adhærent audita animis, æquè ac lecta: nec eſt ferè vt optima audiantur. quia & rarus Latinus ſermo, & pauci eâ curâ loquuntur quâ ſcribunt. Itaque doctiſſimi ac diſertiſſimi, ſæpè in ſermone alij,

 nec

nec temerè exemplum vidimus aut videbimus eloquentiæ, quam formauit Auditio ſola. Lectio igitur magis tuta, magis vtilis. ſic tamen, vt *Imitatio* ei adiuncta ſit: ſine quâ languida hæc, imò vana. *Imitationem* dico, SERMONIS NOSTRI AD SERMONEM VETEREM, APTAM CONFORMATIONEM, ET STILO EXPRESSAM. A quâ (vno verbo dicam) ſpes omnis creſcendi huic ſegeti Phraſium & Verborum. Nam Ars alia, quidquid conentur, non magis diſertos fecerit, quàm vates ſomnium in Parnaſſo. De illâ igitur cum curâ & ad vſum dicam: & quidem hæc tria, *Quos & Quando legas. Quid & è quibus ſeligas: Quid exprimas & quid vites.* In primo: vtinam ea copia ſcriptorum hodie, vt iure ambigua haberi hæc lis poſſit! Pauci relicti veteres: quis controuertet quin ij legendi omnes ſint? niſi fortè nuper aliquot Itali, qui in arctum reductam eloquentiam concluſerunt finibus tantùm Tullianæ lectionis. O vani & faſtidioſi! non ſolùm præter mentem magiſtrorum veterum, ſed præter rationem præterque vſum. Quos nunc non refello; & adhæſiſſe olim me ſcio paullò iuueniliùs, donec repreſſit & reuocauit maturioris iudicij frænum. Tu mecum, omnes legendos imitandoſque tibi certò ſtatue: non ſimul tamen aut omni æuo. Diſcrimen aliquod temporum eſt, quod vtiliter enotabo. Eſt *Puerilis* quædam & prima Imitatio, eſt *Creſcens*, eſt *Adulta*: In illâ primâ, Italorum hæreſis mihi placeat: & aliquamdiu Cicero non præcipuus ſolùm legatur, ſed ſolus. Cui fini? vt corpus ſcilicet illud & contextus orationis primùm ſeriò formetur vno quodam habitu, & æquabili ſermonis filo. Neſcio an idem cenſerem, ſi Caluus, Cælius, Brutus, Cæſar, & alij è claſſe Oratorum extarent. Sed, vt hodie res eſt, quis præter Tullium periodos, membra, numeros, & continuatam illam orationis ſeriem nobis ſuggeſſerit? A quâ, me quidem iudice, neceſſariò initium faciendum iuuentuti. Vt pictor cùm tabulam accepit, primùm hominem totum delineat; colores mox aptos quærit, & addit cuique parti: ſic meus Imitator, corpus eloquentiæ ſuæ formet, pigmenta deinde variè conquirat. Niſi facit, (crede iuuentus, aut ſerò credes:) hiulca ſemper, incompoſita, & è varijs varia quædam ſtili forma gignetur, nec ſatis ſibi conſtans. quotidie video; & peccati cauſſam non ignoro. Cicero igitur primus primas teneat: & teneat ſolus. Sed quamdiu? pro ingenijs tempus definiam: in molliore aliquo, annum; in duriore, alterum etiam annum. Et addo non inutiliter, ſub hanc ipſam curam, Manutij epiſtolas, Sadoleti, Bembi, Bunelli, atque in primis Longolij noſtri, legi poſſe. non quia ipſi (liberè dicam) valdè probi; ſed quia puerili quodam affectu Ciceronis illam orbitam anxio pede preſſerunt, ideoque per eorum veſtigia turior & facilior tibi curſus. At in *Creſcentem* & *Iuuenilem* Imitationem alios admitto: ſed ſucceſſu tamen; nec vt ſaltu pergas, ſed per quoſdam velut gradus. Itaque meo conſilio, eos hîc primùm adeas qui à Cicerone minimùm abeunt, & qui copiâ, ſuauitate, fluxu dictionis, referant beatam illam facilemque naturam. Qualis Fabius inprimis, & nonnihil Q. Curtius, Velleius, Liuius, Cæſar: ſimiliores futuri, niſi retinuiſſet & ſtitiſſet alia ſpecies argumenti. Hos igitur tunc lege, ſed leuiter: at cum omni ſtudio Plautum & Terentium; qui ſemel corpore illo Sermonis & tamquam ædificij formâ conſtitutâ, vtiliſſimè adhibebuntur ad poliendas omnes partes. Verborum proprietas à quibus petatur meliùs? à quibus Phraſium ille nitor Atticus? Iam Venus, & lepor & comitas à quibus vberiùs hauriatur, quàm à meo comico? Plautum enim hîc ſolum intellego; & præpono (nec impono: quia ex animo ita ſentio) omnibus, qui in Latio aut Græciâ imbuerunt chartaceum hoc æquor. Hi ad Epiſtolam (de Orationibus enim aliter cenſeo) & familiarem ſcriptionem inprimis apti: quia reuerà epiſtola quid aliud, quàm cottidiana diſſertatio? vt non errârit Artemo apud Demetrium, qui cenſet eodem modo Dialogum & Epiſtolam ſcribi. Et Plinius ab eâdem cauſſâ, epiſtolas matronæ cuiuſdam dilaudans, cum Plauto & Terentio metro ſolutis eas componit. Quin ipſum Plinium, in ſecundâ hac claſſe iure colloco, terſum, acutum, nitidum: ſed non ſine delicijs molliculum interdum, & parùm virum. Cui comitem nouum do, ſed maiorem nouis, Etruſcum illum Angelum, qui (niſi quòd affectatæ interdum & quæſitæ in eo argutiæ) cum illis ipſis priſcis pari paſſu decurrere poſſe videatur Epiſtolarum hunc campum.

Hoc velut tirocinij biennium ſit: quo manus hæc ſtili coërcenda nonnihil intra puram togam. cui iam deinceps, in *Adulta* Imitatione, liberè permittam exſerat ſe & vage-

vagetur per ſcriptorum omne genus. Legat, videat, & flores ex omni prato carpat ad Eloquentiæ hanc corollam. Sed inprimis ſuadeam Salluſtium, Senecam, Tacitum, & id genus breuium ſubtiliumque ſcriptorum iam legi, quorum acutâ quaſi falce luxuries illa paullisper recidatur; fiatque oratio ſtricta, fortis, & verè virilis.

Finij de parte primâ: niſi quòd leuiter addo, perutile futurum eumdem illum Ciceronem legi cotidie & relegi; veſpertinis præſertim horis, &, ſi opportunitas feret, ſub ipſum ſomni tempus. Mens tunc neſcio quo modo meliùs arripit, retinet, & concoquit per quietem. Tenta, reperies in leui monito non leue momentum.

CAPVT XII.

De Excerptis; quo ordine ea inſtituenda, & à quibus ſingula carpenda.

QVID *ſeligas & A quibus*, partem feci alteram. de quâ etſi exemplis dicere faciliùs poſſem, quàm ſcriptis; tamen breuiter hæc habe. Lectionem ipſam non ſufficere, ne repetitam quidem, imò nec in felicisſimâ memoriâ: ſed opus eſſe *Excerptis* quibuſdam & *Notis* rerum verborumque ſingularium, quas imitemur: quæ excerpta Memorialibus libellis, tamquam ærario, contineri velim, vnde ſermonis illæ opes per tempus & ad vſum promantur. Fieri autem libellos triplices: vnum, quem *Formularum* dixerim; alterum, quem *Ornamentorum*; tertium, quem *Dictionis*. Duo illi ad ſermonem vniuerſum magis pertineant, tertius ad diſtinctum. In primo, Formulæ mihi duplices: Ad *contextum* iſtæ: *Ordiendi, Narrandi, Continuandi, Tranſeundi, Abrumpendi, Claudendi*: Ad *Materiem*, iſtæ: *Rogandi, Gratias agendi, Operam offerendi, Laudandi, Vituperandi, Aſſeuerandi*: & quidquid iſtarum rerum communium eſt, quæ in epiſtolam crebetrimè incurrunt. Secundus, *Ornamentorum* liber eſt. in quo diſtinctè & per capita collocauerim hæc: *Similitudines, Allegorias, Imagines, Acutiora dicta, Sententias*, & ſi qua eiuſmodi illuſtria lumina ſermonis. Tertius, *Dictionis*, quam diuido in duas partes, *Phraſium* & *Verborum*. Phraſes quidem enotari velim, quæcumque inſigniores aut nitidiores occurrent: Verba, quæcumque raræ, noua, aut nouo ſenſu ſiue flexu vſurpata. In Phraſibus diſpoſitionem non video; niſi quòd ſeorſim eas, poni velim, pro diſcrimine ſcriptorum: Tullij ſolas, Plauti & Terentij ſolas, Hiſtoricorum ſolas: quod quiſque pro iudicio ſuo aut induſtriâ facito. In verbis ordinem ſolùm ſeruem Alphabeti. Hæc ſunt quæ ſelegi velim. Sed à quibus? non enim promiſcuè ab omnibus: ſed ad iudicium paucis tibi ſic præibo. *Formularum* liber à Cicerone maximè compleatur; addo Plinium, Politianum, aut ſi quid aliundè transferre aut haurire poteris opportunè. *Ornamentorum*, à Cicerone, Fabio, Plinio, Hiſtoricis, Senecâ, etiam à Græcis, & in primis Plutarcho. *Phraſium* exempla à Cicerone maximè, & Comicis petantur: nonnihil ab Hiſtoricis, atque etiam ab alijs quos non attigi, Varrone, Agellio, Suetonio, Iuriſconſultis, imò & interdum Appuleio.

Verborum, vno verbo, ab omnibus: nec inutiliter etiam à Grammaticis & Gloſſarijs antiquis.

CAPVT XIII.

De Expreßione & formatione Stili, per tria genera Imitationum.

TERTIVM illud vtiliſſimum ſequitur, Quid exprimas, & quid vites. Fruſtrà enim priora illa duo, ſi non iſtud: nec lectio aut ſelectio adiuuerint, ſine probâ expreſſione. Ea vt talis ſit, per triplicem Imitationem diſtinctè te ducam, & quid ſequare in vnaquaque dicam, & quid vites. In *Puerili*, duo hæc tibi propone. Primò, vt formulas in primis & communia illa contextus totius innitere: ſecundò, vt ductum, numeros, lineamenta & faciem Tullianę orationis. Et imitere, non induſtriè ſolùm, ſed pænè adfectatè & cupidè: ſic inquam, vt color quæſitus & fucus appareat, imò & furtum. Vt pueros nihil pudet, cùm ſcribere diſcunt, per ſingulos litterarum apices alienâ manu duci: non item hîc te. Clauſulas, membra, & periodi cuiuſpiam partem cum veniâ ſæpè inſeres, & Centonem è Tullij purpurâ contexes, paullò pòſt daturus tuam. Exercitij genus quod olim in Germaniâ huic rei propoſui, dicere operæpretium habeo, etſi non dictare. Fuit tale. Hæc ſequere: quid fugies? nihil, niſi ea quæ Grammatici vitant. At in *Creſcente*, creſcat mihi paullisper iudicium, & ſeruari præcipiam hæc tria. Primùm, vt in furtis iam verecundior ſis; non enim vltrà decet. Secundùm, vt in Formulis exprimendis remiſſior; non enim vltrà opus.

Sicut

Sicut digiti in citharâ ægrè & cum intentione initio ponuntur, ijdem poſteà ad chordas & numeros ſpontè veniunt: ſic mens iſtis paullùm aſſueſacta. Tertiùm, vt Phraſes & Verba meliora vndique aſſumas; & ſomes, vt ſic dicam, cutem illam orationis tuæ externam. Atque hæc ſanè præcipua hîc cura. quid vitandum? vitium agnatum Verborum delectui, nimia aſperitas aut antiquitas. Quod in Comicis imitandis præcipuè mihi caue, & ne quid aut ſordidum ab ijs dictio tua trahat, aut obſoletum. Nam vt imperiti pictores in facie exprimendâ, rugam, næuũ, verrucam facilè imitantur, indolem negligunt, & ipſum vultũ: ſic ſæpè adoleſcentes rara aut exſtantia verba excerpunt, ingeniũ omittunt & genium dictionis. Quæ autem verba ſordida? quæ iacent, tepunt, è fæce vulgi & è triuijs ſumpta, nec niſi iudicio diſcernenda. Quæ obſoleta? notæ duplicis: Naturâ & Opinione. Illa dixerim, quæ reuerà talia ſunt: hæc, quæ ſenſu dumtaxat vulgi. Nam hodie ita inualuit, vt quidquid ignotum, nec tritum auribus imperitorum, obſoletum cenſeatur; quamquã ab optimis auctoribus petitum, & ab optimo illo æuo. Priora igitur aut planè vitabis, aut non niſi cum excuſatione & interſatiunculâ veteris: iſta etiam appetes, & intexes ſermoni tuo tamquam gemmas. De quo toto genere, opportuniùs monebo & inſtruam per exempla. Supereſt Imitatio vltima, ſiue *Virilis*: in quâ hoc præcipio, non tam exteriorem illum ornatum ſpectati debere, quàm virtutes & cultum internum: id eſt, Figuras, Imagines, Acumina, & ea quæ appellaui Ornamenta. In quo vna cautio, vt cùm oratio perfici iam incipiat & ſumma illi manus imponi, κακοζηλία vitetur & Affectatio: infelix ſanè vitium, & quod obrepit ſpecie virtutis. Ei eſt, nimium cultus ſtudium, & ſine modo. Quod per te ægrè videas aut vites: felix cui doctor hîc aliquis aut monitor amicus.

Hæc dictanda mihi nunc ſuper Epiſtolis cenſui: cum fructu nonnullo eorum, ſpero, qui audierunt; vereor vt exiguo, qui tantùm legent.

ΕΚ ΤΩΝ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΦΑΛΗΡΕΩΣ περὶ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ.

Ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ ἐπιστολικὸς χαρακτὴρ δεῖται ἰσχνότητος, καὶ περὶ αὐτοῦ λέξομεν. Ἀρτέμων μὲν οὖν, ὁ τὰς Ἀριστοτέλους ἀναγράψας ἐπιστολάς, φησίν, ὅτι δεῖ ἐν τῷ αὐτῷ τρόπῳ διάλογόν τε γράφειν καὶ ἐπιστολάς. Εἶναι γὰρ τὴν ἐπιστολὴν, οἷον τὸ ἕτερον μέρος τοῦ διαλόγου. Καὶ λέγει μέν τι ἴσως, οὐ μὴν ἅπαν. Δεῖ γὰρ ὑποκατεσκευάσθαι πως μᾶλλον τοῦ διαλόγου τὴν ἐπιστολήν· ὁ μὲν γὰρ, μιμεῖται αὐτοσχεδιάζοντα· ἡ δὲ, γράφεται καὶ δῶρον πέμπεται τρόπον τινά. Τίς γοῦν οὕτως ἂν διαλεχθείη πρὸς φίλον, ὥσπερ ὁ Ἀριστοτέλης πρὸς Ἀντίπατρον, ὑπὲρ τοῦ φυγάδος γράφων τοῦ γέροντος, φησίν; Εἰ δὲ πρὸς ἁπάσας οἴχεται τὰς φυγὰς οὗτος, ὥστε μὴ κατάγειν, δῆλον ὡς τοῖς γε

EX DEMETRII PHALEREI DE ELOCVTIONE.

QVONIAM *verò & Epiſtolicus character Exilitate indiget, etiã de ipſo dicemus. Artemo igitur, is qui Ariſtotelis epiſtolas collegit & euulgauit, ait* eodem modo oportere Dialogũ & Epiſtolas ſcribi. Eſſe enim epiſtolam quaſi alteram Dialogi partem. *Et aliquid quidem dicit, non tamẽ omnia. Oportet enim epiſtolam paullò magis adornari & quaſi exſtrui, quàm Dialogũ. Iſte enim imitatur neglegenter & ex tempore dicentem: illa autem ſcribitur, & aliquo modo mittitur quaſi donũ. Quis igitur ita ſermocinetur cum amico, ſicut Ariſtoteles ad Antipatrum, ſuper ſene quodã exſule, ſcribens ait?* Si verò ad omnia exſilia iſte ita abijt, vt* non redeat: manifeſtum eſt, quòd

* non reducatur.

εἰς ᾅδου κατελθεῖν βουλομένοις, οὐδεὶς φθόνος. Ὁ γὰρ οὕτω διαλεγόμενος, ἐπιδεικνυμένῳ ἔοικε μᾶλλον, οὐ λαλοῦντι. Καὶ λύσεις συχναί, ὁποῖαι οὐ πρέπουσιν ἐπιστολαῖς· ἀσαφὲς γὰρ ἐν γραφῇ ἡ λύσις. Καὶ τὸ μιμητικὸν, οὐ γραφῆς οὕτως οἰκεῖον, ὡς ἀγῶνος. οἷον ὡς ἐν τῷ Εὐθυδήμῳ. Τίς ἦν, ὦ Σώκρατες, ᾧ χθὲς ἐν Λυκείῳ διελέγου; ἦ πολὺς ὑμᾶς ὄχλος περιειστήκει. Καὶ μικρὸν προελθὼν ἐπιφέρει, Ἀλλά μοι ξένος τὶς φαίνεται εἶναι, ᾧ διελέγου. τίς ἦν; Ἡ γὰρ τοιαύτη πᾶσα ἑρμηνεία καὶ μίμησις ὑποκριτῇ πρέπει μᾶλλον, οὐ γραφομέναις ἐπιστολαῖς. Πλεῖστον δὲ ἐχέτω τὸ ἠθικὸν ἡ ἐπιστολὴ, ὥσπερ καὶ ὁ διάλογος. Σχεδὸν γὰρ εἰκόνα ἕκαστος τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς γράφει τὴν ἐπιστολήν. Καί ἐστι μὲν καὶ ἐξ ἄλλου λόγου παντὸς ἰδεῖν τὸ ἦθος τοῦ γράφοντος· ἐξ οὐδενὸς δὲ οὕτως, ὡς ἐπιστολῆς. Τὸ δὲ μέγεθος συνεστάλθω τῆς ἐπιστολῆς, ὥσπερ καὶ ἡ λέξις. Αἱ δὲ ἄγαν μακραί, καὶ προσέτι κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ὀγκωδέστεραι, οὐ μὰ τὴν ἀλήθειαν ἐπιστολαὶ γένοιντο ἄν, ἀλλὰ συγγράμματα, τὸ Χαίρειν ἔχοντα προσγεγραμμένον. καθάπερ τὰ Πλάτωνος πολλὰ, καὶ Θουκυδίδου. Καὶ τῇ συντάξει μέντοι λελύσθω μᾶλλον. Γελοῖον γὰρ περιοδεύειν, ὥσπερ οὐκ ἐπιστολὴν, ἀλλὰ δίκην γράφοντα, καὶ οὐδὲ γελοῖον μόνον, ἀλλ᾽ οὐδὲ φιλικόν. Τὸ γὰρ δὴ κατὰ τὴν παροιμίαν, Τὰ σῦκα, σῦκα λεγόμενον, ἐπιστολαῖς ταῦτα ἐπιτηδεύειν. Εἰδέναι δὲ χρὴ, ὅτι οὐχ ἑρμηνεία μόνον, ἀλλὰ καὶ πράγματά τινα ἐπιστολικά ἐστιν. Ἀριστοτέλης γοῦν, ὃς μάλιστα ἐπιτετευχέναι δοκεῖ τοῦ τύπου ἐπιστολικοῦ, Τοῦτο δὲ οὐ γράφω σοὶ, φησίν· οὐ γὰρ ἦν ἐπιστολικόν. Εἰ γάρ τις ἐν ἐπιστολῇ σοφίσματα γράφει καὶ φυσιολογίας, γράφει μὲν, οὐ μὴν ἐπιστολὴν γράφει. Φιλοφρόνησις γάρ τις βούλεται εἶναι ἡ ἐπιστολὴ σύντομος καὶ περὶ ἁπλοῦ πράγματος ἔκθεσις, καὶ ἐν ὀνόμασιν ἁπλοῖς. Κάλλος μέντοι αὐτῆς αἵ τε φιλικαὶ φιλοφρονήσεις, καὶ πυκναὶ παροιμίαι ἐνοῦσαι. Καὶ τοῦτο γὰρ μόνον ἐνέστω αὐτῇ σοφὸν, διότι δημοτικόν τί ἐστιν ἡ παροιμία καὶ κοινόν. Ὁ δὲ γνωμολογῶν,

quòd nemo inuidet ire ad inferos volentibus. *Nam qui ita diſſerit, demonſtranti magis quàm ſermocinanti ſimilis apparet. Et ſolutiones crebræ* in ſermone, *quales non decent epiſtolas: quia obſcurum quiddam in ſcriptione ſolutio. Et illud Imitatoriũ, non tam ſcriptionis propriũ, quàm contentionis. Sicut in Euthydemo:* Quis ille erat, ô Socrates, cũ quo herè in Lyceo diſſerebas? certè frequens turba vos circumſiſtebat. *Et paullũ progreſſus, infert:* At mihi hoſpes quiſpiam eſſe videbatur qui cum loquebare. quis erat? *Hæc enim talis elocutio & imitatio, hiſtrionẽ magis decet, non epiſtolas ſcribentẽ. Plurimũ autem Morale epiſtola habeat, ſicut & Dialogus. Ferè enim animi ſui ſimulacrũ quiſque & imaginem, epiſtolã ſcribit. Et eſt quidẽ ex aliâ omni oratione videre ac noſcere mores ſcriptoris: ex nullâ tamen æquè atq; ex epiſtolâ. Magnitudo autem epiſtolæ modica & contracta eſto, ſicut & dictio. Valdè autem longæ, & elocutione magis inflatæ, non, per Fidem, epiſtolæ ſunt, ſed Libri aut ſcripta,* Saluere *illud habẽtia. ſicut Platonis plurima ſunt, & Thucydidis. Et conſtructione quidem epiſtola ſoluta eſſe debet magis. Ridiculũ enim per periodos ire, tamquã non epiſtolam ſed iudicialem cauſſam ſcribentem: imò non ridiculum tantùm, ſed nec familiare aut amicum. Illud enim quod prouerbio fertur, Ficus, ficus, epiſtolæ oportet accommodare. Sciendum autem, quòd non ſolùm Elocutio quædam, ſed & Res ſunt Epiſtolis propriæ. Ariſtoteles igitur, qui formam maximè epiſtolæ concepiſſe & aſſecutus videtur, ait:* Hoc tibi non ſcribo: non enim eſſet epiſtolicum. *Siquis enim in epiſtolâ Sophiſmata aut cauillos ſcribat, aut Naturales diſſertiones; ſcribit quidem, non tamen epiſtolam. Come enim quiddam vult eſſe Epiſtola; breue; & de re ſimplici expoſitio, etiam verbis ſimplicibus. Pulchritudo enim eius & decor, amica benignitas, & crebra Prouerbia inſerta. Atq; hoc vnũ ſapiens inſit epiſtolæ; quoniam populare quiddam eſt Parœmia, & vulgo notum. Qui verò ſententias*

καὶ προτρεπόμενος, οὐ δι' ἐπιστολῆς ἔτι λαλοῦντι ἔοικεν, ἀλλὰ μηχανῆς. Ἀριστοτέλης μέντοι καὶ ἀποδείξεσί που χρῆται ἐπιστολικαῖς. οἷον διδάξαι βουλόμενος, ὅτι ὁμοίως χρὴ εὐεργετεῖν τὰς μεγάλας πόλεις καὶ τὰς μικράς, φησίν· Οἱ γὰρ θεοὶ ἐν ἀμφοτέραις ἴσοι· ὡς ἐπεὶ αἱ Χάριτες θεαὶ, ἴσαι ἀποκείσονταί σοι παρ' ἀμφοτέραις. Καὶ γὰρ τὸ ἀποδεικνύμενον αὐτὸ ἐπιστολικὸν, καὶ ἡ ἀπόδειξις αὐτή. Ἐπεὶ δὲ καὶ πόλεσί ποτε καὶ βασιλεῦσι γράφομεν, ἔστωσαν τοιαῦται αἱ ἐπιστολαὶ, μικρὸν ἐξηρμέναι πως (στοχαστέον γὰρ καὶ τοῦ προσώπου, ᾧ γράφεται.) ἐξηρμένη μέντοι, καὶ οὐχ ὥστε σύγγραμμα εἶναι ἀντ' ἐπιστολῆς. ὥσπερ αἱ Ἀριστοτέλους πρὸς Ἀλέξανδρον, καὶ πρὸς τοὺς Δίωνος οἰκείους ἡ Πλάτωνος. Καθόλου δὲ μεμίχθω ἡ ἐπιστολὴ κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ἐκ δυοῖν χαρακτήροιν τούτοιν, τοῦ τε χαρίεντος καὶ τοῦ ἰσχνοῦ. Καὶ περὶ ἐπιστολῆς μὲν τοσαῦτα, καὶ ἅμα περὶ τοῦ χαρακτῆρος τοῦ ἰσχνοῦ.

tias loquitur, aut ſeriò cohortatur, non per epiſtolã iam loquenti ſimilis eſt, ſed per artem. Ariſtoteles ſanè & demonſtrationibus vtitur interdum epiſtolicis. ſicut cùm docere vellet, pariter magnis & paruis ciuitatibus benefaciendum eſſe, ait: Dij enim in vtriſque æquales ſunt. itaque & Gratiæ, quoniam deæ, æquales tibi reſidebunt apud vtraſque. *Nam & quod demonſtratur Epiſtolicum eſt: & demonſtratio ipſa. Quoniam autem & ciuitatibus interdum & regibus ſcribimus, ſunto eiuſmodi epiſtolæ paullò magis eleuatæ. (mens enim dirigenda & in perſonam, cui ſcribitur.) eleuatæ tamen, ſed non vti Liber aut commentatio fiat pro epiſtolâ. ſicut illæ Ariſtotelis ad Alexandrum, & Platonis ad Dionis familiares. Vniuersè autem miſcetor epiſtola, quod ad Elocutionem, è duobus characteribus iſtis, Vrbano & Exili. Et de Epiſtolâ quidem hactenus, & ſimul de charactere exili.*

FINIS.


BORE
ET
CONST
TIA